


MANUDUCTIO
AD CONVERSIONEM
MAHUMETANORUM,
IN DUAS PARTES DIVISA.
IN PRIMA

VERITAS RELIGIONIS CHRISTIANÆ

CATHOLICÆ ROMANÆ

manifestis argumentis demonstratur.

IN SECUNDA

FALSITAS MAHUMETANÆ

SECTÆ CONVINCITUR.

AUTHORE

Adm. R. P. THYRSO GONZALEZ DE SANTALLA,

è SOC. JESU, IN SALMANTICENSI ACADEMIA

SS. Theologiæ Primario Antecessore Emerito,

NUNC UNIVERSÆ SOCIETATIS JESU PRÆPOSITO GENERALI.

EDITIO PRIMA IN GERMANIA.

Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis,

Et facultate Superiorum.

To'ktymax Christiani
Risii Rast: Bor.
ao 1675 9 May

Eremi Camald. C.M.C.
in Insula Wigrensi ex
Legato F. Agathangeli.



DILINGÆ,

Typis & Sumpt. JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ Acad.

Per DANIELEM KNAB.

ANNO M. DC. LXXXIX.

AVGVSTISSIMO ET INVICTISSIMO
ROMANORUM IMPERATORI
LEOPOLDO I.
Victorias & Felicitatem.

INter communes totius Orbis Christiani applausus, liceat etiam Minimæ Societati in partem felicitatis venire, & in debitum devotionis suæ tributum exile hoc munus ad Majestatis Vestræ pedes deponere. Certè si Libri hujus Titulum & Materiam intueri lubet, alterius Patrocinium ambire nec potuit, nec debuit, quàm Gloriosi Turcarum Victoris, & Mahumeticæ impietatis Domitoris LEOPOLDI, qui ad immortalem vix crediturae posteritatis memoriam, ingenti fortuna, Virtute Majore, Hungariam universam cum annexis amplissimis Provincijs, quas plurium seculorum tractu Ottomanna subjugavit potentia, intra septennij non integri spatium iniquissimo possessori extorsit, & in fidem recepit, toties Victor, quoties cum hoste conflixit, stupentibus ipsismet barbaris, potentiam suam, tot gentium spolijs ac ruinis roboratam, tantillo tempore enervari, portámque plusquàm ferream, milléque seris firmissimè clausam, Austriaci Samsonis virtute effringi potuisse. Longum nimis foret, enumerare cæsas barbarorum acies, stratos eorum cadaveribus campos, fugatas innumerabiles copias, immensos hostium exercitus internecione deletos: compendio omnia absolvam, si dixero, Majestatis Vestræ faustissimis armis posuisse barbaros intolerabilem fastum, & formidatam hactenus Turcarum gentem ita inter Christianos viluisse, ut Vezirios, Seraskirios, & quidquid

horum nominum barbara habet nomenclatura, contemptim rideant, iísque impunè insultent. Docuit nimirum Majestas Vestra trepidare gentem ferocissimam, quæ nominis sui terrorem toto priùs orbe circumtulit, eámque insolito prorsus felicitatis prodigio, ita compescuit, ut Victricia Majestatis Vestræ arma non modò lacessere non audeat, sed Pacem, tam sibi propudiosam, quàm Victori honorificam, supplex rogare compellatur. Verùm quid mirum est, quòd Cœlum militet Majestati Vestræ,& fœderatus Æther Lauros, Palmásque Pleno Cornu affundat, cùm Vestra Majestas, perpetuo Cœlum inter & Austriacam pietatem fœdere, non nisi DEO militare consueverit, & Supremi potiùs Numinis, quàm proprijs lacessita injurijs arma capessat; ea enim est religiosissimæ mentis rara modestia, ut Victorijs, lætísque bellorum successibus non, quod alij solent, ad famam Nominis sui æternitati consecrandam, aut dilatandos Imperij fines, sed solùm ad augendum veri Numinis cultum, & propagandum Christi atque Ecclesiæ Regnum utatur, Sanctámque illam gnomen, non tam Vexillis, quàm menti altissimè inscriptam gerat, *Non nobis, Domine, non nobis, sed Nomini Tuo da Gloriam!* Testantur hoc devictorum hostium vexilla in Templis suspensa, præcipitatæ è turrium fastigijs Lunæ, erecta passim Crucis trophæa, exstructæ Basilicæ, restituta Altaria, fundatæ Religiosæ Domus, ceteráque Pietatis Christianæ monumenta, quæ Majestatis Vestræ pijssimam mentem, etiam apud barbaros, palam loquuntur. Hunc Majestatis Vestræ Zelum Augustissima etiam Consors pro viribus æmulatur, quæ non tam pro Sua & Majestatis Vestræ, quàm DEI causâ sollicita, cum Nobilissimo Gynecæo, velut Christianarum Amazonum cohorte, adversùs juratos Christi & Ecclesiæ hostes, precibus alijsque pietatis exercitijs strenuè pugnat, nihílque ita in delicijs habet, quàm si blanditijs & adhortatione impiam unius barbaræ pertinaciam expugnare, eámque è lustralibus Baptismi undis levatam, DEO lucrari possit; spolium ditissimum arbitrata, si suis sese pretiosis vestibus, mundóque muliebri spoliare, nudata ab hostibus Altaria vestire, & profanatas barbarorum sordibus Ecclesias exornare possit. Imitatur nimirum Majestas Vestra Bellicosissimi ac Sanctissimi Regis Davidis exemplum, qui, licèt armis, & auspicijs suis contriverit Philisthæos, Moabitas subjugaverit, Syros domue-

domuerit, aliásque gentes gravissimis cladibus afflictas in potestatem redegerit, Personæ tamen suæ velut oblitus, DEI sese duntaxat stipendiarium professus, palámque contestatus est, aliud se lucrum per tam arduos belli labores minimè aucupari, quàm ut gentes quamplurimas, extinctâ idololatriâ, & superstitiosis gentilium erroribus, ad Veri DEI cultum pertraheret, Ejúsque obsequio manciparet: *Dabo Tibi Gentes hæreditatem Tuam!* DEUS tamen humanâ liberalitate nescius vinci, certabat beneficijs cum Davide; cúmque Ille in solam DEI T. O. M. gloriam irretortos mentis oculos figeret, eámque totâ virium contentione procuraret, DEUS Davidi vicissim fecit *Nomen grande, juxta Nomen Magnorum, qui sunt in Terra*, plurimas Illi provincias & populos subjecit, Soliúmque illius ita firmavit, ut Regius Ejus Sanguis, serie nunquam interrupta, usque ad Christi in terras Adventum, Avitam Davidis Sedem felicissimè teneret. Pari, inquam, beneficentiâ Cœlum cum Majestate Vestra certat; dum enim Majestas Vestra novos identidem populos DEO & Ecclesiæ vectigales reddit, novos indies triumphos Majestati Vestræ DEUS adornat, Imperij fines ad æmulorum usque invidiam latissimè extendit, Novas identidem Provincias hæreditario deinceps jure possidendas tradit, Domúmque Austriacam tam prodigiosè extollit, ut ipsi etiam, infensissimi licèt Austriacæ Gloriæ hostes, eam revereri, & fœderatam cum Austria DEI manum luculentis indicijs agnoscere cogantur, sítque omnium subditorum sincerissimum votum, ac spes non vana, quòd, sicut Regia Davidis Domus ad Primum usque Christi Adventum, ita Majestatis Vestræ Augustissima Domus ad Alterum usque Ejusdem Adventum in Imperij Romani Solio sit perennatura. Summis propterea solatijs perfusa gestit Ecclesia Universa, dum, Majestatis Vestræ dextrâ obstetricante, tam copiosam sibi sobolem nasci, támque lætam animarum messem succrescere, intuetur, atque ex tam prosperis armorum successibus auguratur, aurea brevì illa tempora fore, ut post subactam Hungariam, Bosniam, Serviam, Bulgariam, Albaniam & Macedoniam, tota quoque reliqua Græcia, fœda defectione non ab Ecclesia solùm, sed etiam à Romano Imperio avulsa, ad obsequium redeat; ac Roma Antiqua cum Nova, Ecclesia Latina cum Græca, & Bicipitis Aquilæ divisum Corpus integrè tandem coalescat. Ad tam Sacram igitur

tur expeditionem permittat Invictissima Vestra Majestas, ut nos quoque è Minima JESU Societate, tanquam Præsidiarij Ecclesiæ milites, subsidiariam manum conferamus, & dum Laureati in Hungaria Hercules Mahometicam Hydram, tot monstrosam capitibus, quot infamem erroribus, ferro & igne impugnant, nos stylo & calamo eandem persequamur. Antesignanum hoc in negotio habemus Libri hujus Authorem, Supremum Societatis nostræ Præsidem, hac in palæstra versatissimum, & tot nobilem Laureis, quot adversùs impij Mahumetis deliria prælijs illustrem: qui, antequam in Generalem Ordinis nostri Ducem assumeretur, relictis in Hispania celeberrimis cathedris, per annos complures laboriosissimas ad Mauros expeditiones suscepit, & acerrimum Mahumeticæ impietati bellum indixit, eo successu, ut Sarracenos quamplurimos sub suave Christi jugum miserit, Hebræorum non paucorum pertinaciam fregerit, Magnámque Maurorum copiam Ecclesiæ aggregârit. Arma, quibus felicissimè usus est hunc in Librum, velut instructissimum armamentarium congessit, nobísque artes ac modos ostendit, quibus non Mahumetis duntaxat, sed cujusvis alterius sectæ fallacias detegere, & errantes oviculas ad caulam reducere possimus. Demississimè igitur rogamus, ut Majestas Vestra Librum istum sereno, ut solet, vultu intueri, conatibus nostris favere, & devotissimam sibi Societatem, ejúsque Collegia in Provincia Germaniæ Superioris, congenitâ clementiâ porrò protegere & fovere clementissimè dignetur. Ita humillimè precatur

MAIESTATI VESTRÆ

Devotissima, obsequentissima

Provincia Soc. JESU Germaniæ
Superioris.

LICENTIA ORDINIS.

Andreas Reguera, Societatis Jesu, in Provincia Castellana Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta à Reverendo admodum P. N. Carolo de Noyelle ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem facio, ut Tractatus adversùs Mahumetanos à P. Thyrso Gonzalez nostræ Societatis Doctore Theologo, & in Salmantina Academia Primario Theologiæ Antecessore compositus, & Salmanticæ excusus anno Domini 1680. ad finem Tomi tertii Selectarum Disputationum ex universa Theologia Scholastica, sub titulo *Disputationis* de Divinitate Christi, & demonstrationum contra Mahumetanos; nunc denuò seorsim recudatur pro majori legentium commodo, sub hoc titulo: *Manuductio ad conversionem Mahumetanorum, in qua veritas religionis Christianæ adversùs omnes ejus hostes manifestis argumentis demonstratur*: cùm fuerit gravium, doctorúmque hominum ejusdem Societatis judicio approbatus. In quorum fidem has literas manu nostra, & Secretarii nostri subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Vallisoleti in Collegio S. P. N. Ignatij, die 11. mensis Januarij, anno Domini 1687.

Andreas Reguera.

Antonius Caraveo, Secret.

APPROBATIO EMINENTISSIMI D.D. F. Iosephi de Aguirre, S. R. E. Cardinalis.

Methodum hanc, quâ Mahumetani ex crassis erroribus, quibus altè caligant, & cæcutiunt, ad lumen Evangelicæ doctrinæ convertantur faciliùs, jam antè vidi, & suffragio meo probavi, dum ex præscripto Regij Senatûs Superioribus annis Censor essem Selectarum Disputationum Reverendissimi Patris Magistri Thyrsi Gonzalez, Primarij Theologiæ Professoris in Salmanticensi Academia. Cùm autem pluribus doctrinâ, & eruditione præstantibus viris conveniens visum fuerit, ut illa seorsim edatur ad commodiorem usum eorum, quibus curæ est, aut erit Mahumetanorum conversio; censui pariter utilissimum, ut in eundem scopum recudatur. Quippe ad manum habebunt pervias demonstrationes, & urgentissimas præterea conjecturas, quibus occœcatam eorum mentem illustrare, & affectum inflammare possint, ut tandem emergant è tenebris, & veram salutis viam insistant. Quapropter non modica mihi spes affulget ingentis utilitatis, reportandæ ex nova editione hujus Tractatûs, quem sanè oportet per omnes Christiani orbis plagas distrahi, & publici juris fieri; illas præsertim, in quibus inveniuntur erroribus barbaræ illius sectæ dediti. Ita attestabar Matriti in Monasterio Benedictino S. Martini, die 15. Decembris, anno Dominicæ Incarnationis 1686.

Josephus Cardinalis de Aguirre, Benedictinus.

APPROBATIO ILLUSTRISSIMI D.D. DIDACI de la Cueva, Episcopi Vallisoletani, Consiliarij Regij, &c.

JAm pridem magno cum splendore primam lucem usurpaverat Manuductio ista ad conversionem Mahumetanorum: et ego placidos ipsius radios grato lumine hausi, cùm pro munere Censoris injuncto ab Illustrissimo Domino D. Francisco de Seixas & Losada, tunc Episcopo Salmantino, & postmodùm Compostellano Archiepiscopo, selectas ex universa Theologia Disputationes Reverendissimi Patris Magistri Thyrsi Gonzalez de Santalla è Societate JESU, primarij Theologiæ Professoris in Salmanticensi Academia, meis probavi calculis; candidissimis quidem, & pro mea in Authorem benevolentia, & pro Authoris adversùs Censores meritissimo jure. Nunc verò, quod in Sole intuemur, qui nullo contentus hemisphærio plagas supergressus immensas, novum apud alios accolas mundum splendori suo, ambitu perpetuo sollicitat, neque uno quiescens volumine iteratis orbibus magno mortalium beneficio proprios radios dispensat: id ipsum huic Manuductioni accidit, quæ recto tramite ad superas lucis plagas, & ducit, & evolat. Nempe, quasi esset ipsis solaribus radiis scripta, in eam claritatem excrevit, ut illo *Selectarum* volumine non coërcita propriam sibi sphæram, quâ ocyùs in orbem circumferatur, & nova volumina, queîs liberaliùs diffundatur, exposcat. Hic primùm sacram mysteriorum fidei obscuritatem claris adeò splendoribus Author inaurat, & tam perspicuâ subtilitate dividit diem à tenebris, ut verè nox sicut dies illuminetur, & fides, quæ cœca est, planè simul appareat oculata, & tota oculus. Tum errores Mahumetanæ Sectæ triumphans aggreditur; & Prædicatoribus Evangelicis zelum accendit, methodum tradit, arma ministrat, quibus pertinaciam barbaræ gentis, licèt Aspidis surdæ, & obturantis aures suas, supernâ veritatis luce felicissimè expugnaturi sunt, ut spero. Quidni speraverim? Novit omnis Hispania indulgentissimam Dei providentiam, quâ, dum Author inter sacras expeditiones ingentem spiritum zelo Dei plenissimum fatigaret, se ipsum sensit velut extemporaneo Spiritus sancti afflatu correptum, & inopinato juxta, ac vehementi agitatum impulsu, ut ad Mauros conciones suas converteret: quorum in prima concione quinque, in secunda octo, in tertia decem prosilierunt in medium, & baptismum publicè postulârunt; & sic deinceps alii sine numero Religionem Christianam, incredibili omnium fidelium gaudio, amplexati sunt. Nec cuiquam dubitare fas est, quod idem ipse Religiosissimus Pater testatur, dum ad eas conciones pergeret in Theatrum, subitò sibi inopinatam eousque demonstrationem affulsisse de cœlo, quâ indomitam Mahumetanorum cervicem Evangelio subjugaverit: ut planè, quam Salomon habebat in votis assistricem sibi de cœlo sapientiam, quæ secum laboraret, hanc cælitus delapsam Auctor habuerit, quæ cum illo pugnaret, ac vinceret. Opportunissimum igitur meo judicio, & saluberrimum consilium est,

ut

ut Manuductio ista ad Mahumetanorum conversionem, denuò, & seorsim in publicam lucem prodeat, cùm tot regiones à Turcarum tyrannide ereptæ, & Christianorum Principum, ac præsertim Augustissimi Leopoldi Imperio subjectæ, albæ jam sint ad messem. Suppetit hic Evangelicis Missionariis, quos Author, & exemplo vocat, & calamo manuducit, unde amplissimam palmarum segetem sibi spondeant: suppetunt arma, quibus de Mahumeti erroribus, & fabulosis deliriis felicissimè triumphare possint; sunt enim verè aurea, sunt triumphis sæpè sæpius assueta, sunt trophæis iterum atque iterum coronata, ac demum igneus est illis vigor, & cælestis origo. Vallisoleti, die 22. Martij, anno Domini 1687.

Didacus Episcopus Vallisoletanus.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOs el Licenciado D. Alonso Portillo y Cardos, Inquisidor Ordinario, y Vicario desta Villa de Madrid, y su Partido; por la presente, y por la que à Nos toca, damos licencia, para que se impriman los Libros intitulados, *Manuductio ad conversionem Mahumetanorum*, compuestos por el Reverendissimo Padre Tirso Gonzalez de Santalla, Catedratico de Prima Jubidado de la Vniversidad de Salamanca, y Preposito General de la Compania de Jesus; atento nos consta, que por las aprobaciones, que hemos visto, no contiene cosas contra nuestra Santa Fè Catolica, y buenas costumbres. Dato en Madrid à veinte y vno de Agosto, de mil seiscientos y ochenta y siete annos.

Lic. Don Alonso Portillo y Cardos.

Por su mandato,

Juan Alvarez de Llamas, Notario.

APPROBATIO REVERENDISSIMI P. M. Ioannis Cortès Ossorio in Collegio Imperiali Matritensi pro Scholis Regiis Primarij Theologiæ Professoris, Sacræ Catholicæ Majestatis Theologi, Supremi Inquisitionis Senatus Qualificatoris, & pro eodem Tribunali Librorum Censoris, &c.

CUm Celsitudo vestra dignata fuerit, hanc *Manuductionem* ad conversionem Mahumetanorum, mihi censendam committere, facultatem simul concessam præsumo, & mihi, & auctori de hujuscemodi commissione gratulandi. Manifestum enim documentum est ejus bonæ existimationis, & Christianæ sapientiæ conceptæ securitatis, quòd sua causa non magìs integrum judicium exposcat, quàm concivis, amici, subditi, & filii. Talem me ergo cùm profitear, non dubito, quin vestra Celsitudo magìs elogium, quàm censuram exspectet. Scilicet cùm Author Matrito transiret in Comitia Romana ad novi Præpositi Generalis electionem indicta, hunc præclarissimum tractatum pro ea benignitate, quâ omnium animos sibi devincit, mihi perlegendum indulsit; & testor, tantam voluptatem ejus lectione percepisse, ut nihil ardentiûs desiderâtim, quàm quòd opus, adeò consentaneum, & utile Religioni Christianæ, quantocyus publicam lucem videret, optâsséque de ejus prærogativis interrogari, ut illas referendo, adeò proficuam editionem quadantenus urgerem. Spirat enim hoc opus eximiam pietatem, ferventissimum animarum zelum, charitatem erga Deum & proximos, profundam eruditionem, ingeniosum acumen, & tantam claritatem, efficaciam, & eloquentiam, qualis decebat celeberrimum Magistrum, sapientissimum Theologum, & Apostolicum Concionatorem, sicut jure optimo reputatur Admodum R. P. N. Pater Doctor Tyrsus Gonzalez de Santalla, cujus celeberrimi nominis fama maximum omnium elogiorum est. Verùm, cùm authorem reducem sperabat hoc opus, ut ipsum absolveret, & integrum ex omni capite prodiret, Præpositi Generalis dignitas eum nihil tale cogitantem intercepit; quapropter necesse fuit, libri editionem differri, non sine aliquo publicæ utilitatis detrimento, quod tamen longè compensavit Ecclesiæ bonum, totius Societatis Jesu universale solatium, & omnium bonorum gaudium ob virtutis præmium. Quid, inquam, bonorum? Imò nullus etiam malignantium fuit, qui de viri doctissimi, pientissimi, & humillimi exaltatione non gauderet. Ejus sanè electio tam communi plausu in Hispania excepta fuit, ut manifestam exceptionem fecerit illius universalis sententiæ, quæ negat ullum Prophetam acceptum in patria sua; siquidem vir modestissimus omnes populos Hispaniæ, quibus ob Apostolici Missionarii munus notus erat, ea felicitate promeruit, ut cuncti à minimo usque ad maximum, tanquam decus proprium, & approbationem bonæ existimationis de ipso conceptæ, Prælaturam ipsius celebraverint. Miraculo proxi-

mum

tum videtur, neminem fuisse, qui livore tactus, vel minimum popularibus præconiis detraxerit, vel publicam gentis lætitiam ægris oculis aspexerit. Tanta est aliquando meritorum vis, ut supra omnem æmulationem se extollat; sed impræsentiarum alia, nî fallor, est causa: etenim ea submissio modestissimi animi, quâ nullum contemnit, & ea Religiosa humilitas, quâ sibi cæteros præfert, prorsus exarmavit invidiam. Non defuêre quidem viri præclari, qui Romam proficiscenti precati sint, ut ejus virtus exteros lateret, ne Academia Salmanticensis tanto Præceptore, & universa Hispania tali lumine privaretur; verumtamen, quia hujuscemodi votum non ex maligno erat, facilè se Divinæ providentiæ conformârunt, congratulantes Ecclesiæ, quòd in dies pulchriores triumphos sperare possit ab invicta Societatis militia, tam egregio duce animatâ, & instructâ. Prodeat ergo hæc *Manuductio*, non solùm Regia facultate commendata, sed omnium Catholicorum laudibus prædita, & munita, ut fideles operarii vineæ Domini habeant ad manum aptiora instrumenta, quibus illam excolant, augeant, & fœcundent. Ita videtur Matriti in Collegio Imperiali Societ. Jesu 13. Augusti, 1687.

Joannes Cortès Osforio.

LICENCIA DEL CONSEJO.

Diego Guerra de Noriega, Escrivano de Camara del Rey nuestro Sennor, de los que residen en su Consejo. Certifico, que por los Sennores del se ha concedido licentia à Juan de Goyeneche, vezino desta Corte, para que pueda imprimir dos Tomos pequennos, que compuso, y dexò para este efecto en su poder el Maestro Tirso Gonçalez, Preposito General de la Compannia de Jesus, intitulados, *Manuductio ad conversionem Mahumetanorum*, por el original, que va rubricado de mi rubrica, y firmado al fin de mi firma, con que aviendose hecho la impression se trayga al Consejo con certification del Corrector, de estàr conforme à èl, para que se tasse el precio à que se ha de vender. Y para que conste, doy esta certificacion. En Madrid à diez y nueve de Agosto de mil y seiscientos y ochenta y siete annos.

Diego Guerra de Noriega.

Præfatio, Editioni Matritensi præfixa.

JOANNES DE GOYENECHE

Benevolo Lectori.

I. *CUm Reverendissimus P. Thyrsus Gonzalez de Santalla Romam ad Præpositi Generalis Electionem migraret, Operis hujus editionem mihi interea curandam & maturandam commisit, ratus, se brevì rediturum, & ultimam illi manum impositurum, ut omni ex parte perfectum lucem videret. Verùm cùm Ejus præclara merita, quibus Socios supereminet omnes, Romæ illum detinuerint, & Præpositi Generalis munus subire coëgerint, tantóque oneri dignè ferendo se, suásque vires omnes impendere necesse fuerit, officij mei esse duxi, Tractatum istum, prout illum ab Authore accepi, in Ejus absentia typo & publicæ luci dare, ne tanti viri amicæ erga me confidentiæ desim, videárque indignus, inter ejus subditos numerari, immemor devotionis, quâ universæ JESU Societati addictus sum, utpote concivis Magni Indiarum Apostoli Francisci Xaverij, cujus se strenuum imitatorem Author exhibet. Ut autem, Lector benevole, nonnulla, quæ hoc in Libro dispersa leguntur, faciliùs percipias, operæ pretium duxi, aliqua tum in tui gratiam, tum in Optimi Viri commendationem prænotare.*

II. *Hærebis enim fortassis, quisquis in hoc Opus incideris, dum in fronte illius leges, Authorem ejus fuisse* Primarium *Theologiæ* Emeritum *Salmanticensem, cùm ad Emeriti honorem assurgere nemo possit, nisi per integros viginti annos Cathedram, quam* Proprietatis *vocant, obtinuerit: quod tamen, si ad alia, quæ Author non semel insinuat, attendas, per temporis angustias ab illo fieri omnino non potuisse censebis; dum nimirum Sacro Missionum muneri dicatus, totam ferè Hispaniam peragravit, & universam Theologiam, quatuor justi folij voluminibus comprehensam, in lucem dedit. Hoc dubium ut Lectori plenè eximam, necesse est, inprimis explicare initium & occasionem, quâ Author ad Missiones animum adjecit; tum verò temporis, quo earum Ministerio vacavit spatium; dein causam, cur Sacras ad Mauros conciones habuerit; ac denique, quæ illi ratio fuerit, ut hunc contra Mahumetanos Tractatum, tertio selectarum disputationum volumini jam antea insertum, hoc in Libello in novam lucem produxerit.*

III. *Cùm Author in Regio Salmanticensi Societatis JESU Collegio quatuor annos in addiscenda Theologia, ac postea ex Superiorum imperio bienniumin ea repetenda poneret, opportunè accidit, ut altero Repetitionis anno, qui erat Millesimus, Sexcentesimus, quinquagesimus tertius, ad prædictam Universitatem accederet P. Hieronymus Lopez, vir ille admirandus, omnium hac ætate Missionariorum*

per

per Hispaniam Magister, quémque alterum Vincentium Ferrerium appellari nemo mirabitur, qui vitam Ejus Sanctissimam, virtutis eximiæ exemplis plenam, & Evangelicæ prædicationis modum ac seriem, cui annis triginta novem se totum consecravit, totámque ferè Hispaniam Apostolico suo Zelo pervasit, consideraverit: quem enim in admirationem non rapiat (ut taceam innumera, videnda apud P. Martinum de Naia, qui integrum Tomum tanti viri rebus gestis enarrandis conscripsit) quod ex Ipsiusmet ore se didicisse testatur Ejus vitæ historiographus, Illum nimirum octoginta millia Confessionum generalium, ut vocant, de totius vitæ noxis excepisse? Antequam igitur venerabilis ille Pater Salmantinam Missionem auspicaretur, Seraphicæ Virginis Teresiæ Corpus, quod apud Oppidum de Alva, quatuor leucis Salmanticâ dissitum, magnâ populorum frequentiâ colitur, devotè priùs venerari statuit, ut tantæ Divæ auspicijs sacrum hoc negotium fructuosiùs inchoaret: ut autem Sanctissimæ hujus Virginis patrocinium efficaciùs sibi conciliaret, in Ejus honorem Oppidi illius incolas consuetis Missionis Exercitijs excolere, eorúmque mores formare decrevit. Benignâ verò Numinis dispositione, & fortunatâ Authoris sorte accidit, ut Ipse quoque tunc præsens adesset, & oculatus tanti animarum proventûs testis, illum Apostolicæ prædicationis modum plurimùm probaret, eúmque velut ideam ac regulam suam imitari statueret, sacro illo munere, & venerabilis Patris consortio adeò delectatus, ut arctissimum religiosæ amicitiæ fœdus cum Eo contraxerit, omnésque Illius conciones Manu propria descripserit: id enim præcipuè agebat vir ille, animarum Zelo flagrantissimus, ut omnibus Evangelicæ Missionis spiritum afflaret, eósque, quos muneri illi aptiores judicabat, adhortatione, consilijs, epistolis & precibus alliceret, atque in concepto proposito firmaret. Perfunctus Missione ista, in Toletanam Provinciam digressus est, & Madritum se contulit, ubi intimo charitatis nexu se conjunxit Patri Didaco Ludovico de San-vitores, qui postea peragratâ Occidentali Indiâ, Marianis Insulis Evangelij lucem primus intulit, & Martyrij coronam sibi paravit, quam ab incultis illis gentibus velut laboriosæ instructionis mercedem accepit, anno supra millesimum, Sexcentesimum, septuagesimo secundo. Mirabilem Ejus vitam, miraculosam planè vocationem & in Societatem ingressum, feruens ad Indos transfretandi desiderium, & res prodigiosè ab illo gestas, P. Franciscus Garsia in historiæ seriem digessit, quam qui attentè evolverit, ad Magni Xaverij similitudinem Illum quamproximè accessisse advertet.

IV. Huic ergo viro Sanctissimo, amico per literas commercio familiarem esse voluit Patrem Thyrsum, Hieronymus Lopez, mutuámque illam consuetudinem æternam esse optavit; sed ea nonnisi ad annum Millesimum, Sexcentesimum, Sexagesimum perstitit, quo is in novam Hispaniam navigationem suscepit. Ne autem conceptus in P. Thyrsi animo ardor tantæ flammæ absentiâ remitteret, Patrem Gabrielem Guillen, tunc in Toletana Provincia, sicut Author Salmanticæ fuerat,

rat, publicum Theologiæ Professorem substituit, monuitque, ut in amico Missionum studium foveret, & familiari inter sese, arctáque consuetudine uterentur. Ea propter Hispali ad utrumque literas dedit, in quibus, postquam Patri Guillen, quæ ad P. Thyrsum scripserat, retulisset, hæc verba subnexuit: Reverentia vestra acceptâ hac occasione ad Ipsum scribat, noscátque necesse est, quamplurimùm hanc communicationem interesse. *Gadibus verò, postquam ingentes fructus, ex introducto ibidem Nocturnæ Contritionis exercitio perceptos, recensuisset, hæc adjunxit:* hoc totum nihil aliud reputo, quàm levem dispositionem ad tempus, quo Reverentia vestra ad illum instituendum advenerit; nec ideo hoc accipiat in Missionis Indicæ præsagium, aliter enim perfici valet. *Quorum verborum sensus tunc quidem latebat, brevì tamen patere cœpit, cùm anno supra millesimum, sexcentesimum, sexagesimo quarto, Ambo desertis cathedris Ministerium Evangelicæ Prædicationis subiêrunt, & Hispaniam Sancto illo in munere pervagati, sub annum Millesimum, Sexcentesimum, Septuagesimum in Gaditanam Insulam post Resurrectionis Dominicæ Pascha concesserunt, ibíque post gravissimam navium in portu quiescentium stragem, & luctuosam ædium ruinam, ventorum vi ac vehementiâ concitatam, uberrimi proventûs Missionem instituerunt.*

V. Itaque Venerabilis Patris Hieronymi Lopez, & Didaci Ludovici Sanvitores suasionibus, precibus & vaticiniјs impulsus P. Guillen, cujusque anni æstate Missionem aliquam aggredi decrevit, etiam cùm è suggestu Philosophiam traderet Compostellæ; unde à laboriosi muneris impedimentis ægrè expeditus, per trium hebdomadarum spatium vicinos vicos & oppida quotannis percurrit. Cúmque uberem ex Apostolici hujus viri prædicatione fructum P. Lopez adhuc Compostellæ degens, miratus esset, anno demum Millesimo, Sexcentesimo, quinquagesimo tertio validis illum precibus exoravit, ut urbem quoque illam prædicatione sua illustraret, & post Missionem, Madriti, Abulæ, Compluti confectam, Compostellam se conferret. Verùm aliter placuit Divinæ Providentiæ; dum enim ad Moniales Recollectionis Augustinianæ apud Villafrancam del Bierzo verba faceret, paralysi subitò correptus, cœptum iter abrumpere, quin & ab eo omnino desistere, & postea, resumptis denuo viribus, Provincialis sui imperio Arragoniam repetere coactus est. Interim autem Missionis causâ Villagarsiam divertit, ut Tyronum nostrorum animos ad sacri hujus instituti studium inflammaret.

VI. Verùm antequam se itineri committeret, Patri Thyrso per literas studiosè commendavit, ut ejus loco Missionem obiret, hac verborum formulâ usus: credere non possum, preces ac vota pro Compostellana Missione, vacua quidem evasura, quin potiùs DEUM ac Dominum nostrum aliter optatum fructum prosperaturum spero. *Nec spem fefellit eventus, quippe anno millesimo, sexcentesimo, septuagesimo secundo, sub Adventus Dominici tempus, suadente*

dente Excellentissimo & Illustrissimo Domino D. Andrea Giron Antistite Compostellano, cum P. Joanne Rubi, Viro Magnis animi dotibus, ac Natura ornamentis decorato, Urbem illam P. Thyrsus, Missionem ibidem auspicaturus accessit, quæ adeò copiosum animarum fructum peperit, ut die, Generali Communioni destinatâ, triginta duo Millia hominum Eucharistici Panis alimento refecta sint.

VII. Anno igitur Millesimo, Sexcentesimo, quinquagesimo quarto, sub finem Mensis Augusti, Missiones auspicatus est P. Thyrsus, & ex fructus uberrimi copiâ ad tam Sancti Ministerij amorem novis identidem stimulis vehementissimè exarsit; quod cùm Patri Hieronymo Lopez significâsset, rescripsit is epistolam paterno affectu plenam, in qua verbis minimè obscuris Missionarij munus ei deferendum prædixit, cùm tamen ille tum temporis ne cogitationem quidem de hoc officio admisisset, tantáque Illum deinceps benevolentiâ complexus est, ut, cùm absoluto jam Cursu Philosophico, & peracta Missione, æger decubuisset, summo animi dolore commotus, & exaratâ postea ad illum epistolâ gravissimis hisce verbis animi sui sensum testatus sit: Grates Numini feci, & Te Deum laudamus recitavi coram SS. Sacramento, Deiparam quoque pro Reverentiæ vestræ salute deprecatus, sic eam allocutus sum: si hoc mihi à Numine proponeretur, vel tu decessurus es hac nocte, vel Thyrsus, quod malueris, elige; mori potiùs eligerem, ut Thyrso vitam mea morte prorogarem. Scit probè Deus, scit & Deipara, non semel hoc me fuisse precatum, sed sæpius ac sæpissimè. Cum aliis pariter coram SS. Sacramento grates effudi, nam tali nuntio singularem lætitiam accepimus; vix enim ex literis Reverentiæ vestræ cognovi, eam febribus affligi, cùm orare decrevi, per me & alios non ter aut quater, sed centies. *Quis ergo in dubium porrò vocare poterit, Apostolici hujus viri orationibus Reverendissimi P. Thyrsi vocationem ad Missiones adscribendam?*

VIII. Subinde cùm in Collegio Salmanticensi publicum Theologiæ Professorem ageret, Divino Spiritu afflatus Cathedræ renuntiare statuit, ut totum sese Evangelico Missionum instituto consecraret. Consilij sui conscium ac participem esse voluit Patrem Guillen, enixè eum hortatus, ut ad sacram hanc expeditionem Ipse quoque sese accingeret. Miros in Ejus animo motus hæc amici epistola excitavit; útque Divinam certiùs voluntatem exploraret, ad Exercitia Magni Parentis Ignatij se recepit, in quibus, immissâ cœlitus luce, planè agnovit, sacrum hoc sibi munus suscipiendum, si Divinæ cuperet voluntati obtemperare. Re igitur mutuo consensu firmatâ, egregij hi duo Viri deliberare cœperunt, quâ potissimùm viâ votorum suorum summam consequi possent: P. Guillen censuit expedire, ut suæ quisque Provinciæ Præposito animorum suorum decreta aperiant;

 id

id tamen consilium P. Thyrsus minimè probavit, cùm nôsset, Provinciæ suæ Præsidem cum Præposito Generali agere cœpisse, ut Magistri Laureâ in Salmantina Academia condecoraretur, eâque susceptâ nullam sibi vel levißimam ampliùs spem superesse, propositum suum executioni mandandi. Itaque satius & consultius esse censuit, animi sui vota Præposito Generali revelare; in quod P. Guillen non difficulter consensit. Ambo igitur, ad R. P. Joannem Paulum Oliva, tunc Vicarium Generalem, literas dant, & adductis gravissimis rationum momentis eundem exorant, ut Apostolico Mißionum Ministerio ipsos addiceret, suóque consensu desideria illorum firmaret. Annuit ille ferventibus eorum votis, argumentorum pondere victus, & Evangelicum hoc munus obeundi, totámque Hispaniam peragrandi potestatem illis fecit, missis eum in finem literis, quas Provincialis Toletanus Patri Guillen sine mora reddidit, Castellanæ verò Provinciæ Præses cunctandum tantisper, totúmque negotium dißimulandum censuit, ne in subditi notitiam veniret, dum alijs interea literis meliùs à se informatus Generalis potestatem, quam fecerat, revocaret; altiores enim jure optimo spes de P. Thyrso conceperat, ratus Mißionum negotium longè feliciùs & fructuosiùs ab eo promovendum, si Salmanticæ Doctoratûs Laureâ insignitus, Studiosæ nostræ Iuventutis intellectum sapientiâ illustraret, voluntatem verò proximorum amore accenderet, & sic quamplurimos ad prædicationis munus idoneos ministros suâ industriâ formaret. Verùm Deus, qui Sacro huic instituto illum destinaverat, illis ipsis artibus, quibus negotium istud impedire Provincialis conatus est, ad illud promovendum est usus.

IX. Post aliquot enim menses, mittendis ultro, citróque epistolis exactos, P. Præpositus Generalis Provinciali præcepit, ut, antequam officio cederet, Patrem Thyrsum Magisterio liberaret, atque aliquot ei mensium spatium indulgeret, quibus in Villagarsia tyrocinio concionibus elaborandis insudare, & ad Sacram illam expeditionem parare se possit: quæ omnia sine cunctatione executioni sunt data; nam P. Provincialis in pervigilio Resurrectionis Dominicæ gubernationem Provinciæ absolvit, Vir autem apostolicus sex antè diebus Villagarsiam petijt, in Octobri autem Salmanticam redijt, ut Patri Guillen, futuro expeditionum socio, qui illum ibi exspectaverat, se conjungeret. Inde uterque die vigesima tertia ejus mensis, relictâ Salmanticâ, Estremaduram, Bæticámque, modò conjuncti, modò divisi, prout res & opportunitas ferebat, percurrere cœperunt.

X. Quinque vel sex omnino annis in Mißionum consortio exactis, P. Guillen ex Generalis imperio Matritensis Tyrocinij Rectoratum suscepit, ibíque vitâ deceßit anno millesimo, sexcentesimo septuagesimo quinto, 19. Januar. eximiam Sanctitatis famam meritißimò adeptus. Author verò integros undecim annos Mißionibus dedit, ab anno nimirum hujus seculi sexagesimo quinto ad septuagesimum

sextum

sextum; intra quod temporis spatium quinque Archiepiscopatus, Granatensem, Hispalensem, Toletanum, Burgensem, & Compostellanum, & viginti Episcopatus, Cauritensem, Pacensem, Placentinum, Madacensem, Gaditanum, Salmantinum, Zamorrensem, Palentinum, Segoviensem, Vallisoletanum, Civitatensem, Pompelopolitanum, Legionensem, Asturiensem, Lucensem, Mindonensem, Abulensem, Tudensem & Ceutensem peragravit; Madriti ter, ac toties Hispali Missionem obivit ad Astures, Cantabros & Lusitanos, imò ad Siciliam, Neapolim, & Mediolanum usque, Apostolicos suos labores proferre destinaverat; sed Deus his conatibus obstitit; cùm enim Anno 1676. Mense Majo ex lapsu brachium graviter contudisset, Villagarsiæ subsistere coactus est, dum sanitas viresque redijssent: solutus eâ curâ, Palentinam Missionem suscepit, cui dum vacaret, obijt P. Ioannes Barbianus, Primarius in Academia Salmanticensi Theologiæ Professor, Authoris olim in Philosophia Magister, vir genere ac sanguine clarissimus, quippe qui Comites de Beljojoso Mediolani in Insubria parentes sortitus est, longè tamen virtutibus clarior, & altissimâ planè sapientiâ conspicuus, quâ inter præstantes celeberrimæ illius Academiæ Doctores summam sibi commendationem comparavit. Primus is fuit, qui ex Societate Iesu primariam ibi cathedram obtinuit, postquam Serenissima Hispaniarum Regina Maria Anna Austriaca, ob Minorem etiamnum Filij sui Caroli secundi ætatem, Suprema Monarchiæ Hispanicæ Gubernatrix, totius universitatis consensu 1668. decrevit, ut Regale Salmanticæ Collegium, à suis Majoribus extructum, Primariam, Vespertinámque Cathedram, illis prorsus æquales, quas Patribus Dominicanis Ducis Lermæ precibus Philippus Tertius concessit, moderaretur. Huic ergo tanto viro Successorem, omnium Consultorum suffragio, Magistrum Thyrsum P. Provincialis designavit; latere illum tamen hoc voluit, usquedum executioni mandaretur, veritus, ne is contrarijs fortè conatibus consilia sua eluderet, ac tum primùm voluntatem ei suam denuntiavit, cùm nulla ampliùs etiam levissima, oblatam cathedram subterfugiendi spes superesse poterat. Restitit ille quidem, quantum per Obedientiam licuit; sed incassum laboravit, cùm omnium aures precibus ejus obturatæ clauderentur. Tunc igitur æternam Providentiam veneratus, ne longior cunctatio contumacia videri posset, quæ à Societatis nostræ liminibus longissimè propulsatur, Præsulis imperio sese licèt invitum subjecit, & Anno 1676. Vespertinæ cathedræ possessionem cepit, ac Doctoris insignia admisit; anno verò subsequente Primariam conscendit, eámque ad annum usque 1687. moderatus est, quo Regia Majestas, exorante Universitate, concessit, ut ad Emeriti *honores assurgeret, quamvis vix dimidium annorum spatium, ab Academiæ statutis requisitum, explevisset. Res autem ita accidit: A Decem jam annis Regiæ Gazæ Ministri de Decimalibus Tertijs, in quibus totus Academiæ census subsistit, arduam illi litem mo-*

moverunt, in quam quinque jam aureorum millia impendere, & perpetuam præterea in alendo Causidico, Agente & Procuratore onus ferre necesse fuit: ut huic tandem malo remedium faceret Universitas, Commissarium elegit Doctorem Thyrsum, Anno 1685. ut Eius nomine ad Regios pedes provolutus, tot támque graves Academiæ molestias, quà precibus, quà rationum momentis redimeret; ídque præstitit eventu adeò felici, ut brevì ac facilè impetrârit, quidquid Academia exoptabat. Regium insuper chirographum nactus, quo parti adversæ perpetuum silentium indictum & omnes Academiæ facultates ac jura de novo firmata sunt. Ut igitur tanto huic officio parem gratiam Universitas referret, Concilio coacto itum in vota, & nemine refragante decretum est, ut tam felici Universitatis Procuratori Emeriti *honores tribuerentur, non secus ac si tempus de jure constitutum docendo implevisset.*

XI. Nunc liquidò constat, quo pacto Emeriti *titulum adeptus sit Author, licèt undecim annos in obeundis Missionibus collocaverit; non obscurè etiam patet, quo modo intra tempus tam breve quatuor Scholasticæ Theologiæ volumina, præter complures alias elucubrationes, publicam in lucem propediem prodituras, typis dare potuerit: decem enim annis, quibus è suggestu Theologiam tradidit, antequam Missiones auspicaretur, ex istis non pauca concinnaverat, & postquam Missionarij munus suscepit, ad ejus scientiæ commendationem studia sua in lucem dare decrevit. Ne autem Missionis fervori, Sanctóque illi Ministerio temporis aliquid subtraheret, per æstatem, quâ à Missionibus necessariò vacatur, ab Amanuensi eadem transcribi, & obtentâ à Præposito Generali potestate, bina volumina apud Gallos edenda ad prælum paravit. A Missionibus verò ad Salmantinam cathedram vocatus, in quatuor justa volumina Materiam redegit, ibíque typis mandari curavit, quorum duo Anno 1680. reliqua verò Anno 1686. prodierunt, editurus multò plura, si id per alia negotia, & inevitabilia obstacula licuisset. Inprimis enim Hispalim, à D. D. Ambrosio Spinola ad Missionem obeundam Anno 1679. die Purificatæ Virgini Sacrâ evocatus concessit, neque Salmanticam ante festum D. Joannis Præcursoris redijt, & quidem viribus, ex octuaginta Concionibus ad populum continuò habendis, adeò fractus, ut à vitæ periculo per illam æstatem non procul abesset. Anno dein 1681. misso ad Academiam mandato Madritum evocatus est, ut tertiam ibi Missionem institueret, neque ante notissimam D. Lucæ diem reverti licuit. Anno 1682. Patris Caroli de Noyelle Præpositi Generalis Locumtenentis imperio denuo eò reversus est, ut Societatis negotia cum Rege, ejúsque primarijs Ministris tractaret. Anno 1683. Dux Medinæ Cæli, Primus Regis Minister, eundem ad se accersivit, totáque secum æstate detinuit. Tandem Anno 1685. ut, suprà memoratum, ab Academia ad gravissima ejusdem negotia tractanda deputatus est. Intra hos ipsos quoque annos,*

quibus

quibus Cathedram in Universitate moderabatur, non paucis Missionibus vacavit, Segoviæ nimirum, Pinciæ, Mirobricæ, Arevaci, & quinquies vel sexies Salmanticæ: unde palam est, eum multò plura publicæ luci daturum fuisse, nisi tot curis & obstaculis fuisset distentus.

XII. Nunc superest aperire, quæ illi occasio fuerit, ut ad Mauros conciones haberet. Cùm in Collegio Granatensi Anno 1669. degeret, & jamjam ad iter Malacense, Missionis ibidem instituendæ causâ accinctus esset, in familiari colloquio ex Patre quodam intellexit, habere se Librum ex Bibliotheca Marchionis Stepæ, cui titulus esset, Sectæ Mahumetanæ confutatio, à D. Joanne Andrea elaboratum, qui olim Maurorum Alfaqui seu Sacerdos, erat, postea verò Religionem Christianam amplexus, ferventissimum Christi Præconem egit. Sex igitur ante abitum diebus Librum illum in Compendium redegit, eòque solo literario subsidio munitus Malacam perrexit, atque ibidem Missionem mense integro continuavit. Eâ peractâ Episcopalis illius Ecclesiæ Canonicus ipsi significavit, ancillam se habere, sectæ Mahumetanæ tenacissimam, eámque ex morbo lethali periculosissimè decumbere; maximo sibi dolori futurum, si in sua infidelitate decederet. P. Thyrsus protinus illuc advolavit, & cum ea sermonem habuit, eo modo & ordine, qui in Secunda hujus operis parte l. 2. c. 7. & 10. describitur, tam fortunato successu, ut veritati manus dederit, & niveis Baptismi vestibus induta in cœlum evolârit. Felicissimus Africanæ hujus feminæ obitus ingentes P. Thyrso stimulos admovit, ut Mauris deinceps prædicaret: ardenti ergo eos juvandi Zelo impulsus, Ecclesiæ Malacensis Antistitem adijt, Illustrissimum Dominum D. Frat. Ildephonsum à S. Thoma, ex Sacra Prædicatorum familia, Virum eximijs planè dotibus ornatum, Sanguinis claritate eximium, mentis perspicacissimæ, prudentiæ singularis, literis ac scientiâ clarissimum; qui Philosophiâ ac Theologiâ traditâ, toti Provinciæ in Ordine suo præfuit, ac postea Oxomensi primùm, mox Placentinæ sedi destinatus, ad Sacram tandem Malacæ Cathedram assumptus est. Præclarè meritus est Celeberrimus hic Præsul, tum de ipsis Missionibus, tum de earum Ministris, dum illas singulari studio fovit, istos verò paterna charitate adjuvit, tantísque benevolentiæ argumentis sibi obstrinxit, ut æterna ipsi gratæ mentis memoria debeatur. Ipsa etiam IESU Societas debitas Eidem grates nunquam satìs referre poterit, præcipuè ob Apologeticum illud opus, quod anno proximè elapso in lucem dedit, cum titulo, Catholica querimonia. Libellus ille sanè aureus est, in quo quidquid Sapientia in thesauris continet, ad delicias usque velut in compendio complexus est: si enim verba spectes, gravia sunt, & Præsule digna; si eloquentiam, legentium animis imperat; si eruditionem, varietate delectat; si Theologiam, rationum momentis convincit; si Scripturam, validè roborat; si Pa-

)( )( )(3 trum

rum testimonia, uberrimè confirmat; si vim ad extricandas hæreticorum technas, inferni ora obstruit; denique si omnia, sanè ingenij miraculum est. Quidni ergo Præsuli, qui eximio Religionis Zelo pro fama Societatis asserendæ totum se dedit, totam vicissim sese offerat æternùm devota Societas?

XIII. Cum hoc ergo Præsule illustrissimo sua P. Thyrsus communicavit consilia, qui licèt Patris Zelum maximè sibi probari testaretur, metuere se tamen insinuavit, ut ne labor iste apud gentem, sermone & moribus barbaram, sperato fructu frustraretur. Tentare tamen juvat, reposuit Pater Thyrsus; quamvis enim proterva Maurorum perfidia expugnari sese non patietur, Christianorum saltem constantia, qui frequentibus hæc in litora excursionibus ab Africanis in prædam abiguntur, adhortationibus nostris obarmabitur, ut fidei nostræ argumentis muniti animam saltem à ruina, & servitute dæmonis liberam tueri possint. His dictis acquievit Episcopus: verùm cùm Ecclesiam concionibus habendis minùs aptam censeret, veritus, ne infideles sanctissimum Eucharistiæ mysterium risu & sarcasmis suis polluerent, ideo communi consilio theatrum comœdijs exhibendis destinatum elegerunt; quò, indictâ ad tempus Missione, copiosa populi turba convolavit, eo ordine servato, ut viri Sarraceni urbis equitibus & Canonicis, feminæ verò præcipuis Matronis Hispanis assiderent, ne suorum propinquitate, præsentiâ, metu aut pudore Baptismum publicè efflagitare horrerent.

XIV. Atque hoc cœlitus sanè immissum consilium probavit eventus; primâ enim statim concione Orator Apostolicus tres ex Mahumetismi tenebris ad Christianam lucem perduxit, qui è medijs turbis in altiora pegmatis tabulata prosilierunt, & petito multis precibus Baptismi lavacro, corollas precatorias, in signum, quòd catechumenos sese profiterentur, è collo palam suspensas ostentârunt. In secunda concione quinque, in tertia decem vestigia priorum secuti sunt. Tandem eousque Neophytorum numerus crevit, ut præter complures alios, qui sacris Baptismi undis clam lustrati sunt, festâ S. Joannis Evangelistæ luce Anno 1670. Mauri plusquam 30. Illustrissimi Antistitis propria manu sacris undis abluti, & candidâ Christi stolâ induti sint, erecto ad illud pium spectaculum amplissimo theatro, cathedrali Ecclesiæ propinquo, in quod catechumeni pulchro ordine, & splendido comitatu stipati, è Societatis Collegio deducti sunt, prout in secunda hujus operis parte Author describit.

XV. Messis hujus ubertas eum impulit, ut novam illam prædicandi methodum ad plures alias civitates extenderet, in quibus ducenti Mahumetanâ perfidiâ ejuratâ, ad tutissimum Christianæ veritatis portum convolârunt, & solemni pompâ initiati sunt; Hispali præsertim, ubi tota solemnitatis series typis data, ubique placuit, ejúsque brevis notitia libri tertij selectarum disputatio-

num

num Epistolæ dedicatoria ab authore inserta est, quam Illustrissimo Dno. Dno Ambrosio Ignatio de Spinola & Guzman inscripsit, qui licèt avita nobilitate & majorum gloriâ passim resplendeat, propriarum tamen virtutum fulgore prosapiæ suæ lucem obscurare est visus, dum ab ipsa etiam adolescentia Sacro Compostellæ Senatui adscriptus, Mytris & Infulis dignissimum sese præbuit: Ouetensis Episcopatus, velut meritis ejus inferior, Valentinæ illum Metropoli transmisit, quæ solo ferè tanti Præsulis nomine fortunata, Compostellæ illum cessit, hæc verò tam pretiosum munus modico tempore venerata, eundem Hispali Archipræsulem dedit, ac denique dignius cœlum è terris illum sibi eripuit; & verò tam numeroso Virtutum agmine stipatus decessit, ut Cœli foribus vim allaturus fuisset, nisi ejus charitati, misericordiæ. & reliquo virtutum choro ultrò sese reserâssent. Maximus igitur hic Antistes, designatâ ad id muneris die, triginta & octo Mauros ad Baptismi lavacrum admisit, pompâ longè illustrissimâ inter omnes, quas unquam Hispalis mirata est, ex quo illam sanctissimus Castellæ Rex Ferdinandus III. è Barbaro Sarracenorum jugo postliminio vendicavit.

XVI. Hujus itaque prædicationis utilitatem cùm crebris faustísque experimentis Author didicisset, typis evulgare constituit, quæ ad eam promovendam idonea expertus est, aut suo labore ac industriâ invenit. Cùm autem postremam Hispali Missionem absolvisset, Anno 1679. & è publico Cathedralis ac Professæ domus Ecclesiæ suggestu pro concione ad Mauros diceret, fractis viribus sacrum hunc laborem abrumpere, & Salmanticam ægro licèt corpore repetere coactus est. quamprimùm autem sanitatem recuperavit, Tractatum, validis demonstrationum momentis adversùs Mahumetanos instructum, & discipulis è cathedra tradendum, elaboravit, ac Tertiæ selectarum Parti inseruit; quam ipsam optimus Pater recuperatæ tam citò valetudinis causam interpretatus est, quasi nimirum Divina Providentia, meditatum à se opus gratum sibi esse, eo beneficio testari voluisset. Non minùs tamen sanitatis receptæ gratiam Patris Antonij Thomæ è Societate JESU sanctitati, fusisque ad Deum precibus non sine fundamento adscripsit. Is, dum Indicam Navigationem aliquot annis non sine sanctæ impatientiæ molestia præstolaretur, Conimbricæ interim Mathematicas disciplinas tradidit, ac postea Madritum se contulit, ut satisfaceret votis Excellentissimæ Dominæ Ducissæ de Aueiro, Matronæ Majorum suorum ceris, ac multò magis virtutibus suis conspicuæ; cujus etiam hortatu Salmanticam concessit, ut cum P. Thyrso nonnulla ad Orientis expeditionem subeundam opportuna tractaret. Admiratus is est Apostolici illius viri fervorem, & ingenuè querebatur, deesse sibi necessaria concionum tela, quibus Mahumetanam superstitionem profligaret, quamvis aliqua suo sibi Marte parâsset, quibus impios Maurorum errores debellare, & fallaces hæreticorum fraudes detegere posset. Eo ipso tempore

Author

Author prælo commisit Tractatum contra Mahumetanos, in quo copiosa se illi subsidia suppeditaturum spopondit, traditisque sine mora triginta phyliris typo jam excusis, reliquas se postea missurum promisit, quarum ultimam, navim jamjam conscensurus accepit. Literis postmodum Goâ datis Patri Thyrso significavit, opus illud Patribus ibidem commorantibus singulare solatium attulisse, idque valde idoneum atque efficax judicasse, ad convincendos Mahumetanos, qui ad S. Xaverij Corpus honorandum in Insulam illam exscendunt. Cùm verò Tractatus iste, Magno volumini insertus, in omnium passim manus venire non possit, Illum, uberioris doctrinæ augmento locupletatum, geminis Libellis, facili negotio à quovis evoluendis, complecti statuit, idque hac ratione executioni mandatum est. In Prima parte Libri Religionis Catholicæ veritas adversùs omnes contrarias sectas asseritur; in Altera verò Mahumeti perfidia detegitur ac profligatur, atque unà Catholicæ fidei veritas solidissimis rursus argumentis stabilitur.

Et hæ sunt causæ, Lector benevole, ob quas opportunum hujus operis edendi consilium esse censui, eique hanc Præfationem, velut facem, præfixi, ne quis fortè in nonnullis per decursum legendis cespitaret. Ne autem dubium fortè aut scrupulum movere nonnemini possit, quòd facultas Operi præfixa dicatur esse data à Provinciali, qui modò est subditus, & facultas Concilij Regij Authorem jam Præpositum Generalem appellet, ideo scire oportet, eam variationem diversis temporibus esse tribuendam, quibus negotij istius Curatores facultatem à Superioribus impetrârunt.



MANU-

MANUDUCTIONIS AD CONVERSIONEM MAHUMETANORUM,

PARS PRIMA.

In qua

VERITAS RELIGIONIS CHRISTIANÆ CATHOLICÆ ROMANÆ

manifestis argumentis demonstratur.

DIRECTA

Ad Conversionem omnium, qui sunt extra veram Christi fidem;

Præsertim

AD CONVERSIONEM HÆRETICORUM NOSTRI TEMPORIS,

IN TRES LIBROS DIVISA.

I. *Divinitatem Christi, & evidentem Religionis Christanæ credibilitatem.*

I. *Evidentem ejusdem veritatem.*

III. *Solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, & in illa sola inveniri salutem, demonstrat.*

AUTHORE


Adm. R. P. THYRSO GONZALEZ DE SANTALLA, è SOC. JESU, IN SALMANTICENSI ACADEMIA SS. Theologiæ Primario Antecessore Emerito, NUNC UNIVERSÆ SOCIETATIS JESU PRÆPOSITO GENERALI.



DILINGÆ,

Typis & Sumpt. JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ Acad. Per DANIELEM KNÀB.

ANNO M. DC. LXXXIX.



P R O OE M I V M.

QUamvis hoc Opus Titulum *Manuductionis ad Converſionem Mahumetanorum* ſolùm præferat, denominatione deſumptâ ab Ultima Ejus Parte, quæ fuit Prima in intentione Authoris, ad Converſionem tamen omnium infidelium deſervit. Et hæc *Prima Pars* dirigitur præcipuè ad converſionem hæreticorum, éſtque ceteris copioſior, quia materia hoc poſtulabat: poterit à Miſſionario Apoſtolico, verſante in regione, ubi ſunt hæreſes, & non Mahumetani, hæc pars ſeorſim ab Altera tranſportari: multùm tamen hæc ipſa Pars juvat ad Converſionem Mahumetanorum & Hebræorum, dum manifeſtè Divinitatem Chriſti demonſtrat.

PRIMÆ PARTIS
LIBER PRIMUS.

IN QVO SENSIBILIBVS ARGVMENtis Divinitas Christi Domini evidenter demonstratur, & evidens credibilitas Religionis Christianæ proponitur.

PROOEMIUM.

I. BAsis, & fundamentum Religionis Christianæ est Divinitas Christi Domini Salvatoris nostri, quâ ritè probatâ, de falsitate convincentur omnes sectæ Religioni Christianæ oppositæ, nimirum Mahumetana, Hebraica, & Ethnica seu Gentilica, & convincetur, vera esse dogmata, quæ Christus Dominus mundo manifestavit; DEUS enim nec fallere, neque falli potest. Unde postquam sufficienter constiterit, DEUM aliquod mysterium mundo revelâsse, & hominibus manifestâsse, tenentur omnes illud firmissimè credere, quamvis sit supra captum humani intellectûs; infinita enim DEI authoritas obligat omnes creaturas rationales, ut sibi aliquid affirmanti firmissimè credant, sicut obligat, ut sibi aliquid præcipienti omnes obediant: tenetur enim creatura rationalis, intellectum, & voluntatem DEO subjicere; intellectum, firmiter credendo, quæ dicit; voluntatem, promptè exequendo, quæ præcipit. Unde unâ operâ convincemus in hoc libro perfidos Hebræos, & cæcos Mahumetanos, qui in neganda Divinitate Christi inter se conveniunt, licèt valde dissideant in motivo illam negandi. Nam perfidi Judæi JESUM Nazarenum, quem Christiani omnes, ut verum Christum, & verum Messiam in lege promissum, & ut verum DEI naturalem Filium, proindéque ut verum DEUM adoramus, existimant seductorem fuisse, & propter blasphemiam, faciendo se Filium DEI, meritò à

tò à majoribus suis crucifixum esse. Mahumetani verò credunt, fuisse virum sanctissimum, & Messiam in lege antiqua promissum, magnúmque Prophetam, ut videbimus part. 2. ceterùm dicunt, fuisse purum hominem, quia impossibile censent, DEUM fieri hominem.

II. Quare argumenta, probantia Divinitatem Christi, non tantùm deserviunt ad convincendos Mahumetanos, sed etiam ad confundendos perfidos Hebræos. Quia verò tractatus iste non dirigitur primariò ad conversionem Judæorum, sed Mahumetanorum, non hîc multùm insistam prophetijs veteris Testamenti, quibus Doctores Christiani probare solent, Christum Dominum esse Messiam in lege promissum, quia prophetias perfidi Judæi vanis & ridiculis interpretationibus eludere tentant: sed utar argumentis sensibilibus, quæ mundo sunt nota, quorum vim omnes etiam rustici capere possint, & quorum efficaciam eludere non valeant etiam acutiores Judæi. Et hac arte convincendi Judæos usus sum in Urbe Ceuta sub initium anni 1670. quando ibi Missionem feci; nam, finita Missione Christianorum, ad Synagogam Judæorum in foro publico coram Marchione de Assentar, illius arcis & urbis Gubernatore, concionem habui, in qua ad emolliendа saxea Hebræorum corda proposui motiva credibilitatis, quæ in hoc libro exhibeo, & experientiâ didici, hanc esse viam aptiorem ad expugnandam Hebræorum pertinaciam, & illi potissimùm insistendum esse Missionarijs Evangelicis. Et ideo, ubicumque ad convincendos Mahumetanos probavi Divinitatem Christi, concionem quoque dirigebam ad Hebræos, si forsan aliqui occulti ibi adessent.



CAPUT PRIMUM.

Introductio disputationis de Christi Divinitate, ejúsque maxima utilitate.

III. S*I non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro*, tonabat Christus ad Iudæos, Ioan.8. v.24. id est, si non credideritis, me esse Dei Filium, verúmque Christum in lege & Prophetis promissum, moriemini in peccato vestro, ut ad litteram explicant Toletus & Maldonatus. Itaque credere, quòd JESUS Nazarenus, quem Iudæi crucifixerunt, est Messias, seu Christus promissus in lege, verúsque Dei Filius naturalis, ac proinde Deus, est medium necessarium ad æternam salutem, sicut est necessaria fides in unum Deum, & propterea Christus, Ioan. 17. v.3. ajebat: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti JESVM Christum*: id est, hæc est causa vitæ æternæ, & hac sola via obtinenda est, nempe fide Divinitatis, & mysterij Incarnationis, ut credatur Deus, & credatur Christus, ut exponit Toletus: Articulorum enim fidei hæc summa est, nempe veritas Divinitatis, & mysterium Incarnationis Christi, per quam redemptio perfecta est, sine quorum fide nemo vitam habet æternam.

IV. Probat verò optimè D. Thomas 2.2. quæst. 2. art. 7. fidem mysterij Incarnationis esse necessariam ad salutem, *Quia illud* (inquit) *per se pertinet ad objectum* fidei (sine qua juxta Apostolum impossibile est, placere Deo) per quod homo beatitudinem consequitur: via autem veniendi ad beatitudinem est mysterium Incarnationis & Passionis Christi: dicitur enim Actor. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Unde infert, mysterium Incarnationis aliqualiter fuisse creditum apud omnes habentes veram Dei fidem. Ante adventum Christi sufficiebat, hoc mysterium sub velis & figuris credere: at post tempus gratiæ revelatæ (inquit D. Thom.) tam majores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, præcipuè quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur.

V. Firmissimè ergo sibi persuadeant omnes peccatores infideles, se nullatenus posse ad vitam æternam appellere, nisi credant, quòd Christus est Filius Dei vivi: nam qui non credit (inquit ipse Joannes 3. v.18.) jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filij Dei, id est, jam sententiæ damnationis est subjectus & adjudicatus, quia non accepit salutis remedium, per quod ab illa sententia mortis liberaretur, ut exponit Toletus. Est autem hæc doctrina utilissima, non solùm ad convertendos Judæos & Mahumetanos, qui in neganda Divinitate Christi conspirant; sed etiam ad piam fidelium consolationem & ma-

jorem fidei firmitatem ingenerandam; quamvis enim argumenta credibilitatis, etiam evidentia, non sufficiant ad generandum assensum tam firmum, quàm est assensus fidei, qui firmiùs adhæret veritati rerum revelatarum, quàm intellectus adhæreat conclusionibus, quas per evidentia principia cognoscit, sed ad id sit necessarium donum supernaturalis fidei, tamen ad majus fidei robur præstandum maximopere conferunt argumenta credibilitatis ritè perpensa.

VI. Considerans namque homo testimonia, quibus mysteria nostræ fidei redduntur evidenter credibilia, deprehendit, dignam esse doctrinam Evangelicam, cui fides adhibeatur cum summa adhæsione & certitudine, tanquam rei à Deo summè veraci revelatæ: & quò altiùs introspicit motiva credibilitatis, majori accenditur desiderio, assentiendi rebus fidei cum summa adhæsione: ut enim optimè explicat P. Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 9. num. 73. re credendâ sufficienter propositâ, ita ut intellectus videat, hanc rem esse talem, quam meritò credat esse à Deo revelatam, voluntas ex pio erga primam veritatem affectu, & ipsius reverentiâ tacta, magno conatu intellectum illico impellit, ut illius majestatem atque authoritatem vehementer apprehendat, eámque judicet hîc & nunc postulare, ut propter eam firmissimè credat, quód sibi tanquam ab ea revelatum tam evidenter proponitur: atque ita partim illa apprehensione, partim imperio & impulsu voluntatis suadentibus, sine ullo discursu, ex sola divina authoritate & testimonio, intellectus movetur, ut mysterio revelato firmiùs assentiatur, quàm ulli rei naturaliter cognitæ assentire fas sit.

VII. Nec ullum est incommodum, quòd homo Christianus his testimoniis & motivis adjuvetur ad credendum majori cum firmitate; ad hoc enim data sunt à Deo, ut eis infideles inducerentur, ad volendum credere, & ad petendum à Deo auxilium ad firmissimum fidei assensum, & fideles in fide magis confirmarentur, ut monet Petrus Epist. 1. cap. 3. v. 15. illis verbis: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, fide.* Quo testimonio utitur D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 10, ad probandum, rationem inductivam ad ea, quæ sunt fidei, non minuere meritum fidei; quamvis enim non debeat quis ea, quæ sunt fidei, credere propter rationem humanam, sed propter authoritatem divinam; tamen potest cum laude expendere motiva credibilitatis, quibus manifestum fit, Deum esse Authorem Religionis Christianæ, ut majori cum affectu & fervore imperet voluntas intellectui assensum mysteriorum nostræ fidei propter authoritatem Dei revelantis, & faciliùs possit vincere tentationes contra fidem, & infideles inducere ad eam amplectendam, fideles verò in ea confirmare & roborare.

VIII. Confirmatur: quia nemo potest credere fide divina, & supernaturali mysteria, quæ sunt supra captum & discursum naturalem hominis, nisi priùs præcesserit prudens fundamentum, ut sibi quisque persuadeat, Deum illa mysteria revelâsse; non enim sufficit, obje-

ctum

ctum utcumque proponi, tanquam dictum à Deo: nam Mahumetus & alij seductores etiam dicebant, suam doctrinam esse divinam, & à Deo revelatam; necessarium ergo saltem est, ut doctrina fidei divinæ proponatur cum talibus circumstantiis, ut prudenter appareat credibilis eo modo, quo proponitur: *Nam qui citò credit, levis est corde*, inquit Spiritus Sanctus Ecclesiastici 19. Dicitur citò, & leviter credere, qui credit imprudenter, & quin videat sufficiens fundamentum, ad sibi persuadendum, doctrinam illam esse à Deo revelatam; ergo ut quis credat prudenter, & actum fidei supernaturalis eliciat circa aliquod mysterium, debet priùs judicare judicio prudenti, illud objectum esse credibile. Unde accedit alia magna hujus disputationis utilitas: nam hoc judicium prudens de credibilitate mysteriorum debet esse evidens; ut enim inquit D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 4. ad secundum: *Omnis, qui credit, debet evidenter discernere credibilitatem mysteriorum, & ea videre sub ratione communi credibilis; non enim crederet, nisi videret esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliud hujusmodi.* Ut autem exponit ibi Caietanus, S. Thom. loquitur de visione propria, ejúsque sensus est, quòd, verè & virtuosè credere, exigit evidentiam, quòd illud sit credibile, ita quòd nullus aliquid verè, hoc est, absque formidine alterius partis, & virtuosè, hoc est, prudenter credit, nisi evidenter cognoscat, illud esse credibile. Ad hoc autem ut quis formet judicium evidens de credibilitate mysteriorum nostræ fidei, multùm omnino refert, ut fideles noverint motiva præcipua credibilitatis, & utilissimum est ea populo proponi.

IX. Consulatur P. Coninch de actibus supernaturalibus disp. 13. dub. 1. num. 3. ubi docet, ante omnem actum fidei Theologicæ debere præcedere judicium certum & evidens, id est, conceptum per argumenta moraliter certa, quòd res sit evidenter credibilis, tanquam à Deo revelata, ita ut prudenter omnino certò judicem, eam verè esse talem; aítque, hoc judicium esse necessarium, ut voluntas prudenter applicet intellectum, ut rem illam propter divinam authoritatem firmissimè credat. Idem docet Eximius Doctor disp. 4. de fide sect. 5. num. 8. ubi dicit, se convinci hac ratione ad asserendum, quòd judicium credibilitatis debet esse certum, ut ad fidem certam, & indubitatam inducat. Nam siquis potest prudenter dubitare, vel formidare de credibilitate objecti, poterit etiam de ipsa fide dubitare, aut formidare, & ita non erit fides perfecta, & Christiana; judicium autem credibilitatis non potest esse certum, nisi sit evidens; ergo in quocunque verè credente debet supponi tale judicium. Hinc infert, quòd siquis credat ante judicium certum, & evidens credibilitatis, concipiet quidem quandam fidem humanam de rebus divinis, quæ interdum potest esse prudens, & honesta, non tamen concipiet propriam fidem Christianam, id est, omnino certam, & immutabilem, quia stante sola probabilitate, & prudentiâ in illa fundatâ, posset quis propter majorem probabilitatem

tatem de novo apparentem judicium prudentiæ mutare, & consequenter fidem, vel de illa prudenter dubitare, quod de vero assensu fidei nullo modo admittendum est. Quomodo autem in personis simplicibus, & rusticis præcedat sufficiens evidentia credibilitatis, explicat ipse ibidem, & Cajetanus 2. 2. quæst. 1. art. 4.

X. Unde Ecclesia Catholica mediâ incedit viâ inter errorem gentilium, & Mahumetanorum: ut enim refert Basilius in Psalm. 115. solent infideles reprehendere Christianos, eò quòd sine ratione, vel ut ipsi existimant, contra rationem credant, qua de causa Paulus 1. Corinth. 1. ajebat: *Christum Crucifixum Judæis esse scandalum, gentibus autem stultitiam.* Et ut refert Hieronymus in cap. 9. Matthæi, Porphyrius, & Julianus Apostata ob hanc causam irridebant eos, qui Christi doctrinam sequuntur. Hæretici autem Manichæi, ut hanc reprehensionem vitarent, in aliud extremum inciderunt, dicentes, nihil esse credendum, nisi quod ratione ostenditur, ut refert Augustin. lib. de utilitate credendi, & Bernardus Epist. 109. Catholica autem Ecclesia mediâ incedit viâ, nam & levitatem animi eorum, qui citò & sine sufficienti fundamento credunt, accipientes ut doctrinam Dei, quæ ab ipso revelata non est, reprehendit, & pariter duritiem cordis eorum, qui nihil credere volunt, nisi quod per naturalem discursum assequuntur; docétque, quamvis non semper possimus reddere rationem propriam eorum, quæ credimus, posse nos semper reddere rationem, cur credamus, sic enim dixit Petrus Epistola 1. cap. 3. *Paratos nos esse debere ad reddendam rationem ejus, quæ in nobis est, fidei.*

XI. Est autem tam utile ad piam fidelium consolationem, & ad eorum fidem roborandam, expendere è pulpito argumenta illa, quibus probatur, Religionem Christianam esse evidenter credibilem, & in illa unicè posse inveniri salutem, ut, cùm anno 1670. conciones publicè facerem in Curia Matritensi in templo Domus professæ Societatis Jesu pro conversione Mahumetanorum, tanta aviditate has conciones audiendi confluxerint viri primarii, ut necesse fuerit cohortem Prætorianorum, qui ad custodiam Regis armati excubias agere solent, ad fores templi & domus apponere, ut turbam irrumpere volentem coërcerent, & loca vacua reservarentur, occupanda à Magnatibus Curiæ, & principibus fœminis: tantáque erat accurrentium hominum ad has conciones audiendas multitudo, ut vix Magnates ingressum invenirent. Me concionantem ad Mahumetanos, & Divinitatem Christi persuadentem audivit unus è Magnatibus, quos Hispani *Grandes* vocant, tantóque gaudio & consolatione affectus est, audiens argumenta evidentia, quibus ostendi Christi Divinitatem, ut post concionem ad cubiculum properans, quò ad abstergendum sudorem me receperam, continere se non potuerit, quin me arctè complexus sit, gratias agens pro doctrina tradita.

XII. Et cùm anno 1669. in hac Salmanticensi Academia discipulis è

Cathe-

Cathedra dictarem hanc de Christi Divinitate disputationem, tanta consolatione aliqui ex illis perfusi sunt, audientes evidentiam, qua veritas Religionis Christianæ comprobatur, ut præ gaudio lachrimas continere non potuerint. Et dum Hispali in amplissimo atrio Domus nostræ Professæ sub dio ad Mahumetanos viros verba facerem, tanta aviditate fidei nostræ fundamenta audiebant viri nobiles, & plebeii (nam feminis socius meus intra templum eâdem horâ concionabatur) ut quamvis interdum plueret, & per canales & tegulas aqua decurreret, ab audienda concione dimoveri noluerint, nec permisêre, ut propter pluviam interrumperetur concio; sed stantes, & pedibus insistentes, per duas horas veritates has immobiles audiebant, tanta animi voluptate, ut nihil facerent, totam pluviam humeris excipere, & ad proprias domus se madidos redire.

CAPUT SECUNDUM.

Primum caput probandi Divinitatem Christi ex miraculis, quæ fecit in hujus veritatis confirmationem.

XIII. ANTE probationem exponendum est nomen, & natura miraculi. Miraculi vocabulum ab admiratione sumptum est; admiratio autem consurgit, quando effectus sunt manifesti, & causa est occulta: ubi autem causa est manifesta aliquibus, & aliis ignota; quamvis hi, qui ignorant causam, mirentur effectum, ut rusticus miratur Eclypsim solis, quia ignorat causam, hoc non est miraculum, quia Astrologus, qui eam novit, non miratur Eclypsim. Ut autem inquit D. Thom. 1. part. quæst. 105. art. 7. *Miraculum dicitur, quasi admiratione plenum*, quod habet causam, simpliciter & omnibus occultam, nempe Deum. Unde quæ fiunt à Deo præter causas omnibus notas, miracula dicuntur. Hinc ubi effectus continetur in virtute naturali alicujus causæ creatæ, quæ ignota est nobis, si cognoscamus effectum illum, qui est præter ordinem omnium causarum, quas cognoscimus, erit miraculum quoad nos; non autem simpliciter. Vnde miraculum propriè dictum est: *Effectus, seu opus superans vires omnes creatas*, ut definit S. Thomas 1. part. quæst. 114. art. 4. ac proinde solus Deus potest esse causa principalis veri miraculi, ut probat idem S. Doct. quæst. 110. art. 4.

XIV. Secundò supponendum est, præcipuum scopum miraculorum, quæ Christus fecit, fuisse, stabilire hanc veritatem, tanquam basim & fundamentum veræ Religionis, nempe ipsum esse Messiam in lege promissum, & à Prophetis prænuntiatum, séq; esse verũ & naturalem Dei Filium, verúmque Deum.

Deum. Id conſtat ex Joann. ultimo: *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus Chriſtus eſt Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Non contentus autem Evangeliſta hæc in generali notâſſe, cùm in ſpeciali miracula Chriſti enarrat, hoc ipſum animadvertit. Unde cùm cap. 2. retuliſſet miraculum converſionis aquæ in vinum, addidit: *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam.* Illam utique, de qua cap. 1. dixerat: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam, quaſi unigeniti à Patre.* Effectus autem conſecutus hoc miraculum fuit, quòd Diſcipuli crediderunt, ipſum eſſe Chriſtum in lege promiſſum, verúmque Dei Filium; *& crediderunt,* inquit, *Diſcipuli ejus in eum.*

XV. Inter miracula omnia, quæ Chriſtus edidit in confirmationem ſuæ Divinitatis, maximum fuit reſurrectio Lazari, jam quatuor dies in monumento habentis, ut expendit Toletus notatione 14. in cap. 11. Joannis: hoc autem miraculum præcipuè in eum finem direxit, ut conſtat 1. ex illis verbis Joann. 11. verſ. 4. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Quaſi diceret, hoc opere mea Divinitas eſt maximè confirmanda, & ex infirmitate hac procedet argumentum ejus efficaciſſimum, ut ad litteram exponunt Toletus, & Maldonatus. 2. ex verſ. 42. *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me: ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, ut credant, quia tu me miſiſti.* Quaſi diceret: cauſa, propter quam, ô Pater, has tibi nunc publicè gratias ago, ea eſt, ut populus, qui adeſt, & coram quo opus tam inſigne tua virtute molior, credat, me eſſe Filium tuum, à te in hunc mundum miſſum; credent autem, dum vident, me virtute tua talia facere, quæ facio: vident autem, me virtute tua ea facere, dum te confiteor, & tuæ potentiæ hoc tribuo factum.

XVI. Celeberrimum etiam fuit miraculum illud, quod narrat Joannes cap. 9. de illuminatione cæci à nativitate, quod præcipuè deſtinatum fuiſſe ad manifeſtationem Divinitatis Chriſti, conſtat 1. ex verſu 3. *Nec hic peccavit, nec Parentes ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Quod teſte Toleto perinde fuit, ac dicere: *Cauſa, cur hic cæcus eſt, nec eſt peccatum aliquod ejus, neque parentum ipſius, ſed ut opera Divinitatis meæ in ea cæcitate expellenda declarentur, & mundo manifeſtentur;* ac ſi clariùs diceret: ut me eſſe Deum in eo ſanando oſtendam, quia tale opus faciam, quod à ſolo Deo eſſe poteſt. Conſtat ſecundò, quia cùm Judæi ejeciſſent cæcum à Synagoga, quia palam prædicabat miraculum, Chriſtus in eum incidens verſu 36. ait: *Tu credis in Filium Dei? & cùm ille reſpondiſſet, quis eſt Domine, ut credam in eum? Dixit ei Jeſus, & vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* Tertiò, quia poſt patratum hoc miraculum cùm Judæi Joann. 10. verſ. 25. Dominum ſic interrogâſſent: *Si tu es Chriſtus, dic nobis palam;* eis reſpondit: *loquor*

vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Ergo Christus illud miraculum fecit, ut probaret, se esse Filium Dei naturalem, verúmque Deum.

XVII. Quæ magis constant ex his, quæ addidit vers. 31. *Ego, & Pater unum sumus.* Quo audito sustulerunt lapides Judæi, ut eum lapidarent, tamquam blasphemum: *De bono opere* (inquiunt) *non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu, homo cùm sis, facis teipsum Deum.* Constat denique ex his, quæ Christus subjunxit vers. 37. *Vos dicitis, quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Ex quibus verbis apertè constat, Christum Dominum opera miraculosa edidisse, ut comprobaret, se esse Filium naturalem Dei, eiusdémque naturæ [redacted] cum Patre, quia ob identitatem naturæ verificatur, Patrem esse in Filio, & Filium in Patre per Circuminsessionem.

XVIII. His suppositis sic argumentor: JESUS Nazarenus de seipso dicebat, se esse Filium Dei naturalem, verúmque Deum, & in huius doctrinæ confirmationem evidentia edidit miracula: ergo certum est, ipsum esse Filium Dei naturalem, verúmque Deum. Patet consequentia, quia vera edere miracula solus Deus potest: Deus autem nequit ea facere in confirmationem doctrinæ falsæ. Nam, ut inquit August. Epist. 49. quæst. 6. sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia factis loquitur. Deus ergo loquitur operibus mirabilibus: unde sicut nequit falsum loqui, ita miraculis nequit falsum confirmare. Et ut inquit P. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 31. sect. 1. evidens est, opera miraculosa non posse fieri, nisi virtute divina: evidens rursus est, non posse Deum sua authoritate, singularíque virtute mendacium confirmare: & ideo mira opera in veritatis confirmationem facta vocantur à Patribus, quasi *sigillum Dei*, quo talem doctrinam consignat. Idem docet disp. 4. de fide sect. 3. n. 10. citans pro eadem sententia D. August. D. Thomam, Canisium & alios plures.

XIX. Quòd Christus vera ediderit miracula in confirmationem suæ Divinitatis, constat, quia in eum scopum Lazarum suscitavit: suscitatio autem mortuorum opus est solius Dei proprium; nulla enim causa creata vim habet suscitandi mortuos; & hæc res proposita Mahumetanis & infidelibus statim assensum conciliat; ut rem enim certissimam apprehendunt, solius virtutis infinitæ proprium esse, hominem verè mortuum ad vitam revocare. Unde August. tract. 91. in Joan. inquit: *Nulla in operibus Christi videntur esse maiora, quàm suscitatio mortuorum.* Et propterea Ambrosius lib. de fide resurrect. ajebat: *Ideo resurrectio difficilè creditur, quia DEI munus est.* Et hac de causa Actor. 26. vers. 23. & 25. Festo Proconsuli, *Insanire visus est Paulus, eò quòd resurrectionem prædicaret.* Consulatur Pater Suarez tomo 2. in 3. part. disp. 43. sect. 6. Hoc etiam confirmant miracula in præcedentibus adducta,

præsertim visio cæco à nativitate restituta.

XX. Quæ opera à dæmone fieri non possunt, ut enim ait Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 8. *Dæmon non aliter opera sua mirabilia facit, quàm applicando virtutem naturalem causarum naturalium*; ut etiam explicat D. Thomas 1. p. quæst. 114. art. 4. Cùm ergo in natura non detur virtus aliqua, potens visum repentè tribuere homini à nativitate cæco, consequens est, ut illius cæci illuminatio non potuerit à diabolo fieri. Et ut Christus ostenderet, fieri opus illud virtute divina, linivit luto oculos cæci; quamvis enim diabolus posset restituere visum, id solùm præstaret applicando causas naturales proportionatas; lutum verò non est causa proportionata ad illuminandos oculos, sed potiùs ad obcæcandos. Unde Joan. 9. v. 34. dixit cæcus, *A sæculo non est auditum, quòd quis aperuit oculos cæci nati; nisi esset hic homo à Deo, non poterat &c.* Viderunt & ipsi Judæi Joann. 21. vers. 37. ibi.

CAPUT TERTIUM.

Roboratur præcedens ratio, ostendendo, Deum non posse facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ.

XXI. QUòd autem doctrina, in cujus confirmationem vera miracula conficiuntur, vera necessariò sit, constat, quia nec Deus potest facere miracula ad confirmandam doctrinam falsam, ut nuper ostendi, nec potest communicare homini potestatem faciendi miracula, & illi permittere, ut eis abutatur ad confirmandam doctrinam falsam. Hoc enim perinde esset, ac permittere, ut seductor consignaret mendacia sigillo illo, quo Deus ipse veritatem consignat, ut inquit Bellarminus lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 14. quod confirmat Venerabilis Cardinalis ex Marci ultimo, & ad Hebræos 2. *Contestante Deo signis & virtutibus.* Hinc deducit Cardinalis, necessarium esse, ut vera sit doctrina, quæ veris miraculis confirmatur: siquidem vera miracula non possunt fieri, nisi Dei virtute; dicitur enim miraculum, quod superat vires omnium creaturarum, & ideo omnibus creaturis est mirabile, & propterea etiam in scripturis dicuntur testimonia Dei; quare quod miraculo confirmatur, Dei testimonio confirmatur; Deus autem nequit esse testis mendacij: igitur quod miraculo confirmatur, verum sit, necesse est.

XXII. Nec solùm juxta leges ordinarias providentiæ supernaturalis nunc præsentis nequit fieri miraculum in comprobationem doctrinæ falsæ, etiam sola creatura intendente errorem, ut contra Bannez rectè probat Ripalda disp. 4. de fide sect. 5. num. 45. sed neque potestate absoluta Dei, & seclusis legibus præsentis providentiæ, contrà quàm falsò affirmat Durandus quæst. 1. Prologi n. 47. & Michaël de Medina de recta in Deum fide lib. 5. cap. 5. & alij pauci cum ipsis.

XXIII. Pro-

XXIII. Probatur autem nostra, & communis sententia; quia Deus debet habere in thesauris suæ omnipotentiæ modum manifestandi Divinitatem Filii sui in Humanitate latentis, qui modus nequeat deservire ad conciliandam authoritatem homini iniquo, qui, fingens se esse Filium Dei naturalem, vellet confirmare miraculis hoc mendacium. At non est alius convenientior modus manifestandi Divinitatem, quàm per ea, quæ sunt propria Dei, ut docet D. Thom. 4. contra Gentes cap. 55. numer. 8. *Est autem Dei proprium* (inquit) *quòd naturæ leges immutare possit, supra naturam aliquid operando, cujus ipse est Author: convenientissimè igitur probatur, aliquid esse Divinum, per opera, quæ supra leges naturæ fiunt, sicut quòd cæci illuminentur, leprosi mundentur, mortui suscitentur, &c.* Et ideo Christus suam Divinitatẽ per hæc media manifestavit; ergo nec de potentia absoluta potuit Deus alicui homini iniquo tribuere facultatem, fingendi se esse Christum, & confirmandi similibus miraculis illud mendacium.

XXIV. At si de potentia absoluta posset Deus tribuere facultatem, patrandi miracula homini illâ abusuro ad confirmandam doctrinam falsam in his circumstantiis, in quibus illa redderetur prudenter credibilis, potuisset homini seductori, & fingenti se esse Messiam in lege promissum, tribuere potestatem confirmandi mendacium suum mortuorum resurrectione, & reliquis omnibus miraculis, quibus Christus suam Divinitatem manifestavit. Unde corrueret primum principium, probandi veritatem Religionis Christianæ ex miraculis factis à Christo, & ab Apostolis: Gentiles enim, & Judæi, quibus Divinitas Christi miraculis ostenderetur, responderent, nescire se, an Deus tribuerit potestatem patrandi miracula homini in confirmationem erroris. Potuisset etiam Lutero, & Calvino prædicantibus suos errores potestatem tribuere, confirmandi suam doctrinam ejusmodi signis: quod est planè indignum summa Dei sanctitate & veracitate; non enim solùm Deo repugnat, falsum loqui, sed etiam falsam locutionem creaturæ suo testimonio confirmare, & suo quasi sigillo munire.

XXV. Unde miracula ex se & ex natura sunt sigillum Dei, ordinatum ad consignandam eam rem, in cujus confirmationem eduntur. Et ideo Christus Dominus, ut se esse Messiam, & Filium Dei naturalem probaret, ad opera miraculosa in hujus rei confirmationem patrata recurrebat, ad illa inquam, secundùm se, & quasi ex terminis accepta, non ad illa, ut provenientia ex providentia particulari ab ipsis separabili: ajebat enim Joan. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, & cap. 5. *opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Et cap. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ubi (ut inquit Ripalda ubi supra num. 47.) significat, excusabiles fore Judæos, & alios quoscunque contrariæ Religionis sectarios, respuentes nostram Religionem, si eorum ministri operarentur, quæ

quæ Evangelici operantur, obligationémque sectandi nostram Religionem fundari in miraculis, pro illa comprobanda patratis, quæ nemo alius fecit. Quæ ratio ex terminis probat, omnino repugnare, quòd ministri falsæ Religionis suos errores confirment illis miraculis, quibus Christus & Apostoli veritatem Christianæ Religionis comprobârunt; non repugnaret autem ex terminis, si semel Deus posset communicare potestatem, patrandi verum miraculum homini iniquo, de quo sciret, illo confirmaturum doctrinam falsam in his circumstantiis, in quibus redderetur credibilis, quia si semel non repugnat Deo, edere unum miraculum in confirmationem doctrinæ falsæ, neque repugnaret edere omnia, quæ Christus fecit in confirmationem suæ divinæ doctrinæ.

XXVI. Quare ad supremam Dei Majestatem & dignitatem pertinet, ne ipsius nomine aliquid falsum ita proponatur, & miraculis confirmetur, ut homines secundùm rectam rationem compellantur credere, illud esse dictum à Deo, eíque assensum firmum præstare. Quia si Deus hoc permitteret, & miracula patraret in his circumstantiis, in quibus mendacium ita confirmaretur, ut sine hæsitatione credi posset, ac deberet, ageret contra suam dignitatem, ob quam fide dignus est. Si enim tot concurrentibus signis, & operibus miraculosis in confirmationem veritatis, posset adhuc subesse falsitas, Deus loquens nobis per homines, & edens signa ad confirmandam veritatem, dignus non esset fide, siquidem adhuc posset subesse dubium, an miracula illa fiant à Deo permittente, ut eis abutatur homo ad decipiendum. Quare non minùs repugnat Deo, miracula facere in confirmationem falsæ doctrinæ, quàm ei repugnat, non esse dignum fide.

XXVII. Hinc meritò D. Thom. 2. 2. q. 5. art. 2. docet, hominem, qui videret, edi miraculum in confirmationem alicujus dicti, evidenter intellecturum, eam locutionem esse veram: *Si aliquis* (inquit) *Propheta pronuntiaret in sermone Domini, aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando: ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifestè, hoc dici à Deo, qui non mentitur, licèt illud futurum, quod videtur, in se evidens non esset.* Et ibidem ad 1. docet. *Dæmonum fidem esse quodammodo coactam ex signorum evidentia.* Et art. 2. ait: *Hoc ipsum dæmonibus displicere, quòd signa sint tam evidentia, ut per ea credere compellantur.* Et 3. part. q. 76. art. 7. affirmat, dæmones præsentiam Christi in Sacramento credere, non fide voluntaria, sed coacta: *Quia ad eam* (inquit) *evidentiâ signorum convincuntur, prout dicitur Jacobi 2. quòd Dæmones credunt, & contremiscunt.*

XXVIII. Hinc etiam Pater Suarez tom. 2. in 3. part. section. 3. affirmat, si Dæmones speciali Dei providentia impediti non fuerunt, ut Christum cognoscerent, convictos esse ad credendum, & assentiendum, illum esse verum Messiam à Deo promissum, quia evidenter cognoscebant veritatem miraculorum Christi, & quod magìs est, si

si à Deo non fuerunt impediti, cognoverunt evidenter, conceptum fuisse sine opera viri, & natum ex Virgine, Matris integritate servata, & in ejus nativitate audire potuerunt Angelos annuntiantes, natum esse Salvatorem, qui est Christus Dominus, quos evidenter sciebant, non posse mentiri, utpote beatos. Rursus evidenter cognoscebant innocentiam, & puritatem vitæ Christi; insuper audiebant ipsum expresè dicentem, se esse Messiam promissum, Joannis 4. *Ego sum qui loquor tecum.* Et Matthæi 15. cùm Petrus confessus esset: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, ipse confessionem approbavit, dicens, *beatus es, &c.* Et cap. 11. cùm Joannes Baptista nuncios misisset ad quærendum, an ipse esset Messias, satìs clarè affirmavit, ostendens miracula.

XXIX. Et Joannis 11. cùm Martha dixisset: *Ego credidi, quia tu es Christus*, ipse tacitè approbavit, & jam jam facturus miraculum dixit: *Vt credant, quia tu me misisti*, intelligens se esse illum, qui quasi per antonomasiam mittendus expectabatur. Quod clariùs dixit Joannis 17. *Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*: quæ verba tam clara sunt, & aperta, ut nullam amphibologiam, vel violentam aut falsam interpretationem patiantur. Præterea clarè intelligebant dæmones, Christum facere miracula in confirmationem hujus veritatis, juxta illud, *Vt credant homines, quia tu me misisti.* Denique sciebant scripturas, signa, & miracula, quæ de Messia prædicta erant, & evidenter cognoscebant omnia compleri per Christum; ergo vel inviti cogebantur fateri, ipsum esse Christum, si à Deo non essent impediti, ne ipsum agnoscerent. An verò de facto impediti sint, non attinet ad nos hîc disputare. Consulatur Pater Suarez ibidem fusè hanc controversiam tractans; nobis satìs sit cum Augustino lib. 9. de Civitate c. 21. dicere: *Christus tantum innotuit dæmonibus, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit.*

XXX. Quoties ergo homo docet aliquam doctrinam, & in confirmationem illius facit verum miraculum, convincit, illam esse veram, & à Deo: ut enim ait Gregorius lib. 27. Mor. c. 8. *Miraculum est in defectu probationis, & est auxilium rationis humanæ, ut assensum præstet alicui veritati*, supplétque argumentorum defectum, éstque velut Dei sigillum, ut, quod affirmatur, à Deo esse credatur. Sic cùm Deus misit Moysem Exod. 4. ad populum de Ægypto educendum, ut illi persuadere posset, se à Deo missum, concessit ei facultatem confirmandi suam legationem miraculis, & Exod. 7. cùm jussus esset, nomine Dei Pharaoni dicere: *Dimitte populum meum, &c.* ut sibi asserenti, se à Deo missum, Pharao crederet, miracula edidit. Deinde Elias 3. Reg. 18. ut Deum Israël verum Deum esse ostenderet, ignem de Cœlo super holocaustum descendere fecit. Et 4. Reg. 1. ut probaret, se esse Prophetam Dei: *Si homo*, inquit, *Dei sum, ignis de Cœlo descendat, & devoret te, & quinquaginta tuos: & descendit ignis, &c.*

XXXI. Ipsi etiam Scribæ, & Pha-

risæi videntes, Jesum Nazarenum palam dicere, se esse Christum, & Messiam in lege promissum, & in hujus dicti confirmationem opera mirabilia facere, ne cogerentur fateri, illum esse verum Messiam, callidè ad blasphemiam confugerunt, dicentes, eum virtute dæmonis opera illa facere; planè sentientes, non posse negari, veram esse ejus doctrinam, si semel concederent, miracula ab ipso facta in ejus confirmationem Deum habere Authorem. Ergo vel Pharisæi ipsi certum arbitrabantur, non posse Deum facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ, seu in his circumstantiis, in quibus doctrina falsa redderetur prudenter credibilis: cùm autem manifestum sit, miracula multa, à Christo facta in confirmationem suæ Divinitatis, non potuisse à dæmone fieri, manet inconcussum ex confessione ipsorum Judæorum, Christum verum dixisse, dum affirmavit, se esse Filium Dei, & Messiam in lege promissum.

XXXII. Immò dæmon ipse satis agnovit hanc veritatem, dum Matthæi 4. miraculum unum, & non admodum magnum, sufficiens existimavit, ut eum Filium Dei esse cognosceret, si in hujus rei probationem esset patratum: *Si Filius Dei es*, ajebat, *dic, ut lapides isti panes fiant.* Cùm enim sciret, lapidem non posse virtute dæmonis in panem converti, certò deprehenderet, illum esse Filium Dei, si in confirmationem hujus veritatis miraculum illud efficeret: ergo ex confessione ipsius dæmonis repugnat, Deum facere miraculum in confirmationem falsæ doctrinæ.

XXXIII. Unde alia est ratio de potestate supernaturali Consecrandi, quam Deus hominis libertati committit; qua potestate licèt homo abutatur in pravum finem, tamen Deus, supposita illa prava intentione, supernaturali auxilio concurrit ad faciendum opus miraculosum. Alia, inquam, est ratio, quia ex hac promissione nihil contra Divinas perfectiones sequitur; immò hîc elucet maximus amor Christi erga homines, siquidem ut eos certos omnino redderet de sua præsentia in Sacramento, voluit miraculum illud patrare, quoties verba illa Consecrationis proferrentur à legitimo ministro cum vera intentione supra legitimam materiam, licèt Sacerdos in finem pravum ordinet miraculum illud.

XXXIV. Alia etiam est ratio de miraculis apparentibus, quæ patrata sunt à Magis Pharaonis, & fient ab Antichristo. Etsi enim Deus concurrat ad illa miracula; concurrit tamen dumtaxat, ut causa universalis, & non ut causa specialis, quia illa miracula sunt opera naturalia, & habent specialem authorem diabolum; unde Deo non tribuitur testificatio falsi, quia opera illa, astutiâ diaboli perpetrata, non essent quasi sigillum Dei testificantis veritatem, sed sigillum diaboli persuadentis mendacia. Pro quo adverte, dæmones multa posse facere supra humanas vires, quæ miracula videantur; ea verò omnia dupliciter fiunt, aut in apparentia tantùm per sensuum illusionem, aut in rei veritate; sed quæcunque

que hoc posteriori modo dæmones faciunt, non aliter fiunt, quàm per virtutes naturales causarum, quas nôrunt, & velocissimè & occultissimè applicant, ut suprà diximus ex Augustino & Thoma: ubi autem non est virtus aliqua creaturæ, quæ ejusmodi effectum producere valeat, cessat omnis dæmonum opera, & ad sensuum illusiones se convertunt. Quare ubi Magi virtute diabolica applicando activa passivis aliqua opera mirabilia faciunt ad suadendum errorem, Deus illum non confirmat authoritate sua; quia non est author specialis illorum mirabilium, sed duntaxat concurrit, ut causa universalis, sicut concurrit ad motus indeliberatos concupiscentiæ inclinantes in peccatum, quin propterea in peccatum inclinet; sicut revera inclinaret, si illos motus per se, ut causa particularis excitaret, vel habitum vitiosum directè inclinantem ad peccandum infunderet.

XXXV. Eiusmodi opera mirabilia edet Anti-Christus, de quo loquitur Apostolus 2. ad Thessalon. 2. *Cuius est adventus secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & omni seductione iniquitatis.* Sicut namque Christus in confirmationem veritatis vera fecit miracula; ita Anti-Christus in confirmationem falsitatis fallacia edet signa & prodigia: sicut Christus miracula vera faciebat virtute Dei, qui est prima veritas, ita Anti-Christus miracula falsa peraget virtute diaboli, qui est pater mendacij: quia vel mirabilia ab ipso facienda non erunt res veræ, sed phantasticæ; ut si videatur suscitare mortuum, qui antea mortuus non erat, vel postea verè vivus non remaneat; vel si interdum faciat res veras, quæ mirabiles appareant, illa non erunt vera miracula, quia solùm exhibebit hæc opera, occultè & velocissimè applicando causas naturales illorum effectuum, qui apparebunt hominibus miraculosi, quia ignorant causam, quæ reipsa datur. Id explicat bene Caietanus exponens verba illa Christi Matth. 24. *Surgent Pseudo-Christi & Pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia (quæ diabolica potestate fieri possunt) Quæ secundùm veritatem* (inquit) *non excedunt facultatem naturalium agentium, nisi pro quanto dæmon movere potest aliqua, quæ naturalia agentia non movent, vel ad mixtionẽ, vel ad locum, & celeriùs agere, aut ad contraria statim, aut applicando ad effectus, ad quos natura nunquam applicaret hujusmodi. Et propterea apparebunt mirabilia, & existimabuntur vera miracula. Facile enim erit tantæ multitudini dæmonum, liberæ in suo posse (quod modò ligatum est) sanare ægrotos, etiam quos incurabiles appellamus, quasi subitò: & curare vulnera incurabilia à nobis, quasi subitò: movendo quæ intus sunt in corpore, & utendo intus secretis naturalium corporum, tanquam atomorum, quæ non percipimus. Et sic de similibus.*

XXXVI. Aliam rationem reddit Eximius Doctor tom. 2. in 3. part. disp. 31. sect. 2. cur, licèt Deus non possit facere verum miraculum, quando per illud redditur prudenter credibilis doctrina falsa; possit tamen permittere apparentia miracula, quamvis videat, per illa decipiendos homines sub specie Divinæ virtutis & authoritatis? Respondet enim,

nim, non esse eandem rationem; quia quando fiunt falsa miracula, semper, inquit, relinquitur aliquis modus, quo moraliter possint dijudicari, si homines, quod in se est, faciant ad cognoscendam veritatem. Primò bene considerando ipsamet opera, & circumstantias eorum. Secundò considerando personam, vitam & mores ejus, qui sic loquitur & operatur. Tertiò considerando doctrinam ipsam, an aliqua in parte rationi adversetur, vel aliis revelationibus Divinis sufficienter propositis per Ecclesiam. Denique orando Deum, & consulendo scripturas & prædictiones in illis factas, & signa data, ne in errorem inducamur.

XXXVII. Asserit itaque Magnus Suarez, non pertinere ad providentiam Dei, non permittere falsa signa, quæ ad probationem & profectum electorum prosunt, sed pertinere ad providentiam Dei, dare auxilium, ac modum, quo possint dijudicari & cognosci, quia non est Divinæ bonitatis & sapientiæ, permittere hominem tentari ultra id, quod potest: ac propterea quando, facta morali diligentia & investigatione, adhuc constat evidenter, vera esse miracula, quæ fiunt in confirmationem doctrinæ, nullam relinqui dubitandi rationem de talis doctrinæ veritate, præsertim si miracula sint frequentia, & magna authoritate atque potestate facta, & vitæ innocentiâ ac sanctitate confirmata, & in ipsa doctrina nihil contra honestatem, nihil contra rationem rectam, nihil denique contra alias Divinas revelationes appareat. Quæ omnia cùm in doctrina & miraculis Christi cumulatissimè inventa sint, constat, miracula Christi evidenter, evidentia morali, ipsius doctrinæ veritatem comprobavisse.

XXXVIII. Addit idem Author, quando Deus dat potestatem ad supernaturale opus faciendum, considerandum esse modum & finem ejus: quando enim datur modo stabili ac permanenti, non ad confirmandam veritatem, sed ad aliquam publicam utilitatem, ut interdum datur gratia sanitatis, vel alia similis, tunc licèt quis diceret, se illâ uti in confirmationem veritatis, non ideo statim adhibendam esse illi fidem, sed potiùs attendendum esse ad alias regulas fidei certas & infallibiles. Si verò potestas hæc, & usus ejus datur singulari & extraordinario modo, ita ut non appareat alius finis & utilitas ejus præter veritatis confirmationem; tum certè maximè spectare ad Divinam providentiam, non concurrere specialiter ad tale opus, quando homo per illud intendit falsitatem persuadere, ac alios decipere.



CAPUT

CAPUT QUARTUM.

Occluduntur frivolæ evasiones, quibus infideles eludere conabuntur argumentum petitum à miraculis Christi.

XXXIX. Ex dictis constat, miracula, à Christo patrata in confirmationem suæ Divinitatis, eam evidenter evidentia morali convincere, & infideles obligari ad eam credendam, si eis ritè proponantur: nihil enim solidum huic argumento respondere poterunt. In primis enim frivolum est, quod pagani respondent apud Origenem lib. 1. contra Celsum, nimirum miracula, & signa Christi fuisse præstigias, & sensuum ludificationes, quasi non veritate, & effectu, sed apparentiâ tantùm, illa omnia conficta fuissent. Nam quòd Lazarus, qui quatuor jam dies sepultus jacebat, vivus ex sepulchro prodierit, & postea multo tempore vixerit, item quòd cæcus à nativitate postea viderit, non erat sensuum delusio; nam hic verè experiebatur, se videre, & ille, se vivere; & miraculum ipsum fatebantur, ídque manifestum erat omnibus, non minùs quàm est manifestum, me vivere, & vobiscum loqui: unde non minus evidens erat, illos esse veros & reales effectus, quàm nunc evidens est, vivere homines, qui permanenter exercent opera viventium propria: præstigiæ namque sensuúmque ludibria statim evanescunt, & ille, quem alii delusoriè existimant vivere, & videre, id non experitur, sicut Lazarus, & cæcus experiebantur.

XL. Idque vel inde patet, quòd Scribæ, & Pharisæi, qui præ invidia & odio infensi erant Christo, & per blasphemiam sæpe dicebant, eum virtute diaboli miracula patrare, nunquam ausi sunt effutire, opera ejus mirabilia effectum non habuisse: nam post diligentissimum examen evidenter deprehenderunt, verè videre, qui à nativitate fuerat cæcus; verè vivere, qui diu jacuerat mortuus, & repentè ambulâsse, qui per multos annos se movere potens non fuerat.

XLI. Nec item dici potest, Christum virtute diaboli miracula patrâsse, tum quia multa fecit, quæ omnem creatam virtutem excedunt, ac proinde à diabolo fieri non possunt, tum quia, licèt fecerit aliqua, quæ, si secundùm se considerentur, dæmon potuit facere; eo tamen modo fecit, qui omnem virtutem diaboli superat: nam Christus fecit solo verbo, sine applicatione alicujus virtutis naturalis: fecit etiam in instanti, & sine ulla mora, quod diabolus facere non potest. Rursus Christus opera illa mirabilia faciebat sæpe, orando ad Deum, & imperando, & simul secreta cordis pandendo, quod extra ditionem diaboli est. Deinde si finem miraculorum Christi inspiciamus, manifestè deprehendimus, illum virtute Divina, non diabolica, ea fuisse

operatum; nihil enim temporale, nihil pravum per illa intendebat, sed unicè rectitudinem morum, Veri Dei cognitionem, & ipsius dæmonis exterminationem: quæ omnia satìs probant, ea opera non à diabolo, sed à Deo processisse; diabolus namque morum integritatem, vitiorum exilium, Veri Dei cognitionem, & sui Regni destructionem intendere non potest.

XLII. Nec denique dici valet, Christum reipsa non fecisse opera illa mirabilia, quæ Evangelistæ narrant, sed ejus Discipulos ad sui Magistri commendationem ea finxisse, & litteris vulgavisse. Id enim per se apparet manifestè falsum, & incredibile: tum quia simili audacia dicere posses, Moysem non patrâsse miracula, quæ in Exodo narrantur, nec extitisse Alexandrum Magnum, & similia: tum quia sanctitas Apostolorum hoc piaculo fœdari non poterat: quomodo enim comminiscerentur miracula, ad probandum, Jesum esse Filium Dei naturalem, quem tamen purum esse hominem scirent? Quorsum igitur hæc machinarentur viri Judæi, lacte imbuti Mosaicæ legis, quam à Deo latam, penitúsque abrogandam sciebant, si Evangelica prævaleret doctrina. Sanè honores, vel lucra temporalia minimè aucupabantur, quia ex hujus doctrinæ prædicatione nihil honoris, nihil emolumenti, nihil denique lucrabantur in hac vita, nisi verbera, persecutiones, & mortem.

XLIII. Nec item intendebant lucrum spirituale, si scienter fingebant; noverant enim, gravissimum esse peccatum, merum hominem asserere Deo æqualem, & per ficti Evangelii prædicationem legem Moysis à Deo datam evertere; scienter ergo volebant, æternam damnationem incurrere, sine spe ullius temporalis commodi, ut hominem purum, à quo nihil sperare poterant, deprædicarent Deum: hoc autem est evidenter incredibile, nec in homines rationis compotes cadere potest. Unde vel dicendum, omnes Evangelistas, & Apostolos, qui Christi miracula scripserunt, & prædicârunt, ut mundo persuaderent, eum esse Filium Dei naturalem, fuisse prorsus stolidos, vel commentos non fuisse illa miracula, sed gesta sincerè narrâsse. Primum dici non potest, alioqui cogeris rem incredibiliorem deglutire, nempe homines omnino stolidos totum mundum convertisse per ficta miracula, ad recipiendam fidem, tantopere repugnantem carni & sanguini, & mysteria creditu difficillima proponentem, nullúmque præmium sectatoribus præsentantem, sed omnia in futurum sæculum promittentem: ergo debet dici secundum.

XLIV. Aliud etiam argumentum conficere possumus ex Chrysostomo in Oratione, *quòd Christus sit Deus*. Nam Evangelistæ, qui referunt Christi ignominias, ejus etiam miracula narrant: quomodo ergo dignos fide putant infideles in illis; in istis vero arguunt, quasi dixerint non facta? & si ad gratiam sui Magistri hæc scripsissent, stultè & frustra jactâssent, si non tacuissent, quæ multis ignominiosa & dura videntur: nunc autem horum veritatem monstrârunt, dum in illis maximè immorati sunt,

ſunt, omniáque valde diligenter, & magnâ copiâ tractârunt, neque parvum, neque magnum prætermittendo, ſed in ſignis & miraculis plura tranſierunt: ergo ſincerè, & ſine dolo ſcripsêre.

XLV. Deinde manifeſtè convincitur, Apoſtolos, & Evangeliſtas hæc miracula non finxiſſe, quia res narrabãt, non in angulo, ſed in media Jeruſalem factas: verbi gratia illuminationem cæci nati, qui oculis luto linitis, juſſus eſt per mediam civitatem ire ad natatoria Siloë ad abluendos oculos, ut in longa via quàm plurimos, & cæcitatis, & curationis ſuæ teſtes colligeret, ut notant Chryſoſtomus, & Theophilactus: Reſurrectionem Lazari Chriſtus operatus eſt coram multis Judæis, qui à Jeruſalem venerant in Bethaniam, ut Mariam & Marthã conſolarentur de morte fratris: item curationem repentinam paralitici, quem in probatica Piſcina coram magna languentium multitudine ſanavit, & juſſit, ut tolleret grabatum ſuum, & ambularet, ut de veritate miraculi omnibus conſtaret: & tenebras illas, quas in morte Chriſti ſuper univerſam terram factas narrat Matthæus caput 27. quæ miracula cùm narrentur facta coram magna hominum multitudine, facilè de falſitate poterant convinci Evangeliſtæ, ſi falſum narrarent: unde miracula falſa prædicantes ab omnibus irriderentur, & tanquam fabularum fabricatores rejicerentur, & nulli fidem in Chriſtum perſuaderent.

XLVI. Conſtat autem multos ex Judæis ad fidem Chriſti convertiſſe Apoſtolos, prædicando hæc miracula, ut patet ex Actorum 2. verſicul. 22. ubi Petrus loquens cum Judæis ajebat: *Viri Iſraëlitæ, audite verba hæc: Jeſum Nazarenum Virum approbatum à DEO in vobis, virtutibus, prodigijs, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut vos ſcitis, &c.* Conſtatque ex illo capite verſicul. 42. in hac prima concione convertiſſe Petrum circiter tria millia Judæorum. Et ex Actorum 4. verſicul. 4. conſtat, in ſecunda concione convertiſſe quinque millia: ergo argumentum evidens eſt, Apoſtolum Petrum vera miracula narrâſſe, dum ea narrando, tanquam rem apud audientes notam, tantam multitudinem convertit. Sanè ſiquis ſeductor peregrinam doctrinam hodie in hac civitate prædicaret, & ad commovendos auditores diceret, ſe heri coram ipſis ſuſcitâſſe mortuum in confirmationem ſuæ doctrinæ; ſi falſa narraret, nihil apud audientes obtineret, niſi irriſionem, & ignominiam: ergo pariter, &c.

XLVII. Id ipſum ex alio capite manifeſtè convincitur: quia cùm Scribæ & Phariſæi odio æſtuarent contra JESUM, ſanè ſi falſa eſſent miracula, quæ Evangeliſtæ de ipſo narrant, palam detegerent mendacium, & ſcripto confutarent, idque innumeris teſtibus convincerent, & facilè obtinerent, ne fides Chriſti propagaretur. At nemo Judæorum auſus eſt hanc exceptionem Evangeliſtarum narrationi, & Apoſtolorum prædicationi, verbo vel ſcripto opponere; ergo evidens ſignum eſt, Chriſtum ea miracula edidiſſe. Idque patet ex ipſa adverſariorum confeſſione: nam graviſſimus Scriptor Joſephus Judæus, qui proximè poſt Chriſtum floruit, lib.

18. antiquitatum cap. 4. sic scribit: *Fuit autem his temporibus Jesus sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est; erat enim mirabilium operum effector, & Doctor omnium eorum, qui libenter audiunt, quæ vera sunt. Et multos quidem Judæorum, multos etiam ex gentibus sibi adjunxit: Christus hic erat. Hunc, accusatione primorum nostræ gentis Virorum, cùm Pilatus agendum in Crucem decrevisset, non deseruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt: apparuit enim eis tertia die iterum vivus, secundùm quod divinitus inspirati Prophetæ, vel hac, vel alia innumera miracula futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseverat, & genus.* Huc usque Josephus.

CAPUT QUINTUM.

Secundum caput probandi Divinitatem Christi ex vindicta, quam Deus sumpsit de Judæis, quia illum Crucifixerunt: cui annectitur tertium caput, inde petitum, quòd post necem Christo illatam jam diabolus non tentet Judæos de Idololatria, sicut antea faciebat.

XLVIII. PRo conficienda ratione supponendum est, propterea Judæos Jesum crucifixisse, quia dicebat, se esse Filium Dei naturalem, verúmque DEUM. Constat id primò Joannis *5. 18. Propterea ergo magìs quærebāt eum Judæi interficere, quia Patrem suum dicebat esse Deum, æqualem se faciens Deo.* Et Joannis 10. *De bono opere non te lapidamus, sed de blasphemia, & quia homo cùm sis, facis te ipsum Deum.* Et ex Matthæi *26. 41. Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius DEI vivi?* Et cùm respondisset affirmativè, *tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens, blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?* Et Joannis *19, 7. Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.*

XLIX. Hoc supposito sic argumentor: Jesus Nazarenus de seipso dicebat, se esse Filium DEI naturalem, verúmque Deum: & hac de causa Judæi necem ipsi machinati sunt: ergo si ille non esset Filius Dei naturalis, sed purus homo, Judæi eum crucifigendo non injuriam Deo irrogâssent, sed obsequium exhibuissent, nec supplicio digni forent, sed præmio. At Judæi Christum eo titulo crucifigentes, non obsequium Deo exhibuerunt, sed atrocem injuriam irrogârunt: ergo quia non blasphemia, sed summa veritas erat, quòd Jesus Nazarenus de seipso dicebat, se esse Filium Dei naturalem. Minor patet ex

ex vindicta, quam de ipsis sumpsit Deus ob illatam Christo necem: nam propter hoc delictum Civitas Jerusalem, ejúsque Templum à Tito & Vespasiano destructa sunt, & Judæi ut vilia mancipia venditi, & in varias mundi plagas dispersi, miserrimam patiuntur captivitatem, sine Rege, sine Templo, sine Sacerdotibus, & sine Sacrificiis, facti in derisum, & opprobrium omnibus nationibus.

L. Assumptum constat 1. ex Danielis c. 9. v. 26. quem locum sect. sequenti dabimus. Secundò ex Lucæ 14. 42. ubi Christus videns Civitatem flevit, & prædixit ejus destructionem; *eò quòd tempus visitationis suæ cognoscere noluisset*, hoc est, opportunam salutis suæ occasionem amplecti. Tempus primi adventus sui appellat Christus tempus visitationis: *Quia visitavit nos veniens* ex alto, ut dixit *Zacharias* Lucæ 1. 68. & quia veniens visitavit: *Et fecit redemptionem plebis suæ.* Constat tertiò ex Lucæ 21. 24. ubi Christus de hoc supplicio loquens (ut probat P. Gaspar Sanchez in cap. 9. Danielis numer. 169.) dixit: *Et cadent in ore gladii, & captivi ducentur in omnes gentes, & Ierusalem calcabitur à gentibus.*

LI. Constat denique ex Matthæi 24. 7. ubi Christus prædixit omnimodam destructionem Templi in pœnam illius peccati: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hìc lapis super lapidem, qui non destruatur.* Significat his verbis Christus (inquit Maldonatus) etiam atque etiam structuram Templi considerent, quò magis eversionem admirentur, non enim relinquetur lapis super lapidem: quod etsi per exaggerationem dictum videri potest, ut ingens tantùm ruina & vastatio declaretur, qualem Josephus describit lib. 7. de bello Judaico cap. 9. & 10. tamen non est passa divina providentia, ut existimare quis posset, Christum vel in uno lapide per hyperbolem fuisse mentitum. Scribunt Chrysostomus orat. 2. & 3. adversùs Judæos, Nazianzenus orat. 3. contra Julianum, Theodoretus lib. 3. Hist. Ecclesiasticæ cap. 20. Julianum Apostatam, dum imperaret, Judæis concessisse, ut Hierosolimitanum Templum restaurarent, id Judæos incredibili alacritate præstitisse, effodisse fundamenta veteris Templi, ut nova reponerent, interea autem ignem ex imis fundamentis exiliisse, multósque consumpsisse ex his, qui ædificabant: ita Judæos suis manibus Christi prædictionem complevisse; vetus enim Templum, siquidem supererat, ita diruerunt, ut lapis super lapidem non remaneret; novum verò, ne inchoare quidem, divinitus prohibiti, potuerunt. Constat ergò, Jesum Nazarenum, cujus in verbis veracitatem tantopere Deus zelavit, & cujus mortem illi, ut blasphemo illatam tam severè punivit, non eum fuisse, quem perfidi Judæi existimant, sed quem ipse se dixit esse, & Christiani firmissimè credimus.

LII. Quod confirmare possumus ex Chrysostomo in Orat. *Quòd Christus sit Deus.* Ædificavit Ecclesiam Christus, & nullus eam destruere potuit;

tuit: destruxit Templum, & nullus illud ædificare potuit, ídque in tam longo tempore. Nam & illam destruere conati sunt, & non potuerunt; & hoc ædificare attentavêre, & nec id ipsum potuerunt; hoc autem permissum est, ne ullus dicere posset; si atentâssent, potuissent; ecce attentârunt, & nihil potuerunt. Subdítque, solam virtutem Christi potuisse impedire Templi ædificationem: nam quamvis olim Templum illud fuit destructum; tamen ubi post septuaginta annos redierunt, statim excitatum est, fuítque priore multò præclarius. Nunc autem supra 400. ann. est (modò supra millesim. sexcentes.) & nulla, vel cogitatio, vel expectatio, sed nec spes, ut instauretur. Et quid obstabat, si non divina virtus obluctata est? Nonne multa erat illis pecuniarum copia? Patriarcha, qui omnium undequaque colligebat tributa, & immensos thesauros possidebat? Nonne temeraria erat natio? nonne impudens? nonne seditiosa? nonne ad audendum præceps? nonne bellorum ferax? nonne multi erant in Palæstina? nonne multi in Phænicia? nonne multi ubique passim? Quomodo ergo non potuerunt unum Templum struere, præsertim videntes, cultum suum alioqui ubique residere quasi ligatum, & Judaicos ritus aboleri, & Sacrificia, & oblationes, & alia legitima auferri? Immò non licebat eis excitare, vel Templum, vel Altare, aut Sacrificium offerre, aut immolare ovem, aut imponere timiama, aut instruere festa citra illa vestibula. Attamen nunc vident, quòd desolatio ejus loci ab his omnibus se excludat, & quòd attentaverunt quidem, sed temeritatis pœnam luentes non potuerunt locum, in quo hæc omnia licebant, legitimè erigere, & constituere; nam virtus Christi, quæ ædificavit Ecclesiam, eadem Templum destruxit.

LIII. Deinde, Judæorum nationem hanc universalem captivitatem & dispersionem pati ob delictum occisionis Christi, probat efficacissimè Paulus Burgensis part. 2. Scrutinii Scripturarum dist. 6. cap. 1. & 2. Ut autem argumentum conficiat, probat, in peccato illo, ob quod tam longam captivitatem patiuntur Judæi, debere tria concurrere, quæ non nisi in occisionem hominis Dei quadrare possunt: nempe, & peccatum illud esse majus eo, ob quod per septuaginta annos captivitatem Babylonicam passi sunt; & peccatum hoc esse commune omni genti Hebræorum, & demum esse illis occultum & ignotum.

LIV. Quòd hoc peccatum debeat esse longè majus peccato, captivitatis Babylonicæ inductivo, probatur: quia pœna proportionatur culpæ, & ut dicitur Deuteron. 25. *Juxta mensuram delicti erit & plagarum modus.* At pœna hujus peccati, est longè major pœnâ alterius: ergo & peccatum debet esse longè majus. Probatur minor, quia captivitas præsens longè superat Babylonicam: nam illa duravit dumtaxat septuaginta annis; hæc verò ultra mille & sexcentos jam protensa est: illa fuit unius dumtaxat tribûs Juda, ista verò captivitas universalis omnium

Tri-

Tribuum Israël. In prima captivitate Ioachim Rex Juda magno in honore habitus est à Rege Babyloniæ, & in Throno Regum sedit, ut constat ex 4. Reg. ultim. vers. 28. Similiter, & alii illius generis in honore fuerunt constituti, ut constat ex 1. & 2. Danielis: in præsenti autem captivitate nullibi Regem habent, nec notabili fruuntur honore, sed ubique despecti, & contempti sunt. In captivitate ista ingens eorum multitudo à Romanis interempta est, plerique alii facti sunt captivi.

LV. Audiamus Josephum lib. 7. de bello Judaico cap. 17. ubi sic inquit: *Et captivorum quidem omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus: mortuorum verò per omne tempus obsidionis undecies centum millia: ab omnibus enim regionibus ad Azimorum diem festum congregati bello subitò circumfusi sunt.* Et postmodum subjungit: *Itaque superat omnem humanam, & divinitus emissam pestem numerus peremptorum, quos partim palam occidère, partim cepêre Romani. Inventi autem sunt ibi quoque plusquam duo millia, quorum alii manu sua, plures autem mutuis se vulneribus interfecerunt, cùm alios fames corrupisset.*

LVI. Deinde in captivitate Babylonica multos habuerunt Prophetas, qui eos Dei nomine de peccatis præteritis increpabant, ad pœnitentiam hortabantur, & spe redemptionis levabant, quod præstiterunt Hieremias, & Ezechiel. Propè finem autem captivitatis inter eos floruerunt Daniel, Esdras, Zacharias, & Aggæus, deditque illis Dominus Salathiel Ducem, & Principes, & Sacerdotes, cum quibus exierunt de Babylonia, peractâ pœnitentiâ, & placato Deo: & ædificaverunt Jerusalem & Templum, aliásque civitates, & effudit dominus super illos copiosè misericordiam suam. Quod signum est, eos tunc punivisse ut Patrem, & ut populum proprium tractâsse. In hac autem ultima captivitate nullus unquam inter eos Propheta surrexit juxta illud Psalmi 3. *Iam non est Propheta, & nos non cognoscet ampliùs.* Quod argumento est, eos à Deo reprobatos, & non esse jam populum Dei, in eísque adimpleri illud Danielis 9. *Non erit ejus populus, qui ipsum negaturus est.* Ex quo enim dixerunt: *Non habemus Regem nisi Cæsarem: & nolumus hunc regnare super nos*, à Deo deserti sunt; constat ergo, supplicium hujus captivitatis esse longè majus supplicio captivitatis Babylonicæ. Propterea namque hæc ultima captivitas appellatur à Daniele desolatio, prima verò appellata est transmigratio, quia post modicum tempus Jerusalem reduces venerant: ergo inflictum est ob aliquod peccatum longè majus; hoc autem nequit esse aliud, quàm occisio hominis Dei. Nam Judæi captivi ducti sunt Babylonem, quia adoraverunt idola, Prophetas Dei occiderunt, & legem ejus abjecerunt; peccato autem idololatriæ nullum est majus, quàm occisio hominis Dei: qui enim idolum, ut Deum colit, est sicut subditus, qui proprium Regem offendit, ei tributa denegando,

do, & alium Principem, ut Regem salutando; qui verò Christum occiderunt, sunt sicut hi, qui in ipsam personam Regis offensam committunt, eum blasphemando, & turpiter occidendo.

LVII. Rursus peccatum, in cujus pœnam inflicta est hæc ultima captivitas, debet esse commune omnibus Hebræis, qui per totum orbem dispersi sunt: cùm enim Deus justus sit, non potest punire Judæos nunc existentes ob peccatum suorum majorum, qui vitulum in deserto adoravêre, ut somniant aliqui Rabbini, huc applicantes illud Exod. 32. *Ego autem in die ultionis visitabo hoc peccatum eorum.* Nec ob peccata commissa in primo Templo, ut alii fingunt: non, inquam, potest Deus hoc facere, nam ut ipse dixit Exodi 20. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zœlotes, visitans iniquitates Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Ex quibus verbis constat, non plus se extendere justitiam divinam in puniendis peccatis prædecessorum, quàm ad tertiam & quartam generationem, quia, ut exponit Burgensis, filii & nepotes pluries inveniuntur imitatores paterni sceleris: unde in translatione Chaldaica dicitur, hoc esse, quia filii sequuntur opera patrum; vel quia peccata parentum solùm possunt puniri in descendentibus, quatenus parentes torquentur, dum vident afflictionem eorum, & quia communiter solùm vident post se quartam generationem. Ut enim inquit D. Thomas 1. 2. quæst. 87. art. 8. ad primum: *Ideo additur in tertiam & quartam generationem, quia tantùm consueverunt homines vivere, ut tertiam & quartam generationem videant; & sic mutuò videre possunt, & filii peccata parentum ad imitandum, & patres pœnas filiorum ad dolendum.* Cùm ergo Judæi modò existentes nullatenus commiserint peccatum adorandi vitulum, nec illud approbent, sed potiùs abominentur, & cùm longissimè distent à suis majoribus, qui illud commiserunt, consequens manifestè est, eos non puniri tam dira & longa captivitate propter peccatum adorationis vituli, vel propter peccata commissa in primo Templo. Quod vel inde patet: Nam si Deus placatus est illis ipsis Judæis, qui peccatum illud commiserunt, & post septuaginta captivitatis annos eorum filios in Jerusalem reduxit magno cum honore, & ingentibus cumulavit beneficiis: quomodo tam dirè punire potuit eorum descendentes post sexagesimam, vel forsan centesimam generationem, propter alienam culpam, quam ipsi videre non potuerunt, nec unquam imitati sunt, sed potiùs abominantur ex corde?

LVIII. Restat ergo, ut hanc captivitatem patiantur propter crimen crucifixionis Christi: ut enim inquit Burgensis, *licèt Judæi, qui post destructionem secundi Templi fuerunt, non intervenerint in occisione Christi; omnes tamen, quicunque sunt sub Hebraica perfidia, consentiunt, approbant, & laudant peccata, quæ commissa fuerunt à suis majoribus in personam Christi; ut patet per omnes Magistros eorum, qui conveniunt in hoc, quòd occisores Christi secun-*

secundum veram justitiam legis eum occiderunt. Unde Rabbi Moyses in lib. de Judiciis, tit. de Regibus & Messia, sic dicit: *Circa finem Templi secundi Nazareus ille jactavit se esse Messiam, & ideo Sapientes, & Magistri nostri fecerunt de eo, seu in eum, quod debebat fieri.*

LIX. Denique peccatum hoc, ob quod tam acerba & longa puniuntur captivitate perfidi Judæi, est eis omnino ignotum. Hoc autem patet ex libro quodam Tmudico valde authentico apud illos, qui dicitur *Magnila:* ubi inquiritur ratio, quare Judæis existentibus sub captivitate Babylonica revelatus fuerit à Deo terminus illius, ut patet Hieremiæ 29. Judæis verò existentibus sub hac secunda captivitate nunquam revelatus sit ejus finis? ibíque respondetur, propterea prioribus revelatum fuisse terminum captivitatis, quia revelatum ipsis fuit peccatum, ob quod illa à Deo immissa fuit, ut de illo dolentes mererentur veniam: posterioribus verò idcirco non revelari terminum captivitatis, quia omnino est ignotum ipsis peccatum, ob quod sic puniuntur. Ex quo concluditur, peccatum hoc esse blasphemiam in Christum & iniquam ejus occisionem: nam tantùm abest, quòd hoc peccatum cognoscant, ut potiùs pertinacissimè sibi persuadeant, majores suos obsequium magnum præstitisse Deo, Nazareni mortem machinando. Cùm ergo constet, in solo peccato persecutionis, & occisionis Christi concurrere illas tres conditiones, nempe, & quòd sit longè majus peccato Idololatriæ, & quòd sit omnibus Judæis commune, eísque occultum, & incognitum; manifestum relinquitur, eos propter hoc peccatum à majoribus suis commissum, & ab ipsis approbatum pati hanc severissimam pænam, & manifestam Dei vindictam: ac proinde convincitur, Jesum Nazarenum esse Filium Dei naturalem verúmque Deum.

LX. Id ipsum confirmat Chrysostomus ex illa prophetia Moysis Deuter. 18. 15. *Prophetam vobis excitabit Dominus Deus de Fratribus vestris, sicut me ipsum audietis: & erit, omnis anima, quæ Prophetam illum non audierit, exterminabitur de populo suo.* Quæ verba in nullo Propheta sunt impleta, nisi in Christo: etenim multi Prophetæ surrexerunt, & omnes parũ auditi sunt; attamen propterea Judæi nihil sunt passi; hunc autem quia non audierunt, vagantur erratici, fugitivi, & exules, oberrantes ubique, exclusi à sua Civitate, & paternis legibus, & consuetudinibus, in ignominia & ultionis pœnâ. Propter hoc omnia, quæ illorum fuerunt, in solitudinem sunt redacta, quia Prophetam illum non audierunt.

LXI. Hìc noto, paucis ab hinc annis conversum esse Romæ Judæum ad nostram Sanctam Fidem hoc argumento: diabolus ante adventum Christi frequenter tentabat Judæos de idololatria; postquam autem Jesum Nazarenum ut blasphemum occiderunt, non ampliùs eos in hoc peccatum impulit. Unde hoc? Sanè non aliunde, nisi quia ante adventum Christi remedium habebant in observatione legis Mosaicæ, cujus cæremonialia præcepta & sacrificia Christum præfigurabant; unde ut

eos in infernum duceret, à vera fide ad idololatriam pertrahebat. Postquam autem Christus venit, quia jam illa sacrificia, & præcepta sunt inutilis umbra, diabolus de hoc solicitus non est: quandoquidem loco Idolorum succedunt vanæ jam & inutiles cæremoniæ, quas cum non minore impietate modò colunt, quàm ante adventum Christi colerent Idola.

LXII. Hinc etiam manifestum aliud argumentum eruitur ad convincendam incredulitatem Judæorum: Evidens est, Jesum Nazarenum veri Dei cognitionem in totum mundum invexisse, & idololatriam exterminâsse à populo Israël, quia, ut advertit Chrysostomus, post adventum Christi Judæi meliores sunt facti, quàm dum à Prophetis erudirentur, & prodigia viderent; nullus enim ipsorum vel pueros nunc immolat, vel ad Idola currit, vel vitulum adorat. Incredibile autem est, quòd ad expellenda idola à Populo Judaico Deus uti voluerit, tanquam instrumento, homine iniquo & blasphemo, qualem fuisse Jesum Nazarenum Judæi blasphemant: ergo non fuit blasphemus, sed verus Deus, siquidem de seipso hoc sæpe dicebat, quod sine blasphemia dicere non poterat, si esset falsum.

CAPUT SEXTUM.

Quartum caput probandi Divinitatem Christi ex mira correspondentia inter vetus, & novum Testamentum.

LXIII. EVIDENS est lumine naturæ, solum Deum posse infallibiliter cognoscere futura contingentia, quæ dependent à causis liberis, præsertim ab ipsius Dei nutu, & potentiâ. Hinc autem manifestè concluditur, prophetias de rebus futuris à Dei Omnipotentia pendentibus, si veræ sint, à Dei spiritu esse: cognoscitur autem, esse veras, postquam videntur impletæ. Si ergo prophetiæ de adventu Mesiæ ad litteram impletæ sunt in Jesu Nazareno, liquidò constat ex testimonio Prophetarum, eum esse Messiam in lege promissum. Quòd autem ita res se habeat, patebit expendenti correspondentiam inter prophetias veteris Testamenti, & vitam, & mortem Christi.

LXIV. Testamentum vetus dicit Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, &c.* Respondet novum Matthæi 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Dicit vetus Michææ 5. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te enim egredietur, qui sit dominator Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Quæ verba Prophetæ sic exposuerunt Sacerdotes Herodi Matth. 2. vers. 6. *Et tu*

Bethle-

Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in Principibus Juda, ex te exiet Dux, qui regat populum meum Israël. Respondet Novum Testamentum Matth. 2. *Cùm natus esset Jesus in Bethlehem Judæ.* Numerorum 24. *Orietur Stella ex Iacob.* Matthæi 2. *Vidimus Stellam ejus in oriente.* Isaiæ 2. *Omnes de Saba venient, Aurum, & thus deferentes.* Matth. 2. *Obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham.* Isaiæ. 62. *Dabitur ei nomen novum, quod os Domini locutum est.* Lucæ 2. *Vocatum est nomen ejus Iesus, quod vocatum est ab Angelo.* Isaiæ 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum.* Matth. 2. *Accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Psalm. 76. *In Mari via tua, & semita tua in aquis multis.* Matth. 14. *Venit Iesus ambulans supra mare.* Hieremiæ 16. *Mittam ad eos piscatores, & piscabuntur multos.* Matth. 4. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Deuteron. 18. *Prophetam suscitabit tibi Dominus de medio fratrum tuorum.* Joan. 6. *Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Psalm. 77. *Aperiam in parabolis os meum.* Lucæ 7. *locutus est eis multa in parabolis.* Isaiæ 35. *Deus ipse veniet, & salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, &c.* Matth. 11. *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis: cæci vident, &c.* Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ* Matth. 21. *Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* Zachariæ 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis.* Matth. 26. *At illi obtulerunt ei triginta argenteos.* Danielis 9. *Post hebdomadas 70. occidetur Christus.* Ad Philip. 2. *Christus factus est obediens usque ad mortem.* Thren. 3. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Matth. 26. *Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt.* Danielis 9. *Non erit ejus Populus, qui ipsum negaturus est.* Joann. 19. *Clamaverunt omnes: non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Isaiæ 53. *Et cum sceleratis reputatus est.* Matth. 27. *Crucifixi sunt cum eo duo latrones.* Psal. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem.* Matth. 27. *Dividentes verò vestimenta ejus miserunt sortem.* Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo.* Joan. 19. *Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.* Psalm. 15. *Non relinques animam meam in inferno.* Actorum 2. *Deus verò suscitavit eum à mortuis tertia die.* Michææ 2. *Ascendet pandens iter ante eos.* Actor. 1. *Videntibus illis elevatus est.* Joëlis 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Actor. 2. *Effudit hoc donum Spiritus Sancti, quod vos videtis, & auditis.* Isaiæ 49. *Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Actor. 13. *Audientes autem gentes gavisæ sunt, & crediderunt, &c.*

LXV. Omnia ergo, quæ de Messia prædixerant Prophetæ, in Jesu Nazareno adimpleta sunt: ergo ipse est Messias: ergo non seductor, & blasphemus, ut perfidi Judæi blasphemant, sed *Doctor justitiæ*, ut eum appellat Hieremias cap. 23. siquidē fieri non potuit, ut Deus ho-

hominem iniquum, & blaſphemum eis omnibus ſignis ornaverit, per quæ voluit Meſſiam dignoſci, quia hoc eſſet, ipſum Deum homines decipere.

LXVI. Quia teſtimonia Prophetarum adimpleta eſſe in Nazareno, eſt medium efficaciſſimum ad convertendos infideles, diſpoſuit Deus, ut, antequam Evangelium prædicaretur in univerſo mundo, Teſtamentum vetus ex Hebræo in Græcum verteretur, ut gentiles, apud quos familiaris erat lingua Græca, poſſent legere prophetias, & in illis prænuntiata videre multis retrò ſæculis, quæ ipſis annuntiabantur, ut notat Auguſtinus lib. 18. de Civit. cap. 42. & in hunc finem ordinavit, ut Romani Judæos ſubjugarent, ut illi hac occaſione divagarentur inter gentiles per diverſas orbis partes; & ſic ſecum aſportantes Scripturas Sacras, quæ teſtimonium perhibent de Chriſto, & ipſi converterentur, dum eis prædicaretur Evangelium, & eſſent occaſio converſionis gentium. Ut enim inquit Auguſtinus ibidem cap. 46. *Si cum illo teſtimonio Scripturarum in ſua tantummodo terra, non ubique eſſent, profectò Eccleſia, quæ ubique eſt, eos Prophetiarũ, quæ de Chriſto præmiſſæ ſunt, teſtes in omnibus gentibus habere non poſſet.* Hac de cauſa Apoſtolus Rom. 11. verſ. 17. ait: *Quòd delictum eorum divitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum divitiæ ſunt gentium.* Quia nimirum, ut explicant ibi Anſelmus, & Cajetanus, delictum Judæorum manentium in ſua infidelitate, occaſionaliter eſt ſalus & divitiæ gentium, quia diſperſi inter gentes afferebant ſecum Scripturas, in quibus continebantur Prophetiæ de Chriſto. Et ideo gentiles opponere non poterant, illas eſſe confictas à Chriſtianis, videntes eas eſſe in poteſtate inimicorum Chriſti: unde ex illis convincebantur, Apoſtolos vera prædicare.

LXVII. Ex his apparet, quàm deflenda cæcitate laborent Judæi, dum ſunt in perpetua expectatione Meſſiæ, quem jam dudum Deus miſit. Et ad id convincendum ex prophetia Danielis conficitur evidens argumentum: loquens enim cum eo Gabriel Archangelus cap. 9. verſ. 25. ait: *Scito ergo & animadverte, ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt; & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui ipſum negaturus eſt. Et Civitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificia, & erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Hucuſque Propheta.

LXVIII. Cujus verba ad litteram ſic exponit P. Gaſpar Sanchez ex communi conſenſu Doctorum. *Hoc itaque certò tibi perſuade, & ſeptuaginta hebdomadum tempora, de quibus nuper, hunc in modum partire: ab eo tempore, quo primùm facultas erit inſtaurandæ Civitatis & Templi, ad Templi Civitatiſque*

que consummatam fabricam septē erunt hebdomades; inde verò ad Christum Doctorem & ducem, id est, ad tempus usque baptismatis, sexaginta duæ intercedent annorum hebdomades. Ædificabuntur autem muri Civitatis, & quæ in illorum circuitu continentur, plateæ scilicet & ejus habitacula, cum magna perturbatione ac metu, obstrepentibus undique, & urgentibus hostibus. Ab Urbe porrò jam instaurata per annos 49. ex quo facta est ædificandi potestas, cùm aliæ sexaginta duæ hebdomades exactæ fuerint, occidetur, quem multa sæcula jam pridem expectant, Christus Dominus. Nec cladem effugiet populus, qui cùm ipsius sit, illum tamen sceleratè negaturus est; nec enim execrabile facinus impunitum oportuit. Aderit autem post completas hebdomadas septuaginta Dux Romanus cum exercitu numeroso ac forti, qui Civitatem ac Templum à fundamentis eruet, quorum talis erit desolatio & vastitas, ut nullum supersit superioris molis, aut gloriæ vestigium. Nec absoluto bello instaurabuntur Civitatis ruinæ; nam eo finito perseverabit tamen perpetua desolatio. In ultima autem hebdomada ex septuaginta, & in ejus dimidio moriens Christus Testamentum statuet, confirmabitque novum, & abrogabit antiquum; deficient enim sacrificia, atque hostiæ. Erit autem in Templo execrabilis abominatio, nec ullo tempore illius instaurabuntur ruinæ, aut cessabit vastitas.

LXIX. Has septuaginta hebdomadas, de quibus Propheta, esse annorum, ac proinde efficere 490. annos, impletásque fuisse paulò post mortem Christi, convincunt ex hoc loco Nicolaus de Lyra in Glossa ordinaria, & Paulus Burgensis 1. part. Scrutinij distinct. 3. cap. 3. Id autem facilè probatur, quia, ut inquit Burgensis, in tota Sacra Scriptura non invenitur aliqua hebdomada dici, nisi vel dierum, ut Levitici 23. v. 3. ubi de festo hebdomadarum agitur, vel annorum, ut Levitici 25. 8. ubi de jubilæo agitur. At hebdomadæ illæ 70. non sunt dierum, quæ vix efficiunt annum & dimidium, ut per se est manifestum: ergo sunt hebdomadæ annorum. Deinde sic argumentor: vel hebdomades illæ sunt millenariorum, vel centenariorum seu sæculorum, vel hebdomades jubilæorum seu quinquagenorum, vel annorum, vel mensiũ, vel dierum? Non millenariorum: sic enim quælibet hebdomada septem mille annos ambiret, & septuaginta ultra quadringenta millia constituerent. Nec hebdomadæ sæculorum, quæ constituunt quadraginta novem millia annorum: nec jubilæorum, quæ constituunt viginti quatuor millia, & quingentos annos; constat enim manifestè, non posse sic supputari, quia secundùm hanc supputationem nondum fuisset destructa Jerusalem, ejúsque Templum: constat autem manifestè, diruta omnino fuisse à Tito, & Vespasiano 42. annis post mortem Christi. Nec item illæ hebdomadæ sunt mensium, vel dierum, quia constat, à tempore, quo Daniel prophetavit, usque ad destructionem Jerusalem transiisse multò plures, quàm septuaginta hebdomadas mensium, quæ vix unum supra quadraginta annos constituunt. Restat ergo à sufficienti partium enumeratione, illas septua-

ptuaginta hebomadas esse annorum. Quomodocunque autem incipiant numerari, manifestum est, multis jam sæculis fuisse completas, ac proinde jam Messiam venisse.

LXX. Sciendum autem est, verba illa Prophetæ: *Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem*, variè exponi à Doctoribus; aliqui enim exponunt de exitu sermonis Dei ad Gabrielem Angelum, de quo dixerat vers. 23. *Ab initio precum tuarum egressus est sermo.* Alij à vicesimo anno Regni Artaxerxis, quando idem Rex præcepit, ut reædificaretur Jerusalem, ut habetur Neemiæ 4. Alij verò affirmant, hoc initium fuisse anno 4. Sedeciæ Regis, in quo exivit sermo Dei ad Hieremiam dicens: *Cùm ceperint compleri in Babilonia septuaginta anni, visitabo vos, &c.* Hieremiæ 29. vers. 10.

LXXI. Denique ex prophetia Patriarchæ Jacob, Genes. 29. *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, &c.* apertè conficitur, Messiam jam venisse, cùm certum sit, sceptrum jam dudum ablatum fuisse, non solùm à Tribu Juda, sed abs omni gente Judæorum. Vide genuinam hujus prophetiæ explicationem apud Cornelium à Lapide ibi; futiles verò, & ridiculas evasiones Rabinorum convincit Burgensis 1. part. Scrutinij dist. 3. cap. 2. Et Lyra in Glossa ad caput 49. Genesis.

CAPUT SEPTIMUM.

Quintum caput probandi divinitatem Christi ex ejus Resurrectione.

LXXII. CUM Christus zelo Patris sui incensus ejecit è Templo ementes & vendentes, dicens: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, Judæi indignabundi dixerunt: *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* Quasi dicerent, quo signo nobis probas, te habere authoritatem faciendi, quæ facis? Christus verò, tanquam signum efficacissimum ad id probandũ, ostendendo se esse Filium naturalem Dei, Resurrectionem suam prædixit: dicens: *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Joan. 2. 19. Quod tunc nec Judæi, nec Discipuli intellexerunt, existimantes eum loqui de Templo materiali, cùm tamen loqueretur de Templo corporis sui, per mortem à Judæis solvendo, & ab ipso per Resurrectionem tertia die excitando, & postea Discipuli cognoverunt. Et Joan. 8. cùm Christus sub variis metaphoris dixisset, se esse Filium Dei, & eis æternam damnationem minatus fuisset, nisi hanc veritatem crederent, & cùm illi non cognovissent, quia Patrem suum dicebat esse Deum, dixit eis Jesus: *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum*, id est; quando in Cruce me ut ho-

hominem exaltaveritis, tunc cognoſcetis, me eſſe Filium Dei: humanitate enim mea per vos morti traditâ, tunc reſerabitur Divinitas mea per carnis meæ Reſurrectionem.

LXXIII. Inquirit Toletus annot. 23. in cap. 2. Joan. Cur Chriſtus dederit Judæis Reſurrectionem corporis ſui, ut ſignum divinitatis ſuæ? Et reſpondet: licèt alia miracula eſſent ſufficientiſſima ad hanc comprobandam veritatem, exiguam habuiſſe efficaciam, quia pauci illorum in Chriſtum crediderunt; Reſurrectionem verò prædicatam multis perſuaſiſſe Chriſti Divinitatem, & ideo ipſum dixiſſe: *Cùm exaltaveritis Filium hominis, &c.* Hoc expertus eſt Thomas, qui manu tangens Chriſti redivivi vulnera, plenus fide exclamavit Joan. 20. verſ. 28. *Dominus meus, & Deus meus*: in his enim verbis & ſuam incredulitatem, & ejus præcipuam cauſam confeſſus eſt, ac ſi diceret: non credidi priùs, quia neſciebam, te eſſe Deum; at nunc credo, te eſſe Deum, quia reſurrexiſſe te video: priùs quia non credidi Divinitatem, negabam Reſurrectionem, at nunc credens reſurrectionē confiteor tuam veram Divinitatem.

LXXIV. Quia ergo Reſurrectio Chriſti eſt tam potens argumentum ad perſuadendam ejus Divinitatem, & hujus myſterij fides eſt fundamentum Chriſtianæ Religionis (nam Chriſtum mortuum eſſe, & Judæi, & Pagani credunt, Chriſtum verò reſurrexiſſe, eſt propria Chriſtiani fides) ideo Dominus tot circumſtantiis credibilitatis ſingulari providentia circumvallavit Reſurrectionem, ut ſint inexcuſabiles, qui eam credere noluerint.

LXXV. In primis enim, ne infideles dicerent, Chriſtum revera non fuiſſe mortuum, ac propterea non reſurrexiſſe, ſed convaluiſſe à vulneribus, Deo ſic permittente ad manifeſtationem Reſurrectionis Chriſti: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis, & aqua, & qui vidit, teſtimonium perhibuit*, inquit Joannes cap. 19. verſ. 35. quæ lancea ſecundùm Cyprianum cor transfixit, ut extraheret modicam ſanguinis portionem, quæ ibi remanſerat. Quo evidenter probatum eſt, Chriſtum revera mortem obiiſſe, cùm impoſſibile ſit, vivere hominem, in cujus corpore nulla manet gutta ſanguinis.

LXXVI. Rurſus, ne perfidi Judæi Reſurrectionem Chriſti tribuerent virtuti alicujus hominis ſancti, jacentis in ipſius ſepulchro, ſicut 4. Reg. 13. verſ. 2. reſurrexit homo, quem ſepelierunt in ſepulchro Eliſæi, Divina providentia diſpoſuit, ut ſepeliretur *In monumento novo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat*, Joan. 19. verſ. ultimo. Deinde, ne Judæi fingerent, veniſſe Diſcipulos, & clam terram ſuffodientes furatos fuiſſe corpus ſui Magiſtri, voluit, ut ſepulchrum illud eſſet in dura petra elaboratum: *Nam Joſephus ab Arimathia accepto corpore involuit illud ſyndone munda, & poſuit illud in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra*, Matth. 22.

LXXVII. Quartò, quia, ſi Chriſti ſepulchrum non cuſtodiretur, poterant Judæi

Judæi fingere, Apoſtolos illud ſuſtuliſſe; uſus eſt Deus malitiâ, & invidiâ Judæorum, ut fidem Reſurrectionis ſtabiliret. Nam ut narrat Matthæus cap. 27. verſ. 62. *Convenerunt Principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: poſt tres dies reſurgam; jube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in diem tertium, ne fortè veniant diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi; reſurrexit à mortuis, &c.* Et ne poſſent obtendere, Diſcipulos muneribus corrupiſſe cuſtodes, diſpoſuit Deus, ut Pilatus eis commiſerit cuſtodiam ſepulchri dicens: *Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite, ſicut ſcitis.*

LXXVIII. *Illi abeuntes munierunt ſepulchrum ſignantes lapidem cum cuſtodibus*, id eſt munierunt ſepulchrum cum cuſtodibus, cùm antea lapidem obſignâſſent: ut autem notat ibi Maldonatus, credendum eſt, eos aliquo annulo, vel ſigillo ſignâſſe lapidem, ne aut dormientibus militibus Diſcipuli aperire poſſent, quin furtum ex ſigilli violatione deprehenderetur, aut ne milites ipſi pecuniâ à Diſcipulis corrupti corpus illis traderent, quemadmodum Darius lacum Leonum, in quem Daniel conjectus fuerat, annulo ſuo obſignâſſe dicitur Danielis 6. ne aut illi dicerent, ſe Danielem furtim liberâſſe, aut illi in lacum ingreſſi eum occiderent, & à leonibus occiſum evulgarent.

LXXIX. Admirabilis in obſcuranda Chriſti Divinitate & gloria, Sacerdotum ſedulitas, (inquit Maldonatus) admirabilior Divina providentia, quæ ipſorum diligentiâ, atque artificio ad illam illuſtrandam uſa eſt. Timebant Sacerdotes, ne plebi Diſcipuli perſuaderent, Chriſtum, ſicuti dixerat, reſurrexiſſe; adhibent ea de cauſa cuſtodes: illi ipſi non jam plebi, ſed ipſis, à quibus adhibiti fuerant, Sacerdotibus, & Phariſæis Chriſtum reſurrexiſſe teſtati ſunt. Matth. 28. verſ. 11. *Ecce quidam de cuſtodibus venerunt, & nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ geſta ſunt.* Obſignârunt ſepulchri lapidem, ne quis corpus furari poſſet, & ille ipſe tam diligenter obſignatus lapis fidem fecit, Corpus Chriſti non vi, non fraude de ſepulchro ſublatum fuiſſe, ſed divina virtute fuiſſe ſuſcitatum, ut verificaretur illud: *comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.*

LXXX. Cùm à militibus audierunt Principes Sacerdotum, Chriſtum ſurrexiſſe, pecuniam copioſam dederunt illis, ut dicerent, veniſſe Diſcipulos ejus noctu, & furatos fuiſſe corpus ipſis dormientibus, ut narrat Matthæus cap. 28. verſ. 11. ſed ut acutè arguit Auguſt. in Pſalm. 63. *Qui dormientes teſtes adhibuerunt, verè & ipſi obdormierunt*: ſiquidem ſi milites ſomno dediti erant, quando venerunt Diſcipuli, illud teſtificari non potuerunt, & facilè de mendacio convincuntur. Manifeſtum deinde erat, Diſcipulos pauperes, timidos & inermes, & qui tempore paſſionis fugerant, non habituros animum ad hoc facinus aggrediendum, nec potuiſſe ſepulchrum, ingenti lapide munitum & obſignatum, ſine ſtrepitu, qui cuſtodes excitaret, aperire. Præterea ſi Diſcipuli furati fuiſſent corpus, in illo de nudando detinerentur; conſtat autem Joann.

20. 7. quòd Petrus *Introivit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput ejus, separatim involutum.* Deinde ut observat Maldonatus, credendum est, illos ipsos milites, qui ad mentiendum empti fuerant, & gloriosam Christi Resurrectionem, & Sacerdotum, qui, ut eam obscurarent, pecuniam dederunt, facinus inter familiares suos evulgâsse.

LXXXI. Ut fidem suæ Resurrectionis Christus firmaret, eam manifestavit primò per Sanctos, qui cum ipso surrexerunt, *Et exeuntes de monumentis, post Resurrectionem ejus venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Matt. 27.53. Secundò per Angelos, qui eam manifestârunt mulieribus, euntibus ungere corpus defuncti, Matth. 28. Tertiò per seipsum; apparens non solùm Matri suæ, sed multis aliis. Apparuit primò Magdalenæ. Marci 16. 9. Deinde mulieribus redeuntibus ex sepulchro Matt. 28. vers. 9. *Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Apparuit Petro Luc. 24. 34. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Apparuit Discipulis euntibus in Emaus Lucæ 24. cúmque paulò pòst *cognoverunt in fractione panis.* Apparuit undecim simul congregatis in Hierusalem: *Et ostendit eis manus, & latus*, in ipsa Resurrectionis die. Joannis 20. 19. Et cùm Thomas narrantibus Christi Resurrectionem noluisset credere, octo post dies, cùm esset cum reliquis: *Venit Iesus clausis januis*, & Vulnera sua contrectanda ostendit Thomæ, qui priorem infidelitatem agnoscens, Christi Divinitatem credidit. Joann. 20. 28. Deinde manifestavit se Discipulis piscantibus in mari. Joann. 21. & ut narrat Lucas 1. Act. 2. *Præbuit seipsum vivum post Passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Et coram ipsis, aliísque multis in Cœlum ascendit. Hanc Christi Resurrectionem, tanquam testes oculares, Apostoli prædicaverunt. Et ideo Petrus omnium nomine dixit Actor. 2. 32. *Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.* Hinc autem evidens conficitur argumentum Divinitatis Christi: nam postquam ignominiosè crucifixus est, quia dixit, se esse Filium Dei, Deus ipsum tertia die suscitavit, & ejus Resurrectionem tot invictis argumentis manifestam fecit.

LXXXII. Nec infideles dicere possunt, vera non esse, quæ Evangelistæ narrant, sed ea finxisse ad commendationem sui Magistri. Hæc enim evasio falsitatis convicta manet sect. 4. Deinde ab effectu evidens est, Apostolos Resurrectionem, & Ascensionem Christi mundo persuasisse, tanquam rem à se visam, & in testimonium hujus doctrinæ martyrium pro Christo sustinuisse; id autem non facerent, si Christus non surrexisset, sed potiùs se deceptos dolerent, & eum tanquam impostorem execrarentur. Dixerat enim illis palam Lucæ 18. 32. *Se illudendum, flagellandum, & crucifigendum*; cæterùm tertia die surrecturum; ídque dixit, cùm ascendit Jerosolymam ad passionem subeundam. Certè si Apostoli viderent, eum quidem vera nunciâsse, cùm ignominias suas prædixit; falsa autem, cùm prædi-

xit Resurrectionem; eum falsum fuisse Prophetam,& verum impostorem deprehenderent,nolléntq; tot labores pati, ut falsam fidem in mundum inveherent cum magna Creatoris injuria, & certo propriæ salutis detrimento, & sine spe alicujus temporalis emolumenti, & eo solùm fine, ut Filium Dei esse persuaderent hominem iniquum, à quo nihil sperare poterant. Quomodo Deus donum linguarum communicaret imperitis piscatoribus, ut tam insigne mendacium, ipsi Deo tam injuriosum, toti orbi persuaderent?

CAPUT OCTAVUM.

Sextum caput probandi Divinitatem Christi ex mirabili mundi conversione.

LXXXIII. PRÆDICATIONE Piscatorum conversus est mundus, ad credendum, hominem crucifixum esse Deum, aliáque mysteria difficillima, amplectendam legem, carni & sanguini repugnantem: ad deserendam majorum Religionẽ,& ad deserendos majorum antiquos mores, & novos induendos. Hoc autem non minùs mirum est, & supra humanas vires, quàm si per duodecim pueros totum mundum Imperator aliquis subjugaret, vel per decem agnos Pastor aliquis magnum luporum exercitum vinceret. Unde Aug. lib. 22. de Civitate Dei cap. 7. optimè probat, *quòd mundus in Christum credat, virtutis fuisse divinæ, non persuasionis humanæ. Nam fides Christi sub Augusto & Tiberio quo tempore maximè eruditio florebat, prædicari cœpit, & tunc non solùm populus, sed multi ex sapientibus crediderunt Resurrectionem Christi, atque in Cœlos Ascensionem, aliáque mysteria, quæ mens humana respuisset, nisi eam fieri potuisse, atque factam esse divinitas ipsius veritatis, vel veritas divinitatis, constantiáque miraculorum signa monstrarent, ut terrentibus, & contradicentibus, tam multis, támque magnis persecutionibus, præcedens in Christo deinde ad novum sæculum in cæteris secutura Resurrectio, atque immortalitas carnis, & fidissimè crederetur, & prædicaretur intrepidè, & per orbem terræ publicaretur, ac fœcundiùs cum Martyrum sanguine sereretur. Legebantur enim præcedentia signa Prophetarum, concurrebant ostenta virtutum, & persuadebatur veritas, nova consuetudini, non contraria rationi, donec orbis terræ, qui persequebatur furore, prosequeretur fide.*

LXXXIV. In Apostolis prædicantibus Christi Resurrectionem, & Ascensionem, ejúsque Divinitatem, verificatur ad litteram illud Psalm. 67. *Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multa ut expendit Chrysost in orat. Quòd Christus sit Deus: Non enim moverunt arma, nec expenderunt pecunias, neque robore corporis, neque exercituum multitudine usi sunt, sed verbo simplici, & multam habente virtutem, ac miraculorum*

rum ostensionem. Crucifixum enim prædicantes, & miracula facientes totum orbem sibi subjecerunt. Propterea dicit: dabit verbum evangelizantibus virtute multa: miracula significans. Etenim mira virtus erat piscatorem, publicanum, tabernaculorum opificem nudis præceptis mortuos suscitare, dæmones expellere, mortem abigere, Philosophorum linguam mutam facere, Rhetorum ora constringere, Principes ac Reges superare, barbaris, Græcis & omni generi hominum imperare. Nam omnia hæc verbo illi perfecerunt & virtute multa mortuos in vivos mutaverunt, peccatores in justos, cæcos in videntes, & morbos naturæ ac malitiam animæ expulerunt. De Apostolis etiam verificatur illud Psal. 18. *Constitues eos Principes in omni terra. Quòd autem Regibus, & Principibus majores sint Petrus, & Paulus, declaravit eventus: nam Regum leges, etiam ipsis viventibus, abrogantur: at Piscatorum illorum, etiam mortuis ipsis, ratæ sunt, & immobiles manent, licèt multis legibus, animadversionibus, armis, suppliciis argumentis, verborum eloquentia cognationibus, amicitiis, dæmonibus, diabolo, consuetudinibus, malis moribus, voluptatibus, & infinitis aliis refringere plurimi conati sint. Hinc meritò* S. Thom. lib. 1 contra Gent. cap. 6 *dixit: Hanc tam mirabilem mundi conversionem ad fidem Christianam, indicium certissimum esse præteritorum signorum, ut ea ulteriùs iterare necesse non sit, cùm in suo effectu appareant evidenter. Esset autem inquit, omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, & operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus & ignobilibus hominibus. Quamvis non cesset Deus, etiam nostris temporibus, in confirmationem fidei per Sanctos suos miracula operari. Hausit hanc doctrinã* D. Thom. à S. Aug. lib. 22. de Civitat. c. 5. *ubi subtiliter redarguit eos, qui credere nolunt carnis Resurrectionem, sumítq; argumentum à mundo jam credente resurrectionẽ Christi, ejúsque in Cœlos Ascensionem, formátq; hoc dilemma; Vel mundus hoc credendo, credit rem credibilem; & sic inexcusabiles sunt qui rem credibilẽ credere nolunt: vel credit rem incredibilem; & sic jam admittitur aliquod incredibile nempe mundum tam firmiter credidisse id quod erat incredibile. Si ergo jam factum esse videmus unum duorum incredibilium, cur non credemus futurum alterum nempe nostrorum corporum Resurrectionem?*

LXXXV. Præterea ipse modus, quo credidit mundus, si consideretur, incredibilior invenitur: *ineruditos liberalibus artibus & omnino, quantum ad istarum doctrinas attinet, impolitos, non peritos Grammaticæ, non armatos Dialecticâ, non Rhetoricâ inflatos, Piscatores cum retibus fidei ad mare hujus sæculi paucissimos misit, & ita ex omni genere multos pisces & tantò mirabiliores quantò rariores etiam ipsos Philosophos cepit. Jam ergo tria sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt. Incredibile est, Christum Resurrexisse in carne & in Cœlum ascendisse cum carne. Incredibile est, mundum rem tam incredibilem credidisse. Incredibile est, homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam*

incredibilem tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis, persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt infideles credere: secundum coguntur & cernere, quod non inveniunt unde sit factum, si non credunt tertium. Resurrectio certe Christi, & in Cœlum in carne, cum qua resurrexit, ascensio, toto jam mundo prædicatur, & creditur: si credibilis non est unde jam toto orbe credita est? Hinc deducit August. Christi Resurrectionem, ejúsque divinitatem, propterea mundum credidisse, quia Apostoli hanc doctrinam prædicantes ejus veritatem signis & miraculis ostendebant. *Eloquia namque persuadentium* (inquit) *quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba. Qui enim Christum in carne resurrexisse, & cum illa Cœlum ascendisse, non viderant, id se vidisse, narrantibus, non loquentibus tantùm, sed etiam mirifica facientibus signa, credebant. Si verò per Apostolos Christi, & ut eis crederetur, Resurrectionem atque Ascensionem prædicantibus Christi etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc unum nobis grande miraculum sufficit, quòd eam terrarum orbis sine miraculis credidit.*

LXXXVI. Ex qua doctrina hoc conficitur dilemma: vel Apostoli, prædicantes hominem crucifixum à Judæis, esse Filium Dei & mundi Salvatorem, verèque resurrexisse, & in Cœlum ascendisse, mundo persuaserunt hanc doctrinam mediis signis, & miraculis, vel sine miraculis? Si primum, convincitur, illam doctrinam esse veram, Deúmque habere Authorem, quia Deus nequit facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ. Si secundum? Hoc ipsum certiùs convincitur, quia solus Deus potuit dare efficaciam nudis piscatorum verbis ad persuadendam veritatem doctrinæ, quæ humanæ rationi divina luce destitutæ videbatur omnino incredibilis, & ut permoverent homines ad tam arduam, & moraliter impossibilem morum mutationem.

LXXXVII. Sed quærunt infideles apud August. lib. 22. de Civitat. Dei cap. 8. *Cur modò non fiant illa miracula, quæ facta esse prædicamus?* Cui interrogationi secundo loco respondet: *Nec modò deesse miracula*, quorum aliqua ipse narrat, quæ suo tempore acciderant. Sed primo loco respondet: *Miracula necessaria fuisse priùs, quàm crederet mundus ad hoc ut crederet. Nam qui* (inquit) *adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Additque, illam interrogationem ab infidelibus fieri, quia non credunt extitisse miracula, eóque ted arguens subjungit. *Unde ergo tanta fide Christus usquequaque cantatur in Cœlum cum carne sublatus? Unde temporibus eruditis, & omne, quod fieri non potest, respuentibus, sine ullis miraculis nimiùm mirabiliter incredibilia credit mundus? An fortè credibilia fuisse, & ideo credita esse, dicturi sunt? Cur ergò ipsi non credunt?* Unde breve hoc dilemma conficit: *Aut incredibili rei, quæ non videbatur alia incredibilia, quæ tamen fiebant & videbantur fecerunt fidem: aut certè res ita credibilis, ut nullis, quibus persuaderetur, miraculis indigeret, isto-*

rum nimiam redarguit incredulitatem. Hoc ad refellendos vanissimos dixerim. Nam facta esse multa miracula, quæ attestarentur illi uni grandi, salubríque miraculo, quo Christus in Cœlum in carne, in qua surrexit, ascendit, negare non possumus. In eisdem quippe veracissimis libris cuncta conscripta sunt, & quæ facta sunt, & propter quod credendum facta sunt. Hæc ut fidem facerent, innotuerunt, hæc per fidem, quam fecerunt, multò clariùs innotescunt. Leguntur quippe in populis, ut credantur, nec in populis tamen, nisi credita legerentur.

LXXXVIII. Est autem hoc argumentum, à conversione mundi petitum, tam efficax ad persuadendum, Christum esse Deum, ut Chrysost. in orat. *Quòd Christus sit Deus*, initio asserat, hoc argumento convinci posse Gentilem, quantumvis idiotam. *Neutiquam enim* (inquit) *contradicet, quod omnes undequaque Ecclesias orbis Christus fundavit. Hinc faciemus demonstrationem virtutis Christi, & ostendemus ipsum Deum. Etenim non est puri hominis, in tantis rebus orbem terrâ marique tam brevi tempore comprehendere, & tam absurdis moribus, tantísque malis irretitum liberare humanum genus: insuper quòd hæc confecit nullis usus armis, nullos faciens sumptus, nullos movens exercitus, nulla prælia committens, sed per undecim Viros principio ignobiles viles rudes, idiotas, inermes calceamentis nudos, unicâ tunicâ tectos &c.*

CAPUT NONUM.

Septimum caput probandi Divinitatem Christi ex permanentia Christianæ Ecclesiæ, quam fundavit.

LXXXIX. MATTH. 16. v. 18. dixit Christus: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Hoc sanè Christus nec affirmare nec adimplere potuit, nisi esset Deus omnipotens: hujúsque proculdubio dicti verus exitus ipsum quoque summè veracem summéque potentem indicat. Ex hoc loco nervosè, & eloquentissimè probat Chrysost. Divinitatem Christi in orat. sæpè citata: *Quid igitur* (inquit) *Christus dixit, & orbe toto ferme impietate detento prædixit:* Super hanc petram, &c. *Examina, ut libet, quid sibi hoc verbum vult, & videbis perspicuam ejus veritatem. Nam non solùm hoc mirum est, quòd ædificavit eam per totum mundum, sed quòd invictam fecit, & invictam licèt tot bella insurgant. Hoc enim est, quod portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Vidisti prædictionis veritatem? Vidisti eventus certitudinem, ac robur? Vidisti verba in operibus relucentia, & virtutem absque armis omnia facilè conficientem? Nec ideo, quia paucis dicitur:* Ædificabo Ecclesiam;

 tran-

transcurras obiter, sed considera, & cogita tecum, quid sit in tam brevi tempore omnem sub sole terram tantis Ecclesiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos persuaderi, ut proprias leges abrogent, consuetudinem stabilitam & radicatam evellant, imperium voluptatis, nequitiæ vim tanquam pulverem abiiciant Altaria Templa & Statuas & Sacrificia, & profana festa, & immundum odorem, sicut fimum aliquem aboleant, & excitent Altaria ubique gentium.

XC. *Magna res planè, & supra modum magnæ, divinaque virtutis, etiamsi nemo interturbaret, essétque pax summa & multis simul adnitentibus, & reluctante nullo, posse intra tam breve tempus totum orbem à consuetudine mala sua qua præoccupatus fuit, liberari, & ad aliam induci; verùm hoc multò majus, quòd non solùm in aliam inducitur,* sed in multò difficiliorem: *Non solùm enim diversa consuetudo erat sed & voluptate firmata duo violenta; quæ enim acceperat à Patribus, avis & proavis, aliisque superioribus progenitoribus, & Philosophis & Rectoribus, ea respuere docebatur, quod sanè difficillimum erat: at difficilius novam accipere consuetudinem, quæ nuper irrepserat, illámque valde laboriosam. Abduxit enim Christus à voluptate & induxit ad jejunium: abduxit ab amore opum, & induxit ad amorem paupertatis abduxit à luxu & induxit ad temperantiam: abduxit ab ira, & induxit ad mansuetudinem: abduxit ab invidia induxit ad benignitatem: abduxit à via lata & spatiosa, & induxit in angustam & arctam & præruptam, & induxit assuetos via lata; nec enim alios homines extra hujus mundi consuetudinem viventes assumpsit, sed illos ipsos, qui in talibus vitiis computruerant, & luto molliores erant jussit, ut angustam & arctam viam, asperámque illam, & durā ambularent, & persuasit eis.*

XCI. Quot autem persuasit? *Non duobus vel decem, vel viginti, vel centum, sed omnibus ferme sub sole habitantibus. Et per quos persuasit? Per Viros undecim illitteratos, privatos, ineloquentes, obscuros, pauperes, patriâ, facultatibus robore corporis præcellentiâ gloriæ, dignitate progenitorum, vehementiâ Rhetorices eminentiâ scientiæ carentes, per piscatores, per Tabernaculorum opifices, per barbaros. Nec enim eadem illis, & auditoribus vox: sed extraneum planè, & peregrinum sermonem à linguis eorum, quibus prædicabant, sortiti erant; Hebraicum dico; atque per hosce ædificavit Ecclesiam hanc, quæ à finibus usque ad finem extenta est.*

XCII. *Neque hoc solùm mirabile, quòd privati, & pauperes illi & pauci, & ignobiles, & illitterati & viles, & exotici sermonis, & contemptibiles totius orbis correctionem attentârunt sed & quòd ad longe difficiliora opera ipsum ducere jussit; quodque non hoc in pace fecerunt sed infinitis bellis hinc inde excitatis. Nam in via quāque, gente & civitate, & quid dico gente & civitate: in singulis domibus peragebatur bellum Radicata enim hac doctrina, & puerum sæpe à patre divisit & nurum à socru & fratrem à fratre, & servum à Domino, & subditum à Principe, & virum ab uxore & uxorem à viro, & patrem à filiis: neque enim simùl omnes crediderunt.*

XCIII. *Ad*

XCIII. *Ad hæc, quotidianas inimicitias, continua bella, multásque ipsis mortes attulit, & fecit ut Apostolos, quasi communes hostes & inimicos, plerique aversarentur, abigeréntque eos à se omnes Reges, principes, privati, liberi, servi, populi, & urbes: & non solùm ipsos, sed &* (quod gravius) *novitios in fide, & eos, qui ab ipsis instruebantur; eodem enim bello premebantur, & discipuli, & Magistri. Videbatur enim doctrina hæc contraria edictis Regiis, & consuetudini, & Patriis moribus. Et tamen Apostoli orbi persuaserunt, hominem crucifixum esse Deum, & sic Ecclesiam ædificaverunt. Sed quo pacto, & qua ratione? virtute scilicet Christi omnipotentis Dei, qui eos ad prædicandum misit.* Ille dixit: fiat Cœlum, *& monstravit opus.* Fundetur terra, *& illius substantia producta est:* Fulgeat Sol, *& indicavit astrum, omniáque verbo operatus est.* Eodem modo ille, & Ecclesias plantavit: & verbum hoc: ædificabo Ecclesiam meam, *hæc omnia operatum est.*

XCIV. Verbum Dei condidit opera tam mirabilia; *& hoc verbum Christi,* Ecclesiam meam ædificabo, *Ecclesiam indicavit, & in æternum duraturam plantavit, etiam contra illam Tyrannis se armantibus, & millibus arma moventibus, populis plus valido igne insanientibus, & obluctante consuetudine, etiam oratoribus, & sophistis, & divitibus, & principibus insurgentibus, sermo Dei, velut ignis validus adveniens spinas consumpsit, agros repurgavit, seminavit Verbum prædicationis. Et licèt ij, qui crediderunt, in carceribus servarentur, in exilium relegarentur, despectui essent, amitterent substantias, occiderentur, traderentur igni, submergerentur aquis & omne tormentorum genus sustinerent, cum summa ignominia, & persecutionem paterentur ut hostes publici, plures tamen semper accrescebant: non solùm nihil ex afflictionibus aliorum facti ad credendum segniores, sed & multò alacriores, ad hanc pulchram piscationem assiliebant, sícque à piscatoribus capiebantur non coacti, non vim passi, sed spontè accurrentes, gratiámque habentes adducentibus. Et quamvis viderent, fluere torrentes sanguinis credentium, ferventiores tamē reddebantur in fide, & fidentiores. Non Discipulis solùm, sed & Magistris vinctis, fugatis, flagellatis, aliáque mille mala passis Discipuli plures fiebant, & magis studiosi; habebant enim adjutricem, & commilitantem invictam virtutem ejus, qui dixerat: super petram hanc ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*

XCV. *Numera, quot Tyranni ab illo tempore adversùs ipsam instruxerunt acies, quot gravissimas persecutiones moverunt, quomodo toto priore tempore, quando novitia erat fides, & nuper plantata, teneræque hominum mentes, Gentiles regnabant, Tiberius, Cajus, Nero, Vespasianus, & Titus, & post illum omnes usque ad Constantini tempora, & omnes illi, alij minùs, alij sæviùs infestabant Ecclesiam, infestabant tamen omnes: veruntamen insidiæ, & machinationes illæ omnes leviùs, quàm aranearum telæ discerptæ sunt, & ea, quibus nos invadebant, & ea, quibus insidiabantur, citiùs fumo dissoluta, pulvere præ-*

præterierunt infirmiora. Magnum enim numerum martyrum impleverunt, immortalésque illos Ecclesiæ Thesauros reliquerunt; & columnas, & turres, & eos qui non solùm viventes, sed & mortui posteris magnæ utilitatis materia facti sunt. Vides prædictionis robur: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam?* Ab his, & de futuris crede, quòd nullus obsistet.

CAPUT DECIMUM.

Octavum caput probandi Divinitatem Christi ex testimonio Martyrum, & ex mirabili conversione multorum infidelium ad amplectendam eam fidem, pro qua videbant, eos tam dira tormenta pati.

XCVI. Ex hoc capite sumitur validum argumentum, ut enim inquit Aug. lib. 22. de Civitate cap. 6. *Quis enumeret, quàm multi quantalibet sævitiâ crudelitatis occidi, quàm Christum Deum negare maluerunt? Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, trucidabantur, & multiplicabantur.* P. Franciscus Arias 1. part. de imit. Christi tract. 3. cap. 35. in fine cum Genebrardo reputat verisimile, tantam usque ad sua tempora extitisse Martyrum multitudinem, ut, si illorum festa per totius anni dies distribuerentur, singulis diebus occurrere possint celebrandi triumphi triginta millium, qui vitam pro Christo Domino obtulerunt. Inter quos reperiebantur pueri, & teneræ Virgines, à quibus, ut inquit Lactantius lib. 5. divinarum institutionum cap. 13. *Exprimere gemitum nec ignis potuit.* Et sanè morum integritas in Sanctis Martyribus reperta, invicta eorum patientia, nec non in medio tormentorum ineffabilis consolatio, lætitiáque mortem obeundi pro tuenda Crucifixi Divinitate, veritatis argumentum est insigne.

XCVII. Mirabilis etiam conversio multorum infidelium, spectantium Martyrum atrocissima tormenta ad eam fidem amplectendam, pro qua tam dira videbant tormenta homines pati, clarissimum est veritatis Christianæ Religionis argumentum. Quis enim, nisi Deus omnipotens, potuit subitò cor infidelium ita mutare, ut eam Religionem amplecterentur, pro qua videbant homines igne torreri, liquefacto plumbo aduri, uncis ferreis dilaniari, & alia atrocissima tormenta tolerare? Hujusmodi autem conversiones passim leguntur in actis Martyrum. Talis fuit conversio S. Romani militis, qui videns Angelum abstergentem sudorem Beati Laurentij in craticula positi clamavit: *Video ante te juvenem pulcherrimum, festina me baptizare.* Et ut testatur Martyrologium Romanum die 9. Augusti propter

Baptismum publicè petitum, *fustibus cæsus, ad ultimum decollatus est.* Talis quoque fuit conversio illius felicis Janitoris, qui, cùm quadraginta milites Cappadoces tempore Licinij Imperatoris post vincula & carceres teterrimos, post cæsas lapidibus facies, in rigens stagnum missi essent, ubi gelu constricta eorum corpora dirumpebantur, solus vigilabat, cæteris custodibus somno deditis, & videns Angelos è cœlo descendentes cum coronis triginta novem, sic secum ratiocinabatur: *Quadraginta hi sunt*, quadragesimi corona ubi est? Quæ dum cogitaret, unus ex illo numero, cui animus ad frigus ferendum defecerat, in proximum patefactum balneum desiliens, sanctos illos summo dolore affecit. Verùm Deus illorum preces irritas esse non est passus, quorum omnium una fuerat oratio: *Quadraginta in stagnum ingressi sumus, quadraginta item Domine coronâ donemur, nec una quidem huic numero desit.* Nam rei eventum admiratus janitor, mox custodibus è somno excitatis, detractisque sibi vestibus, ac se Christianum esse clara voce professus, Martyribus se adjunxit, & cum illis martyrio coronatus est, ut habes in Breviario Romano die 9. Martij.

XCVIII. Talis etiam extitit conversio S. Genesij, celebris inter Romanos mimi seu comædi faceti & lepidissimi, cujus vitam habes apud Petrum de Ribadeneyra tom. 2. Floris Sanctorum extravagantium, die 25. Augusti, de quo Martyrolog. Romanum ad illum diem: *Romæ Sancti Genesij Martyris*, qui primùm sub gentilitate mimus, cùm in theatro, spectante Diocletiano Imperatore, mysteriis Christianorum illuderet, à Deo inspiratus, repentè conversus ad fidem, & Baptizatus est: mox Imperatoris jussu fustibus crudelissimè cæsus; deinde in equuleo suspensus, & ungularum diutissima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cùm in fide Christi persisteret, dicens: non est Rex præter Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis: martyrij palmam, capitis obtruncatione *promeruit.* Idem Martyrologium, die 14. Aprilis memoriam colit S. Ardelionis mimi, qui, cùm sacris Christianorum in theatro illuderet, derepente mutatus eam non solùm verbis, sed testimonio sui sanguinis comprobavit. Item die 15. Septemb. memoriam facit Sancti Porphirij mimi, qui coram Juliano Apostata per jocum Baptismum suscipiens, Dei virtute derepente mutatus, Christianum se esse professus est, ac mox jubente eo securi percussus martyrio coronatus est.

XCIX. Cùm præsens adesset martyrio Sanctorum Chrysanthi, & Dariæ Claudius Tribunus, qui eos torquebat, cum sexaginta militibus, animadvertens quantâ lætitiâ Sancti Martyres perferrent atrocissima tormenta, quousque viventes terrâ & lapidibus obruti sunt, ipse cum militibus illis ita firmiter Christo adhæsit, ut pro Christo omnes mortui sint, ut habes apud Surium tom. 5. Octo crudelissimi milites, qui sub Alexandro Severo Sanctam Martinam Virginem diversis tormentorum generibus cruciârunt, & tandem gladio jugulâ-

gulârunt, Sanctæ Virginis constantiâ, & sanctitate ita permoti sunt, ut Christi fidem amplexi pro ipso vitam martyrio dederint, ut habes apud Surium tom. 1. Martyrologium Romanum, die 21. Augusti memoriam celebrat Anastasij Cornicularij (id est in castrensi militia nobilis equitis) qui, cùm videret B. Agapytum constanter tormenta perferentem, conversus est ad fidem, & pro confessione nominis Christi jubente Aureliano Imperatore, Martyr migravit ad Dominum. Et die 20. Septembris celebrat memoriam S. Evilasij idolorum Sacerdotis, qui intuitus constantiam, qua S. Fausta Virgo crudelissima tormenta sub Maximiano Imperatore pertulit, in Christum credidit, & unà cum Sancta Virgine martyrio coronatus est.

C. Denique ut alia omittam, miles, qui S. Paulum Apostolum jugulavit, & triginta quatuor ejus Socij, videntes spectaculum illud admirabile, quòd nimirum Sanctus Apostolus tam hilariter pro Christo cervicem gladio supposuerit, & quòd loco sanguinis lac è vulnere fluxerit, libentissimè fidem amplexi pro Christo martyrium subierunt. Celebrat hanc conversionem S. Joannes Chrysostomus, meritò admiratus, quòd animus ferox illius militis tam celeriter factus sit melle suavior, & dulcior. Has & alias conversiones expendere poterit Christi minister coram Mahumetanis, & ab illis quærat, an unquam in sua secta simile quid contigerit? Inde concludat, non posse non esse veram Fidem illam, quæ Christum crucifixum ut Deum adoret, & Trinitatem Personarum in DEO colit; quandoquidem solus Deus potuit hanc fidem internè persuadere ijs, qui videbant, Christianos tam crudeliter torqueri pro confessione illius: Deus autem fidem falsam inspirare non potest, ergo verissima est hæc fides.

CI. Audiamus S. Justinum Philosophum & Martyrem, qui ex alacritate, qua Christiani pro Christo patiebantur tormenta, optimè intulit, eos esse viros probos & sanctos, & veram Religionem profiteri. Sic enim ait in Dialogo cum Triphone apud Baronium anno Dom. 130. *Ego ipse* (inquit) *Platonis disciplinæ sectator, cùm calumniosè audirem Christianos deferri, intrepidè autem ad mortem, & alia, quæ terribilia censentur, omnia adire conspicerem, statui ipse mecum, fieri haudquaquam posse, ut illi vitijs & voluptatibus servirent. Quis enim voluptatum sectator, aut per animi impotentiam obtemperans in humanarum carnium dapes, pro bono ducens mortem amplecti queat, ut bonis suis seipsum privet, ac non potiùs bonis omnibus, ut hanc sibi perpetuò vitam agere, & celare Principes, & Magistratus fallere liceat, operam navet, nedum per denuntiationẽ, & indicium seipsum cædi offerat?*

CII. Finio materiam hanc exemplo admirabili, quod scribit Nicephorus Calixtus lib. 17. Eccles. Hist. cap. 6. *In civitate* (inquit) *cui Nigræ nomen est, egregium virilis animi specimen dedit quidam puer Martyr, muliercula unius ex ijs, quæ ad pyram accensam rapiebantur pro Christo, filius.*

Hunc etenim tenerum adhuc tyrannus retinens distrahere à matre conabatur, demulcens illum, & quidquid ad animum adolescentuli alliciendum faceret, objiciens. Ibi verò matrem puer aspiciens, femur Tyranni momordit, atque ad illam procurrit, atque ita unà cum matre sacrificium suaveolens per litationem ad Deum est transmissus. Quis hîc non agnoscat omnipotentiam Dei, internè moventis puerum ad moriendum pro fide, quæ Christum ut Deum adorat?

CAPUT UNDECIMUM.

Reliqua capita probandi Divinitatem Christi breviter insinuantur.

CIII. CApput nonum, probandi Divinitatem Christi sumitur ex miraculosa Sauli conversione ex persecutore Christi in prædicatorem Divinitatis ejus, & omnis sanctitatis Magistrum. Decimum ex sanctitate Apostolorum, aliorúmque Virorum similium, qui Divinitatem Christi mundo persuaserunt. Undecimum ex sanctitate vitæ, quam hæc fides generat: fides enim falsa veram sanctitatem generare non potest, neque ad Deum ducere Religio, quæ à Deo non descendit, neque ad Cælum evehere, quæ ab orco originem traheret: unde tot sunt manifesta testimonia Divinitatis Christi, quot in Ecclesia homines floruerunt insigni sanctitate, qui eò fuerunt virtute clariores, quò ardentiùs Christum dilexêre.

CIV. Duodecimum: gloria miraculorum, quâ semper in omnibus sæculis floruit Ecclesia Catholica, ut ostendit Bellarm. tom. 1. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 14. Consulatur P. Salmer. tom. 6. tr. 2. ubi egregiè probat veritatem miraculorum Christi Domini, non solùm ex authoritate Evangelicæ historiæ, sed etiam ex ipsis gentibus, & illarum Prophetijs: ea enim narrantur à Sybilla Libica, & à Pilato in duplici Epistola ad Tyberium Cæsarem, à Philostrato, & à Mahumeto.

CV. Decimum tertium, atque efficacissimum sumitur ex mira virtute, quam Christus Crucifixus ostendit in trahendo ad se homines, opere complens, quod promiserat: *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me*; non potuisset enim Christus tantam potentiam ostendere mortuus, nisi esset Deus: majora enim facere post mortem, quàm in vita, argumentum est Divinitatis. Audiamus Chrysostomum in orat. quòd Christus sit Deus: *Ante Crucem in luctu res erant*, Judas prodidit, Petrus negavit, reliqui profugerunt, *Iesus inter amicos comprehensus est, multi, qui credide-*

rant, retrorsùm abierunt. Caterùm ubi occisus est, & mortuus, ut discas, quòd non sit purus homo, non solùm res ejus non interciderunt, sed multò clariores, & sublimiores sunt redditæ. Nam ante Crucem Princeps Apostolorum nec ostiariæ minas tulit, & post tantam eruditionem aiebat, se nescire, quis esset. At post Crucem orbem terrarum peragravit, & infiniti Martyrum populi occisi, malentes mori, quàm dicere, quod Princeps ille Apostolorum formidans unius ostiariæ minas.

CVI. Decimum quartum caput sumitur ex Testamento veteri, in quo sæpe significabatur, Messiam futurum esse Deum, ut probant Burgens. 1. part. Scrutinij dist. 10. P. Suarez disp. 2. de Incarn. sect. 2. & 3. Chrysostom. in Orat. *Quòd Christus sit Deus.*

CVII. Expectabant Judæi Messiam ut potentissimum Regem, qui ipsos à servitute corporali redimeret, & magnâ bonorum temporalium copiâ cumularet, ut docent Rabbini Hebræorum apud Burgensem 1. part. Scrutinij dist. 5. cap. 2. & ideo Nazarenum pauperem, & humilem ut Messiam recipere noluerunt. Manifestè tamen decepti sunt; nam Isaiæ 42. & Zachariæ 9. promittitur Messias, qui cum summa humilitate, & mansuetudine gentes doceat, & legem ferat: ejúsque redemptio spiritualis promittitur, nimirum à servitute peccati, ut patet Danielis 9. 24. ubi dicitur, septuaginta hebdomadas superesse: *Vt finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna.* Eséque res planè Deo indigna, ut tantus apparatus miraculorum, tam magnificæ promissiones Messiæ, tam insignes de eo prophetiæ, tanta mundi expectatio, tot antiquorum Patrum suspiria, tot signa in ejus Conceptione, & Nativitate prænuntiata, tot denique prodigia promissa, desinerent in Rege temporali, qui filios Israël ab hostibus visibilibus liberaret, & terrenis opibus locupletaret. Messias ergo promissus erat ad destruendum regnum peccati, ad eripiendos homines à potestate diaboli, ad docendas justitiæ vias, ad persuadendam veram sapientiam, & Dei imitationem; & ad hæc bona obtinenda debuit Messias esse Deus. Ut enim inquit Augustin. lib. de utilit. cred. cap. 5. *Sapiens, quantùm datum est, imitatur Deum: homini autem stulto ad imitandum salubriter, nihil est homine sapiente propinquius; cùm igitur & homo esset imitandus, & in homine non spes ponenda, quid potuit indulgentius, & liberaliùs divinitus fieri, quàm ut ipsa Dei sincera, æterna, incommutabilísque sapientia, cui nos hærere oportet, suscipere hominem dignaretur?* Et ut ait sermone quodam de Nativit. *Homo sequendus non erat, qui videri poterat; Deus sequendus erat, qui videri non poterat: ut ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Debuit item hominum Redemptor, & Salvator esse Deus & Homo, tum quia, ut inquit S. Leo serm. de Nati. *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium, nisi esset verus homo, non præberet exemplum.* Tum quia, ut expendit Athanasius,

masius, si Creator, & Redemptor essent personæ diversæ. homo divideret cor amando Redemptorem, & Creatorem, cùm tamen totum cor Deus sibi deposcat.

CVIII. Rursus cùm homo tendat in Deum per fidem, spem, & charitatem, Redemptor hominum debuit esse Deus factus Homo, ut sic virtutes Theologales promoveret, firmando fidem, erigendo spem, & accendendo charitatem: firmatur enim fides, dum homo Deo sibi visibiliter loquenti credit: unde August. lib. 11. de Civit. cap. 2. *Vt homo fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius homine assumpto constituit, atque fundavit fidem.* Erigitur spes, quia ex hoc mysterio discit homo, quantùm diligat nos Deus, nihilque est, quod non possit sperare à Deo: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Accenditur charitas: quodnam enim efficacius motivum ad excitandum amorem, quàm sic amari? *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Quare, ut inquit August. *Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.* Sanè ut Messias hominibus persuaderet, ut per exercitia virtutum ad Deum tenderent, debuit omnium exemplar se exhibere: quomodo enim paupertatem spiritûs persuaderet, si veniret dives? quomodo humilitatem, si veniret cum superbia, & fastu? Et sic de reliquis virtutibus. Non ergo talem se debuit exhibere, qualem expectabant Judæi, sed qualem se mundo præbuit, in præsepio nascens, & in Cruce moriens.

CIX. Ultimum denique caput probandi Divinitatem Christi sumitur ex testimonio tot Doctorum, sapientiâ & sanctitate illustrium, qui examinatis diligentissimè omnium hominum sectis, tam evidens censuerunt, Religionem Christianam esse veram, quàm evidens est, Deum providentiam hominum habere, eorúmque æternam salutem verè procurare. Unde meritò dixit sapientissimus Richardus de S. Victore lib. 1. de Trinit. cap. 22. *Domine, si error est, quod credimus, à te decepti sumus.* Quia non minùs impossibile est, Religionem Christianam esse falsam, quàm impossibile sit, Deum homines decipere. Reddiderat rationem paulò antea: *Mysteria námque nostræ fidei tam multis, tam magnis, tam miris prodigijs divinitus sunt confirmata, ut genus videatur esse dementiæ in his vel aliquantulum dubitare.* Consonat Chrysost. qui postquam expendit argumenta probantia Christi Divinitatem, sic concludit: *Nullus ergo his contradixerit, nisi, qui valde insanus, & totus stupidus, naturæq; sensu privatus.* Propterea Deum alloquens David Psal. 92. aiebat: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, id est, *magìs quàm prima principia scientiarum*, ut explicat ibi Lyra. Unde August. lib. 10. confes. cap. 10. dixit: *Faciliùs dubitarem, me vivere, quàm vera esse, quæ audivi.* Consulatur Bellarminus ad illum Psalmum.

CAPUT DUODECIMUM.

Infertur ex dictis, veritatem Religionis Christianæ esse evidenter credibilem, & omnes sectas ipsi oppositas esse evidenter incredibiles.

CX. Tunc aliqua res est evidenter credibilis, quando evidens est, debere, seu posse credi, vel esse dignam creditu. Potest autem res esse evidenter credibilis, quin sit evidenter, imò absolutè vera. Nam hoc ipso, quòd multi viri graves testentur, se aliquid vidisse, & ego nihil habeam in contrarium, neque ullum fundamentum mihi suppetat ad credendum, vel illos deceptos fuisse, vel me decipere voluisse, evidens est, me posse evidenter credere, rem ita esse. Nec tamen evidens est, quòd res ita sit; sed potest contingere, ut sit falsa. Unde meritò Caietanus 2. 2. q. 1. art. 4. §. *Ad evidentiam.* notat differentiam *inter videre, aliquid esse scibile; & videre, aliquid esse credibile. Scibile enim est aliquid ex se; credibile autem ex testimonio; ac per hoc si constat aliquid esse scibile, constat illud esse verum; si autem constat, aliquid esse credibile, non constat propterea, esse verum, sed solùm constat, testimonia esse talia, ut possit propter illa credi.* Non sunt itaque idem, aliquid esse evidenter credibile, & esse evidenter verum. Nam evidenter verum (inquit sapienter Bellarm. lib. de notis Ecclesiæ cap. 3.) dicitur, quod vel in se, vel in suis principijs videtur: evidenter credibile illud dicitur, quod non videtur, nec in se, nec in suis principijs, habet tamen tot & tam gravia testimonia, ut quilibet vir sapiens meritò id credere debeat: ut si Judex videat, hominem à latrone vulnerari lethaliter, & postea mori, habet evidentiam veritatis, quòd ille latro sit homicida: si autem cædem non videat, sed habeat viginti testes viros gravissimos, qui dicunt, se vidisse, habet evidentiam credibilitatis. Est ergo Religio Christiana evidenter credibilis, quia tot sunt argumenta suadentia, Deum esse authorem illius, ejúsque mysteria revelâsse, ut, qui hæc argumenta penetraverit, evidenter cognoscat, se posse, imò & debere ejusmodi mysteria cum summa adhæsione, & firmitate credere.

CXI. Quòd autem res ita se habeat, & quòd Religio Christiana Catholica Romana sit evidenter credibilis, probatur in hunc modum. Evidens est, dari aliquod primum principium, quod sapienter omnia ex nihilo condidit, & in esse conservat. Evidens quoque est, hoc primum principium esse ultimum finem, & omnia propter se ipsum operatum esse, & usque modò operari; ac proinde evidens

dens est, hoc primum principium, seu Deum optimum maximum, hominem propter semetipsum creâsse, ut scilicet eum colat, & super omnia diligat. Hinc evidens est etiam, hoc primum principium, sive Deum, habere in mundo aliquam religionem, in qua, & per quam ab hominibus coli velit. Et sicut evidens est, unum solum esse Deum, ita evidens est, unam solam esse veram Fidem, & religionem in mundo, reliquas autem ipsi oppositas esse falsas.

CXII. Ex his verò necessariò infertur, solam Religionem Christianam & Catholicam esse veram. Religiones enim, vel sectæ in mundo existentes sunt Paganismus, Mahumetismus, Judaismus, & Christianismus: & in hoc sunt variæ Hæreticorum sectæ, quæ Christum, ut verum Deum, & hominem adorant, & tamen Romano Pontifici obedire nolunt, nec omnia credere, quæ Romana Ecclesia, tanquam à Deo revelata, credenda proponit: & insuper est Ecclesia Catholica Romana, per totum orbem dispersa, quæ Pontificem Romanum, ut verum Christi Vicarium, & legitimum Petri successorem veneratur, & indubitanter credit, tanquam articulos fidei, ea omnia, quæ in Concilijs generalibus legitimè congregatis, & à Romano Pontifice approbatis, credenda proponuntur, vel quæ à Romanis Pontificibus è Cathedra Petri toti orbi Christiano, tanquam dogmata vera, vel in Scripturis contenta, vel ex ijs, quæ in Scripturis continentur, necessariò deducta, omnibus fidelibus repræsentantur, & credi jubentur. De Paganismo manifestè constat, non esse à Deo, cùm idolis eum cultum deferat, qui ipsi Deo soli debetur. Mahumetismum verò, & Judaismum nunc stantem post Christi Domini adventum, non esse à Deo, probatur manifestè his omnibus argumentis, quibus in hoc lib. Divinitatem Christi ostendimus. Nam perfidi Judæi, & Mahumetani conveniunt in neganda Divinitate Christi, licèt ex diversis caussis: unde argumenta omnia, quibus innititur basis hæc, & primarium fundamentum Religionis Christianæ, nempe quòd Christus Dominus sit verus Deus & Homo, manifestè concludunt, Mahumetismum, & Judaismum nunc extantem esse religiones falsas, & à diabolo invectas.

CXIII. Porrò argumenta illa sunt adeo conspicua, ut stupidus sit, qui illis non convincatur, & eis penetratis non experiatur in se evidens dictamen conscientiæ, quo judicet, se obligatum esse ad suscipiendam Religionem Christianam Catholicam, si extra Ecclesiam sit, vel in illa firmiter perseverandum, si intra gremium sanctæ Ecclesiæ existat. Ea verò argumenta latè in hoc libro proposita, nunc in brevem epilogum redacta sunt hæc. Primum sumitur ex miraculis, quæ Christus fecit in hujus veritatis confirmationem; palam enim dixit, se esse Deum, & in hujus doctrinæ confirmationem mortuos suscitavit, hominem à nativitate cæcum luto super oculos imposito illuminavit, & alia opera mirabilia fecit, quæ evidens est,

solum

solum Deum posse habere authorem. Evidens autem est, Deum non posse facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ. Secundum sumitur ex vindicta, quam Deus sumpsit de Judæis: nam illi eo præcipuè titulo, & ea de causa Christum crucifixerunt, quia dixit, se esse Deum, & tamen illos Deus propter necem Christo illatam severissimè punivit, & usque modò punit: quod argumento manifesto est, Christum, dum se ipsum appellavit Deum, non blasphemiam protulisse, sed veritatem certissimam. Tertium ex mira correspondentia inter vetus, & novum Testamentum; nam omnia, quæ Prophetæ prædixerant de Messia venturo, ad litteram adimpleta sunt in Christo Domino. Quartum ex ejus Resurrectione; nam Christum eo nomine crucifixum, quia Filium Dei se fecit, Dominus tertia die suscitavit à mortuis, hoc opere evidenter manifestans, illum vera dixisse. Quintum ex mirabili mundi conversione; siquidem Apostoli innumeris miraculis mundo persuaserunt rem humanæ sapientiæ penitus incredibilem, nempe hominem crucifixum esse verum Deum. Sextum ex mirabili permanentia Ecclesiæ Catholicæ adversùs mundi potestates, & adversùs omnes Hæresiarchas, & sæculi Principes hæresi afflatos. Septimum ex eo, quòd Christus majora operatus est, postquam à Judæis crucifixus est, quàm dum viveret. Octavum ex eo, quòd Apostoli, & innumerabiles Martyres utriusque sexus, & in omni ætate, constanter & alacriter mortem acerbissimam pertulerunt in testimonium Divinitatis Christi, Deúsque illos manifestis illustravit miraculis. Nonum ex eo, quòd fides falsa veram nequit generare sanctitatem, fides autem hæc de Divinitate Crucifixi innumerabiles reddit Sanctos. Hæc, & alia argumenta in hoc libro expensa Divinitatem Christi reddunt evidenter credibilem, & omnino incredibiles omnes sectas illam negantes.

CXIV. Restat probandum, inter sectas adorantes Christum, solam Religionem Catholicam esse veram: hæc autem veritas facilè demonstratur, reducendo omnes controversias cum hæreticis ad unam, an scilicet Ecclesia Catholica Romana sit illa ipsa, quam Christus fundavit, & de qua dixit, *portas inferi non prævalituras adversùs eam*: hoc enim semel posito, convincetur, veros esse omnes articulos, quos credendos proponit: nam vera Christi Ecclesia est *Columna*, & *Firmamentum veritatis*, teste Apostolo 1. ad Timotheum 3. quia nimirum est columna firma & stabilis, quæ à veritate deflectere non potest, & sua firmitate ac stabilitate sustentat suos filios, ne à veritate aberrent, ut explicat cum Patribus Becanus; vel, prout exponit apud ipsum Theodorus Beza, dicitur Columna, & Firmamentum veritatis, quia non alibi habitat veritas Dei, quàm in Ecclesia Christi, vel quia Ecclesia est fida custos veritatis Dei, ut interpretatur Calvinus: unde etiam ex confessione ipsorum hæreticorum vera Christi Ecclesia nequit esse magistra errorum; atqui sola

Eccle-

Ecclesia Catholica Romana est vera, & germana Christi Ecclesia: ergo veri sunt omnes articuli, quos filiis suis credendos proponit. Ergo verum est, dari Purgatorium, dari septem Sacramenta, Christum esse præsentem in Eucharistia, peccata exponenda esse in confessione auriculari, & omnia alia dogmata, quæ Ecclesia Romana jubet credi.

CXV. Minorem dilucidè & nervosè probat P. Lessius in opusculo de vera Religione capessenda ex multiplici consideratione. Primò ex studio perfectionis, ad quod Religio Catholica inducit. Secundò ex eo, quòd licentiam peccandi excludat. Tertiò ex sanctitate Cultorum. Quartò ex miraculis eorumdem. Quintò ex gentium conversione. Sextò, ex nomine *Catholicæ*, & re ipsa hoc nomine signatâ. Septimò, ex successione. Octavò, ex consensu Doctorum veterum, & controversiarum decisione, & quia extra illam nulla soliditas. Nonò, ex variis causis, ob quas Lutheranismus, & Calvinismus, & aliæ sectæ convincuntur, non esse Ecclesia Christi. Primò, ex novitate. Secundò, ex defectu successionis. Tertiò, ex defectu missionis. Quartò, ex defectu miraculorum. Quintò, ex vitæ, & morum conditione. Sextò, ex erroribus, & inconstantia doctrinæ. Septimò, ex dolo malo, & fraudibus, quibus utuntur. Octavò, ex eversione bonorum operum. Nonò, ex licentia vitæ, quam tribuunt. Decimò, ex eo, quòd hæreses antiquas renovent. Undecimò, ex defectu regulæ credendi. Hæc fusè prosequi nostri instituti non est. Consulantur Bellarm. tom. 4. lib. 4. de Ecclesia Militante, Bal. tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punct. 4. Suarez disp. 4. de fide sect. 3. & 4. Becanus, & alij. Duodecimò, & ultimò, hoc ipsum convincitur ex absurdo: nam si Ecclesia Calvinistica, vel Lutherana esset Christi vera Ecclesia, sequeretur, omnes Catholicos, qui à tempore Apostolorum hactenus extiterunt, damnatos esse: nam juxta harum Religionum primarium dogma, caruerunt fide justificante, ac proinde permanserunt in peccatis suis, & in illis sunt mortui: fides enim necessaria ad justificationem juxta has sectas est illa, qua homo firmiter credit, se esse justum coram Deo propter Christi satisfactionem, quæ ipsi per hanc fidem imputetur, & applicetur: constat enim, hanc ignotam orbi fuisse usque ad Lutheri tempora, qui gloriatur, se illam mundo patefecisse: quis autem sanæ mentis hoc absurdum devorare audeat? Unde in veritates Catholicas convenit celebris illa sententia Richardi Victorini lib. 1. de Trinit. cap. 2. *Domine, si error est, à te decepti sumus*: ista enim nobis sunt tantis signis & prodigiis confirmata, & talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Brevis discursus, quo Cardinalis Sfortia evidentiam credibilitatis nostræ fidei proponit.

CXVI. HÆc evidentia credibilitatis clarissima, inquit, est, & maxima in fide Catholica, ex multis capitibus, quæ breviter indicat in libello de fide cap. 7. Primò certum est ex Synderesi, quam omnes experiuntur, & ex consensu omnium ferè gentium, dari aliqud Numen optimum, & benevolum erga creaturas rationales, cui aliqua nostra opera placeant, alia displiceant; ideóque Numen illud esse colendum, & amandum. Nec huic rationi adversatur experientia frequens, & calamitatis in probis, & prosperitatis in pravis, quasi contraria providentiæ: nam hæc ipsa est summa providentia, ut possimus exercere virtutem, & probare aliam solidiorem felicitatem: quæ enim virtus esset, ea sectari, quæ etiam in hac vita semper, vel ferè semper, afferrent delectationem, & prosperitatem? Porrò si id eveniret, nullum esset discerniculum inter virtutis, ac voluptatis amatores. Certum ergo est, dari aliquod Numen providum, & colendum. Cùm verò sint varij cultus, & religiones erga hujusmodi Numen, quarum religionum quælibet damnat alias, tanquam impias, & huic Numini invisas, non potest inter hujusmodi sectas invicem pugnantes esse plusquam una, quæ sit vera, & huic Numini accepta. quamvis posit evenire, ut aliqui propter ignorantiam invincibilem, eo inoffenso, alias religiones sectentur.

CXVII. Hoc posito, videtur indignum hoc Numine, si permittat, aliquam religionem falsam habere pro se argumenta sine ulla comparatione majora, & graviora, quàm quælibet alia, ac proinde, quàm ea, quæ sit vera: quis enim prudens, & bonus hoc faceret? at nostra religio habet pro se plurima, & gravissima argumenta, quibus præstat cæteris omnibus religionibus; ergo ipsa solùm est vera religio.

CXIIX. Ultima minor, quæ solùm negatur ab adversariis, probatur ex hujusmodi argumentorum enumeratione: Primò enim nulla religio habuit, vel habet tot sectatores sapientes ac nostra; sapientes autem voco illos, qui præscindendo à re controversa, hoc est, à veritate Religionis, procul dubio ingenio, eruditione, & doctrinâ cæteris præstant omnium consensu. Sectæ enim distinctæ à Christiana vix ullum nominabunt sapientem, cum nostris Patribus, Theologis, & Philosophis comparabilem, qui eas re ipsa, & ex animo secutus sit, quantum ex ejus vita, & scriptis constare potest. Platonem quippè, Aristotelem, Tullium, Senecam, aliósque veteres philosophos patet ex eorum libris fuisse à credendis gentilium commentis alienissimos.

CXX. Se-

CXIX. Secundò: Nulla religio habuit tot sectatores insignes, & ferè suprahumana virtute præditos. Tertiò nulla fuit, pro cujus defensione, non solùm fortiter, sed alacriter tot millia millium in quolibet sexu.ætate, & fortunâ sanguinem ac vitam profuderint. Quartò nulla, quæ habuerit tot contemptores omnium bonorum sensibilium & humanorum, ex sola spe illorum, quæ talis religio pollicetur. Quintò nulla, quæ habuerit tot ferventissimos Dei amatores, qui omnes suas cogitationes, affectiones & curas sibi per totam vitam dicaverint supra omnem amorem, quo unquam, vel mater filium, vel maritus uxorem, vel quilibet homo quodcumque objectum sibi carissimum dilexerit. Sextò nulla religio est, in cujus explicatione tot sapientes vitam, ac studia impenderent, cum tanto admirabilium contemplationum fructu; nulla siquidem scientia humana tantundem ingenij, consonantiæ, ac mirabilitatis ostentare potest, quantum Christiana Theologia. Septimò nulla est, cujus veritatem testentur tot prodigia supra omnes naturales vires effecta, & innumeris, ac gravissimis historiarum ac testium Authoribus confirmata, quæ omnia testimonia falsa esse, perinde videtur incredibile, ac si quis contenderet, non extitisse Julium Cæsarem, & omnes traditiones de illius existentia mentiri.



PRIMÆ PARTIS
LIBER SECUNDUS.

IN QVO OSTENDITVR, RELIGIONEM Christianam non solùm esse evidenter credibilem, sed evidenter veram, evidentiâ in attestante, quatenus evidenter demonstratur, Deum esse Authorem illius. Ubi natura nostræ fidei latè exponitur, & ostenditur, ad credendum Fide Divina & obscura, mysteria nostræ fidei, non debere priùs fide obscura credi Authoritatem Dei loquentis, & existentiam revelationis; sed posse fide obscura, & libera credi mysterium ab homine, evidenter cognoscente Deum illud revelâsse. Vbi etiam pro dignitate explicatur ultima fidei nostræ resolutio sine circulo, & mutua prioritate.

CAPUT PRIMUM.

Præambula quædam ad probandum, Religionem Christianam non solùm esse evidenter credibilem, sed evidenter veram, evidentiâ in attestante.

§. I.

Supponitur, pertinere ad excellentiam veræ Fidei, quòd contineat mysteria, quæ seclusa revelatione Dei, nequeant per rationem naturalem probari.

I. CUM Religio Christiana contineat mysteria altissima, quæ ex se ita sunt obscura omni intellectui creato, & creabili, ut suis viribus, & proprio discursu nullus intellectus creatus possit assequi, quomodo illa Deo conveniant: v. g. quomodo inter se cohæreant, Deum esse unum in natura, & Trinum in personis, & Deum, qui est omnino immutabilis, ita uniri naturæ humanæ, ut verè Deus fiat homo, & homo fiat Deus: impossibile est,

est, quòd Religio Christiana sit evidenter vera evidentiâ mysteriorum in se ipsis, & per principia intrinseca. Cùm enim ejus mysteria sint ex se essentialiter obscura omni intellectui creato secundùm se considerato, non possunt in se esse evidentia; & cùm sint supra omnem rationem, non possunt per rationem naturalem demonstrari, & ideo Doctor Christianus, & Prædicator Evangelicus, ut inducat infideles ad Fidem Christi amplectendam, non debet niti rationibus, quibus conetur probare mysteria Religionis Christianæ esse in seipsis vera, quasi per rationem naturalem possit eorum veritas persuaderi: ut enim meritò D. Thomas dixit 1. part. quæst. 32. art. 1. *Impossibile est, per rationem naturalem ad cognitionem naturalem Trinitatis personarum pervenire: homo enim per rationem naturalem ad Dei cognitionem pervenire non potest, nisi ex creaturis; creaturæ autem non ducunt in cognitionem Dei quatenus Trinus est, sed quatenus unus; quia non quatenus Trinus, sed quatenus Vnus, id est non ratione relationum, sed ratione Essentiæ est principium creaturarum:* istæ verò solùm ducunt in cognitionem Dei, tanquam effectus in cognitionem suæ causæ. Quare stultè procederet Prædicator Evangelicus, qui ratione naturali vellet probare infidelibus veritatem mysterij Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & aliorum, quæ sunt supra omnem discursum naturalem creaturæ, ut probat ibi S. Thomas: *Primò enim derogaret Fidei, quantùm ad ejus dignitatem. Nam dignitas, & excellentia Fidei est, quòd sit de rebus invisibilibus, quæ rationem humanam excedunt, ut constat ex Apostolo ad Hebræos 11. dicente, quòd Fides est de non apparentibus. Secundò derogaret Fidei, quantùm ad utilitatem trahendi alios ad ipsam. Cùm enim proferre non possint rationes, quæ convincant, Deum esse Trinum v. g. sanè qui ratione conaretur probare mysterium Trinitatis coram infidelibus, occasionem ipsis præberet, irridendi Fidem nostram. Quæ igitur Fidei sunt* (concludit ibi D. Thom.) *non sunt tentanda probare nisi per authoritates, his, qui authoritates suscipiunt; apud alios verò sufficit ostendere, non esse impossibile id, quod prædicat Fides.*

§. II.

Quomodo Prædicator Evangelicus debeat persuadere infidelibus, vera esse mysteria nostræ Fidei, quæ per rationem naturalem eis probare non potest.

II. QUamquam autem Doctor Christianus, vel Prædicator Evangelicus non debeat intendere, probare per rationem naturalem veritatem mysteriorum nostræ Fidei, nec per authoritatem Scripturarum apud eos, qui Scripturas non suscipiunt, potest tamen, ac debet coram infidelibus adducere argumenta, & rationes, quæ persuadeant, Deum esse Authorem Religionis Christianæ, in medium proferendo ea credibilitatis argumenta, quibus ornata est Religio Christiana, & quò hæc argumenta vividiùs proponentur, eò faciliùs, Divina aspirante gratia, infideles adducentur ad fidem. Ad hoc enim à Deo data sunt, ut per illa ho-

homines inducantur ad credendum, & fideles, qui jam Fidem habent, per illa in Fide firmentur, quatenus semel per illa argumenta convicti, quòd Deus sit Author Religionis Christianæ, hinc assurgant ad firmissimè assentiendum mysteriis propter summam authoritatem Dei dicentis, & revelantis; & ideo Petrus epist. 1. cap. 3. v. 15. hortatur fideles, ut in promptu habeant rationes, quibus prudens quisque persuaderi possit, Religionem Christianam esse à Deo: *Dominum* (inquit) *Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in nobis est, spe.* Quæ verba sic ad litteram exponit noster Justinianus in paraphrasi ejus loci: *Deum, ac Dominum toto pectore religiosè veneramini, vósque adversùs impios ita comparate, ut, quoties res postulet, facilè possitis Fidei, atque spei vestræ rationem reddere, ac explicare.* Ut enim idem Author postea in commentario illius versiculi num. 18. inquit: *Quod ait Petrus, rationem de ea, quæ in vobis est spe, non perinde accipiendum est, quasi unius tantùm, nimirum spei reddenda ratio sit, omissa Fide aliísque Religionis nostræ capitibus, sed cùm spes, seclusa Fide, nulla prorsus esse queat, eo nomine universam Religionem intelligit.* Quocirca Syrus interpres transtulit *de spe Fidei*, hoc est de spe, quam beneficio Fidei concepistis, & Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum constanter legit *de Fide, & spe*; ídque indicant verba illa: *Dominum Deum sanctificate in cordibus vestris*: ut enim exponit Cajetanus, *Tunc in cordibus sanctificatur Deus, cùm creditur absque immunditia alicujus erroris, atque peccati.*

§. II.

Ante assensum Fidei præstitum mysteriis ob authoritatem Dei revelantis, debet præcedere evidentia credibilitatis, fundata in certitudine de eo, quòd Deus ea mysteria revelaverit.

III. Quare licèt assensus Fidei non nitatur rationibus, sed unicè authoritate Dei revelantis, quia qui assentitur mysterio, quia rationibus probatur, non habet assensum Fidei Divinæ, sed assensum opinativum, si rationes conciliantes assensum sint duntaxat probabiles; vel assensum scientificum, si rationes illæ sint evidentes: tamen ante assensum Fidei præstitum mysterio propter authoritatem Dei revelantis debent præcedere motiva, & argumenta, quæ ita inducant ad judicandum, quòd Deus revelaverit illa mysteria, & consequenter quòd illa sint credibilia, ut nullatenus sinant prudenter dubitare de eo, quòd Deus illa revelaverit. Tantùmque abest, ut rationes istæ, & argumenta prævia, quibus ostenditur, Deum revelâsse mysteria, officiant Fidei, ut potiùs impossibile sit, ut quis Fide supernaturali, & Divina firmiter credat mysterium propter authoritatem Dei revelantis, quin præcedant talia motiva suadentia, Deum revelâsse mysterium, ut non sinant virum prudentem dubitare de hoc; qui enim certus non est, quòd Deus revelaverit mysterium, non potest propter

propter authoritatem Dei revelentis assentiri mysterio: nam ut docet D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 4. ad 2. *Omnis, qui credit, debet evidenter discernere credibilitatem mysteriorum, & ea videre sub ratione communi credibilis: non enim crederet, nisi videret, ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Ut autem exponit ibi Cajetanus, S. Thomas loquitur *de Visione propria*, ejúsque sensus est, *quòd, verè & virtuosè credere, exigit evidentiam, quòd illud sit credibile, ita quòd nullus verè, hoc est absque formidine alterius partis, & virtuosè, hoc est prudenter credit, nisi evidenter cognoscat, illud esse credibile.* Quomodo autem potest quis evidenter cognoscere aliquid esse credibile, quin adsint argumenta evidentia credibilitatis? *Vident autem Christiani* (inquit Cajetanus ibi §. *Ad objecta*) *credentes, credibilia ea esse, quæ sunt Fidei, audientes à fide dignis, mundi scilicet conversionem ad Christum pauperem per pauperes piscatores, idiotas, inter tot persequutiones, tormenta, & mortes, & postmodum à tot doctissimis viris cum vitæ propriæ castigatione, mundíque hujus contemptu approbata, innumerísque miraculis confirmata.*

IV. Unde Prædicator Evangelicus, ut Gentilibus Fidem Christi persuadeat, debet priùs rationibus demonstrativis probare, dari unum Deum Creatorem Cœli & terræ, qui omnia ex nihilo condiderit, & sapienter gubernet: & probare providentiam Dei erga homines, & animæ immortalitatem persuadere; & subinde probare, Deum homines condidisse, ut illi serviant, eum colant, & diligant, & inde concludere, necessarium esse, quòd Deus tradiderit hominibus aliquam legem, per cujus observationem pervenire possint ad felicitatem æternam, ad quam animæ immortales creatæ sunt. Et hinc gradum facere ad probandum, Deum esse Authorem Legis Christianæ: & postquam hoc probaverit, non debet probare veritatem mysteriorum in seipsis, sed persuadere rationibus, hominem obligatum esse firma Fide credere omnia, quæ Deus dicit, quamvis discursu suo comprehendere nequeat illa mysteria, ut patebit ex his, quæ infrà latè explicabo, quando narravero colloquium, quod habui cum Mahumetano arguto, & ingenioso.

§. IV.

Quomodo se gesserit S. Petrus cum Simone mago, ut ipsum pertraheret ad credenda mysteria nostræ Fidei?

V. HUnc agendi modum observavit S. Petrus cum Simone Mago, qui antequam cum Apostolo de vera Religione disputaret, volebat ante omnia disputationem instituere de animæ immortalitate, quia, nisi priùs statueretur, animam esse immortalem, frustra postea laborarent inquisitione veræ Religionis. At Petrus hanc disputationem detrectavit: *Non metu, sed jure, útque utiliter negotium conversionis ageret*, ut inquit Clemens Romanus lib. 3. Recognitionum. Quamquam enim animæ immortalitas possit optimis rationi-

nibus probari, tamen quia Religio Christiana inter veritates credendas proponit quoque animæ immortalitatem, sanè si Apostolus, ut induceret Magum ad credendam immortalitatem animæ, priùs rationibus probare debuisset animæ immortalitatem; pariter Magus ad credendum mysterium Trinitatis, & Incarnationis postularet, ut priùs probarentur rationibus; quæ cùm non possint per rationem probari, non posset Apostolus hac via Magum convertere. Unde Apostolus ad persuadendum, vera esse Religionis Christianæ mysteria, solùm probare voluit, Deum esse ejus Authorem, & se esse à Deo missum ad veritatem Religionis Christianæ persuadendam: quo semel probato, consequens erat, ut Magus deberet credere, vera esse mysteria Religionis Christianæ, quia Deus falsum testificari non potest, atque adeo Deo aliquid testificanti tenemur cum summa adhæsione credere, quantumvis id, quod testificatur, non possimus ratione naturali assequi; imò quamvis nobis videatur, secluso testimonio Dei, penitus impossibile: quia lumine naturæ notissimum nobis est, Deum neque fallere, neque falli posse, & ex notissima experientia evidens quoque nobis est, nos multa vera ignorare, & propter nostram ignorantiam nobis apparere aliqua impossibilia, quamvis possibilia sint, atque adeo evidenter cognoscimus, stultum esse, nolle credere Deo aliquod mysterium testificanti, eo præcisè nomine, & ea de causa, quia illud mysterium apparet nobis difficile, & rationi naturali impossibile: *Et ideò* (dicebat Petrus Simoni Mago) *ante omnia fidem Prophetæ omni cum examinatione oportet probari: quem, cùm cognoveris, esse Prophetam, de reliquo cuncta ei credere oportet, nec ultra eum discutere per singula, quæ docet, sed habere firma, & sancta, quæ dicit; quæ quamvis fide suscipi videantur, antehabita tamen ratione creduntur: cùm enim semel ab initio veritas Prophetæ examinata constiterit, reliqua Fide audienda sunt, & tenenda.*

VI. Quod hîc fecit Petrus, omnibus Christi cultoribus facere suadet illis verbis: *Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem* (id est *defensionem*, ut habet textus Græcus) *omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, fide.* In quibus verbis non suadet Apostolus fidelibus, ut parati sint ad reddendam rationem, qua probentur mysteria, sed ad reddendam rationem, cur crediderint, seu cur sibi persuaserint, Legem Christi à Deo descendisse, & propterea inducti sint ad credenda mysteria Fidei cum tanta firmitate. Quæ ratio redditur per motiva credibilitatis, quæ reddunt Fidem Christianam evidenter credibilem, id est, quæ evidenter probant, mysteria omnia Religionis Christianæ posse firmiter credi propter authoritatem Dei testificantis. Et hæc motiva credibilitatis facilè Christiani penetrare possunt; nam cùm, ad credendum Fide supernaturali mysteria, debeat præcedere evidentia credibilitatis, seu judicium evidens, quòd mysteria illa possint, ac debeant propter authoritatem Dei credi cum summa adhæsione, ut ostensum

est cap. 1. hujus libri, & cùm præceptum credendi omnes communiter obliget, possibile est omnibus, habere judicium illud evidens credibilitatis; Deus enim impossibilia non jubet. Et hinc deduces, valde, conveniens esse, quòd Prædicatores Evangelici motiva hæc credibilitatis è suggestu populo explicent.

VII. Ut enim cum Cajetano, Aragon, & Zumel, tanquam quid sibi omnino certum, statuit noster Eximius Doctor Suarez disp. 4. de Fide sect. 5. n. 8. nullus homo præbet verum, & perfectum assensum Fidei, nisi priùs aliquomodo assequatur, vel participet evidentiam credibilitatis: nam judicium credibilitatis debet esse certum, ut ad Fidem certam, & indubitatam inducat: *Nam si quis* (inquit) *potest prudenter dubitare, vel formidare de credibilitate objecti, poterit etiam de ipsa Fide dubitare, aut formidare, & ita non erit Fides perfecta, & Christiana; judicium autem credibilitatis non potest esse certum, nisi sit evidens. Ergo in unoquoque verè credente debet supponi tale judicium. Quo circa si quis credat ante judicium certum, & evidens credibilitatis, concipiet quidem fidem humanam de rebus Divinis, quæ interdum potest esse prudens, & honesta; non tamen concipiet propriam fidem Christianam, id est omnino certam, & immutabilem: quia stante sola probabilitate, & prudentiâ in illa fundata, posset quis propter majorem probabilitatem de novo apparentem judicium prudentiæ mutare, & consequenter Fidem, vel de illa prudenter dubitare, quod de vero assensu Fidei nullo modo admittendum est.*

Huc usque Eximius Suarez, cujus doctrina certa reddita est per Bullam Innocentij Undecimi, in qua anno 1679. sexaginta quinque propositiones *tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas damnavit*, & prohibuit, inter quas vigesima prima est hæc: *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit loquutus Deus.* Ergo nullus potest credere mysterium per actum fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, nisi antecedenter ad illum assensum sit omnino certus, seu certificatus saltem moraliter, quòd Deus illud revelaverit. Supposita autem hac certitudine potest ac debet formare judicium evidens, quòd illud mysterium possit ac debeat credi: evidens enim est, unumquemque posse cum summa adhæsione credere mysterium illud, de quo certus est fuisse à Deo revelatum.

§. V.

Quomodo in hominibus indoctis reperiatur evidentia credibilitatis ante assensum Fidei Divinæ?

VIII. NOTAT autem optimè Eximius Suarez ibidem, hanc evidentiam credibilitatis, prærequisitam ad Fidem supernaturalem, non esse æqualem in omnibus, nec eodem modo esse postulandam in simplicibus credentibus, ac sapientibus: *Nam isti* (inquit) *per se illam percipiunt, penetrando ejus media & principia; illi verò in Fide, & traditione Ecclesiæ, & sapientum illam participant: nam illis satis est, quòd videant,*

deant, sapientissimos viros, & multitudinem Christianorum hanc Fidem amplecti ut indubitatam, & infallibilem; & quòd audiant, illam esse confirmatam multis miraculis, & quòd hoc fiat illis moraliter, & humano modo certum; ac denique quòd intelligant, talem doctrinam esse consentaneam rationi, nihilque contrarium in illa inveniant: nam hæc sufficiunt, ut respectu illorum fiat doctrina Fidei evidenter credibilis.

IX. Addit verò Eximius Doctor, & probat ex D. Thoma quodlib. 2. art. 6. si contingat, exteriorem prædicationem Fidei, & propositionem non esse sufficientem ad formandum judicium ita firmum, & evidens de credibilitate Fidei, & homo faciat, quod in se est, non defuturam Divinam inspirationem, quia Deus non deficit in necessariis, & tunc illuminatio interior necessaria est: atque adeo tunc per Divinam inspirationem & vocationem internam posse compleri hujusmodi credibilitatem. Quare licèt simplices homines per se non sint capaces illius evidentiæ immeditatè, ut sic dicam, & speculativè deductæ ex suis principiis & motivis, sunt capaces illius, mediante fide humana de miraculis, & aliis testimoniis, & testibus hujus Fidei, & juvari possunt interna illuminatione, quæ nunquam deerit facienti, quod in se est. *Et ob hanc causam* (subjungit Magnus Suarez) *Prædicatores Evangelici, qui versantur inter infideles, & catechizant adultos noviter conversos, non malè faciunt, illos admittendo ad Baptismum post sufficientem instructionem: debent autem imitari Philippum, qui* Actor. 8. *postquam instruxit Eunuchum, & ille interrogavit, an liceret se baptizari, respondit:* Si credis ex toto corde, licet. *Pondero enim ibi particulam* ex toto corde, *per quam postulavit fidem super omnia, iuxta phrasim Scripturæ, atque adeò omnino certam. Hanc ergo Fidem debent postulare hujusmodi Prædicatores à noviter conversis, & illos ita instruere, partim docendo, partim excitando ad postulandum Divinum auxilium, ut possint illam concipere; & tunc credere possunt & debent illis dicentibus, se ita credere, & consequenter illos baptizare, sicut Philippus fecit.*

X. Dum autem Prædicatores catechumenos instruunt, & per argumenta credibilitatis efficaciter persuadent, Religionem Christianam esse à Deo datam hominibus, admonere illos debent, ut mysteria altissima Religonis Christianæ firmissimè, & cum summa adhæsione credant, non jam propter authoritatem ipsorum prædicantium, nec propter rationes humanas, vel etiam propter signa supernaturalia, quæ persuadent, Deum esse Authorem Religionis Christianæ, sed unicè ob summam authoritatem Dei revelantis, illos paulatim pertrahendo, ut altissimam æstimationem concipiant de Dei authoritate, & in præstando assensu mysteriis non innitantur rationibus, tanquam motivo assentiendi mysteriis, sed ut per illas sibi firmiter persuadeant, Deum revelâsse hæc mysteria, & postquam sic persuasi sunt, jam unicè ob authoritatem Dei credant mysteria revelata, quæ Religio Christiana credenda proponit.

§. VI.

§. VI.

Quomodo se gerere debeat Catholicus rusticus cum hæretico, petente ab ipso rationem suæ Fidei, & interrogante, cur credat: v. g. Purgatorium, vel præsentiam Christi in Eucharistia?

XI. NOSTER Cornelius à Lapide exponens verba illa D. Petri nuper expensa: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, Fide*, notat, perperam hæreticos ex hisce verbis urgere laicos indoctos, ut secum de Fide disputent: *Hoc enim ad Sacerdotes, & Doctores pertinet*, redditque rationem ex ipso textu: *Nam responsionem exigit S. Petrus, non disputationem, eámque dandam infidelibus in origine Ecclesiæ, non hæreticis, confirmata jam Fide, omnium sæculorum consensu.* Laici ergo rogati ab hæreticis, cur credant, v. g. Christum esse præsentem in Eucharistia? respondeant: quia id credit, & credidit Ecclesia omni sæculo, quæ est Columna, & Firmamentum veritatis, utpote Sponsa Christi, gubernata & protecta à Spiritu Sancto: quare stolidum esse, hoc post tot sæcula in dubium revocare. Ita Tertullianus lib. de præscript. adversùs hæretic. cap. 17. ubi addit rationem: *Quoniam*, inquit, *nihil proficiet congressio Scripturæ, nisi planè ut aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri* Respondeat cum Augustino epist. 165. *Tenet me in Ecclesia ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas suas oves Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.*

XII. Respondeat cum Hieronymo in Dialogo contra Lucifer. in fine: *Brevem tibi apertámque animi mei sententiam proferam, in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata in hanc diem durat.* Respondeat Ego credo, quod mihi credendum proponit Ecclesia illa, de qua Christus dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Hæc enim alia esse non potest quàm Ecclesia Catholica Romana, quæ per totum orbem dispersa, continuata serie Pastorum, usque ad hanc diem perseveravit, & secundùm promissionem Christi in æternum durabit. Credo illud, quod credit illa Ecclesia, intra quam vixerunt tot Martyres, tot Virgines, tot Confessores, & tot Doctores; in qua floruerunt Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus, Athanasius, Thomas, Bonaventura, & alij innumeri, in qua vixerunt Martinus, Nicolaus, Gregorius Taumaturgus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Ignatius, Franciscus Xaverius, Franciscus de Paula, Theresia à Jesu, & alij innumeri viri sanctissimi, & fœminæ; stultum enim est, existimare, quòd Spiritus Sanctus huic Ecclesiæ veritatem tam necessariam occultaverit, & permiserit, tot illustres Sanctos, & Doctores, & tot Sanctissimas Virgines in continuo & perpetuo errore versatos fuisse, & quòd post tot sæcula uni Calvino, vel Zvvinglio, vel aliis ejusmo-

di novatoribus veritatem aperuerit. Omnino ridiculum est, dicere, Spiritum Sanctum non adfuisse Ecclesiæ in Conciliis Generalibus congregatæ, in quibus definitum est, in Eucharistia ex vi Consecrationis destrui substantiam panis, & ejus loco succedere Corpus Christi; adfuisse verò Calvino, qui oppositum pertinaciter asseruit. Stultissimum enim est, judicium unius hominis privati, qui nullis miraculis claruit, nec virtutibus magnis præditus fuit, sed magnis vitiis fœdatus, præferre judicio totius Ecclesiæ, judicio tot Doctorum litteris & sanctitate præstantium, & qui in omni sæculo miraculis claruerunt, & sibi persuadere, Calvinum accepisse à Deo Spiritum interpretandi Scripturas, & hunc Spiritum non accepisse tot Ecclesiæ Patres illustrissimos, qui unanimi consensu constanter semper docuerunt, verba illa Christi: *Hoc est Corpus meum*, intelligenda esse in sensu litterali, & proprio, & vi illorum poni Corpus Christi sub speciebus panis: quod Calvinus contra communem totius Ecclesiæ sensum, & Patrum sententias ausus est negare.

XIII. Ita Catholicus rusticus nullam aliam cum hæretico disputationem admittat, sed unicè persistat in illa ratione, quæ veritatem Christi in Eucharistia reddit evidenter credibilem, quia nimirum id semper tenuit, & credidit Sancta Ecclesia, quæ ab Apostolo appellatur *Columna, & Firmamentum veritatis*: & incredibile sit, quòd Deus suam Ecclesiã deseruerit, ut idololatriam per errorem committeret, adorando purum panem tanquam Christum. Si autem hæreticus voluerit adducere argumenta, quæ ostendant, impossibilem esse præsentiam Christi in Eucharistia; ipse minimè argumenta audiat, sed argumentantẽ ad Doctores Ecclesiæ remittat, qui ei scient respondere, & dicat: Doctores sapientissimos, & acutissimos, ut Augustinum, Thomam, & alios hoc mysterium firmissimè credidisse, quod non fecissent, si argumenta ejusmodi non essent fallacia; sibi sufficere, credere, quod illi crediderunt, & tota Ecclesia semper credidit; se certum esse, Ecclesiam non posse credendum proponere aliquid falsum, & impossibile, & hoc sibi abundè sufficere, ut firmissimè hoc credat, quamvis ratione naturali non possit assequi, quomodo hoc fiat; sibi satìs esse, scire, quòd Christus dixerit: *Hoc est Corpus meum*, & Fide firmissima credere, Christum esse Deum omnipotentem, qui multa potest facere, quæ homo non valet intelligere; se non esse obligatum, reddere rationem de mysteriis, quæ fides docet, quia sunt supra rationem, & esse omnino injustum, velle probare, quòd Fides sit falsa, eò quòd habet mysteria, quæ lumini naturali videntur summè difficilia, imò & repugnantia: siquidem evidens est, Deum plura posse facere, quàm homo valeat comprehendere. Unde stultum est, arguere, quòd Fides sit falsa, quia habet mysteria difficillima, quæ lumine naturali, destituto luce Fidei, videntur impossibilia: nam Fides juxta Apostolum est *argumentum non apparentium*, id est de mysteriis obscuris, quæ per rationem naturalem non ap-

apparent, & illa ratio contra veritatem Eucharistiæ formata potest in arguentem retorqueri, quia simili argumento impugnare posset mysterium Trinitatis, & mysterium Incarnationis, & contendere, nihil esse verum, nisi id, quod ratione naturali comprobari valet; quod est planè Fidem supernaturalem de medio tollere.

XIV. Notat insuper Cornelius à Lapide, cautè S. Petrum monuisse fideles, ut semper sint parati ad dandam rationem suæ Fidei; non autem ut semper dent: quia semper nos paratos esse oportet; at non semper actu dare rationem Fidei, & spei nostræ: v. g. cùm irrisores poscunt rationem, ut irrideant eam, incapaces sunt, cùm per hoc rogantibus vel aliis damnum, aut periculum creatur, juxta illud Christi, *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Matth. 6. v. 7.

§. VII.

Quomodo Doctor Catholicus agere debeat cum hæreticis, ut evincat, vera esse omnia dogmata, quæ credenda proponit Ecclesia Catholica Romana?

XV. NEQUE solùm Catholicus indoctus debet sic respondere hæretico, petenti ab ipso rationem suæ Fidei, & impugnare conanti veritatē mysteriorum, in quibus Catholici ab hæreticis dissident; sed etiam ut rectè admonet Caramuel in Theologia fundamentali fundament. 3. omnes controversiæ, quæ sunt inter Catholicos & hæreticos, ad unam possunt reduci, nimirum ad hanc: *Quænam sit vera Christi Ecclesia?* Addiderim ego, Doctorem Catholicum, qui certamen publicum vult cum hæretico inire de Religione, si velit de adversario triumphare, & strenuè pugnare, debere omnes controversias ad hanc unam reducere: *Quænam sit vera Christi Ecclesia?* Nam si semel demonstraverit, solam Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, facilè inde convincet, vera esse omnia dogmata, quæ credenda proponit: quia cùm vera Christi Ecclesia sit *Columna, & Firmamentum veritatis*, nequit errores tanquam veritates certissimas sustentare, ac proinde nequit aliquid falsum, tanquam articulum Fidei, fidelibus proponere.

XVI. Imò universaliter P. Michael de Elizalda in aureo illo, & fundatissimo opere de forma veræ Religionis quærendæ, & inveniendæ q. 8. solidissimè probat, veram Religionem nec quæri debere, nec inveniri posse per examen rerum, quas docet: tum quia res ista longissima foret; quicumque enim veram Religionem per examen rerum quærere instituit, necesse est, ut non unam, sed omnes Religiones, résque illarum examinet, discutiat, & judicet, quamdiu saltem veram non invenerit: at hoc nemo mortalium præstare valet; nullus enim vel sola nomina novit sectarum, Religionúmque omnium: de Christianorum solùm divisionibus jam pridem agens Augustinus lib. de Hæresibus fatetur, nec à se, nec ab alio quoquam, nec à doctissimo quidem Hieronymo hæresum omnium

haberi notitiam, & Celsum quemdam sex non parva volumina implevisse sectis dumtaxat Philosophorum. Tum quia doctrina veræ Religionis naturâ suâ est de rebus altissimis, & mysteriis difficillimis, quæ per rationem naturalem non possunt efficaciter probari: unde ad examen rerum vocata, difficilior & obscurior erit, quàm falsa Religio, proindéque ab examine isto non victrix forsan, sed victa evadet. Quærenda ergo est, & invenienda per examen fundamentorum, quæ concludant, illam esse à Deo datam. Hoc ubi constiterit, debet omnia illius mysteria intellectus firmissimè amplecti, illis assentiendo propter authoritatem Dei, quem novit esse ejus Religionis Authorem, quamvis mysteriorum rationem nullatenus assequi possit.

XVII. Hinc rectè probat, formam quærendi, & inveniendi veram Religionem contineri in illis verbis Apostoli 2. ad Timoth. 1. *Scio, cui credidi*, in quibus scientiam, & Fidem Apostolus conjungit, quia nimirum veræ Religionis cultores, *& scire, & credere* debent; *credere* quidem, quia doctrina tota veræ Religionis à Deo data, & revelata est, ac proinde tota sine examine, sine discussione, & sine disputationibus credenda est, ejúsque proinde mysteria potiùs, sicut pilula amara, uno haustu integra deglutienda sunt, quàm sicut cibus atterenda, ruminanda, & comminuenda. *Scire* autem, quia veræ Religionis cultores non debent ejus mysteria, tanquam à Deo revelata, firmissimè credere, quin priùs sciant, Deum esse authorem talis Religionis, omniáque proinde ejus mysteria revelâsse. Hanc autem scientiam habere non possunt, quin videant, talia adesse fundamenta ad judicandum, illam Religionem esse à Deo, ut prudenter de hoc dubitare non posint. Proinde debent habere evidentiam saltem moralem de eo, quòd Deus sit Author talis Religionis, ejúsque mysteria revelaverit, ac proinde debent evidenter judicare, mysteria illa esse credibilia Fide Divina, id est posse ac debere credi cum summa adhæsione, qualis Deo loquenti debetur. Et hac de causa omnes professores falsæ Religionis, per se loquendo, sunt inexcusabiles, quia sine fundamento suscipiunt dogmata illius Religionis, tanquam à Deo revelata; siquidem Religio falsa nequit habere evidentia credibilitatis argumenta, id est talia, quæ virum probum & sapientem ea expendentem convincant, & cogant judicare, illam Religionem esse à Deo. Hinc inexcusabiles sunt Mahumetani, qui Mahumetum tanquam Dei Prophetam venerantur, & totam doctrinam Alcorani ut à Deo datam credunt, quin habeant, non dico evidentiam moralem, sed neque prudens, & probabile fundamentum ad judicandum, Mahumetum fuisse verum Dei Prophetam. Similiter Lutherani, & Calvinistæ inexcusabiles sunt, quia doctrinam Calvini, & Lutheri tanquam à Deo revelatam credunt, quin habeant evidentiam, nec probabile quidem fundamentum ad sibi persuadendum, homines istos fuisse missos à Deo ad reformandam Ecclesiam, sed potiùs, nisi meridiana in luce caligare velint, evidenden-

dentissimè deprehendere possunt, viros illos à Deo missos non fuisse, sed à spiritu superbiæ, ambitionis, & consequenter à diabolo seductos esse: quia nullum signum veri Apostoli, veri Prophetæ, & nuntij à Deo missi illis adaptare possunt; cùm evidentissimè constet, fuisse homines carnales, ambitiosos, novatores, nulla insigni virtute præditos, nullis signis, & virtutibus conspicuos.

XVIII. Professores ergo veræ Fidei debent habere scientiam, & fidem; scientiam de eo, quòd Deus sit Author talis Religionis, Fidem de mysteriis: quia Deus veram Religionem talibus notis, privilegiis, signis, & argumentis veritatis vestivit, atque ornavit, ut dubitare prudenter non sinat, ipsum esse ejus Authorem; aliunde verò mysteria aliqua veræ Religionis debent esse talia, ut ratione naturali non possint efficaciter probari, proindéque nemo prudens possit assensum firmum illis præbere, nisi per Fidem, id est nisi propter authoritatem Dei revelantis, & non propter rationem naturalem manifestantem ipsam veritatem.

XIX. Hac de causa, ut suprâ dicebamus, S. Petrus disputans cum Simone Mago, cùm ab illo urgeretur, ut priùs, quàm ultrà procederent in examine veræ Religionis, probaret, animam esse immortalem, quia frustra in quærenda vera Religione fatigarentur, si anima mortalis sit, noluit cum Mago hâc viâ procedere; & quidem prudentissimè: quia, quamvis animæ immortalitas, quam Fides Christiana credit, ratione quoque probari possit, sunt tamen in ea multa mysteria omnino supra rationem; unde abstinens ab examine mysteriorum, totum se Petrus convertit ad probandum, Religionem Christianam esse à Deo, ut sic Magum compelleret, credere omnia Religionis Christianæ mysteria, quia Deus illa revelavit, quamvis ratione naturali probari non possint.

XX. Hinc sapienter S. Thomas in 3. dist. 24. quæst. 2. art. 3. observavit, notandum discrimen inter fidem præstandam Deo, & fidem præstandam hominibus nobis loquentibus. Nam hominibus aliqua nobis narrantibus credere non debemus sine examine rerum, quas nobis dicunt, & inspiciendum nobis est, quæ, & qualia sint, quæ dicunt, an possibilia, an absurda, an cohærentia? cùm enim homines vel per ignorantiam falli, vel per malitiam fallere possint, non satìs est ad illis credendum, quòd sciamus, eos nobis loqui; sed attendere debemus ad id, quod loquuntur, & examinare, an verisimile sit, &c. At cùm evidens nobis sit, Deum nec fallere, nec falli posse; ut Deo aliquid affirmanti certissimè credamus, non debemus examinare, quale sit illud; an possibile, an impossibile; sed totum nostrum studium sistere debet in examinando, an Deus sit, qui nobis loquitur? Postquam autem per argumenta evidentia credibilitatis nobis innotuerit, Deum esse, qui nobis loquitur, statim clausis oculis discursûs humani, firmissimè debemus credere omnia, quæ dicit, quamvis difficillima sint, & quamvis secluso ejus testimonio, nobis impossibilia appareant:

de-

debemus enim captivare intellectum in obsequium Dei testificantis, quamvis ea, quæ nobis testatur, in se inspecta, & per rationem naturalem examinata, videantur nobis impossibilia: quia evidens est omnino, Deum non posse fallere, nec falli in iis, quæ dicit: & non est evidens, non posse falli discursum humanum in iis, quæ evidentia putat; sed potiùs multiplici experientia constat, homines sæpe postea falsa deprehendisse ea, quæ priùs evidenter vera esse existimabant.

XXI. Ad hunc ergo modum procedendum est Doctori Catholico in disputatione, & certamine cum hæretico: non enim debet permittere, ut certamen ineatur, examinando veritatem singulorum mysteriorum, quæ Religio Catholica Romana credenda proponit; hæc enim disputatio multos dies, imò & menses consumet, & per illam nihil comperietur, nec alius fructus colligetur, quàm capitis vertigo, & fractio. Et ut sapienter dicebat Tertullian. lib. de præscription. c. 15. Doctor hac via incedens, nunquam quicquam absolvet; sed *ipse, quantumvis fortis, congressu fatigabitur, infirmi capientur, medij cum scrupulo dimittentur.* Melior quippe erit adversarij causa: nam afferet fortiora, vel verisimiliora, clariora, & faciliora, magisque popularia. Quare hæreticum ad hoc punctum controversiæ debet trahere, quænam scilicet sit vera Ecclesia, quam Christus supra Petrum fundavit: nam hæreticus cum Catholico Doctore disputans fatetur, Christum supra Petrum fundâsse Ecclesiam, fatetur Christum dixisse: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; & ne blasphemus sit, fateri debet, Christum verè promisisse, & promissionem suam opere complevisse. Rursus fatetur, Ecclesiam illam, quam Christus supra Petrum fundavit, esse *Columnam, & Firmamentum veritatis*; quia hoc Apostolus Paulus expressè docet, & in promissione Christi manifestè continetur. Sic ergo illum Doctor Catholicus aggrediatur: inter nos convenit, Christum Dominum veram Ecclesiam fundâsse; convenit rursus, veram Christi Ecclesiam, cùm sit Columna, & Firmamentum veritatis, non posse esse Magistram errorum: ergo inter nos convenire debet, vera esse omnia dogmata, quæ vera Christi Ecclesia credenda proponit. Et tunc subsumat: at hæc vera Christi Ecclesia non est Ecclesia Calvinistica, nec Lutherana, sed sola Ecclesia Catholica Romana. Ergo vera sunt omnia dogmata, quæ credenda proponit Ecclesia Catholica Romana. At hæc credenda proponit præsentiam realem Christi in Eucharistia, septem Sacramenta, Purgatorium, &c. Ergo hæc omnia vera sunt. Ad probandam autem illam primam minorem subsumptam, suppetunt Doctori Catholico argumenta demonstrativa, quæ apud eos, qui admittunt Scripturas, ac Historias, & veterum Patrum scripta, non solùm faciunt evidentiam credibilitatis, sed etiam evidentiam veritatis, ut latè ostendit Bellarminus lib. 4. de Ecclesia Militante, qui est de notis Ecclesiæ cap. 3. Valentia

tom. 3.

tom.3.disp.1.q.1.punct.4. Suarez disp. 4.de Fide sect. 3. & 4. Lessius in opusculo de vera Religione capessenda, & Becanus in manuali controversiarum, & novissimè Richardus Arsdekin tom. 1. Theologiæ tripartitæ tract.1.

CAPUT SECUNDUM.

Stabilitur iam, Religionem Christianam non solùm esse evidenter credibilem, sed evidenter veram, evidentiâ extrinsecâ, & in attestante, quatenus evidenter probatur, Deum esse Authorem illius.

§. I.

XXII. HANC Veritatem solidissimè probant duo Authores moderni: alter recentissimus, nimirùm Petrus Daniel Huezius, Serenissimi Delphini, seu Primogeniti clarissimi Regis Galliæ Ludovici Decimiquarti Magister, qui egregium edidit opus anno 1682. cui titulus: *Demonstratio Evangelica*, in cujus præfatione fidenter asserit, & constanter affirmat, veritatem Religionis Christianæ probari posse eo genere demonstrationis, quod non minùs certum sit, quàm demonstrationes ipsæ Geometriæ: & hæc demonstratio scopus est illius operis duobus tomis distincti. Summam autem hujus demonstrationis proponit Author in fine operis: nam ad pauca contrahens, quæ fusè in toto opere scripserat, demonstrationem ob oculos æqui Lectoris proponit his verbis: *Libri Novi & Veteris Testamenti his temporibus scripti sunt, quibus feruntur scripti, & ab his scripti, quibus tribuuntur. Hinc sequitur, totam Jesu Nazareni historiam in veteri Testamento longè antè prædictam esse, quàm eveniret in novo. His porrò concessis, libros nimirum veteris, & novi Testamenti his temporibus esse scriptos, quibus feruntur esse scripti, & ab iis scriptos, quibus tribuuntur, & Prophetias veteris Testamenti de Jesu Nazareno completas esse in novo, consequens est, veraces esse libros novi, & veteris Testamenti. Quòd si prophetiæ veteris Testamenti de Jesu Nazareno completæ sunt in novo, & veraces sunt libri novi, & veteris Testamenti, ex eo efficitur, Jesum Nazarenum esse Messiam. Quo posito, veraces nempe esse libros novi, & veteris Testamenti, & Jesum Nazarenum esse Messiam, fatendum omnino est, veram esse Religionem Christianam.* Hactenus ille.

XXIII. Alter est aliquantulum antiquior, videlicet P. Michael de Elizalda nostræ Societatis, & meus in Metaphysica Magister, vir subtilissimi, atque profundi ingenij, & solidam doctrinam amantis, ut probant ejus monumenta de recta doctrina morum, quæ sub anagrammate Antonij de Cella

Dei omnium manibus teruntur, & præclarum illud, & fundatiſſimum opus *de forma veræ Religionis quærendæ, & inveniendæ*, quod in lucem edidit anno 1662. Hic Author quæſt. 19. illius operis, tanquam fundamentalem, & capitalem concluſionem ſtatuit, eſſe manifeſtum, ac de rebus moraliter evidentibus, *quænam inter omnes ſit vera, ac Dei Religio*: Moralem autem evidentiam appellat, non quia careat connexione infallibili cum veritate, ſed quia illam evidentiam pariunt loca, principia, ſeu fundamenta pertinentia ad moralem ſcientiam. Aſſerit ergo, veram Religionem, quæ non eſt alia, quàm Chriſtiana, & inter Chriſtianas Catholica Romana, talibus ac tantis fundamentis eſſe communitam, quæ omnem perfectè diſpoſitum audientem convincant, quæ omnem probabilitatem à cæteris Religionibus adimant, & quæ nullum illius cultorem dubitare ſinant, ac proinde docet, tam evidens eſſe, quòd Religio Chriſtiana ſit vera Religio, & quòd Eccleſia Catholica ſit vera Chriſti Eccleſia, quàm evidens eſt, quòd detur Roma, & India: quæ appellatur evidentia moralis, non quia hæc evidentia fallibilior, aut incertior ſit, quàm phyſica; ſed quia eſt diverſæ naturæ, ac conditionis. Similia videtur tradere Coninch diſp. 11. de Fide: nam ibi num. 72. hanc concluſionem ſtatuit: omnino tanquam certum ſtatuendum eſt, poſſe clarè demonſtrari, quæ ſit vera Chriſti Eccleſia, ac recta Fides.

XXIV. Ego hanc doctrinam veriſſimam cenſeo: nam attentè ſæpe meditatus, dum conciones haberem contra Mahumetanos, contra Judæos, & hæreticos, luce meridiana clarius ſemper judicavi, Deum eſſe Authorem Religionis Chriſtianæ, ac proinde, falſas eſſe omnes ſectas ipſi oppoſitas; inter Religiones autem Chriſtianas, ſolam Catholicam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam; omnes autem hæreticorum ſectas eſſe ſynagogas ſathanæ, & certam ad æternam mortem viam. Hac de re duplicem diſputationem dictavi in hac ſchola Salmanticenſi in tractatu Selectarum diſputationum de Fide in curſu Theologico anni 1585. alteram, in qua probavi, Religionem Chriſtianam non ſolùm eſſe evidenter credibilem, ſed etiam evidenter veram, evidentiâ in atteſtante, & per principia extrinſeca atque reflexa: alteram, in qua oſtendi, ſuppoſita fide in Chriſtum, veritatem Religionis Catholicæ Romanæ non ſolùm eſſe evidenter credibilem, ſed etiam evidenter demonſtrabilem. Ex his verò, quæ fuſo calamo, & ſecundùm ſcholæ ſtylum diſputavi, pauca ſeligam, quæ hîc ſubjungam.

§. II.

Ex eo, quòd evidens ſit, Deum exiſtere, & providentiam hominum habere, neceſſariò infertur, exiſtere veram aliquam Religionem in mundo & hanc non eſſe aliam, quàm Chriſtianam, quæ præ reliquis credibilis redditur.

XXV. EXISTERE Supremum aliquod Numen, quod ſit primum principium, & ultimus finis omnium, evidens eſt, ut paſſim demon-

ſtrant

ſtrant Philoſophi, atque Theologi, inter quos Leſſius in opuſculo de Providentia Numinis quindecim dilucidis rationibus id manifeſtè oſtendit. Hoc autem Numen providentiam hominum habere, evidens quoque eſt: cùm enim ſtupidiſſimæ etiam pecudes ſuorum fœtuum curam gerant, Deus Optimus Maximus cognitione exquiſitiſſima, potentiâ firmiſſimâ, & voluntate optima prædìtus, curam hominum, quos ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creavit, prætermittere non potuit. Unde S. Job. cap. 34. v. 13. hanc providentiam ex munere creatoris, ut rem manifeſtam, deducit: *Quem*, inquit, *conſtituit alium ſuper terram? aut quem poſuit ſuper orbem, quem fabricatus eſt?* Et ideo Dominus ipſe Iſaiæ 49. num. 14. inquit: *Nunquid oblivi ſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit; ego tamen non obliviſcar tui.* Unde in repentinis periculis, naturæ quodam inſtinctu, abſque deliberatione, omnes homines ad Deum recurrunt, ejúſque opem implorant: ò Deus! ſuccurre, ò Deus! adjuva me, ò Deus! miſerere.

XXVI. Evidens quoque eſt, Deum homines creâſſe, ut ipſum cognoſcant, ament, & colant: *Homo creatus eſt*, inquit Auguſtinus, *ut ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur.* Hinc Paulus Actor. 17. cum Athenienſibus loquens, & eis notitiam ingerens Creatoris, & finis, ad quem homines deſtinavit, occaſione ſumpta ex altari, quod ignoto Deo dicaverant, dixit: *Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cùm ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, neque manibus hominum colitur, indigens aliquo, cùm ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem & omnia, fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inveniant, &c.* Quaſi diceret, ut explicat noſter Cornelius, *hoc fine homines ita diſtribuit*, & moderatur per tempora, & loca Deus, ut eum inveſtigent, & quærant, & cognoſcant, & ament, & colant. Mundus enim eſt quaſi animal, cujus ſpiritus & veluti anima eſt Deus, oculi ſunt Luna & Sol, hepar, venæ, ſanguis, & phlegma ſunt fontes, aquarum venæ, & flumina; proles ſunt arbores, herbæ, flores, animalia, homines; quæ omnia vivificat, vegetat, fovet alítque Deus. Unde ex his facilè inveniri, cognoſcíque poteſt.

XXVII. *Si fortè attrectent eum*, id eſt palpent, ut exponunt Pagninus, Vatablus, & alij. Significat Apoſtolus, Deum à nobis in hac vita videri, & clarè cognoſci non poſſe, nóſque quaſi cæcos, palpando veſtigia Dei, puta creaturas, ad ejus notitiam pervenire. Sicut enim cæcus palpando pervenit ad locum, quò tendit, ita nos palpando, & veſtigando creaturas, pervenimus ad Deum earum Creatorem.

XXVIII. Senſus ergo eſt, *ſi fortè homines Deum attrectent*, non tactu corporeo, ſed metaphorico, & mentali, id eſt *ſi mente attingant*, inveniant, & cognoſcant

noſcant, inquam, ex ejus operatione, & productione rerum omnium. Sicut enim cæcus, ſi in ſilvis denſiſſimis, vel in domo pleniſsima ſit, ſi vel leviter ſe commoveat, in arbores, parietes, réſve alias impinget: ſic ubique homini occurſat, imò incurſat Deus. Quis enim, ſi penitus ſuum corpus, ejúſque membra, & organa tot, támque varia, ſi ſuam animam, ejúſque ſenſus, potentias, motus, & actiones, ſi ſuum eſſe tam mirum & multiplex conſideret, maximè cùm, qua ratione hæc facta ſint, & fiant, illico non colligat, eſſe Numen intra ſe, quod fabricam hanc inſtar horologij tot machinis & organis inſtructam fabricârit, ordinaverit, tueatur & moderetur; quod admirabiles illos modos cieat; quod harmoniam illam ſtupendam corporis & animæ, ſenſuúmque & membrorum, mentis & carnis inter ſe Divina arte miſceat, contemperet, & arctiſſimè in unum compoſitum conſociet? Ita Gaſpar Sanchez. In omni re namque, motúque ad aliquod principium immobile, tanquam ad primam cauſam, eſt deveniendum.

XXIX. Et ſanè tam exquiſito artificio ſingulæ partes hominis ſunt conformatæ, & ad ſuas functiones & fines aptatæ, ut nulla ars, nulla ſapientia vel minimum poſſit adiicere, aut emendare. Et hinc evidens conficitur argumentum: iſta omnia à ſapientiſſima quadam mente ſunt excogitata, quæ ſingula diſtinctiſſimè conſideraverit, & ſtupenda arte exteriùs curioſiſſimè effecerit; tot enim proportiones quoad longitudinem, latitudinem, craſſitiem, & extenſionem inter partes hominis ad invicem, & in ordine ad totum conſiderant Philoſophi, ut P. Leſsius lib. 1. de Providentia Numinis num. 36. affirmet, pluſquam centum millia proportionum in ſolius hominis fabricâ reperiri, quarum ſi aliqua deficeret, non eſſet corpus omnino proportionatum, & pulchrum; nam in hac partium inter ſe, & cum toto ſymmetriâ conſiſtit totius corporis pulchritudo.

XXX. Evidens ergo eſt, dari ſupremum Numen, infinitámque mentem, quæ curam hominum habeat, quos tam artificioſè creavit, velítque ab ipſis amari, & coli. Cùm verò varij ſint cultus, & Religiones erga hujuſmodi Numen, nimirum Religio Chriſtiana, Judaica, & Mahumetana, ad quas revocantur ſectæ omnes, quæ nunc unum Deum, ſupremúmque hujus mundi rectorem agnoſcunt; & cùm quælibet ex his damnet alias, tanquam impias & Deo inviſas, & illæ ſint inter ſe è diametro oppoſitæ quoad præcipua dogmata, & articulos, quos de Deo credunt, evidens eſt, ex illis tribus unam ſolùm eſſe veram, & à Deo datam; reliquas verò eſſe falſas, & à diabolo in mundum invectas poſt Chriſti adventum.

XXXI. Ex his tribus evidens eſt unam ſolùm eſſe veram; alias verò duas eſſe falſas. At hæc una nequit eſſe alia, quàm Religio Chriſtiana, quæ ita eſt evidenter credibilis, ut omnes teneantur illam credere cum ſumma adhæſione, ut veram: implicat enim, ut Deus permittat, Religionem falſam, ipſius nomine promulgatam, ita præeminere Religioni veræ in notis & ſignis veritatis ut omnes rectè diſpoſiti & ſinceræ veri-

tatis

tatis amatores teneantur eam amplecti cum summa adhæsione, tanquam veram: possent enim omnes de Deo conqueri, tanquam de deceptore, si permitteret, ut Religio falsa, eíque displicens proponeretur cum tanta apparentia veritatis, ut humano discursu nequeat deprehendi, eam non esse à Deo, sed omnes tenerentur, ipsius articulos, ut veritates revelatas à Deo, cum summa firmitate credere: ergo evidens est, evidentiâ extrinsecâ in attestante, & per principia reflexa, Religionem Christianam esse veram. Argumenta enim, quæ ipsam reddunt evidenter credibilem, unum è tribus compertum & evidens faciunt, nimirum, vel Deo nullam esse curam de rebus hominum, vel ipsi placere, quòd illi in ejus cultu decipiantur, vel Religionem Christianam esse veram. Cùm ergo duo priora sint evidenter falsa, tertium debet esse evidenter verum.

§. III.

Ex animæ immortalitate, & ex providentia Numinis evidenter infertur, dari in mundo aliquam veram Religionẽ, per cujus cultum homines pervenire valeant ad æternam felicitatem: evidénsque est, hanc non esse aliam, quàm Christianam Catholicam.

XXXII. ID ipsum aliâ viâ ostendere libet. Evidens est, animam rationalem esse immortalem, ac proinde cum corpore non extingui: evidens quoque est, hominem à Deo fuisse creatum ad aliquam beatitudinem, & supremam felicitatem, ad quam in hac vita pervenire non potest. Ergo evidens est, Deum, quantùm est ex se, sufficienter providisse hominibus viam, qua pervenire possint ad illam felicitatem. At via perveniendi ad felicitatem hominibus à Deo præstitutam, est vera Religio, veráque lex: ergo evidens est, Deum semper in mundo habuisse, & nunc habere aliquam veram Religionem, seu legem, per cujus observantiam homines possint pervenire ad supremam felicitatem. Sicut enim vera lex est vera via, per quam homines ambulare debent, ut perveniant ad terminum suæ felicitatis, ita legem observare, est, per hanc viam ingredi ad felicitatem, & beatitudinem. At evidens est, hanc veram legem, à Deo datam hominibus, neque esse legem Mahumetanam, neque Judaicam, quæ modò tenetur à perfidis Judæis, Christum Dominum blasphemantibus: ergo evidens est, esse Religionem Christianam.

XXXIII. Singula seorsim probanda sunt, & in primis quòd animus rationalis sit immortalis, demonstratur à P. Lessio viginti duabus rationibus lib. I. de Provid. Numinis; nobis nunc sufficiat illa, quâ utitur D. Chrysostomus homil. 4. de provid. dicens: Si nihil est post hanc vitam, id est, si anima cum corpore extinguitur, ergo nec Deus est: nam si Deus est, justus est; si justus est, juxta merita unicuique distribuet; si autem nihil est post hanc vitam, ubi accipient singuli pro suis meritis? Multi hîc benè habent, & in honore degunt, licèt mali; alij verò affliguntur, licèt justè vivant. Si ergo post hac nihil est, emigrabunt justi affecti injuriâ, & injusti immerita felicitate

 potiti.

potiti. Ubi manebit ergo justitia? Si enim nemo, quæ meritus est, accipiat, nec Deus secundùm se justus est; si autem Deus non est justus, neque Deus est, &c. Et infra: Atqui Deum esse, creaturæ clamitant; igitur & justus est: quòd si justus est, tribuit unicuique, quod justum est; si unicuique, quod justum est, tribuit, necesse est, post hanc vitam esse tempus, in quo singuli juxta merita *accipiant*. Huc usque ille. Ergo sicut evidens est, Deum esse justum, evidens est, animam rationalem esse immortalem.

XXXIV. Unde nullum est argumentum, quod contra providentiam Dei erga homines desumitur ex frequenti experientia calamitatis in probis, & prosperitatis in pravis: nam potiùs hoc ipsum summa providentia est, ut possimus exercere virtutem, & mereri aliam solidiorem felicitatem. Quæ enim virtus foret, ea sectari, quæ etiam in hac vita semper vel ferè semper afferrent delectationem, & prosperitatem? Porrò si id eveniret, nullum esset discerniculum inter virtutis, & voluptatis amatores, ut suprà dicebamus ex Cardinale Pallavicino.

XXXV. Remuneratur quandoque Deus in hac vita virtutem, & vitia castigat, ut experientiâ discamus, Deo virtutem placere, & displicere vitium, & sic experiamur ejus erga nos providentiam. Non tamen semper hoc facit: quia, si semper ita faceret, occasio daretur hominibus exercendi virtutem, non propter ejus honestatem, sed propter commodum, certò ex illa proventurum in hac vita; occasio etiam daretur suspicandi, post hanc vitam non superesse aliam, in qua Deus unicuique pro meritis redderet præmium, vel supplicium: cùm viderent, semper Deum in hac vita virtutem præmiare, & vitium punire. Sicut ergo ad certificandum nos de providentia sua erga homines sæpe in hac vita virtutes remuneratur, & castigat vitia, ita ad certificandum nos de immortalitate animæ sæpe in futurum reservat præmium virtutis, & vitij supplicium.

XXXVI. Deinde quòd homo sit creatus ad aliquam beatitudinem, & felicitatem, constat ex naturali desiderio, omnibus à natura insito, perveniendi ad beatitudinem. Ut enim inquit Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 8. *Omnes beatos esse velle veritas clamat, natura compellit, cui summè bonus, & immutabilis Creator hoc indidit*. Impossibile autem est, inquit D. Thomas statim citandus, naturale desiderium esse inane: natura enim nihil facit frustra; esset autem inane naturæ desiderium, si nunquam posset impleri; est igitur implebile naturale desiderium hominis, perveniendi scilicet ad felicitatem, & beatitudinem. Quòd autem hæc beatitudo in hac vita obtineri non valeat, demonstrat evidenter S. Thomas multis rationibus 3. contra gent. cap. 48. quæ apud ipsum videri possunt.

XXXVII. Et sanè per se manifestum est, non posse beatitudinem, & ultimam felicitatẽ animæ immortalis cum vita corporis finiri; alioquin anima hominis justi, ita ardenter Creatorem diligentis, ut præ amore ipsius, & ne ipsum vel leviter offendat, tormenta acer-

acerbissima & mortem ipsam sustineret, foret in æternum misera, quod est manifestè absurdum. Probátque egregiè Cardinalis Pallavicinus 1.2. quæst. 2. art. 1. Deum in præmium virtutis debuisse assignare creaturæ rationali felicitatem æternam: nam finis, ad quem ordinata est à Deo, debet esse talis, ut non possit sine magna temeritate contemni; alioquin Deus proposuisset præmium, & supplicium leve & contemptibile, ac proinde non sufficienter allexisset ad bonum, neque absterruisset à malo. Omne enim temporaneum potest sine magna imprudentia contemni, & ideo ait Christus: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, neque amplius habent, quid faciant:* cujus rei exemplum dedit ipse, qui temporales cruciatus pro nostra salute contempsit; solùm verò æternum sine magna imprudentia contemni non potest: nam omne temporale est tale, ut tempus illud, pro quo est malum, vel bonum, se habeat ut instans in ordine ad illud tempus, pro quo non est ampliùs malum, vel bonum, & respectu cujus est purè præteritum: nam de purè præterito neque gaudemus, neque dolemus, nisi quatenùs ex illo præterito remanet aliquod bonum, vel malum præsens: quare bonum, vel malum purè temporale non habet simpliciter rationem boni, aut mali, sed secundùm quid: homo enim respiciens totum tempus futurum, videt, quòd ipse æterno tempore perinde se habebit, si nanciscatur hoc vel illud malum temporale, ac si eo careat: ergo hoc ipso, quòd Deus voluerit allicere ad virtutem per ingentia bona, & arcere à vitiis per ingentia mala, debuit constituere præmium, & pœnam æternam: hæc enim sunt, quæ nemo, nisi insigniter temerarius, despicere possit.

XXXVIII. Quod ulteriùs confirmo: nam cùm motus, & desiderium anxium naturæ rationalis tendat in beatitudinē, tanquam in terminum & requiem, impossibile est, ut motus duret semper: Ergo necesse est, ut motui temporali hujus vitæ succedat in probis & justis æterna requies, æternáve felicitas alterius. Præterea cùm meritum ex natura rei præcedat præmium, impossibile est, ut tempus merendi sit æternum, quia alioquin nunquam perveniretur ad præmium: ergo necesse est, ut meritum sit temporale: ergo præmium merito succedens debet esse æternum: ergo evidens est, beatitudinem, quam ingenito desiderio omnes homines vehementer appetunt, debere esse æternam, ut illius spe laborent, & per viam mandatorum Dei ad suam felicitatem tendant.

XXXIX. Evidens ergo est, Deum habere in mundo aliquam veram Religionem, verámve legem, per cujus observationem homines ad æternam felicitatem tendant, quia evidens est, illos Deum non creâsse ad quærendas delectationes gustûs & tactûs, sicut creavit bestias; quibus proinde dedit vultum in terram pronum, quia tota earum felicitas in delectatione sensuum consistit; sed ad ipsum colendum, & amandum, & per exercitia virtutum, & dominationem passionum perveniendi ad sempiternam in Cœlis felicitatem, & propterea

pterea illis dedisse vultum sursum erectum. At evidens est, hanc Religionem neque esse Judaicam, neque Mahumetanam : ergo evidens est, esse Christianam. Minor subsumpta facilè probatur : nam ut ostendit Bellarminus 11. libro de notis Ecclesiæ cap. 11. nulla est in mundo secta, opposita Religioni Christianæ Catholicæ, quæ non contineat aliquos exploratos errores, & rectæ rationi manifestè contrarios; quod probat discurrendo per singulas. Et quidem Judæorum secta post Christi Domini adventum adhuc Messiam expectat, Libros Talmud tanquam suum novum Testamentum veneratur: illi autem sunt erroribus, & fabulis Rabbinorum referti, ut ibi ostendit; Alcoranus verò, in quo lex Mahumetana continetur, habet evidentissimos errores contra lumen rationis, & innumeras contradictiones, ut latè in hoc opere ostendemus : & Alcorani fabricator Mahumetus fuit seductor impurissimus, qui, ut se Regem faceret, se Prophetam finxit, &, ne Alcorani mendacia & contradictiones à Christianis & Judæis detegerentur, omnem suis de lege disputationem interdixit; éstque inter omnes mundi Religiones Mahumetana secta, quod olim inter scholas Philosophorum Epicurea, & sic omnium spurcissima, ac propterea potiùs contemnenda quàm impugnanda, & jure dicta lex porcorum, cùm ultimam felicitatem hominis constituat in cibo, & potu, & uxorum multitudine, quasi homines solùm ad comedendum, & bibendum, & delectationes venereas quærendas fuissent creati.

XL. In speciali autem falsam esse sectam Judæorum, Christum Dominum blasphemantium, & adhuc Messiam expectantium, facilè demonstratur: Adsunt enim evidentia argumenta à Scripturis petita, probantia Christum Dominum esse Messiam in lege Mosaica promissum : siquidem in ipso ad litteram impletæ sunt Prophetiæ omnes veteris Testamenti, ut ostendi suprà, & ideo ipse Joan. 5. Judæis dicebat : *Scrutamini Scripturas*; *illæ enim testimonium perhibent de me*: quia nimirum non solùm continebant promissionem Messiæ ipsius, sed signa & indicia manifesta, ad cognoscendum tempus adventûs ejus, quæ in Christo ad litteram verificata sunt : & propterea Joan. 5. ipse ajebat : *Si crederetis Moysi, crederetis utique & mihi : ille enim de me scripsit.* Quod intelligendum est, non solùm quia Deuteronom. 18. habetur expressa promissio Messiæ, *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, &c.* sed etiam quia tota lex Moysis fuit quædam Prophetia & figura Christi, ut dixit Augustinus lib. 16. contra Faustum cap. 22. Atque hoc modo, persuadendi Fidē de seipso, usus est Christus Dominus Lucæ ultimo: *Incipiens enim à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso scripta erant.* Et paulò inferiùs : *Necesse erat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me.*

XLI. Et sanè Prophetia Danielis suprà expensa cap. 6. evidenter probat, Messiam jam venisse, & hunc esse Jesum Nazarenum, ob cujus necem Deus Ci-

Civitatem Hierusalem, & Templum destruxit per Titum & Vespasianum, tanquam per instrumentum suæ justitiæ. Quomodo autem lex nova, & vetus non sint inter se contrariæ, nec comparentur, tanquam duæ leges specie diversæ, & invicem oppositæ, sed tanquam duæ leges respicientes eundem finem, quarum altera imperfectè, & altera perfectè illũ attingit, vel potiùs tanquam una lex secundùm statum perfectum & imperfectũ, & quæ inter se differant, sicut differt vir à seipso, dum erat puer, explicabimus infrà suo loco, cum D. Augustino lib. de vera Religione cap. 17. & cum Diu. Thoma 1. 2. quæst. 97. artic. 1. & 4. contra gentes cap. 55. num. 9.

§. IV.

Cùm evidens sit, Religionem Christianam habere evidenter majora veritatis indicia, & credibilitatis argumenta, quàm ullam aliam, evidens est, esse à Deo, & consequenter esse veram, quia evidens est, Deum non potuisse Religionem falsam talibus veritatis notis, & insignibus vestire.

XLII. PRÆTEREA directè id ipsum demonstratur: nam cùm evidens sit, Deum habere aliquam Religionem in mundo veram, & sibi placentem, in qua, & per quam velit coli, eáque non possit esse plusquàm una, evidens est, Deum, quatenus est ex se, velle, ut homines Religionem illam amplectantur: ergo evidens est, illis providisse media ad dignoscendum, quænam sit illa vera Religio. At hoc non præstitisset, nisi Religionem illam ornâsset majoribus indiciis veritatis, quàm habeat ulla Religio falsa: ergo evidens est, Deum ornâsse Religionem veram majoribus indiciis veritatis, quàm habeat ulla Religio falsa; cùm certum & evidens sit, Religionem Christianam habere majora indicia veritatis, quàm ullam aliam Religionem: siquidem ex confessione omnium Catholicorum Religio Christiana est evidenter credibilior omni alia Religione, & non utcumque, sed ita ut omnis alia Religio comparativè ad illam sit incredibilis: evidens ergo est, evidentiâ in attestante, & per principia extrinseca ac reflexa, Religionem Christianam esse veram.

XLIII. Et sanè quòd Religio Christiana habeat evidenter majora veritatis indicia, seu majora credibilitatis argumenta, constat ex iis, quæ suprà adduximus ad probandum, Religionem Christianam esse evidenter credibilem, præsertim ex iis, quæ ex Cardinale Sforcia Pallavicino enumeravimus. Qui autem animo tranquillo super illa credibilitatis argumenta reflexionem fecerit, comperiet, illa non solùm reddere Religionem Christianam evidenter credibilem; sed evidenter veram, evidentiâ in attestante, & per principia extrinseca ac reflexa, ac proinde comperiet, immeritò Cardinalem Pallavicinum libello de Fide cap. 3. num. 49. pronuntiâsse, evidentiam in attestante non componi cum Fide. Etenim argumenta nuper ab ipso proposita evincunt oppositum: cumulus enim rationum, quæ Religionem Christianam reddunt ita evidenter credibilem, & præ-

præeminentem reliquis Religionibus in apparentia veritatis, non alium, quàm Deum potuerunt habere authorem: Deus autem non potuit reddere ita credibilem Religionem Christianam, si foret falsa; quia alioquin seduceret homines, & convinceretur, non sincerè desiderare eorum æternam salutem: siquidem per argumenta mira illos induceret ad amplectendam, ut summè veram, Religionem falsam, in qua, & per quam salvari non possent: Religio enim falsa, quæ non à Deo, sed à diabolo est, ad Deum ducere non potest.

XLIV. Præterea sic argumentor: evidens metaphysicè est, vel Deum tanquam specialem Authorem, vel saltem ut Authorem universalem causâsse cumulum illum argumentorum reddentium Religionem Christianam sic evidenter credibilem; at evidens est, Deum neutro modo id causare potuisse, si Religio Christiana esset falsa: ergo evidens est, evidentiâ in attestante, illam esse veram. Major, & Consequentia liquent; Minor quoad primam partem constat, quia evidens est, Deum non posse positivè inducere ad credendam falsitatem, tanquam veritatem infallibilem à se revelatam. Quoad secundam verò probatur: quia cùm evidens sit, Deum sincerè, &, quantum est ex se, seriò desiderare æternam felicitatem hominum, ad quam eos creavit, & evidens sit, non posse homines salutem æternam promereri, profitendo & observando legem falsam; evidens est, Deum, quantùm est ex se, desiderare, ne homines inducantur à diabolo ad professionem, & observantiam legis falsæ: ergo impossibile est, Deum permittere, ut per cumulum argumentorum evidentium credibilitatis inducantur homines à diabolo ad Religionem falsam, cum tanta apparentia veritatis, ut omnes penetrantes ejusmodi argumenta evidenter obligentur ad illam Religionem suscipiendam tanquam infallibilem, & à Deo datam, quin ullus, quantumvis Dei amator, & diligentissimus veritatis investigator, possit fraudem & deceptionem diaboli deprehendere, sed quilibet teneatur tantæ apparentiæ succumbere, & diabolum seducentem audire, tanquam Deum revelantem.

XLV. Probatur consequentia: si Deus id permitteret, nulli hominum providisset medium sufficiens ad salutem; nec haberet modum, obligandi homines ad credendam veritatem à se revelatam, si posset permittere, ut diabolus falsitatem proponeret cum tanta evidentia credibilitatis, cum quanta proponitur doctrina Religionis Christianæ. Si enim Deus velit obligare homines, ad credenda cum summa firmitate mysteria altissima, & creditu difficilia, relinquendo locum libertati & fidei obscuræ: quæ poterit majora veritatis indicia exhibere, quàm ea, quæ mundus expertus est, ad credenda mysteria nostræ Fidei? ergo credibilitatis argumenta, inducentia ad Religionem Christianam, essentialiter connexa sunt cum veritate, ac proinde repugnat, ut falsitas aliqua cum tanta credibilitatis evidentia mundo proponatur: ergo illa evidentia credibilitatis reflexè considerata

siderata evidenter probat, Religionem Christianam esse veram.

LXVI. Demum ratio illa, qua Doctores Catholici demonstrant, Religionem Christianam esse evidenter credibilem, pariter evincit, esse evidenter veram, evidentiâ in attestante. Rationem illam proponit Eximius Doctor disp. 4. de Fide sect. 3. num. 12. nam enumeratis argumentis credibilitatis, concludit, ex his omnibus conglobari demonstrationem, qua credibilitas nostræ Fidei evidenter ostenditur in hunc modum: Doctrina, quæ per se est valde consentanea rationi, Majestati, ac excellentiæ Divinæ, bonísque moribus, innumerabilésque habet testes fide dignissimos, qui non solùm humana, sed etiam Divina virtute per signa mirabilia illam confirmârunt, credibilis est; sed talis est doctrina Fidei Christianæ: ergo est credibilis. Consequentia est evidens; præmissæ etiam sunt evidentes: ergo & conclusio evidens est. Et quidem de Minori, quòd sit evidens, ex ipso facto & experimento constat: neque obstat, quòd multa ex his, quæ diximus, ad nos pervenerint per historiam & traditionem humanam: nam illa est tam constans, támque universalis & nota, ut sufficiat ad evidentiam humanam in testificante faciendam, qualis est de hac propositione *Roma est*, & similibus: illa ergo multò magìs sufficit ad evidentiam credibilitatis. Prima etiam præmissa est evidens ex terminis, & ex definitione ipsius credibilitatis.

XLVII. Addit verò Eximius Doctor ad majorem illius confirmationem, naturaliter evidens esse, Deum habere providentiam rerum humanarum, & ideo non deserere hominem, in his maximè, quæ ad ipsius notitiam & cultum, & ad æternam felicitatem pertinent. Unde incredibile est, inquit, Deum suâ providentiâ destituisse homines hanc fidem amplectentes, ut permittat, eos decipi cum tanta credibilitatis evidentia, maximè cùm inter eos sint multi, qui toto corde Deum ipsum, ejúsque veritatem quærunt. Propter quod dixit Chrysostomus in quadam homilia de providentia; sine magna injuria providentiæ Divinæ non posse hanc fidem falsam reputari, & quòd, si per impossibile falsa esset, non posset hominibus imputari, quia prudentissimè illam credunt. Accedit denique, quòd, cùm hæc doctrina sub Divina authoritate proponatur, ad ipsius etiam Dei authoritatem, & veritatem spectat, non permittere, ut sub ejus nomine, & testimonio homines cum tanta credibilitate decipiantur. Hæc Eximius Doctor.

XLVIII. Quæ sanè pariter probant, non solùm esse incredibile, sed penitus impossibile, Deum suâ providentiâ destituisse homines hanc fidem amplectentes, ut permittat, eos decipi cum tanta credibilitatis evidentia. Rursus, si absque magna injuria providentiæ Divinæ non potest reputari falsa Christiana fides, ergo impossibile metaphysicè est, illam esse falsam; omne enim illud, quod providentiæ Divinæ opponitur, eíque injuriosum est, est prorsus impossibile. Denique si ad veritatem Dei spectat, non permittere, ut homines

ſub tanta credibilitatis evidentia ejus nomine decipiantur, ſanè id metaphyſicè repugnat veritati Divinæ. Ergo non ſolùm eſt evidenter credibile, ſed etiam evidenter verum, evidentiâ in atteſtante, & per principia extrinſeca atque reflexa, Religionem Chriſtianam eſſe veram. Falluntur ergo Doctores illi, qui putant, evidentiam in atteſtante opponi cum Fide, præſertim ſi loquantur de evidentia, comparatâ per reflexionem ſupra conglobationem argumentorum credibilitatis.

§. V.

Argumenta illa, quibus Chriſtus ſuam Divinitatem mundo perſuaſit, efficaciter probant, Religionem Chriſtianam non ſolùm eſſe evidenter credibilem, ſed evidenter veram, evidentiâ in atteſtante.

XLIX. Cum præcipuum fundamentum noſtræ fidei ſit Chriſti Divinitas, qua ſemel probata, evidenter infertur, eſſe vera omnia, quæ Chriſtus docuit, qualia ſunt omnia myſteria noſtræ Fidei, ſi ſemel probemus, Divinitatem Chriſti non ſolùm eſſe evidenter credibilem, ſed evidenter veram, evidentiâ in atteſtante, id evincemus de tota Religione Chriſtiana: illud ergo in hac ſectione probandum nobis eſt.

L. Pro quo ſic argumentor: evidens eſt evidentiâ facti, fuiſſe in mundo virum mirabilem Jeſum Nazarenum nomine, quem Chriſtiani ut verum Deum, verúmque hominem, & Mahumetani ut virum ſanctum adorant, Judæi verò ut ſeductorem blaſphemant. Rurſus evidens eſt evidentiâ facti, illum de ſeipſo dixiſſe, ſe eſſe Filium Dei naturalem, verúmque Deum, & hanc ejus aſſertionem acceptam eſſe, tanquam inſignem blaſphemiam, propter quam illum immaniter perſequuti ſunt, & tandem cruci affixerunt. Id patet, tum quia in hoc affirmando conveniunt Judæi cum Chriſtianis, tum quia id teſtatur hiſtoria Evangelij, cujus authoritas, etiam humana, ſuperat authoritatem cujuſcumque alterius hiſtoriæ. Aſſumptum patet ex Joan. 9. v. 31. & colloquio cum cæco à nativitate, quem Jeſus illuminaverat: ex Joan. 5. v. 10. ex Joan. 19. v. 7. ex Matth. 26. v. 63. & Marci 14. v. 61. Tandem evidens eſt evidentiâ facti, illum in confirmationem iſtius doctrinæ evidentia feciſſe miracula: nam in hunc finem Lazarum quatriduanum ſuſcitavit, ut conſtat ex Joann. 11. v. 4. & cæcum à nativitate impoſito luto ſuper oculos illuminavit Joan. 9. Imò omnia miracula, quæ Chriſtus patravit, direxit ad perſuadendum Judæis ſuam Divinitatem, ſuúmque Meſſiatum, ut conſtat ex Joan. ultimo: *Multa quidem, & alia ſigna fecit Jeſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus Chriſtus eſt Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Ut autem demonſtravimus ſuprà in hoc libro cap. 3. evidens eſt, Deum non poſſe facere miracula in confirmationem doctrinæ falſæ: ergo evidens eſt evidentiâ in atteſtante, Jeſum Nazarenum eſſe Deum.

LI. Et ſanè, qui attentè contemplatus fuerit capita illa, quibus in hoc libro pro-

probavimus Divinitatem Christi, planè comperiet, ea argumenta non solùm probare, quòd sit evidenter credibile, Christum esse Deum, sed evidenter veram, evidentiâ extrinsecâ, & in attestante. Et ad hoc demonstrandum hoc nunc conficio argumentum. Evidens est evidentiâ facti, Christum de seipso palàm dixisse, se esse Deum, & ob hanc causam crucifixum fuisse: ergo vel seductor fuit, vel Deus est. Patet consequentia, quia vel falsum, vel verum dixit; si primum, ergo seductor fuit; si secundum, ergo Deus est: at evidens est, evidentia in attestante, non fuisse seductorem: ergo evidens est evidentiâ in attestante, esse Deum. Probatur minor: quia evidens est, non potuisse Deum hominem seductorem ornare tam mirâ potentiâ, & tot argumentis Divinitatis, & Messiatûs, qualia sunt ea, quæ nunc breviter insinuavimus, & latè proposuimus lib. de Divinitate Christi; nec potuisse permittere, ut in homine seductore concurrerent omnia signa, quæ Deus per Prophetas dederat ad dignoscendum verum Messiam; omnia autem, quæ de venturo Messia fuerant à Prophetis prænuntiata, ita ad litteram in Christo Domino adimpleta sunt, ut nullus prudenter dubitare potuerit, illum esse Messiam in lege promissum: & ideo Petrus Actor. 2. testimoniis Prophetarum ita clarè probavit, Jesum Nazarenum, paulò antè à Judæis crucifixum, esse verum Christum, & Messiam in lege promissum, ut in prima concione ex ipsis Judæis ad Christi Fidem conversis fuerint circiter tria millia. Act. 4. vers. 5. in alia concione quinquies mille, & Saulus miraculosè à Christo conversus Actor. 9. vers. 20. continuò in Synagogis prædicabat Jesum, *Quoniam hic est Filius Dei*: idque evincebat testimoniis Prophetarum, suis argumentis Judæos confundens. Et similiter reliqui Apostoli, per Judæam, & universum Orbem dispersi, testimoniis Prophetarum clarè ostendebant, Jesum Nazarenum esse Messiam in lege promissum, verúmque Dei Filium, & mundi Redemptorem.

LII. Præterea quis non videat, omnino impossibile esse, quòd Deus, misso Spiritu Sancto sub forma ignis, cœlesti sapientia & fortitudine, dono linguarum & gratia miraculorum Apostolos armaverit, ut per orbem dispersi mundo persuaderent, hominem seductorem & blasphemum esse Filium Dei naturalem? Quis item non videat, omnino repugnare, quòd Deus post mortē ita Jesum Nazarenum exaltaverit, & quòd ille seductor & blasphemus fuerit? Homini à nativitate claudo dixit Petrus Actor. 3. v. 6. *In nomine Iesu Nazareni surge, & ambula, &c. Et protinus consolidatæ sunt bases ejus, & plantæ*: Postmodùm verò v. 13. ad Judæos conversus dicebat: *Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, &c. quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus, & in fide nominis ejus hunc, quem vos vidistis, confirmavit nomen ejus: & Fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrûm.* Evidens est, Deum non potuisse hæc signa facere in con-

firmationem blasphemiæ & mendacij, & ad exaltandum hominem seductorem, qui sibi falsò Divinitatem arrogâsset: hoc enim nihil aliud foret, quàm Deum homines decipere, & trahere ad Fidem falsam per vera miracula, ac proinde se indignum præbere, cui aliquid testificanti crederemus: ergo evidens est, Jesum Nazarenum de seipso testificantem, se esse Filium Dei, non fuisse seductorem: ergo evidens est, evidentiâ in attestante, illum esse verum Dei filium, verúmque Deum.

§. VI.

Ecclesiæ Patres non tam solliciti fuerunt de credibilitate, quàm de veritate Rrligionis Christianæ: ac proinde ex ipsorum mente hæc est evidenter vera, evidentiâ in attestante.

LIII. Rectè admonet Elizalda, Ecclesiæ Patres longè aliâ viâ processisse, ac Theologos illos Scholasticos, qui arbitrantur, solùm posse fieri evidentiam de credibilitate Religionis Christianæ, non autem de veritate: *Patres namque ferè omnes*, inquit ille, *Apologiis, Orationibus, libris compositis pro veritate Christiana decertârunt, errores omnes impugnârunt Gentilium, Judæorum, hæreticorum: intentio porrò & scopus fuerat, veritatem Christianam concludere; de evidentia credibilitatis nulli sunt tituli, nuspiam illa cura legitur distinguendi evidentiam credibilitatis Religionis nostræ ab evidentia veritatis; cui tamen uni distinctioni jam hodie à multis insistitur: nimis autem temerarium foret dicere, neminem Sanctorum Patrum scopum attigisse; omnes impossibilia intentâsse; rem porrò conclusam probatam fuisse à nemine: supponebant ergo omnes, Religionis veritatem concludi certò posse; nec ut opinarentur solùm, sed ut convincerent, tantis, credo, voluminibus concertârunt.* Hæc ille.

LIV. Quæ quàm verè dicta sint, constabit legenti eloquentissimam Orationem D. Chrysostomi, cui hunc titulum præfixit: *Adversùs Gentiles demonstratio, quòd Christus sit Deus:* ubi ex ipso titulo dignoscitur, scopum Chrysostomi non fuisse, tantùm credibilitatem Christianæ Religionis, sed ejus veritatem demonstrare. Ad hoc autem demonstrandum, argumentum sumit ex his, quæ Philosophus Gentilis Christum fecisse non negat: *Neutiquam enim,* inquit, *contradicit, quòd omnes undequaq; Ecclesias Orbis Christus fundârit: hinc autem faciemus demonstrationem veritatis Christi, & ostendemus, ipsum esse Deum. Et enim non est puri hominis, in tantis rebus Orbem mari, terráque tam brevi tempore comprehendere, & tam absurdis moribus præventum, tantísque malis irretitum liberare humanum genus, &c.* Quod validissimè probat, & tandem tam clarè sibi visus est Divinitatem Christi demonstrâsse, ut meritò dixerit: *Nullus itaque his contradixerit, nisi qui valdè insanus, & totus stupidus, naturæque sensu privatus.* Idémque demonstrat in quinque Orationibus adversùs Judæos, quæ omnes habentur tom. 5.

LV. Secundò veritatem nostræ Fidei, & non solùm ejus credibilitatem, probat Augustinus lib. 22. de Civitat. cap. 57. cui titulus est, quòd mundus in

Christum crediderit, virtutis fuisse Divinæ, non persuasionis humanæ, cujus verba suprà lib. 1. cap. 8. dedimus. Ibi enim præclarè ostendit, fieri non potuisse, ut non solùm populus, sed multi ex sapientibus crediderint Resurrectionem Christi, atque in Cœlos ascensionem, aliáque mysteria, quæ mens humana respuisset, nisi ea fieri potuisse, atque facta esse Divinitas ipsius veritatis, vel veritas Divinitatis, constantiáque miraculorum signa monstrarent. Quod argumentum latè prosequitur, Divinitatem Christi demonstrans ex mirabili mundi conversione, quam Christo adscribit.

LVI. Hinc S. Th. 1. contra gent. c. 6. dixit, hanc tam mirabilem mundi conversionem ad Fidem Christianam indicium certissimum esse præcedentium signorum, ut ea ulteriùs iterare necesse non sit, cùm in suo effectu appareant evidenter. Esset autem, inquit, omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, & operandum tam difficilia, & sperandum tam alta mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus & ignobilibus hominibus. Sumpsit hoc argumentum S. Thomas ex Augustino lib. 22. de Civit. cap. 5. ubi subtiliter redarguit eos, qui credere nolunt carnis resurrectionem, sumítque argumentum à mundo jam credente resurrectionem Christi, ejúsque in Cœlos ascensionem, formátque hoc dilemma: vel mundus, hoc credendo, credit rem credibilem, & sic inexcusabiles sunt, qui rem credibilem, credere nolunt, vel credit rem incredibilem; & sic jam admittit aliquid incredibile, nempe mundum tam firmiter credidisse id, quod erat incredibile. Si ergo jam factum esse videmus unum duorum incredibilium, cur non credemus futurum alterum, nempe nostrorum corporum resurrectionem?

LVII. Et argumentum hoc subtiliter prosequens concludit, Apostolos narrantes, quæ viderant, & prædicationem suam confirmantes signis & miraculis, mundum traxisse ad credendam Christi resurrectionem, & in Cœlos ascensionem. Unde tandem concludit: si verò per Apostolos Christi, & ut eis crederetur, resurrectionem, atque ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc unum nobis grande miraculum sufficit, quòd eam terrarum Orbis sine miraculis credidit.

LVIII. Unde Augustinus conficiebat hoc dilemma: vel Apostoli prædicantes Divinitatem hominis Crucifixi, ejúsque resurrectionem, atque in Cœlos ascensionem, mundo persuaserunt hanc doctrinam, mediis signis & miraculis, vel sine miraculis? Si primum, convincitur, illam doctrinam esse veram, quia Deus nequit facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ. Si secundum, hoc ipsum certiùs convincitur, quia solus Deus potuit dare efficaciam nudis piscatorum verbis ad persuadendam veritatem doctrinæ, quæ humanæ rationi Divina luce destitutæ videbatur omnino incredibilis, & ut moverent homines ad tam arduam, & moraliter impossibilem morum mutationem, nisi Deus ipse suâ omnipotentiâ interiùs corda mutaret. Ergo mani-

nifestum est, D. Augustinum non solùm probâsse, quòd mysteria nostræ Fidei sint credibilia, sed quòd sint vera, & in hunc scopum argumenta ejus collimâsse: unde libro de vera Religione dicebat: *Christianis temporibus, quænam Religio sit potissimùm tenenda, & quæ ad veritatem, & beatitudinem via sit, non esse dubitandum.* Similiter Arnobius lib. 2. contra gentes ait, *incredulum genus humanum doctrinæ Christi non fuisse consensurum, nisi aperta res esset, & luce ipsa, ut dicitur, clarior.* Eodem modo loquuntur S. Leo Papa serm. 1. de Ascensione, & Origines homil. 30. in Matth. Ex dictis concluditur, veritatem Religionis Christianæ demonstrabilem esse, & à nobis demonstratum, Deum esse Authorem illius, & evidens est, Deum non posse esse Authorem Religionis falsæ.

CAPUT TERTIUM.

An, & quomodo cum Fide libera & obscura mysterii possit componi evidentia in attestante?

LIX. DOCTORES affirmantes, argumenta credibilitatis, quibus Religio Christiana fulcitur, solùm evincere, illam esse evidenter credibilem, eo potissimum fundamento nituntur, quòd existimant, Fidem non componi cum evidentia in attestante, seu non posse esse Fidem in eo, qui evidenter cognoscit, Deum esse, qui testificatur. Qui autem hoc existimant, multi, gravésque sunt, nimirum Durandus, Bannez, Victoria, Aragon, & Cano apud Suarez disp. 3. de Fide sect. 8. num. 14. At sententia affirmans evidentiam in testificante non opponi cum Fide, est valde communis, inquit Suarez ibi, pro ea citans Alensem, Scotum, Carthusianum, Cajetanum, Ferraram, Mendozam, Vegam, Zumelium, Vasquium, & Valentiam; quibus adde Medinam, Gabrielem, Torres, Meratium, & Coninck apud Ripaldam disput. 12. sect. 1. qui eos sequitur, & amplius dicit, nempe assensum evidentem revelationis posse esse elicitum per Fidem. Item P. Amicus disp. 2. sect. 5. num. 131. ubi asserit, eundem actum posse esse evidentem in attestante, & simul obscurum respectu rei revelatæ. Et hanc sententiam egregiè promovet P. Ægidius Estrix, olim Lovanij magni nominis Theologiæ Professor, & nunc Provinciæ Flandrobelgicæ Societatis nostræ Provincialis, in Diatriba Theologica assert. 32.

LX. Hi tamen Authores inter se divisi sunt in modo tuendi hanc sententiam. Nam Thomistæ, nimirum Cajetanus 2. 2. quæst. 1. art. 4. & quæst. 5. art. 1. Ferrara 3. contra gent. cap. 40. Medina 1. 2. quæst. 90. art. 1. ad 6. Item Vasquez 1. part. disput. 135. cap. 3. & 3. part.

part. disp. 53. cap. 1. Torres hîc disput. 9. dub. 4. Meratius disp. 3. sect. 4. in 2. conclus. & Amicus, atque Ægidius Estrix, ubi nuper, existimant, evidentiam in attestante non esse absolutè & simpliciter evidentiam rei attestatæ, atque adeò ea, quæ creduntur propter attestationem evidentem, non esse absolutè evidentia, atque scita. Redditque rationem P. Estrix n. 148. quia assensus præstitus mysterio ob testificationem Dei evidenter cognitam, *Non nititur argumentis petitis ex natura ipsa rei creditæ, sed solo testimonio Dei affirmantis, quæ est ratio quædam prorsus extranea rei creditæ, rem ipsam relinquens circumfusam obscuritate quadam, & tenebris, non nisi in beata vita depellendis.* At reliqui censent, evidentiam in attestante esse simpliciter, & absolutè evidentiam rei attestatæ, ut Coninck, Hurtadus, & Ripalda eos referens, & sequens disp. 12. num. 9. Eatenúsque Authores isti dicunt, evidentiam in attestante componi cum Fide, quatenus censent contra Thomistas, non esse conditionem necessariam ad Fidem, quòd objectum creditum non sit scitum.

LXI. Itaque licèt omnes Thomistæ conveniant in asserendo, non posse dari Fidem de eo, quod aliunde scitur; tamen Cajetanus, Ferrara, Medina, & alii docent, Fidem componi cum evidentia in attestante, ac proinde hęc duo rectè cohærere, nimirum me evidenter cognoscere, Deum revelâsse aliquod mysterium, & tamen Fide Divina illud credere: unde Cajetanus 2. 2. quæst. 1. art. 4. §. *Respondetur* 2. monet, distinguendum esse inter cognitionem certam ex evidentia rei cognitæ, & certam ex evidentia testimoniorum ejus: *Hæc enim*, inquit, *in tantùm distant, ut prima repugnet Fidei, secunda autem repugnet fidei testimonij; sed non fidei rerum, quæ sunt attestata.* Et hinc concludit, quòd licèt ea, quæ sunt Fidei, nequeant esse visa in seipsis, possunt tamen esse visa in ratione credibilis, quia scilicet simul possunt esse ab eodem credita secundùm se, & visa in ratione credibilis. Quæ est doctrina D. Thomæ eo art. 4. ad 2. ubi inquit: *Ea, quæ sunt Fidei, dupliciter considerari possunt; uno modo in speciali, & sic non possunt esse simul visa, & credita; alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis, & sic sunt visa ab eo, qui credit: non enim crederet, nisi videret, ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.*

§. I.

Ostenditur, evidentiam in attestante, saltem illam, quæ comparatur penetrando motiva evidentia credibilitatis Religionis Christianæ, componi cum fide obscura mysteriorum.

LXII. MIHI certissimum est, componi cum Fide eam saltem evidentiam in attestante, quæ comparatur per penetrationem argumentorum credibilitatis, quibus insignita est Religio Christiana, & per reflexionem supra providentiam Dei, impotentis velle, imò & permittere, quòd Religio falsa proponatur cum tanta apparentia veritatis, quantam habet Religio Christiana;

stiana. Ratio à priori est: quia quòd quis per penetrationem illorum argumentorum certus sit certitudine scientiæ de eo, quòd Deus mysteria nostræ Fidei revelaverit, non tollit, quòd suppositâ illâ scientiâ præcisè ut applicante authoritatem Dei revelantis, intellectus noster illuminatus lumine Fidei ex imperio voluntatis cum summa firmitate assentiatur mysterio de se obscuro, unicè ob authoritatem Dei testificantis; sic autem assentiri abs dubio est actus Fidei Divinæ. Probatur assumptum: quia quòd quis evidenter cognoscat, Deum loqui, & aliunde evidenter sciat, Deum non posse loqui falsum, non est impedimentum, ut unicè ab authoritate Dei moveatur ad credendum, quod Deus dicit: quòd enim cognoscatur evidenter motivum assentiendi, non impedit, neque retardat assensum, unicè innitentem tali motivo, sed potiùs juvat, quatenus fortiùs impellit ad assensum illum eliciendum. Sic quòd ego evidenter sciam, Petrum mihi dicere aliquid ex se difficile creditu, & quòd aliunde sciam, ipsum in dictis suis esse veracem, non impedit, quòd illi credam rem illam, imò quò certior fuerim de ejus veracitate, & evidentiùs cognovero, eum mihi loqui, eò firmiùs credam id, quod mihi dicit.

LXIII. Sed respondebis, in eo Fidem Divinam ab humana discriminari, quòd hæc potest niti testimonio dicentis evidenter noto, non autem illa, quia testimonium humanum, cùm sit fallibile, licèt evidenter notum, non cogit intellectum ad præbendum assensum rei attestatæ; cogit autem testimonium Dei evidenter notum, utpote infallibile; de essentia autem Fidei est, ut sit actus liber credenti. Sed contrà: quia hoc discrimen gratìs assumitur, nam sicut, me evidenter cognoscere, Petrum mihi loqui, non est impedimentum, ut ipsi credam, sed potiùs juvat, neque hoc cognoscere, est munus Fidei humanæ, sed scientiæ, ita me evidenter cognoscere, Deum mihi loqui, nequit Fidem dandam dictis ejus impedire, neque cognitio illa, vi cujus certus sum, Deum mihi loqui, ad Fidem Divinam pertinet, sed ad scientiam humanam, juxta illud Pauli, *scio, cui credidi*: ad Fidem enim solùm spectat, assentiri his, quæ à loquente dicuntur, quia ab illo dicuntur; & non quia aliunde mihi nota sunt. Quòd autem ego per principia naturalia evidenter noverim, Deum in omnibus suis dictis esse veracem, quod de homine evidenter cognoscere non possum, solùm probat, Deum dignum esse, ut sibi loquenti multò firmiùs credamus, quàm ulli hominum; non probat autem, quòd per fidem dictis ejus non adhæreamus.

§. II.

Explicatur, quo pacto libertas fidei cohæreat cum evidentia attestationis divinæ.

LXIV. NEQUE obstat libertas Fidei Divinæ: primò, quia homo liberè & meritoriè ex desiderio credendi applicat intellectum ad expendenda argumenta credibilitatis, quæ persuadent, Deum loqui, & saltem denominativè à libertate illius applicationis, assensus Fidei evadit liber. Secundò,

dò, quia, licèt motiva credibilitatis ritè penetrata sufficiant ad judicium certum, & evidens, quòd Deus mysteria nostræ Fidei revelaverit, tamen quia simul intellectus videt illorum arduitatē, motiva illa proposita per apprehensionem suasivam eum non rapiunt ad assensum, sicut rapiunt ea, quæ sunt ex terminis nota. Unde opus est, ut voluntas mota per gratiam vel imperet assensum de existentia revelationis, vel saltem illum permittat, quatenus intellectum non applicat ad considerandam difficultatem mysterij: unde illa motiva rectè pensata sufficiunt quidem, ut quis agnoscens, illa esse metaphysicè connexa cum veritate, experiatur evidentissimam obligationem assentiendi existentiæ revelationis, & captivandi intellectum ad assensum mysterij ob authoritatem Dei loquentis, quamvis illud videat esse valde arduum, & supra omnem humanam rationem; non tamen sufficiunt, ut rapiatur in assensum sine consensu voluntatis; nam hæc potest illum impedire ob difficultatem mysterij, & postmodum omnino avertere intellectum à consideratione illorum motivorum, ipsum applicando ad difficultatem mysterij ponderandam, donec in hæresim prolabatur.

LXV. Tertiò: quia adhuc, postquam intellectus convictus argumentis credibilitatis, annuente voluntate, assensum præstitit existentiæ revelationis, non cogitur ad assensum mysterij, nisi accedat aliud judicium, quo evidenter judicet, Deum esse summè veracem. Quamvis autem posito utroque judicio, necessitetur ad judicandum mysterium esse verum, non propterea necessitatur ad actum Fidei, quia tunc facit hunc discursum: Deus est summè verax, ac proinde non potest revelare, nisi verum; at revelavit Trinitatem: ergo Trinitas est vera. Conclusio autem ista non est actus Fidei Divinæ: siquidem hæc non est discursiva, quia actus Fidei debet unicè niti authoritate Dei revelantis; conclusio autem illa hoc non habet: siquidem rationes probantes, Deum esse veracem, & argumenta persuadentia, Deum revelâsse mysterium, & insuper bonitas illationis cognita per se influunt in illam conclusionem, & sunt illius motivum: præmissa enim objectiva non movet, nisi quatenùs probata, & probatione ipsa movente, quousque deveniamus ad prima principia per se nota, quibus innititur certitudo conclusionis scientificæ. Demum quia, cùm præmissæ illæ sint evidentes, evidentia quadam naturali, conclusio non habet majorem certitudinem, quàm præmissæ: actus autem Fidei certior est actu evidenti, ut contra Durandum docent communiter Theologi ex Scripturis, & Patribus apud Suarez disp. 6. de Fide, Sect. 5. num. 6. ergo illa conclusio non est actus Fidei: ergo ex eo, quòd posito utroque illo judicio sit necessitatus intellectus ad assensum mysterij, non sequitur, esse necessitatum ad actum Fidei. Ratio autem à priori, cur Fides sit certior, quàm scientia, sumitur, inquit ibi Suarius, ex altioribus causis, quibus nititur certitudo Fidei: fundatur enim in prima veritate, quam fallere vel falli impossibilius est, quàm natura-

 lem

lem scientiam hominis errare: item pendet certitudo Fidei ex lumine infuso, & Divino, quod longè excellentius est, quàm lumen naturale intellectûs: hujusmodi ergo lumen etiam confert excellentiorem certitudinem. Unde sæpè corrigimus naturale lumen per lumen Fidei, etiam circa illa, quæ videntur esse principia prima, ut patet in illo; *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* quod in materia de Trinitate limitamus ad res finitas, & in aliis materiis, præsertim Incarnationis, & Eucharistiæ multa alia limitamus, ut Fidei non repugnent: quod signum est, lumen Fidei certius esse.

LXVI. Ex ipsa etiam ratione formali certitudinis probatur excessus alius Fidei supra actum scientiæ; nam certitudo assensûs intellectûs, quatenus præscindit ab evidentia, & certitudine Fidei, est firma adhæsio intellectûs circa verum, ut definit D. Thomas in 3. dist. 16. quæst. 2. art. 4. & quatenus certitudo est accidens distinctum ab evidentia, in hoc propriè consistit, quòd, quamdiu certus assensus in intellectu viget, aut retinetur, nequit aliquis deliberatè vereri, ne non sit verum, quod per talem assensum sibi persuadet, ut explicat optimè P. Valentia; at is, in quo viget actus Fidei Divinæ, quo credit mysteria, propter authoritatem Dei revelantis, multò minùs dubitare potest de illorum veritate, quàm de ullis veritatibus evidentibus, & faciliùs has negaret, quàm veritates Fidei, quamdiu actum Fidei retinet: ergo certior est actus Fidei, quàm actus scientiæ.

LXVII. Et quamvis certitudo actûs Fidei componatur cum vehementi tentatione contra Fidem, & cogitationibus indeliberatis, inclinantibus ad dissentiendum mysteriis, hoc non minuit certitudinem Fidei, sed potiùs illam commendat: nam quòd certitudo Fidei non admittat deliberatam dubitationem in intellectu, etiamsi mille argumenta occurrant, quibus homo satisfacere nesciat, nisi recurrendo ad Fidem, hoc est apertum signum majoris certitudinis. Nec mihi placet distinctio, qua utuntur Cajetanus 1. part. quæst. 1. art. 3. & Capreolus in 3. dist. 25. asserentes, certitudinem Fidei dupliciter considerari posse, scilicet secundùm se, & quoad nos; & primo modo esse certiorem, secundo autem minùs certam, quàm scientiam. Non placet, inquam; nam actus Fidei non solùm in se est certior actu scientiæ, sed etiam reddit nos certiores de veritate credita, quàm reddat actus scientiæ de veritate scita; ut enim inquit P. Suarez, quid prodesset nobis major certitudo Fidei in se, si nos etiam non redderet magìs certos? vel quomodò posset nobis constare de hac majori certitudine Fidei in se, si in nobis illam non efficeret? Solùm ergo potest dici in alio sensu actus Fidei minùs certus quoad nos, quàm actus scientiæ, quia potest componi cum illo aliqua imperfectio indeliberatæ formidinis, vel dubitationis, propter obscuritatem suam, quæ non potest componi cum actu scientiæ.

LXVIII. Potest ergo bifariam homo doctus assentiri veritati mysterij, faciendo discursum, & assentiendo in vi eviden-

evidentiæ præmissarum; & tunc assensus ille non est Fidei; vel prætermisso discursu. Postquam enim homo certificatus est, Deum summè veracem illud revelâsse, ex affectu captivandi intellectum in obsequium Dei loquentis, imperat ei, ut unicè ob Authoritatem Dei loquentis firmiùs assentiatur mysterio, quàm assentitur ulli veritati ob rationem sibi evidentem. Et respectu hujus assensus evidentia illa in attestante non se habet per se, ut causa influens, sed ut mera conditio applicans motivum Fidei sub prædicato sibi communi cum cognitione moraliter certa, qua quilibet fidelis ante assensum mysterij debet sibi firmiter persuadere, Deum illud revelâsse: illa namque evidentia est paucorum, & minimè necessaria ad Fidem; sufficit enim judicium moraliter certum, excludens omne dubium prudens de eo, quòd Deus revelaverit mysterium, ut quis illustratus lumine Fidei imperet assensum multò firmiorem circa mysterium, quàm fuerat ille, quem formaverat de existentia revelationis ob motiva credibilitatis. Sicut ut quis propter Augustini authoritatem cum magna firmitate assentiatur ejus dictis, sat est, quòd per motivum inferioris ordinis, nempe ob testimonium hominis fide digni sibi persuadeat, tale dictum esse Augustini.

LXIX. Quare judicium de eo, quòd Deus sit summè verax, & quòd revelaverit mysteria nostræ Fidei, non pertinent ad illam, tanquam præmisæ, quibus innitatur, & commensuretur certitudo Fidei, sed sunt præambula, & conditiones præviæ, applicantes motivum Fidei; quibus præsuppositis, incipit Fides ex imperio voluntatis asentiri cum summa adhæsione mysteriis, unicè ob authoritatem Dei revelantis, & non propter rationes, quibus certificatur homo, Deum revelâsse mysteria, & esse sumè veracē, ac proinde incipit assentiri cum certitudine superioris ordinis ad illam, quam habet homo de existentia revelationis, & de veracitate Divina.

LXX. Diversáque valde est natura & indoles Fidei à natura & indole scientiæ. Nam scientia facit scire, & intelligere, id est, quasi intus legere, ut explicat S. Thomas: at fides facit credere, & rem magìs devorat, quàm mandit, & rebus assentitur, non quia capit, & rationem earum assequitur, sed quia à Deo dicuntur: unde scientia est oculata; Fides est cæca. Scientia comparatur visui, & fertur ad objecta, in quantum apparent, & evidentia videntur, & tota illius certitudo & adhæsio evidentiæ objectorum, exæquatur; & cùm objectorum illorum in indivisibili consistat veritas, tamen cognitiones scientiarum sunt magìs, vel minùs certæ pro majori, vel minori evidentia eorum. Fides autem magis auditui comparatur ab Apostolo, dicente: *Fides ex auditu*, & quidem propriissimè: audimus enim non solùm clara, sed obscura etiam, & obscurissima, & prorsus inintelligibilia, éstque auditus potiùs absentium loco & tempore, quàm præsentium, ac proinde Fides est ex auditu, ac primariò saltem, rerum non apparentium, ejúsque certitudo unicè commensuratur authoritati Dei dicentis, non autem rationibus, quibus

inducti sumus ad judicandum, Deum dixisse mysteria, illáque revelâsse. Ad Fidem itaque tantùm attinet, credere ea, quæ à Deo dicuntur, quia ab eo dicuntur, quantumvis difficilia, & supra omnem rationem humanam sint. Sic judicium illud, quo mihi persuadeo, Petrum esse veracem in dictis suis, & judicium, quo scio, Petrum mihi loqui, non pertinent ad fidem humanam, qua credo Petro loquenti. Antequam autem quis credat Deo loquenti, priùs scire debet, Deum loqui: nam *qui citò credit, levis est corde*, & ideo Paulus ajebat: *Scio, cui credidi*; nec potest prudenter credere rem, tanquam à Deo revelatam, nisi antecedenter per argumenta gravia, & rationes efficaces sibi firmiter persuadeat, Deum revelâsse rem illam, & evidenter videat, eam esse credibilem, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 4. ad 2. ubi ait, quòd, licèt ea, quæ creduntur, non possint esse simul visa in speciali, idest, in se ipsis, debent tamen esse visa in generali, idest, sub ratione communi credibilis ab eo, qui credit: *Non enim crederet*, inquit, *nisi videret, ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel aliquid hujusmodi*; atque adeò, ut explicat ibi Cajetanus, verè & virtuosè credere, exigit evidentiam, quòd illud sit credibile, ita quòd nullus verè, id est, absque formidine alterius partis, & virtuosè, hoc est, prudenter, credit aliquid, nisi evidenter cognoscat, illud esse credibile.

§. III.

Quomodo cum evidentia attestationis cohæreat fides mysterij.

LXXI. At obiicies 2. evidentiam in attestante opponi cùm Fide; nam Fides juxta Apostolum ad Hebræos 11. *Est argumentum non apparentium*; evidentia auté illa facit apparere veritaté mysterij: nam si mihi evidens est, Deum non posse fallere, aut falli in his, quæ revelat, & aliunde mihi evidens est, Deum revelâsse Trinitatem, evidens mihi erit, Deum esse Trinum; ac proinde mysterium ipsum apparebit evidenter: ergo non potero de illo habere Fidem.

LXXII. Huic objectioni bifariam respondere possumus; primò juxta sententiam afferentem, evidentiam attestationis Dei reddere evidentem rem attestatam; & huic sententiæ inhærendo, dicere possumus, Fidem debere esse de non apparentibus per se, id est, de his, quæ per principia naturalia non sunt nobis evidenter nota: ac proinde opponi cum Fide, quòd quis credat propter testimonium Dei illud ipsum, quod aliunde independenter à tali testimonio vel per sensum videt, vel per intellectum evidenter cognoscit; non opponi autem cum Fide, quòd quis ob authoritatem Dei credat illud ipsum, quod ex vi illius testimonij sibi evidenter noti, & ex vi alterius præmissæ evidenter quoque cognitæ cognoscit per discursum, esse verum.

LXXIII. Idque deduco ex principiis S. Thomæ; ut enim ille inquit hîc quæst. 1. art. 4. in Corp. assentitur intellectus alicui dupliciter; uno modo quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est per se ipsum cognitum, sicut patet in primis principiis, quorum est intellectus; vel

est

est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia: alio modo intellectus assentitur alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis quàm in aliam; & siquidem exit cum dubitatione & formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque formidine, erit Fides. Illa autem videri dicuntur, quæ per se ipsa movent intellectum nostrum, vel sensum ad sui cognitionem. Hinc deducit Sanctus Doctor, quòd nec Fides, nec opinio potest esse de ipsis visis, aut secundùm sensum, aut secundùm intellectum. Et art. 5. probat, non posse quem credere per Fidem illud ipsum, quod cognoscit evidenter per scientiam, & reddit rationem, quòd omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, & per consequens visa; & ideo oportet, quæcumque sunt scita, aliquomodo esse visa: non est autem impossibile, quòd idem ab eodem sit visum, & creditum; unde etiam possibile est, quòd idem ab eodem sit scitum, *& creditum*. Hæc S. Thomas.

LXXIV. Ex quibus probatur, eum, qui assentitur mysterio Trinitatis, non quia ab ipso sufficienter movetur, neque quia movetur ab aliquo principio per se noto, ex quo per evidentem consequentiam deducitur, Deum esse Trinum, sed unicè ex electione voluntatis assentitur ob authoritatem Dei dicentis, assentiri per Fidem; quamvis aliunde evidenter cognoscat, Deum loqui, & hanc evidentiam conjungendo cum alia de Dei veracitate, per discursum possit evidenter deducere, Deum esse Trinum. Quod confirmatur: quia, ut inquit S. Thomas hîc quæst. 5. art. 1. in Corp. intellectus credentis assentitur rei creditæ, non quia ipsam videat, vel secundùm se, vel per resolutionem ad prima principia per se visa; at qui assentitur mysterio unicè ob testimonium Dei sibi evidenter notum, assentitur rei creditæ, non quia ipsam videat secundùm se, vel per resolutionem ad prima principia per se nota: ergo assentitur per Fidem.

LXXV. Secundò respondere possumus ex eodem S. Thoma, Cajetano, Vazquez, & aliis, evidentiam illam Dei, ut attestantis mysterium Trinitatis, non inferre evidentiam ipsius Trinitatis attestatæ; sed optimè componi, quòd alicui sit evidens, Deum esse veracem, & revelâsse Trinitatem, quin hæc sit illi evidens absolutè in se; sed solùm sit evidens secundùm quid, nempe evidentiâ in attestante, & absolutè maneat obscurum ipsum mysterium. Quamvis enim ex evidentia præmissarum legitimè inferatur, conclusionem esse veram; non infertur tamen, ex terminis & in omni materia conclusionem esse evidentem: quia, quamvis ex vero nunquam possit sequi falsum, tamen ex evidenti non semper sequitur evidens: unde quamvis alicui forent evidentes istæ præmissæ: *Quidquid Deus revelat, est verum; sed Deus revelat Trinitatem*, non foret evidens ista conclusio, evidentiâ consequentis: *Ergo Trinitas est vera*; sed solùm evidentiâ consequentiæ, quia licèt sit evidens, veritatem istius conclusionis inferri ex veritate præmissarum, non

non redditur illa veritas in se evidens, quia præmissæ illæ non faciunt, ut pateat mysterium Trinitatis, & detegatur convenientia prædicati cum subjecto, nempe Trinitatis cum Deitate; sed adhuc manet clausum, & obscurum ipsum mysterium, totáque evidentia sistit in præmissis, & in bonitate illationis, & non transit ad conclusionem illatam.

LXXVI. Et hanc existimo esse apertam sententiam D. Thomæ, qui 2. 2. quæst. 5. art. 2. hæc habet: *Si aliquis Propheta prænuntiaret in sermone Domini, aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando, ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifestè, hoc dici à Deo, qui non mentitur, licèt illud futurum, quod prædicitur, in se evidens non esset: unde per hoc ratio Fidei non tolleretur.* Ergo juxta S. Thomam stat, quòd aliquis evidenter cognoscat, Deum testificari mysterium Trinitatis. & tamen quòd Fide obscura illud credat. Ratio est, quia non habet scientiam de Trinitate Personarum, qui non assequitur rationem, ob quam una essentia possit identificari cum tribus personis; hanc autem rationem non assequitur quis ex eo, quòd evidenter sciat, Deum testificari, se esse Trinum: unde identitatem Deitatis cum Trinitate non scit, sed credit, nec sibi persuadet, Deum esse Trinum, quia hujus mysterij rationem capit; sed quia evidenter scit, hoc à Deo dici, & obligatorium judicat, subiicere intellectum Deo loquenti.

LXXVII. Et sanè qui existimant, evidentiā in attestante non componi cum Fide, coguntur asserere, neque Moysem, neque Apostolos, neque B. Virginem, & Prophetas, qui viderunt manifesta miracula, quæ Deus in ipsis, vel per ipsos, vel in aliis coram ipsis operatus est, non habuisse evidentiam Dei testificantis: siquidem omnes illi Fide Divina crediderunt, quæ Deus testificabatur per illa signa; at falsum est, nullū ex his habuisse evidentiam Dei ut testificantis; ergo falsum est, hanc evidentiam opponi cum Fide. Profectò non videtur dubitari posse, Beatam Virginem evidenter cognovisse, in ipsa completam esse prophetiam Isaiæ: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*: cognovit ergo evidenter, filium suum, quem virgo concepit, & virgo peperit, esse Messiam in lege promissum, esse Doctorem veritatis, & Filium Dei naturalem: ergo cognovit evidenter, Deum loqui per os Christi; at Christus testificatus est, Deum esse Trinum, futurum esse diem judicij, carnis resurrectionem, & alia hujusmodi: ergo si evidentia in attestante opponitur cum Fide, B. Virgo non credidit per Fidem mysteria illa, quæ Christus Ecclesiæ suæ revelavit: quod constat esse falsum, & contra omnium mentem. Omitto argumentum petitum à cognitione Angelorum, qui in via habuerunt Fidem mysteriorum nostræ Fidei, ut docet communis sententia Theologorum cum D. Thoma 2. 2. q. 5. art. 1. & tamen evidenter cognoverunt, Deum sibi loqui, ut rectè probat Coninck disp. 11. num. 53.

LXXVIII. Quomodo autem evidentia in attestante componatur cum Fide obscura mysterij, explicat optimè idem Author: nam hæc duo multùm inter se distant, *hæc res*, v. g. Quòd Deus

Deus sit Trinus & unus, *est mihi in se evidens: & evidens mihi est, quòd Deus dicat, se esse Trinum, & quòd hæc ejus assertio sit vera*: nam in prima propositione significatur, naturam subjecti & prædicati, aut saltem naturam & qualitatem connexionis, quæ inter illa est, mihi esse clarè cognitas, sive me clarè scire, qua ratione prædicatum conveniat subjecto. In secunda verò solùm significatur, me evidenter cognoscere, dari à parte rei assertionem essentialiter veram, quòd illud prædicatum conveniat subjecto; stat autem, me hoc evidenter scire, licèt omnino ignorem, qua ratione illi conveniat. Quod duplici exemplo illustrat: nam ex eo quòd videam magnetem attrahentem ferrum, clarè colligo, & scio à posteriori, eum habere in se vim attrahendi, & consequenter clarè scio, hanc esse veram: *Magnes habet vim attrahendi ferrum*; ignoro tamen, qualis sit hæc vis, aut quomodo hæc attractio fiat: & consequenter illa veritas est mihi in se inevidens, & solùm evidens in effectu.

LXXIX. Quod adhuc clarius est, quando videmus, rem aliquam ex alia aut semper, aut ferè semper sequi, & ignoramus, an id fiat vi aliqua ipsi rei intrinseca, an verò virtute Divina, aut etiam dæmonis, ut contingit in occiso emittente sanguinem, præsente occisore; quod nobis evidens est fieri, cùm tamen sit obscurissimum, quomodo id fiat: atque adeo evidens est, præsentiam occisoris habere vim causandi emissionem sanguinis; qualis tamen sit hæc vis, & unde eam habeat, obscurissimum est. Ergo optimè componitur, Angelum, vel Prophetã evidenter scire, Deum testificari ipsi, se esse Trinum, quin propterea illi evidens sit mysterium Trinitatis in se, quia nimirum non assequitur vi testificationis Divinæ rationem, ob quam Trinitas personarum cohæreat cum unitate essentiæ.

LXXX. Idque alio exemplo explicatur: nam si aliquis Mathematicus coram me faciat demonstrationem, vi cujus quasi ad oculum videam veritatem antea mihi ignotam, & postea, oblitus medium demonstrationis, evidenter tamen meminerim, me olim vidisse demonstrationem de tali veritate, evidens nunc mihi erit, rem illam ita se habere, sicut Matthematicus olim demonstravit; tamen nunc non erit res illa mihi evidens, quia nunc non habeo demonstrationem illam Mathematicam, siquidem nunc non recordor illius rationis, quam Mathematicus adhibuit pro medio suæ demonstrationis.

LXXXI. Ratio autem à priori est, quia testimonium Dei de Trinitate, quamvis essentialiter sit conexum cum veritate affirmata, tamen quia nec illam supponit, tanquam effectus perfectionem causæ, quam participat & explicat; nec illam continet, tanquam causa effectum, & aliunde est medium prorsus extrinsecum, quamvis evidenter cognoscatur, nequit detegere convenientiam prædicati cum subjecto; sed semper illa manet omnino occulta, & quasi sub velo, ac proinde objectum illud manet obscurum, & proportionatum Fidei. Quare testimonium Dei non solùm est medium extrinsecum rei attestatæ in essendo, sed etiam in cogno-

ſcendo, ad differentiam effectûs eſſentialiter ſupponentis cauſam, & explicantis ejus perfectionem, qui licèt ſit medium extrinſecum cauſæ in eſſendo, eſt tamen intrinſecum in cognoſcendo, ut explicat P. Amicus diſput. 2. num. 150.

§. IV.

Infertur ex dictis, non militare contra noſtram ſententiam, doctrinam Cardinalis Bellarmini, aſſerentis, notas Eccleſiæ ſeu argumenta credibilitatis, non facere evidentiam veritatis ſimpliciter.

LXXXII. SApientiſſimus Cardinalis Bellarminus, lib. 4. de Eccleſia Militante, ſeu lib de notis Eccleſiæ, cap. 3. meritò pronuntiat: *Eccleſiam Catholicam eſſe quaſi ſolem quemdam, qui radios lucis clariſſimos ex omni parte effundit, ut facillimè per eos cognoſci poſſit.* Habet enim plurimas notas, ſive teſtimonia ac ſigna, quæ eam diſcernant ab omni falſa Religione Paganorum, Hæreticorum.

LXXXIII. Addit tamen, hæc teſtimonia ſeu ſigna non efficere evidenter verum, quòd ipſa ſit vera Dei Eccleſia, atque Religio, ſed ſolùm id efficere evidenter credibile; & poſtquam explicuit, quomodo non ſit idem, *evidenter* verum, & *evidenter* credibile; prout nos ipſius verbis ſuprà explicavimus, libro 1. ſubjungit: Dicimus ergo, notas Eccleſiæ non facere evidentiam veritatis ſimpliciter, quia alioqui non eſſet articulus Fidei, hanc Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam, neque ulli invenirentur, qui id negarent, ſicut nemo invenitur, qui neget ſententias, quas Mathematici demonſtrant; ſed tamen efficere evidentiam credibilitatis, juxta illud Pſ. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Apud eos autem, qui admittunt Scripturas Divinas, ac Patrum veterum ſcripta, faciunt etiam evidentiam veritatis: tametſi enim articulorum Fidei veritas non poteſt nobis eſſe evidens abſolutè; tamen poteſt eſſe evidens ex hypotheſi, id eſt ſuppoſita veritate Scripturarum; quod enim è Scriptura evidenter deducitur, eſt evidenter verum, ſuppoſitis Scripturis. Hæc ille.

LXXXIV. Nos hanc ſecundam partem accipientes, quam veriſſimam eſſe exiſtimamus, ut poſtea lib. 3. oſtendemus; ad primam reſpondemus, hoc argumentum dumtaxat probare, Religionem Chriſtianam non eſſe evidenter veram, evidentiâ ſimpliciter tali, ſeu evidentiâ rei in ſe, & per principia intrinſeca: *Nam evidenter verum dicitur, quod vel in ſe, vel in ſuis principiis videtur*, ut inquit ibi idem Cardinalis. Veritas autem myſteriorum noſtræ Fidei, nec in ſe, neque in ſuis cauſis videtur, quia non dantur ullæ cauſæ naturales, vel ulla principia naturalia, ex quibus veritas myſteriorum Fidei neceſſariò inferatur, vel quæ manifeſtent prædicatum hujus propoſitionis v.g. *Deus eſt Trinus*, convenire ſubjecto; ſed veritas illa eſt omnino obſcura, & clauſa: non probat autẽ illud argumentum, non eſſe Religionem Chriſtianã evidenter verã, evidentiâ in atteſtante reſpectu eorum, qui reflexè penetrant vim argumentorum, quæ illam reddunt evidenter credibilem; quæ eſt evidentia ſolùm ſecundùm quid, cùm ſit per rationem prorſus extraneam rei cre-

creditæ, eam relinquens circumfusam obscuritate quadam, & tenebris, non nisi in beata vita depellendis; & est evidentia, quæ non comparatur, nisi liberè applicando mentem ad considerationem illorum motivorum, & ad multa alia, quæ à paucis penetrantur; quæ proinde relinquit locum merito Fidei, & ut quis liberè avertendo mentem ab iis motivis, & illam figendo in difficultatem mysteriorum, possit à Fide deficere: non enim est evidentia Mathematica, & quasi ex terminis, quæ facilè omnes convincit.

CAPUT QUARTUM.

Solvitur gravis obiectio contra dicta, & ostenditur, ad credendum Fide Divina obscura mysterium revelatum, propter authoritatem Dei revelantis, necessarium non esse, quòd Fide Divina credatur ipsa authoritas; sed satìs esse, quòd supponatur aliunde cognita per discursum evidentem, vel per Fidem humanam moraliter certam.

§. I.

Proponitur objectio.

LXXXV. Contra dicta oppones, neminem posse propter authoritatem Dei revelantis, seu propter ejus Sapientiam & veracitatem credere mysterium Fide obscura & Divina, quin credat eadem Fide Divina veracitatem ipsam, quæ est motivum Fidei. Id latè contendit Eximius Doctor Franciscus Suarez, disp. 3. de Fide, Sect. 6. num 5. ubi pro conclusione statuit, solam evidentem cognitionem, quòd Deus sit prima veritas, non sufficere pro fundamento, & objecto formali Fidei, sed necessariam esse Fidem infusam ejusdem veritatis; redditque rationem potissimam, & fundamentum talis assertionis, num. 6. *Quia fieri*, inquit, *non potest, ut assensus altioris ordinis per se fundetur in assensu ordinis inferioris, neque major certitudo potest fundari in minori.* Atqui assensus Fidei est altioris ordinis, & magìs certus, quàm assensus naturalis, & evidens. Ergo fieri non potest, ut assensus Fidei ex parte sui objecti formalis fundetur in assensu tantùm naturali, & evidenti. Major est per se nota ex terminis, & patet ex illo Aristotelis: *Propter quod unumquodque tale, & illud magìs*: tota enim perfectio effectûs est ex causa, & firmitas ædificij ex fundamento: ergo impossibile est, ut certior sit cognitio fundata in alia, quàm sit illa, in qua fundatur. Et inde probatur consequentia: quia certitudo Fidei tota nititur in suo objecto formali, atque adeo in cognitione ejus; nam ut cognitum movet ad credendum.

§. II.

Statuitur nostra conclusio.

LXXXVI. Nihilominus nobis dicendum est cum Cardinale de Lugo, disp. 1. num. 82. cum Ægidio Conink, Puente, Hurtado, Arriaga, Altisiodorensi, & aliis, quos citavimus in tractatu de Fide, authoritatem Dei revelantis non esse motivum ad credendum mysterium, ut cognitam per Fidem, seu ut creditam, sed ut cognitam aliunde independenter à testimonio, & revelatione Dei. Pro qua sententia stat etiam Cajetanus hic art. 1. quatenus dicit, Fideles non differre ab infidelibus in asserendo, vera esse, quæ Deus dicit; sed in hoc quòd fideles credunt, quod infideles non credunt: sentit ergo, non esse necessarium, illud prius per Fidem credere. Item D. Thomas, quatenus dicit, ea, quæ realiter demonstrari possunt de Deo, per accidens revelari propter eos, qui revelationem non assequuntur, ut patet hîc quæst. 1. art. 5. & 8. ad primum, & in 3. dist. 24. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ubi etiam Capreolus ad argumenta, & Hispalensis notab. 3. & Richardus art. 5. & Carthusianus quæst. 1. & denique Albertus dist. 23. art. 13. ad argumenta: hi namque Doctores sentiunt, eum, qui evidenter cognoscit, Deum esse veracem, non assentiri mysteriis propter veracitatem Fide creditam, sed evidenter aliunde cognitam. Unde idem sentit Scotus: quandoquidem in 3. dist. 24. quæst. unic. §. *ad quæstionem*, & §. *sed aliter loquimur*, negat, Fidem esse de objecto evidenter aliunde cognito.

LXXXVII. Sententiam meam probo. Potest dari assensus Fidei Divinæ innitens authoritati, & veracitati Divinæ, quæ supponi debeat aliunde cognita independenter à testimonio Dei dicentis: ergo non est de conceptu Fidei, niti authoritate Divina, ut cognitâ per Fidem, sed potest niti illâ, ut cognitâ per rationem naturalem. Probatur antecedens: nam sicut Deus potest testari, se esse summè sapientem, æternum, immutabilem, &c. ita potest testari, se esse summè veracem, atque adeò numquam posse aliquem fallere: ergo possumus credere Deo dicenti, se esse veracem; motivum autem hujus assensus est Dei veracitas; at non ut credita: ergo ut aliunde sufficienter cognita: ergo veracitas, ut cognita per lumen rationis, potest esse ratio credendi mysteria. Probatur minor: quia stultum est, credere, aliquem esse veracem, præcisè quia ipse hoc dicit, id est, nisi aliunde nobis constet, illum esse virum probum, & dignum fide: ergo respectu assensûs, quo credimus, Deum esse veracem, non movet veracitas, ut credita Deo testificanti, se esse veracem, sed movet, ut cognita independenter à testimonio Dei dicentis: postquam enim per discursum naturalem sæpè illustratum lumine gratiæ cognoscimus, Deum existere, & esse summè bonum, & probum, Deus de se ipso testatur, se esse summè veracem, & tunc possumus, ac debemus per assensum Fidei multò certiorem credere id ipsum; tunc verò motivum ad credendum, Deum esse veracem, est veracitas ipsa, non ut credita Deo dicenti, sed ut cognita per lumen rationis.

LXXXVIII. Quod confirmatur, & explicatur: nam quamvis stultum sit, firmiter credere, aliquem virum nobis ignotum esse veracem, præcisè quia ipse hoc de se ipso dicit, quin aliunde habeamus argumentum prudens, quo id ipsum nobis persuadeamus; tamen quando vir aliquis, cujus prudentia, & probitas est mihi aliunde nota, testatur, se ita esse amantem veritatis, ut propter nullam mundi rem unquam ausus fuerit mentiri, prudenter possum, illum esse veracem, credere propter ipsius testimonium, præsertim si sit meus superior, cui omnem reverentiam debeo, & quidem possum credere illi fide atque judicio firmiore, quàm ex aliis circumstantiis colligere possem: nam honor & reverentia, quam ei debeo, & superioritatem & probitatem exigunt, ut ipsi, testanti se esse veracem, credam firmiter hoc ipsius dictum: cùm ergo lumine naturæ nobis constet, Deum esse summè veracem atque sapientem, si nobis sufficienter constet, ipsum dixisse, se esse summè veracem, debemus id credere assensu firmiori quovis alio, quem ob rationes naturales possumus elicere.

LXXXIX. Et hoc est pulchrum argumentum, ad probandum contra Thomistas, posse assensum Fidei circa aliquam veritatem componi cum evidentia ejusdem veritatis; nam Theologus evidenter cognoscens, Deum esse summè veracem, potest etiam sufficienter cognoscere, ipsum de se testari, se esse summè veracem, & illi sic testificanti credere; at tunc cum cognitione evidenti de summa Dei veracitate, conjungeret Fidem de eadem veracitate, siquidem vi veracitatis evidenter aliunde cognitæ moveretur ad credendum Deo, dicenti se esse summè veracem.

XC. Quodsi repugnet, actum Fidei componi cum evidentia ejusdem veritatis, hinc sumitur optimum argumentum, ad probandum veracitatem Dei non debere cognosci per Fidem, ad hoc ut quis propter illam assentiatur mysteriis revelatis. Nam qui cognoscit evidenter, Deum esse summè veracem, in sensu composito hujus judicij potest credere Deo, dicenti se esse Trinum; atqui hoc foret falsum, si simul ad assensum Fidei circa mysteria deberet dari assensus ejusdem Fidei circa veracitatem: siquidem iste assensus, cùm sit obscurus, nequit juxta Thomistas componi cum assensu evidenti ejusdem veritatis: ergo ad hoc, ut propter veracitatem Dei quis eliciat assensum Fidei circa mysterium, non requiritur, quòd per Fidem obscuram credat Dei veracitatem. Reliqua constant; Major probatur: quia alioqui Theologus sapiens esset deterioris conditionis, quàm rusticus ignorans: siquidem non esset capax credendi Fide Divinâ mysteria Religionis Christianæ, quandoquidem per te non potest credere mysteria, quin credat Deo loquenti veracitatem, & hanc credere non potest, qui illam aliunde evidenter cognoscit.

XCI. Unde veracitas Dei in his, qui habent de illa evidentiam, non attinet ad Fidem, tanquam res credita, sed tanquam principium, & præambulum credendi, ut expressè docet D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 5. ad 3, his verbis;

bis: *Deum esse, Deum esse unum, & alia hujusmodi, quæ demonstrativè probari possunt inter credenda numerantur, non quia de illis simpliciter sit Fides apud eos, sed quia praexiguntur ad ea, quæ sunt Fidei.*

XCII. Itaque tam in sententia affirmante, quàm in negante posse componi Fidem cum evidentia, evincitur, veracitatem debere supponi aliunde cognitam, ut ob illam credamus mysteria. In sententia affirmante: quia Deo revelanti, se esse veracem, possumus firmiter credere, non possumus autem, si aliunde nobis notum non esset, illum esse veracem; in sententia verò negante, quia qui cognoscit evidenter, Deum esse veracem, potest propter veracitatem credere Trinitatem, & alia mysteria obscura; non potest autem illa credere propter veracitatem, ut cognitam per Fidem obscuram: ergo debet credere unicè ob veracitatem, ut cognitam per notitiam evidentem.

XCIII. Deinde universaliter probo, primam veritatem debere aliunde cognosci, quàm ex sola revelatione, ut possit ad aliorum articulorum assensum movere: quia si ex sola revelatione debet cognosci, ut possit movere, incidimus in gyrum inexplicabilem: inquirenti enim, cur credis mysterium Incarnationis? Respondere debes: Quia Deus summè verax & sapiens illud revelavit; inquirenti autem rursus, unde tibi constet, Deum esse summè veracem? Respondebis: Quia ipse dixit, se esse summè veracem: si autem iterum interrogeris, unde tibi constet, Deum affirmantem se esse veracem, verum dicere, & in hac assertione non fallere, respondebis: quia Deus est summè verax, & non potest falsum loqui: ergo rem inexplicatam relinquis, & incidis in circulum vitiosum: siquidem dicere: *Est verax, quia id de se affirmat, & verè affirmat, quia est verax*, idem est ac dicere: *Est verax, quia est verax*: ergo ut veracitas Dei possit movere ad credendum mysterium Incarnationis v. g. debet supponi aliunde cognita, independenter à testimonio Dei dicentis, se esse veracem.

XCIV. Respondent adversarij cum P. Suarez disp. 3. de fide sect. 6. num. 8. hoc esse magnum Fidei mysterium, quòd, licèt non videat clarè objectum, nec res creditas, nihilominus non accipiat objectum suum, ut in illo per se nitatur, tanquam cognitum per aliud lumen; sed sua virtute, & efficacia credat illud; sicut D. Thomas dixit, eodem actu nos credere Deo, & Deum, & ideo talem actum supernaturalem esse, & sine speciali auxilio gratiæ haberi non posse, addítque, hoc magnum Fidei mysterium esse valde consentaneum rationi: nam tota hæc certitudo intrinsecè sequitur ex qualitate Divini testimonij, quatenus omnino infallibile est, & obligare potest ad credendum ea, quæ dicit, tanquam infallibilia: dicendo enim aliquid, eo ipso dicit, se esse veracem in eo, quod affirmat: nam hac ratione inducit ad credendum, illud dictum esse verum, & consequenter etiam dicit, ita se esse veracem, ut mentiri nullo modo possit: nam hoc titulo obligat ad credendum illud, tanquam infallibile, & ideo ex intrinseca ratione talis

talis Fidei & talis objecti nascitur, ut idem testimonium, quod sufficit ad credendum rem revelatam, sufficiat ad credendum, ipsum revelantem esse veritatem, quæ fallere non potest.

XCV. Hinc deducit Suarius, non repugnare Fidei hunc modum resolutionis: Credo, Deum esse Trinum, quia ipse dicit; credo autem illi dicenti, quia est verax; credo autem illum esse veracem, quia ipse etiam dicit. Semper enim fatendum est, inquit, resolutionem fieri ex objecto materiali ad formale: ipsum autem objectum formale non in aliud resolvitur, sed per se ipsum creditur, quia potest de se ipso testificari, & ita in se ipsum reflectitur, & tali modo de se testificatur, ut faciat evidenter credibilia non solùm alia, quæ dicit, sed etiam quæ de se ipso testificatur. Additque, hoc pertinere ad infinitam excellentiam Divinæ veritatis, & ideo non esse hanc cognitionem cum aliis comparandam.

XCVI. Cæterùm mihi falsum apparet illud magnum Fidei mysterium, à P. Suarez assertum, quòd scilicet Fides non accipiat suum objectum formale, ut cognitum alio lumine, sed sua virtute, & efficacia illud credat: id enim esse falsum, ostendit nostra ratio, & inde ulteriùs probatur: quia potest Deus revelare mysterium Trinitatis, & Incarnationis, & reliqua omnia, quæ per discursum naturalem assequi non possumus, quin revelet illas suas perfectiones, quæ aliunde possunt evidenter cognosci: ergo potest testificari, se esse Trinum, quin testificetur, se esse veracem; ergo possumus Fide Divina credere, Deum esse Trinum, quin Fide Divina credamus, esse veracem: ergo potest veracitas movere, ad credendum mysterium obscurum, quin ipsa credatur per eandem Fidem, sed aliunde supponatur cognita.

XCVII. Confirmatur: nam quando Apostoli faciebant miracula ad persuadendum gentibus, Religionem Christianam esse veram, seu Deum revelâsse ejus mysteria, non patrabant hæc miracula ad persuadendum gentibus, Deum esse veracem, seu verum esse, quod Deus dicit: nam ad hoc non erant necessaria miracula, cùm ratione naturali facilè demonstretur, neque id à gentilibus negabatur: ergo solùm patrabant miracula ad persuadendum, Deum revelâsse ea mysteria obscura, & difficillima, quæ ipsis prædicabant ut dicta, & revelata à Deo, ut sic eos traherent ad Fidem illorum: ergo ad fidem non attinet necessariò, credere suum objectum formale, sed potest ob illud aliunde cognitum assentiri mysterio revelato.

XCVIII. Unde Fidei præcones, dum infideles ad Fidem pertrahere tentant, rationibus ad eorum intelligentiã accomodatis, priùs persuadere debent, Deũ esse, eundémq; & summè sapientem & summè veracem esse, atque adeo dignũ, cui loquenti per suos ministros firma fides adhibeatur: sic enim fecerunt Paulus, & Barnabas Actor. 14. qui cum Lycaoniis agentes, eos sic alloquuti sunt: *Annuntiamus vobis, ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus*

bus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, & quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitiâ corda nostra.

XCIX. Quare falsum est, prærogativam illam Fidei assertam à Suario intrinsecè sequi ex qualitate Divini testimonij. Etenim quamvis hoc dicat, Deum esse Trinum, & sufficienter propositum obliget ad id credendum; non tamen dicit, Deum esse veracem, sed id aliunde supponit certum: unde non obligat ad credendum mysterium affirmatum, quia pariter affirmat, Deum esse veracem; sed quia id aliunde supponitur notum. Et quamvis affirmaret, Deum esse veracem, non redderet certum mysterium revelatum, nisi aliunde certum foret, Deum non posse loqui falsum: quia si id per impossibile posset, fas nobis esset dubitare, an diceret falsum, quando affirmat, se esse summè veracem, & quamvis faceret miracula in confirmationem eorum, quæ nobis revelat, non mereretur summam Fidem, nisi aliunde nobis constaret, eum non posse facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ. Etenim per miracula solùm ostenderet Deus, se esse, qui loquitur; non autem ostenderet, se esse veracem: nam si per impossibile posset mentiri, posset miraculum facere in confirmationem mendacij; ergo assensus Fidei, præstitus mysteriis ob authoritatem Dei revelantis, per se supponit authoritatem illam aliunde sufficienter cognitam: ergo non est necessarium ad Fidem, quòd per illam credatur authoritas Divina, quatenus est ratio movendi ad assensum mysterij.

§. III.

Solvitur fundamentum contrariæ sententiæ, ubi ostenditur, certitudinem assensûs credentis mysterium propter revelationem, majorem esse, quàm sit certitudo assensûs de existentia revelationis; nec assensum Fidei Divinæ circa mysterium fundari in assensu circa existentiam revelationis; sed illum supponere, ut conditionem applicantem motivum Fidei, ac proinde ostenditur, motivum credendi Fide Divina non debere credi, ut quod, *per lumen Fidei; sed debere supponi certò cognitum per aliud lumen.*

C. AD fundamentum Patris Suarez respondemus, certitudinem assensûs Fidei erga mysterium non fundari in certitudine assensûs, quo antecedenter judicamus, Deum esse veracem; sed in ipsa veracitate, tanquam in motivo, & ratione formali; in cognitione autem illa proponente veracitatem, tanquam in conditione. Cognitio autem inferioris ordinis, potest esse prærequisita ad illam. Sic juxta P. Vazquez 1. part. disput. 5. numer. 7. & juxta M. Canum, & Andream de Vega ab ipso citatos, quamvis Fides humana non possit fundare Divinam, tamen non potest esse prærequisita, & conditio necessaria ad illam: nam ut credatur Fide infusâ aliqua propositio, quæ definita est ab Ecclesia, opus est primò credere, definitam fuisse aut in Concilio, aut à Pontifice; quod tamen sola fide humana notum est: eodem modo Prædicatori pro-

proponenti articulos Fidei priùs credimus Fide humana, & hac fide supposita, statim præbemus superiorem assensum ex lumine Fidei supernaturalis, ob authoritatem infallibilem Dei id testificantis.

CI. Quare quamvis evidentia naturalis de veracitate Divina non sit essentialiter prærequisita, ut propter authoritatem Divinam credamus mysteria revelata (nam illa evidentia est paucorum) est tamen sufficiens, præsertim si sit orta ex illustratione gratiæ, qua Deus ex fine inducendi hominem ad Fidem excitat in illo cognitionem evidentem de sua veracitate; nec oppositum evincit argumentum Patris Suarez: non enim dicimus, assensum Fidei fundari in illa evidentia; sed illam tanquam applicationem & dispositionem præsupponi, ut non propter ipsam, sed propter authoritatem Divinam credamus mysterium. Quare Fides mysterij unicè fundatur in authoritate Dei revelantis: postquam enim homo persuasus est, sive per evidentiam, sive per fidem humanam moraliter certam, Deum esse summè veracem, & revelâsse mysterium, cùm cognoscat, authoritatem Dei aliquid revelantem dignam esse, cui credatur super omnia, id est assensu certiore & firmiore, quàm sit ullus assensus Fidei humanæ vel scientiæ, tunc ex affectu supernaturali, adhærendi testimonio Dei super omnia, & præstandi illi obsequium per imperium voluntatis, elicit unicè ob authoritatem & revelationem sibi propositas assensum Fidei infallibilem, sine respectu aut attentione ad motiva, quibus inductus est ad judicandum, Deum esse summè veracem, seu quin illa firmitas assensûs fundetur in evidentia naturali, vel fide humana, qua inductus est intellectus ad judicandum, Deum esse summè veracem.

CII. Deinde quamvis daremus, evidentiam naturalem de veracitate Divina non esse sufficientem, ut credamus mysteria Fide Divina ob authoritatem Dei revelantis, inde non sequitur, veracitatem debere credi Deo, revelanti se esse veracem, ut exerceat munus motivi: dicere enim quis poterit cum Cardinale de Lugo, disp. 1. num. 82. veracitatem Divinam debere quidem aliunde cognosci, quàm ex sola revelatione, ut possit ad aliorum articulorum assensum movere; tamen cum eodem ibidem à num. 104. usque ad 109. asserere, veracitatem cognosci posse per actum evidentem, elicitum ab habitu Fidei: quia cùm Fides nequeat elicere assensum obscurum circa mysterium, quin ille assensus respiciat ut motivum intrinsecum veracitatem Dei, nequit elicere assensum circa mysterium, quin eliciat circa veracitatem: *Perinde enim est, credere Incarnationem*, inquit, *propter veracitatem Dei, ac dicere: Verbum est homo, quia Deus est summè verax*, qui quidem actus, quatenus tendit ad asserendam veracitatem de Deo, aliquomodo est evidens, totus tamen est supernaturalis, totus elicitus ad habitu Fidei, qui non potuit per se ordinari ad actum circa mysteria revelata, quin habeat virtutem eliciendi assensum circa rationem formalem assentiendi, seu circa motivum formale Fidei; & denique to-

totus ille actus elicitur ex imperio voluntatis, inclinantis per piam affectionem ad adhærendum toti illi objecto super *omnia objecta.* Hactenus ille.

CIII. Ex qua doctrina responderi potest ad fundamentum Patris Suarez; fieri quidem non posse, ut assensus, præstitus mysterio super omnia, fundetur in assensu tantùm naturali, licèt evidenti; posse tamen fundari in assensu evidenti supernaturali elicito à Fide, qui non sit minùs certus, quàm assensus mysterij. Sed quamquam hæc doctrina probabilis sit, illâ tamen non indigemus ad solvendum argumentum. Et in primis falsò videtur Cardinalis supponere, assensum illum, qui affirmat mysterium ob authoritatem Dei revelantis, hoc ipso affirmare existentiam veracitatis Divinæ: hoc enim tantùm abest à certitudine, ut potiùs videatur falsum: motivum enim intrinsecum actûs affirmantis aliquid, non est necesse, ut affirmetur per ipsummet actum, si pro priori supponitur affirmatum; nec debet per actum Fidei attingi directè veracitas, ut objectum *quod*, sed sufficit, ut attingatur indirectè, ut objectum *quo*.

CIV. Sic licèt conclusio intrinsecè moveatur objecto præmissarum, non est necesse, ut illud iterum affirmet: secundùm regulam Logicæ: *Licèt ex vero nunquam possit sequi falsum; aliquando tamen ex falso sequitur verum*: ergo potest conclusio esse vera, quamvis aliqua ex præmissis sit falsa; hoc autem salvari non potest, si conclusio iterum affirmet objectum præmissarum: nam conclusio affirmans objectum falsum, falsa est: ergo licèt conclusio attingat intrinsecè objectum præmissarum, non propterea iteratò affirmat illud objectum, sed essentialiter innititur illi, ut affirmato per præmissas, eásque essentialiter supponit hoc titulo, ut fert communis, & vera sententia. Quod ampliùs probo: nam Deus à sua bonitate movetur intrinsecè ad intendendum finem creatum per suum decretum liberum, & tamen illa intentio non intendit bonitatem Divinam: non enim Deus intendit per decretum liberum id, quod necessariò ante omne decretum possidet.

CV. Id confirmo egregiâ doctrinâ Eximij Doctoris, tom. 1. in 3. part. disp. 54. sect. 5. ubi probat, dari posse internum actum adorandi imaginem propter exemplar, quin adoretur illo actu exemplar: ídque probat ex generali modo operandi nostri intellectus, & voluntatis: *Nam potest*, inquit, *quælibet ex his facultatibus tendere in aliquod materiale objectum, propter aliud, ut quo, seu ut formale, etiam si actu non tendat in illam rem, quæ est formale objectum, tanquam in rem, seu materiam, circa quam propriè versetur, quæ solet dici objectum* quod: *ergo etiam intentio adorandi potest versari circa imaginem, ut objectum* quod, *seu rem adoratam propter exemplar, ut rationem adorandi, quamvis directè non intendat adorare ipsum exemplar. Antecedens probatur primò exemplis, tum intellectûs: nam infidelis assentitur veritatibus Fidei nixus Divino testimonio, & veritati infallibili ejus, ut rationi formali, quamvis eo actu, quo credit rem revelatam, non credat vel Deum esse primam veritatem, vel Deum hoc*

revelâsse: idem dicunt Dialectici de actu scientiæ qui nititur præmissis, ut rationi assentiendi, quamvis non feratur directè in ipsas, tanquam in objectum scitum, seu judicatum per illum actum: tum etiam in actibus voluntatis ut in amore, quo amatur una res propter aliam, ut propter rationem amandi, qualis est amor, quo amatur proximus propter Deum; item in electione medij pura propter finem, quæ non versatur circa finem, ipsum volendo, sed tantùm in obliquo ipsum respicit, tanquam rationem volendi media. Hæc ille.

CVI. Unde obiter infero, Cardinalem de Lugo, disp. 1. num. 104. & Ripaldam, disp. 2. num. 33. ex eo quòd actus Fidei attingat intrinsecè veracitatem Divinam, ut rationem formalem assentiendi, frustra deducere, quòd illam affirmet: ex eo enim id non sequitur; sed solùm sequitur, quòd vel illam affirmet, vel quòd titulo affirmandi mysterium, de se occultum, & impotens exercere munus motivi, supponat essentialiter alium actum proponentem illam authoritatem, à qua moveatur. Itaque quando authoritas supponitur affirmata ante assensum mysterij, propterea est motivum intrinsecum, & non merè extrinsecum illius, quia actus ille titulo affirmandi objectum obscurum, & omnino latens, essentialiter supponit judicium, vel saltem apprehensionem suasivam testimonij Divini, & implicat, ut existat ille assensus mysterij, non prælucente repræsentatione talis motivi; quando autem aliquid movet tantùm extrinsecè ad actum, vel potest iste absolutè existere, non prælucente illo motivo (sicut potest existere actus misericordiæ, non repræsentatâ pro priori bonitate Divina, amatâ per actum charitatis; & actus charitatis, non repræsentatâ existentiâ præcepti urgentis ad amandum; & ideo bonitas Divina solùm extrinsecè movet ad actum misericordiæ, & præceptum ad actum charitatis) vel licèt non possit existere actus, quin præcedat illud motivum, id non provenit ex tendentia ipsius in suum objectum proprium, & peculiare, sed ex perfectione suppositi, in quo existit: sic actus virtutum moralium, si dentur in Deo, essentialiter postulant imperari à charitate, non ratione sui objecti, sed ratione subjecti, nempe Dei exigentis omnia ad semetipsum referre.

CVII. Dicimus ergo, per assensum Fidei, quo credimus existentiam Incarnationis, non debere credi, ut *quod*, veracitatem Divinam, seu non debere affirmari; sed posse supponi aliunde affirmatam, & nihilominus ab illa intrinsecè moveri assensum Incarnationis: assensus autem veracitatis, qui essentialiter supponitur ante assensum mysterij, non debet esse actus elicitus à Fide, utpote cui essentiale est, credere Deo dicenti, & moveri ab ejus testimonio, sed debet esse elicitus ab alio lumine. Unde sicut assensus conclusionis scientificæ, & assensus principiorum pertinent ad diversos habitus, ita assensus mysteriorum ob veracitatem Divinam, & assensus veracitatis pertinent ad diversa lumina. Quodsi necesse foret, ut is, qui assentitur objecto materiali propter formale, eodem actu affirmaret utrumque, tunc

assensus mysterij ob veracitatem Divinam affirmaret quidem veracitatem Divinam, & esset elicitus à lumine Fidei, non tamen foret obscurus, quatenus terminatur ad veracitatem, sed quatenus terminatur ad mysterium, & quatenus terminatur ad veracitatem, supponeret essentialiter illam aliunde cognitam, independenter à testimonio Dei dicentis: ac proinde ille assensus, quatenus affirmat veracitatem ob testimoniũ Dei, supponeret illam aliunde cognitam.

CVIII. Nec obstat firmitati & certitudini Fidei, superanti certitudinem scientiæ, quòd motivum Fidei supponatur aliunde cognitum per scientiam: quia certitudo Fidei non fundatur in certitudine scientiæ præcedentis de veracitate Dei, sed in ipsa veracitate repræsentata per talem scientiam, propter quam veracitatem intellectus confortatus lumine Fidei, accedente imperio voluntatis, certissimè credit mysteria revelata. Pro quo nota cum P. Conink, disp. 9. num. 56. ante omnem assensum Fidei necessariò præcedere duplex judicium: primum, quo credens judicat, Deum esse summè veracem, ita ut nequeat ulla ratione mentiri, quod lumine naturæ notum est; & hoc judicium est etiam necessarium, ut credam Fide Divina, Deum esse primam veritatem: nam nisi priùs lumine naturæ scirem, Deum esse summè veracem, id de se testanti tanta firmitate non crederem: secundum, quo judicet, res sibi propositas esse verè firmissima Fide credibiles, id est tales, quas meritò quis credat, esse à Deo revelatas, & propter ipsius authoritatem firmissimè credendas; quod judicium, etiam si sæpè supponat aliquam Fidem humanam, qua credimus variis historiis, progressum nostræ Fidei narrantibus, aut communi hominum sensui, aut prudentium, aut sanctorum virorum testimonio, de initio & progressu Fidei nobis multa narrantium, aut testificantium, hæc aut illa in scripturis & authenticis historiis contineri, & à tota Ecclesia ab initio fuisse credita. Etsi, inquam, illud judicium ejusmodi Fidem frequenter supponat, non est tamen actus Fidei, sed evidens & certa moraliter cognitio, concepta ex evidentia notarum Fidei, quæ morali evidentia nobis demonstrant, res Fidei esse tales, quas meritò judicemus à Deo esse revelatas: simile quid invenitur etiam in fide humana, nam ut Petro aliquid affirmanti credam, primò necessarium est, ut sciam, illum mihi loqui; secundò, ut judicem, illum esse virum bonæ fidei, cui meritò credi possit.

CIX. Posita hac rei credendæ propositione, ita ut intellectus clarè videat, hanc rem esse talem, quam meritò sibi persuadeat à Deo revelatam, voluntas statim ex pio erga primam veritatem affectu mota, ex ipsius reverentiâ magno conatu impellit intellectum, ut vehementer apprehendat illam majestatem, & authoritatem, eámque hîc & nunc exigere, ut propter ipsam firmissimè credat id, quod tanquam ab ea revelatum tam evidenter proponitur: atque ita partim illa apprehensione, partim imperio & impulsu voluntatis, sine ullo discursu movetur divina authoritate, & testimonio, ut propter illa immediatè mysterium revelatum credat firmiùs, quàm

quàm ulli rei naturaliter cognitæ possit assentiri. Ita paucis mutatis, rem explicat P. Coninck ea disp. 9. num. 73. utrùm autem assentiatur etiam existentiæ revelationis ob authoritatem Dei dicentis; an ob motiva illa, quæ reddunt evidenter credibile, Deum revelâsse mysteria nostræ Fidei, dicemus disp. sequenti.

§. IV.

Illud axioma, propter quod unumquodque tale & illud magis, non habet locum in Fide, sed in scientiis.

CX. Illud autem axioma, *Propter quod unumquodq; tale, &c.* solùm habet locum in scientiis, & in voluntate, non autem in Fide, quæ longè aliter procedit, ac scientia: nam Fides assumit, tanquam principium, à quo moveatur, Divinum testimonium, quin assumat, ut principium, motivum illud, quo inducti sumus ad credendum, Deum revelâsse mysterium; at scientia nihil assumit ut principium, nisi vel sit per se notum ex terminis, id est notum sine probatione, vel legitimè deductum ex per se notis, quatenus ex his deductū, ita nimirum ut non moveatur ad conclusionem scientificam, nisi quatenus probatam ex per se notis: est enim regula, & lex inviolata scientiarum, ut incipiant ex per se notis & acceptis; deinde autem procedant ex aliis deducendo, & probando, neque in progressu liceat quidquam assumere, nisi ut probatum, & probatione ipsa movente, & ideo nihil est virtutis in medio, quod non fuerit in principio, & inde sit derivatum: unde cessante primo cessat totum, ruitque totus progressus: & quia virtus, quò remotior, eò influit remissiùs, conclusiones, quò à principiis remotiores, eò sunt minùs certæ, ut multi philosophantur; vel saltem, ut omnes fatentur, nequit plus certitudinis esse in progressu vel conclusione, quàm sit vel fuerit in principiis seu præmissis: atque adeo si aliquid claudicat in medio, claudicat in fine, & propterea conclusio sequitur debiliorem partem. Fides autem longè aliter procedit, ut sectione sequenti explicabimus cum P. Valentia, quia principia sua assumit, non probat, neque habet præmissas, ex quibus incedat, sed præambula, quæ præsupponat, in quibus Fides se non ingerit, sed illis constitutis incipit, eliciendo assensum certiorem & firmiorem, quàm sit ille, qui versatur circa præambula: siquidem hæc, cognita cognitione inferiore, detegunt authoritatem Divinam, quæ meretur assensum firmiorem, quàm meruerint ipsa præambula. Aliter ergo procedit scientia quàm Fides: sicut enim scientia non probans non est scientia, ita fides probans non est fides: nam Fides assentitur mysterio, non quia rationibus probetur, esse verum; sed quia Deus dicit, esse verum, propter cujus authoritatem assentitur firmiùs, quàm assentiatur scientia propter suas probationes.

CXI. Cùm ergo cognitio veracitatis Divinæ sit præambulum ad assensum Fidei, hic non supponit illam cognitionem, tanquam fundamentum, cui innitatur, vel tanquam regulam, cui commensuretur, sed tanquam conditionem præviam repræsentantem motivum, cui

Fides inniti debet: habitus enim Fidei simul cum habitu piæ affectionis (quæ est specialis virtus moralis distincta ab aliis, ut probat P. Suarez disp. 7. sect. 2.) inclinat intellectum ad assentiendum mysteriis, quæ proponuntur, ut evidenter credibilia, tanquam dicta à Deo, per assensum firmum super omnem assensum: videns enim homo evidens esse, quòd possit, ac debeat aliquod mysterium credi, tanquam dictum à Deo, per habitum piæ affectionis, vel per inspirationem supernaturalem supplentem ejus vices, elicit imperium, quo determinat intellectum, ut propter authoritatem Divinam, sibi aliunde sufficienter cognitam, assentiatur Deo testificanti mysterium. Unde certitudo actûs Fidei commensuratur cum habitu Fidei, & cum habitu piæ affectionis, & cum authoritate Divina ut revelante, non autem cum rationibus naturalibus, quibus inducti sumus ad judicandum, Deum esse summè veracem, & revelâsse illud mysterium; econtra verò certitudo conclusionis scientificæ debet commensurari cum motivis, quibus intellectus inductus est ad assentiendum præmissis, quia scientia procedit, inferendo unum ex alio, & tota ejus certitudo coæquatur evidentiæ objectorum, & evidentiæ illationis unius ex alio, quia scientia facit scire, & intelligere, id est quasi intus legere, ut explicat D. Thomas, & ideo est oculata, & comparatur visui, quia, sicut visus, fertur in objecta sua, quatenus apparent & patent per motiva, & principia evidentia; at Fides non est discursiva, sed cœca, quia veritatem non eruit ex natura ipsius veritatis credendæ, ejúsque causis, & effectis, sed ex testimonio, & authoritate Dei, & ideo non visui, sed auditui comparatur à Paulo, quia non videmus, nisi clara; audimus autem non solùm obscura, sed obscurissima, & prorsus inintelligibilia, & ideo Fides dicitur *argumentum non apparentium*. Quam doctrinam accipio ex D. Thoma 2. 2. quæst. 5. art. 2. ubi ait: *Dicendum, quòd intellectus credentis assentitur rei creditæ, non quia ipsam videt, vel secundùm se, vel per resolutionem ad prima principia per se visa; sed quia convincitur per authoritatem Divinam, assentiri his, quæ non videt; & propter imperium voluntatis moventis intellectum, & obedientis Deo.*

CXII. Ex dictis patet ad fundamentum Patris Suarez, ad cujus explicationem dico, dum quis credit mysterium, quia Deus revelavit, per hunc actum non credere formaliter, Deum esse veracem; sed essentialiter supponit illam veritatem aliunde cognitam: & quamvis per illum actum affirmaret, Deum esse veracem, non tamen sumendo pro motivo testimonium Dei, sed rationem naturalem detegentem Dei veracitatem: unde ille actus non esset Fidei obscuræ, quatenus affirmat veracitatem, sed quatenus propter illam affirmat mysterium.

§. V.

Proponuntur aliæ instantiæ contra nostram sententiam.

CXIII. Rationem suprà propositam §. 1. hujus capitis variè confirmat P. Suarez, primò: quia *duobus*, inquit, *modis* intelligi potest, ho-

hominem, qui credit revelata à Deo, credere etiam, Deum esse veracem; primò eodem assensu, quo credit rem revelatam, secundò diversis assensibus: in utroque autem modo necessarium est, ut Fides de ipsa veritate Dei sit supernaturalis & infusa; in primo quidem, nam qui credit aliquid, quod dicit Deus, quia ipse dicit, necessariò credit, Deum in illo actu esse veracem: in hoc ergo modo credendi, qui fortasse est per se necessarius ad Fidem, ratio formalis objecti Fidei non per evidentiam, sed per Fidem cognoscitur eodem actu, quo res ipsa credita: in secundo etiam modo necessarium est, ut Fides de veracitate Dei sit infusa, nam si per distinctos actus aliquis credat, Deum esse veracem, & esse unum & Trinum, tunc vel unus actus fundatur in alio, vel tantùm concomitanter se habent: hoc secundum quamvis admittatur possibile, nihil refert ad præsentem casum, quia tunc actus evidens non fundat Fidem, ac proinde Deus non est objectum formale Fidei, præcisè quatenus cognitus per actum illum evidentem; si autem unus actus fundatur in alio, impossibile est, actum evidentem fundare assensum Fidei, quia actus minùs perfectus & minùs certus non potest per se sufficere ad actum excellentiorem & certiorem.

CXIV. Confirmat primò: quia tunc illi duo actus conficiunt quendam discursum, quatenus unus causatur ex alio, & est ratio alterius; atqui in discursu impossibile est assensum rei cognitæ esse certiorem, quàm sit assensus principij, seu rationis assentiendi: ergo etiam inter illos actus impossibile est, quòd assensus certus tantùm per lumen naturale sit principium sufficiens assensûs Fidei. Quapropter vel talis modus discursûs in Fide locum non habet, ut multi volunt, vel certè si talis discursus admittitur, necessarium est, quòd objectum formale præcedat, ut cognitum Fide infusa, & non tantùm naturaliter.

CXV. Confirmat secundò: nam hæc veritas: *Deus non potest dicere falsum*, non est tam evidens naturaliter, quin ab aliquibus negari potuerit, etiam doctis & Catholicis: siquidem Gabriel. Adamus, Olcot, & Joannes de Aliaco Episcopus, & Cardinalis docuerunt. Deum de potentia absoluta posse falsum dicere, ut refert ipse Suarez eâ disp. 3 sect. 5. num. 3. ergo impossibile est, ut illa veritas tantùm naturaliter cognita sit sufficiens, ad assentiendum ratione illius alteri propositioni certitudine Fidei infusæ: quia sicut motivum Fidei non inducit ad assensum certum & infallibilem, nisi ut cognitum tanquam certum & infallibile, ita non movet ad modum & gradum certitudinis, nisi juxta gradum & modum, quo ipsummet cognoscitur ut verum & infallibile.

CXVI. Quia vero huic rationi posset aliquis respondere, cognitionem illius principij, quatenus est actus hominis, non esse causam per se assensus Fidei, neque rationem assentiendi, sed meram applicationem objecti formalis, & ideo ratione objecti applicati posse sufficere ad certiorem assensum, quàm sit cognitio ejusdem principij: Contrà insurgit Eximius Doctor: quia hoc non enervat vim rationis, quia si actus naturalis hoc tantùm modo concurrat, neces-

cessaria erit alia cognitio perfectior ipsius objecti formalis, ut possit intellectum movere ad assensum Fidei, quia non movet nisi ut cognitum, & hoc est per se necessarium, ut possit inducere intellectum ad assensum, & ideo oportet, ut in eodem ordine, & cum eadem certitudine cognoscatur per alium actũ, distinctum ab actu naturali, sive ille sit etiam distinctus ab actu, quo creditur res alia revelata, sive idem cum illo.

CXVII. Confirmat tertiò, & ultimò ex generali doctrina D. Thomæ 1. 2. quæst. 63. art. 3. in Corpor. & ad tertium, quòd ratio naturalis non potest esse sufficiens regula virtutum per se infusarum, ut explicat latè idem eximius Doctor, lib. 2. de grat. cap. 16. est ergo magìs necessarium in virtutibus Theologicis, quia sunt perfectiores in eodem superiori ordine: mensura autem, seu regula debet esse homogenea cum regulato, vel certè non potest esse inferioris ordinis: ergo actus Fidei infusæ non potest regulari per actum rationis naturalis, neque per Deum ipsum ut cognitum ratione naturali, quia ut sic etiam continetur in inferiori ordine. Hæc est sententia Eximij Doctoris, pro qua citat D. Thomam, Scotum, Capreolum, atque Marsilium.

§. VI.

Solvuntur illæ instantiæ, & exponitur natura assensûs Fidei; & probatur, Fidem non esse discursivam, neque esse actum Fidei hanc conclusionem: Trinitas est vera: *prout deductam ex his præmissis:* Quidquid Deus revelat, est verum; sed Deus revelat Trinitatem.

CXVIII. AD primam confirmationem fundamenti Patris Suarez, respondeo, assensum veracitatis, præsuppositum ad actum Fidei, quo credo mysterium propter veracitatem, non facere discursum cum actu Fidei, quia non præsupponitur ad illum tanquam præmissa ad conclusionem, sed tanquam applicatio motivi, ob quod ex imperio voluntatis tribuo assensum firmiorem & certiorem, quàm sit assensus veracitatis: sicut quando credo veritatem aliquam, quia definita est in aliquo Concilio, assensus iste Fidei summè certus supponit actum Fidei humanæ minùs certum, quo credo, Concilium definiisse illam veritatem. Quare, ut docet P. Valentia, disput. 1. quæst. 1. punct. 2. si qui assensus priores necessarij sunt, antequam eliciatur assensus Fidei infusæ, hi tantùm sunt conditiones requisitæ ad assentiendum rebus Fidei, ob naturam intellectus nostri, qui obscura & difficilia persuadere sibi non potest absque motivis distinctis: undè non antecedunt assensum Fidei Divinæ, tanquam præmissa in vero discursu, sed solùm tanquam conditio quædam requisita, sine qua non eliceretur ille actus: Fides enim nullo modo mediante discursu elicit suos assensus; sed sicut visus immediatè fertur in objecta sua sub ratione lucidi, ita etiam Fidei habitus in sua sub ratione Divinæ revelationis. Addítque, id pro certo supponere omnes Theologos; citat vero Scotum, Capreolum, Cajetanum, & Andream de Vega. Idemque docent Eximius Doctor, disp. 6. sect. 4. Turrianus, disp. 6. dub.

dub. 1. Conink, disp. 9. à num. 9. Granadus, tract. 9. disput. 1. num. 7.

CXIX. Sed tamen assensum Fidei posse per discursum generari, affirmat Cardinalis de Lugo, disp. 7. num. 2. citans pro hac sententia Okamum, Gabrielem, Almainum, atque Marsilium, & è nostris Patrem Vazquez, Becanum, Hurtadum, & Ripaldam, qui asserunt, conclusionem elicitam ex his præmissis, & contentam in hoc discursu: *Quidquid Deus revelat, est verum; sed Deus revelat Trinitatem: ergò Trinitas est vera*, esse actum elicitum ab habitu Fidei. Nos verò cum Authoribus primæ sententiæ dicimus, licèt omnes veritates Fidei possint per discursum agnosci, non tamen esse actus Fidei sub hac ratione, sed in quantum sine discursu ob Dei authoritatem creduntur. Rationem assignat P. Conink: quia ut quis assentiatur alicui propositioni per discursum, non sufficit, quòd ei assentiatur propter aliam rem distincto actu cognitam, sed debet illi assentiri propter cognitionem illius rei, ita ut cognitio sit causa objectiva assensûs consequentis; hoc autem in Fide non fit: neque enim credo, Deum esse Trinum, quia credo, Deũ id revelâsse, sed simpliciter, quia ipse hoc revelavit. Et hoc ipsum docet Granadus, ubi suprà, & tract. 1. disp. 5. n. 32. ubi ait, conclusionẽ resolvi, non solùm in præmissas objectivas, sed etiam in formales.

CXX. Quòd autem res ita se habeat, probat P. Conink: quia aliàs non possemus credere, Deum esse, nisi antè crederemus, eum hoc revelâsse, & consequenter, nisi priùs crederemus, Deum esse: nam hæc propositio, *Deus hoc revelavit*, includit hanc, *Deus est*, quia est idem cum hac, *Deus est hoc revelans*: atque ita priùs crederemus, Deum esse, quàm crederemus, eum esse, quod repugnat. Ut ergo hujusmodi absurda vitemus, dicendum est, nos non credere, Deum esse, aliáque revelata, quia credimus, ea esse revelata, sed immediatè, quia revelata sunt. Verùm hæc probatio non conludit: nam quamvis quis per Fidem crederet, Deum existere, quia credidit, Deum id revelâsse, non propterea crederet existentiam Dei, quia pro priori credidit existentiam Dei: nam hæc propositio; *Deus est revelans sui existentiam*, est de materia contingenti, & hæc, *Deus est*, est de materia necessaria, ac proinde sunt diversæ, nec secunda includitur in prima: quamvis autem hæc: *Deus est revelans*, supponat cognitam existentiam Dei aliunde, non tamen supponit creditam per Fidem, ac proinde non crederet quis existentiam Dei, quia illam priùs credidit, sed crederet per Fidem, quia priùs cognovit per rationem.

CXXI. Meliùs potest id ipsum suaderi: quia ut conclusio sit scientifica, non sufficit, objectum præmissarum esse in se evidens, sed requiritur, quòd evidenter cognoscatur per præmissas: nam objectum evidens potest cognosci per cognitionem duntaxat probabilem; si autem præmissæ objectivæ evidentes cognoscantur per præmissas duntaxat probabiles, conclusio evadit solùm probabilis: ergo ut conclusio sit evidens, debent præmissæ formales esse evidentes: ergo evidentia præmissarum formalium influit in evidentiam con-

conclusionis: ergo præmissæ formales movent objectivè, & ut *quod* ad conclusionem, ac proinde ista vel formaliter, vel virtualiter reflectit supra præmissas. Non ita res se habet in Fide mysteriorum, quæ æquè certa est, sive veracitas supponatur cognita per cognitionem metaphysicè evidentem, sive per judicium solùm moraliter certum, quo quis sibi persuadet, Deum esse summè veracem, & revelâsse illud mysterium.

CXXII. Alia etiam ratione probatur, Fidem non esse discursivam: quia in discursu formali nequit conclusio certior esse, quàm præmissæ, sed potiùs est minùs certa, & sequitur debiliorem partem: unde quamvis altera ex præmissis sit evidens, si altera sit solùm probabilis, conclusio evadit solùm probabilis; atqui actus Fidei est certior, quàm ullus actus scientiæ: ergo conclusio in discursu formali nequit esse actus elicitus à lumine Fidei. Minorem contra Durandum docent communiter Theologi ex Patribus, & Scripturis apud P. Suarez disp. 6. sect. 5. numer. 10. & apud P. Valentiam disp. 1. quæst. 4. punct. 8. ubi etiam temerariam appellat sententiam Durandi. Rationem à priori, cur Fides certior sit, quàm scientia, suprà reddidimus ex P. Suarez c. 3. §. 2. nam conclusio scientifica certior esse non potest, quàm sint præmissæ; sed semper est minùs certa; at actus Fidei assentiens mysterio propter authoritatem Dei revelantis certior est, quàm actus scientiæ, præcedens tanquam præambulum, quo nimirum quis evidenter cognoscit, Deum esse summè veracem, & per argumenta credibilitatis convincitur, revelâsse mysteria Religionis Christianæ, ut suprà ostensum est.

CXXIII. Si autem quæras rationem, cur in discursu formali conclusio sit minùs certa, quàm præmissæ? illa est; quia ut conclusio sit certa, debet utraque præmissa esse certa, & insuper debet esse evidens illatio conclusionis ex præmissis, atque adeo debet cognosci evidenter: quantumcumque enim præmissæ sint certæ, si tamen consequentia sit dubia, aut duntaxat probabilis, assensus conclusionis erit dubius, aut solùm probabilis: ergo conclusio minùs infallibilis est, quàm præmissæ, quia, ut infallibilis sit, requirit, ut neque major, neque minor syllogismi, neque illatio fallax sit, & illusoria; at quælibet ex præmissis, ut sit vera & infallibilis, solùm requirit, quòd ejus motivum non sit fallax, ac proinde unicuique sufficit sua evidentia, ut sit certa & infallibilis; facilius autem est magisque contingens, ut ex tribus, vel duabus evidentiis aliqua illusoria sit, vagè & confusè loquendo, quàm una ex illis determinatè; difficiliúsque est, nullam ex illis fallere, quàm non fallere aliquam: ergo præmissæ longiùs absunt à fallacia, quàm conclusio, siquidem paucioribus indigent ad sui veritatem & certitudinem, quàm conclusio, atque adeo sunt magìs certæ, quàm illæ; ergo cùm actus Fidei sit magìs certus, quàm ullus actus evidens, implicat, ut sit actus Fidei conclusio, deducta ex duplici præmissa, altera evidenti, & altera de Fide.

CXXIV. Ex dictis patet, quid sit dicendum ad secundam confirmationem ar-

argumenti Patris Suarez, propositam ad finem. Dum enim dicitur, authoritatem Dei ut revelantis non movere, nisi ut cognitam, ly *ut* non reduplicat rationem formalem movendi, sed conditionem, sine qua authoritas Divina non moveret: unde certitudo actûs Fidei non commensuratur cum certitudine illius cognitionis prævię, sed cum authoritate Divina per illam propositá. Ad tertiam & ultimam confirmationem desumptam ex eo, quòd ratio naturalis nequit esse sufficiens regula virtutum per se infusarum, respondeo, inde non probari, quòd veracitas, & revelatio Divina debeant præsupponi cognitæ per actum Fidei Divinæ; sed satis est, quòd supponantur cognitæ per actum supernaturalem evidentem, vel moraliter certum elicitum viribus gratiæ: quando enim Deus homini confert actum Fidei supernaturalis, hoc ipso vult conferre illi auxilium gratiæ, quo cognoscat authoritatem & revelationem Dei, modo proportionato ad eliciendum actum Fidei supernaturalem: quamvis enim per actum naturalem posset cognoscere authoritatem & revelationem, tamen quando eliciendus est actus Fidei supernaturalis, illas cognoscit per actum supernaturalem. Præterea quamvis actus, quo pro priori ad actum Fidei quis cognoscit, Deum esse summè veracem, foret merè naturalis, posset pro posteriori elici actus Fidei supernaturalis circa mysterium, quia illa cognitio esset dispositio merè physica & remota ad actum Fidei supernaturalis; non autem dispositio moralis, movens Deum ad dandum actum Fidei supernaturalis, illúmve merens de congruo, & aliunde per actum merè naturalem potest repræsentari motivum Fidei Divinæ.

CXXV. Nec favet sententiæ Patris Suarez D. Thomas eo loco, quem pro se citat, nempe 2.2. quæst. 1. art. 5. ad 1. & 3. solùm enim ibi docet, non posse credi per Fidem id, quod cognoscitur per scientiam, dum sic cognoscitur: unde potiùs infertur, eum, qui habet evidentem demonstrationem de veracitate Divina, non posse assentiri mysterio propter veracitatem, ut cognitam per fidem, sed ut cognitam per scientiam. Nec item favet ipsi, quod S. Doctor docet quæst. 2. art. 4. ibi enim solùm probat, ut citiùs & firmiùs homines Dei notitiam assequerentur, necessarium fuisse illis, non solùm suscipere per Fidem, quæ supra naturalem rationem sunt; sed ea, quæ naturali lumine investigari possunt: hoc autem non probat, non posse veracitatem, ut cognitam lumine naturæ, movere ad Fidem mysteriorum.



CAPUT QUINTUM.

Obiiciuntur nobis varia fundamenta, quibus probari solet, non posse Fide Divina credi mysterium propter revelationem, quin Fide Divina credatur existentia revelationis propter se ipsam.

§. I.

CXXVI. PAter Suarez consequenter ad ea, quæ disp. 3. sect. 6. dixerat de veracitate, sect. 12. asserit, non posse aliquem credere Fide Divina mysterium ob testimonium Dei dicentis, quin Fide Divina credat existentiam ejusdem testimonij. Eandem sententiam tuentur P. Vazquez 1. 2. disp. 201. cap. 2. quatenus ait, primum, & per se credendum in assensu cujuscumque mysterij esse, illud dixisse Deum. P. Coninck disp. 9. num. 11. citans D. Thomam, Cajetanum, Valentiam, & Turrianum. Granadus tract. 1. disp. 5. numer. 21. Esparza quæst. 16. & denique P. Elizalde in manuscriptis de Fide, citans pro eadem P. Tannerum, licèt postea in tractatu de forma veræ Religionis inveniendæ eam doctrinam retractaverit. Fundamentum hujus sententiæ propositum à P. Suarez est; quia necesse est, inquit, ut, qui credit res revelatas à Deo, credat etiam ipsam revelationem: idémque manifestè constat ex fide humana; quomodo enim intelligi potest, quòd quis credat sententiam aliquam ob Augustini authoritatem, nisi credat, Augustinum illam docuisse? ergo necesse est, ut utrumque credat, saltem æquali certitudine, quia nullus potest prudenter firmiùs credere rem dictam, quia dicta est, quin credat esse dictam, ut experimento constat, & ratione, quia hoc est fundamentum illius, & non potest firmius esse ædificium, quàm fundamentum. Idque patet à contrario: nam si quis dubitaret, aut formidaret, an mysteria nostræ Fidei essent dicta à Deo, consequenter necessariò vacillaret in Fide ipsorum mysteriorũ, ergo necesse est, ut utrumque eadem Fide teneat, scilicet & rem dictam, & Deum illam dixisse: supponimus enim non dari evidentiam, præsertim supernaturalem, hujus revelationis, qua seclusa, nequit esse æquè certa, nisi per eandem Fidem Divinam teneatur. In confirmationem hujus sententiæ adducit omnia argumenta, quibus cap. præced. §. 5. contendebat, veracitatem debere cognosci per Fidem, ídque demùm explicat: nam qui per Fidem credit aliquam veritatem, credit illam, quia dicta est à Deo: ergo necessariò, & intrinsecè per illum actum credit, illam dictam esse à Deo. Probatur consequentia: quia hæc causalis: *Hoc creditur, quia dictum est à Deo:* in-

includit veritatem hujus propositionis: *Hoc dictum est à Deo*, quæ est fundamentum credendi alia; ergo non potest assensus terminari ad veritatem rei creditæ, quin simul terminetur ad hanc veritatem, quòd illud sit dictum à Deo. Idque declarat Capreolus exemplo visûs, cujus actus non potest terminari ad colorem, quin simul per illum videatur lumen, quia ita est ratio videndi colorem, ut sit etiam visibile, & necessariò simul videndum; ita etiam dictio comparatur ad rem dictam, quia est ratio credendi, & talis, ut sit etiam medium, & motivum credendi.

CXXVII. Fundamentum verò ejusdem sententiæ, prout propositum à P. Coninck, ubi suprà, est hujusmodi: nam Fide Theologica credimus, non solùm articulos Fidei esse veros, sed etiam eos esse à Deo revelatos; esset enim verè hæreticus, qui hoc negaret; atqui Fides Theologica necessariò habet pro objecto formali testimonium Dei, sicut fides humana testimonium hominis: ergo assensus ille, quo credimus, eos articulos esse à Deo revelatos, habet pro objecto formali Dei testimonium. Quod confirmat: quia quando Deus nobis aliquid revelat, simul etiam simpliciter testatur, se ea revelare: ergo sicut propter ejus testimonium credimus, ea esse vera, ita ob idem testimonium simul credimus, ea esse à Deo revelata. Antecedens suadetur ex fide humana: nam cùm Petrus mihi dicit, *Joannes est mortuus*, non solùm significat, Joannem esse mortuum; sed etiam se judicare, hoc ita esse, séque velle hoc mihi indicare; atque adeo, se id defacto facere: unde facerem eundem mendacem, non solùm si negarem, Joannem esse mortuum, sed etiam si dicerem, eum hoc non scire, aut contrarium in animo judicare; ergo idem significat Deus, cùm dicit: *Verbum caro factum est*, *&c.* Quare ut docet P. Granadus tract. 1. disp. 5. num. 21. cùm veracitas, & revelatio pertineant ad objectum formale Fidei, quando quis credit mysterium ob authoritatem Dei revelantis, & credit, Deum esse veracem, & credit, mysterium fuisse ab eo revelatum. Quo etiam pacto id ipsum explicat P. Valentia disp. 1. q. 1. punct. 1. in octava difficultate in secunda responsione.

CXXVIII. Ejusdem sententiæ fundamentum proponit Puente Hurtado disp. 7. §. 28. ubi contendit, authoritatem humanam Ecclesiæ, proponentis existentiam revelationis, non esse motivum assensûs, quo credo existentiam revelationis: quia alioqui non essem certus de existentia mysterij revelati. Quod explicat exemplo; nam si mihi proponatur à Prætore promissio jurata Regis de mihi donando munere, non sum certus de munere, quamvis certissimus sim de Regia fidelitate, quia non sum certus de veracitate Prætoris proponentis. Rationem à priori reddit; quia de articulo revelato, & objecto materiali non habeo majorem certitudinem, quàm de revelatione, & objecto formali: ergo si respectu assensûs, quo credo existentiam revelationis, authoritas humana Ecclesiæ est objectum formale, de revelatione non habeo majorem certitudinem, quàm de authoritate humana, & de mysterio, quàm de

de eadem revelatione, & authoritate: ergo in credendis mysteriis deficit fortitudo solatij, quamvis immediatè quis credat mysterium propter testimonium Dei: quemadmodum conclusio est minùs certa, quàm Fides, quia deducitur ex principio naturali minùs certo. Hoc autem est contra Paulum ad Hebræos 6. v. 18. qui, ut nos redderet certos hæreditatis futuræ, duplicem rationem adducit, & utramque infallibilem, nempe promissionem, & juramentum, *ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus.*

CXXIX. Si autem ab his Authoribus quæras, quodnam, sit motivum, quo per Fidem creditur existentia revelationis, jam ferè omnes docent, ad assensum existentiæ revelationis movere immediatè ipsam revelationem, ut testatur Ripalda disp. 3. num. 41. citans pro hanc sententia Suarium, Turrianum, Hurtadum, Valentiam, & Lorcam.

§. II.

Impugnantur illa fundamenta, & ostenditur, quòd cùm nobis non minùs obscurum sit, Deum revelâsse mysteriũ Trinitatis, v g quàm Deũ esse Trinum, sicut fieri non potest, ut assentiamur existentiæ revelationis propter ipsã, ita fieri non posse, ut assentiamur existentiæ revelationis aliis factæ propter ipsam; sed necessarium esse, ut intrinsecè moveamur ab aliquo alio motivo persuadente, Deum revelâsse mysterium.

CXXX. ASserendum nobis est, ad credendũ mysterium propter revelationem, seu propter authoritatem Dei dicentis, non esse necessarium, ut existentiam revelationis credamus propter testimonium Dei, seu ut credamus Fide infusa & obscura existentiam revelationis. Probatur autem assertio: quia licèt summa Dei authoritas essentialiter connectatur cum eo, quòd assertio, seu loquutio Divina sit vera, ex suppositione quòd existat, non tamen connectitur cum eo, quòd existat: ergo motivum sufficiens ad credendam existentiam revelationis Divinæ non est sola authoritas Dei; at neque est ipsa, ut conjuncta cum ipsa revelatione: ergo non credimus existentiam revelationis propter authoritatem Dei, testificantis existere revelationem.

CXXXI. Probatur minor: quia si ob aliquam rationem revelatio ipsa conjuncta cum authoritate Dei posset movere ad assensum de sui existentia, maximè ob illam, quam expendit Eximius Doctor disp. 3. sect. 12. quia nimirum in actu exercito, dum Deus aliquid dicit, quasi per intrinsecam reflexionem ejusdem actûs in se ipsum dicit, se dicere, sicut eodem actu, quo Deus aliquid scit, necessariò etiam scit, se scire: quod etiam de scientia demonstrativa attigit Aristoteles 1. posterior. cap. 2. & inter homines etiam, quamvis, qui loquitur, per expressum actum reflexum non dicat, se loqui, loquendo id satìs dicit in actu exercito: & hac ratione quando aliquid sufficienter proponitur, ut dictum à Deo, eo ipso loquutio illa sufficienter proponitur, ut verbum Dei; & ideo non tantùm res dicta, sed etiam loquutio ipsa accipienda est & credenda, ut verbum Dei, juxta illud Pauli 1. ad Thessalonicenses

ses,2. *Cùm accepissetis à nobis verbum auditûs Fidei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, ut verè est, verbum Dei:* hoc ergo modo Divinum verbum, & rem dictam, & se ipsum dicit, & hac ratione per Fidem infusam creditur, non per resolutionem in aliud verbum, sed per se ipsum. Hæc Eximius doctor, ad quam solutionem recurrunt etiam P. Valentia disp.1.q.1.punct.1.§.5.in octava difficultate, P.Coninck disp.9.n.71. P.Granadus tract. 1.disp. 5. n. 11. & 12. & Recentiores communiter.

CXXXII. At hæc ratio non satisfacit: nam cùm fideles credunt mysteria, revelatio non est facta ipsis immediatè, sed credunt propter revelationem aliis factam, sibi verò sufficienter propositam: unde quamvis Deus per revelationem dicat, se revelare mysterium; cùm hoc non dicat, neque manifestet homini nunc credenti, iste non potest credere existentiam revelationis præteritam, nisi assignetur motivum, inducens ad credendum, revelationem extitisse: & quamvis Dei veracitas postulet, ut sit vera revelatio, quatenus affirmat sui existentiam, sicut postulat, ut sit vera, quatenus affirmat existentiam mysterij; non tamen postulat, ut existat ejusmodi revelatio: ergo impossibile est, ut quis credat existentiam revelationis præteritæ, eò quòd illa supra se reflectebat, quando existebat.

CXXXIII. Ad conficiendum secundum argumentum suppono, quòd, sicut Fide Divina credimus, Deum esse Trinum, quia ille de se ipso id revelavit, ita Fide Divina credimus, Deum revelâsse mysteria Religionis Christianæ: atque adeo ipsa revelatio mysteriorum potest proponi, ut mysterium credendum *ut quod*; per Fidem infusam: *Hæc est veritas certa*, inquit P. Suarez disp. 3.sect. 12.num.8. *quia sæpissimè*, & variis modis est in Sacra Scriptura revelata; quoties nempe Scriptura Sacra dicit, *factum esse verbum Domini ad Prophetas*, & quoties Prophetæ dicunt: *Hæc dicit Dominus*: sic testatur D. Petrus epist. 2.cap.1. *Quòd Spiritu Sancto inspirante, loquuti sunt sancti Dei homines*, & Ecclesia in symbolo canit de Spiritu Sancto, quòd *loquutus sit per Prophetas*, & Christus ipse Joann.7.dicebat: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* Hoc posito.

CXXXIV. Sic argumentor: quando credimus existentiam revelationis mysteriorum Fide Divina, motivum hujus Fidei est revelatio reflexa, habens pro objecto revelationem directam; at non est revelatio reflexa, ut credita Deo, dicenti & revelanti, se revelâsse revelationem reflexam, quia sic daretur processus in infinitum; siquidem ad credendam secundam revelationem reflexam esset necessaria tertia, & ad tertiam quarta, & sic sine termino: ergo motivum Fidei reflexæ, qua credimus Deum revelâsse mysteria Religionis Christianæ, est revelatio reflexa, ut cognita aliunde, quàm per fidem obscuram, innitentem testimonio Dei dicentis: ergo potest dari actua Fidei, qui moveatur à revelatione, non cognitâ per Fidem ejusmodi: ergo universaliter ad credendam aliquam veritatem revelatam *ut quod*, non est necesse, ut revelatio illius veritatis creda-

tur

tur per Fidem obſcuram, innitentem teſtimonio Dei.

CXXXV. Nec ſatisfacies, ſi dicas, revelationem illam reflexam per ſe ipſam credi, & ſic vitari proceſſum in infinitum: etenim illa non minùs obſcura eſt, quàm revelatio directa, & propoſita per ſui apprehenſionem non magis conciliat aſſenſum illa, quàm iſta: ergo non magìs poteſt movere ad ſui aſſenſum una quàm alia: ergo impoſſibile eſt, ut quis firmiter judicet, illam revelationem exiſtere, quin ad ita judicandum inducatur ab aliquo motivo diſtincto ab ipſa; ubi enim objectum affirmatum, ex terminis ſuis propoſitum, non conciliat aſſenſum ſui, neceſſe eſt, ut iſte nitatur in alio motivo, quia intellectus nequit aliquid affirmare, niſi ſub ratione veri.

CXXXVI. Dices ex P. Valentia diſp. 1. quæſt. 1. §. 5. in reſponſione ad octavam difficultatem, non eſſe opus, ut in univerſum omne objectum, cui Fides aſſentitur, ſit revelatum, ſed ſatìs eſſe, ut ſit revelatum, vel ipſa revelatio: ſicut non eſt neceſſe ut omne objectum, in quod potentia viſiva fertur, ſit lucidum, ſed ſatìs eſt, ut ſit lucidum, vel ipſa lux, quam etiam videmus. Ac ſuaderi etiam poteſt, inquit, ex ipſa natura rationis *ſub qua*, ſive fundamento aſſenſûs: habet enim illa, ut ſit veluti regula quædam potentiæ, vel habitûs; regulam autem non oportet attingere, ut regulatum aliquid, ſed ut regulam. Sic ergo in propoſito rectè poteſt intelligi, naturam Fidei eſſe talem, ut ex ſe habeat ordinem, & ad ea, quæ ſunt extrinſecè revelata, & ad ipſam etiam revelationem; ſic ut non ſolùm in revelata poſſit ferri, tanquam in objectum, ſed etiam in ipſam revelationem, qua ſimiliter fulciatur, ac ſuſtentetur, ac proinde ipſa revelatio non modò ſit objectum *quod*, ſed etiam exerceat munus objecti *quo*, ſive rationis formalis *ſub qua* reſpectu ſui ipſius.

CXXXVII. Sed contrà: quia cùm proprium ſit Fidei, præbere aſſenſum veritati ob authoritatem Dei revelantis, non poteſt ad ipſam attinere, præbere aſſenſum exiſtentiæ revelationis, cui innititur: quia vel illa revelatio eſt evidens, ſéque ipſam evidenter manifeſtans, ſicut lux, & tunc aſſenſus ille eſt evidens, & non pertinet ad Fidem; vel revelatio eſt omnino latens & obſcura, ſicut myſterium, & tunc motivum aſſentiendi exiſtentiæ revelationis nequit eſſe ipſa revelatio, ſed aliquid extrinſecum, nimirum authoritas proponentis exiſtentiam revelationis, vel miracula, vel aliquid hujuſmodi. Unde diſpar eſt ratio de luce, quæ per ſe ipſam innoteſcit, ac proinde & eſt ratio videndi colores, quia iſti, ſecluſa luce, omnino laterent, & eſt ratio, cur ipſa videatur.

CXXXVIII. Argumentor tertiò: quia cùm revelatio ſit quid contingens, ex terminis ſuis eſt indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum, & propoſita ex terminis non magìs conciliat aſſenſum de ſui exiſtentia, quàm de non exiſtentia, nec minùs nobis obſcurum & occultum eſt, Deum revelâſſe Trinitatem Apoſtolis & Prophetis, quàm Deum eſſe Trinum; ſed quia myſterium eſt de ſe occultum, & propoſitum ex terminis non conciliat ſui aſſenſum, nec poſſu-

possumus assentiri mysterio propter se ipsum, sed propter motivum distinctum: ergo quia revelatio de se est occulta nobis, & proposita ex terminis non conciliat assensum de sui existentia, non possumus assentiri ipsi propter ipsam, sed propter motivum distinctum. Respondet P. Elizalde in manuscriptis de Fide, mysteria quidem indigere motivo, non quia obscura sunt, sed quia se ipsa neque obscurè affirmant: quapropter neque ad se, neque ad alia credenda Fidem movent; constat autem, revelationem saltem movere ad alia credenda, eò quòd illa asserat: cùm ergo revelatio etiam se ipsam affirmet, etiam movebit ad se ipsam credendam. *Est etiam* inquit, *specialis* ratio, ne mysteriis propter se credat Fides; credat autem revelationi: quia Fides, ut Fides, alicui dicenti necesse est credat; at per mysterium nihil dicitur, dicitur autem per revelationem: ergo &c.

CXXXIX. Sed contrà: quia quòd revelatio, si semel existit, se ipsam significet, sicut significat mysterium, deservit quidem, ut ego credam, illam esse veram in significando, quia Deus nequit falsum loqui, non deservit autem, ut ego credam, illam existere, quia illa non probat sui existentiam magìs quàm mysterium illi intellectui, respectu cujus est omnino absens, & præterita, ut est respectu nostri, qui nunc credimus, Deum olim revelâsse mysterium Trinitatis v.g. Prophetis & Apostolis, & per ipsos illud nobis credendum tradidisse. Unde quòd revelatio seipsam affirmet, deserviet, ut intellectus, qui in se experitur revelationem affirmantem sui existentiam, & existentiam mysterij, propter revelationem credat existentiam mysterij, & existentiam ipsius revelationis, quam experitur; non verò deserviet revelatio præterita, ut intellectus meus, qui illam non experitur, affirmet ejus existentiam, quia revelatio illa proposita per sui apprehensionem non magìs conciliat assensum de sui existentia, quàm ipsum mysterium; dum autem quis credit revelationi, affirmanti sui existentiam, quia hanc experitur, jam independenter à Fide cognoscit existentiam revelationis: ergo ut quis propter revelationem credat mysterium, debet independenter à Fide cognoscere existentiam revelationis.

CXL. Hinc reiicienda est solutio magìs acuta, quàm solida, qua idem Elizalde, Valentiam sequutus, usus est in manuscriptis de Fide, ad solvendum argumentum suprà à nobis propositum: dicebat enim, omnem loquutionem in semetipsam reflectere, & omnem affirmationem, & objectum & se ipsam affirmare: & ideo illam ad objectum credendum, & ad seipsam credendam pariter movere, & ducere; Divinam autem loquutionem, cùm Divinæ cognitionis, & conceptûs sit manifestatio, qui est veluti infinita quædam in seipsum reflexio, & sine fine omnium quæribilium solutio, & responsio, esse similiter infinitam quamdam reflexionem, affirmantem se & sui affirmationem, & affirmationis affirmationem sine fine. Unde quærenti: cur credis incarnationem? respondebitur: quia Deus dicit; & quærenti: cur credis, Deum dixisse? respondebitur: quia

ipse dixit, se dixisse; & quærenti: cur hoc ipsum credis? semper, & sine fine respondebitur, idem quidem re, sed diversum ratione, quia illæ reflexiones differunt ratione. Dicebátque, hanc distinctionem satìs supérque esse ad evitandam petitionem principij.

CXLI. Hæc tamen subtilitas Authori ipsi postea displicuit in opere de forma veræ Religionis inveniendæ, & ex dictis reijcitur: quia cùm in ipsa loquutione, & assertione Divina duplex sit veritas; alia in essendo, consistens in ejus entitate, vi cujus est vera & realis loquutio, & non ficta, quam veritatem haberet, etiamsi per impossibile falsum enuntiaret; alia in repræsentando, consistens in eo, quòd objectum se habeat, sicut per loquutionem affirmatur: sanè prior veritas in essendo est non minùs obscura nobis, quàm veritas mysterij: quia cùm ex terminis omnis revelatio sit indifferens ad existendum, vel non existendum, non magìs potest, secluso alio motivo, persuadere assensum de sui existentia homini, in quo non existit, vel cui immediatè facta non est, quàm mysterium Trinitatis, quod ex terminis suis non potiùs persuadet sui possibilitatem, quàm impossibilitatem.

CXLII. At revelatio Divina ex terminis persuadet sui veritatem in repræsentando, quia, etiamsi Deus non sit determinatus ad revelationem ponendam, ex suppositione tamen quòd ponat, nequit ponere revelationem falsam. Unde si semel quis assentitur existentiæ revelationis Divinæ, prudentissimè assentitur mysterio revelato propter veritatem revelationis in significando, & illa, quæ persuadent, Deum revelâsse mysterium, hoc ipso persuadent assensum mysterij, quia aliunde supponitur, Deum non posse revelare falsum, & ideo revelatio potest esse motivum ad credendum mysterium; istud verò nequit esse motivum ad Fidem sui, vel Fidem alterius, quia non habet veritatem in significando, & dicendo. Cæterùm veritas in essendo ipsius revelationis ad sui assensum non movet, quia eatenus assensum meretur, quatenus constat; at illa non constat ex terminis suis proposita intellectui, siquidem termini isti: *Revelatio mysterij Incarnationis*, nullam habent connexionem cum existentia talis revelationis, neque ad illam affirmandam inclinant; nec item constat quasi per experientiam, & intuitionem ad instar sensibilium, cùm ipsa in se non conspiciatur: ergo ut affirmemus ejus existentiam, hæc debet nobis constare, vel per testimonium Ecclesiæ illam proponentis, vel per argumenta moraliter evidentia, aut valde probabilia, suadentia ejus existentiam: ergo impossibile est, ut revelationem obscuram credamus propter ipsam.

CXLIII. Quod confirmo: nam sicut impossibile est, ut credam Deo, dicenti se existere, & se esse veracem, nisi aliunde, & independenter ab ipsius testimonio sciam, illum existere, & esse veracem, ita impossibile est, ut credam revelationi, affirmanti se existere, nisi independenter ab ejus affirmatione cognoscam ipsam existere. Hoc autem cognoscere non possum, nisi vel revelatio sit intrinseca meo intellectui, & per

se ipsam mihi experimentaliter innotescat, vel per sensus meos illius existentiam percipiam, vel per motivum extrinsecum mihi persuadeam, existere, vel extitisse revelationem illam, quæ ex terminis suis proposita non conciliat assensum de sui existentia. In nostro autem casu, in quo credit existentiam revelationis ille, cui ipsa immediatè facta non est, hæc non est intrinseca ejus intellectui, neque per sensus percipitur ejus existentia: ergo solùm per medium distinctum potest induci, ad affirmandum, talem revelationem extitisse, v.g. quia id testatur Ecclesia, quæ magnam habet authoritatem humanam, vel quia miracula, & alia argumenta evidentia, aut per se valde probabilia persuadent, ipsam existere.

CXLIV. Respondebis ex P. Puente, Hurtado, disput. 15. §. 3. & disp. 7. §. 89. ex P. Valentia, disput. 1, quæst. 1. punct. 1. §. 6. ex P. Suarez, disp. 3. sect. 12. num. 14. & ex aliis communiter, authoritatem Ecclesiæ, ejúsque propositionem, miracula, & alia hujusmodi, esse conditionem *sine qua non*, ut intellectus credat existentiam revelationis propter ipsam, quia per propositionem Ecclesiæ, aliáque argumenta redditur existentia revelationis evidenter credibilis, & inde movetur voluntas ad imperandum per piam affectionem intellectui, ut assentiatur revelationi propter ipsam, & mysterio propter revelationem.

CXLV. Itaque communiter Doctores asserentes, existentiam revelationis debere credi per Fidē Divinam, ut propter illam credamus mysteria, dicunt, posse intellectum nostrum immediatè assentiri per habitum Fidei omnino infallibilem objecto, quod ex terminis suis neq; est per se notum & evidens, neque evidenter probabile & verisimile, sed omnino obscurum. Rationem reddunt: quia licèt ex terminis non constet, objectum esse verum in re, potest tamen constare, esse prudenter credibile; ubi autem constat, objectum esse prudenter credibile, potest intellectus ipsi immediatè assentiri prudenter, quia credit id, quod est prudenter credibile. Quare quando intellectus assentitur existentiæ revelationis, juxta sententiam communem duo judicia existunt in intellectu credentis: primum, quo dicit: *Revelatio est prudenter credibilis*; secundum, quo dicit: *Revelatio existit*: asserítque illa sententia, hoc secundum judicium esse actum Fidei, & intrinsecè non moveri ab alio motivo, sed immediatè ferri in revelationem propter ipsam; primum autem judicium non esse actum Fidei, sed appellari judicium credibilitatis objecti, & esse evidens, ejúsque motivum esse authoritatem humanam Ecclesiæ, miracula, & alia argumenta credibilitatis.

CXLVI. Sed contrà: quia pariter dici posset, supposito judicio credibilitatis mysteriorum, intellectum assentiri mysterio immediatè propter ipsum, & non propter revelationem: quia licèt mysterium sit omnino obscurum, tamen ubi intellectus evidenter cognoscit, esse credibile, poterit voluntas illi imperare, ut credat mysterium immediatè propter ipsum. Unde sic arguo: quia mysterium de se est obscurum, & ex

ex terminis suis propositum nullatenus inclinat ad sui assensum, implicat, ut voluntas imperet intellectui, ut assentiatur mysterio propter ipsum, sed necesse est, quòd imperet, ut assentiatur propter aliquid extrinsecum, suadens ejus existentiam. At revelatio mysterij, quæ mihi immediatè facta non est, ex terminis suis non minùs est mihi obscura, quàm ipsum mysterium: ergo non potest voluntas imperare intellectui, ut assentiatur existentiæ revelationis propter ipsam, sed propter aliquid extrinsecum, à quo intrinsecè moveatur assensus. Ratio à priori est: quia cùm intellectus sit potentia rationalis, nequit voluntas imperare ipsi, ut assentiatur immediatè veritati omnino obscuræ, & quæ ex terminis suis nullatenus conciliat assensum sui; sed solùm potest imperare, ut assentiatur propter rationem suadentem existentiam objecti: alioqui posset voluntas imperare intellectui, ut judicet, astra esse paria, quamvis nulla adsit ratio id suadens. Nec satisfacies, si respondeas, ideo non posse voluntatem hoc imperare; posse autem imperare, ut credat existentiam revelationis, quia hoc, & non illud supponitur prudenter credibile. Non, inquam, satisfacies: quia si semel ad assensum veritatis de se occultæ non requiritur essentialiter motivum distinctum, intrinsecè attactum ab assensu, poterit voluntas, saltem imprudenter & temere, imperare assensum paritatis stellarum; quia si intellectus potest assentiri veritati omnino occultæ, quin moveatur intrinsecè ab ulla ratione suadente ipsam, nulla erit ratio, cur saltem temere nequeat voluntas ipsi imperare, ut judicet, astra esse paria, quamvis nulla adsit ratio suadens paritatem illam.

CXLVII. Quare eatenus authoritas Ecclesiæ, miracula, & alia argumenta reddunt mysteria nostræ Fidei evidenter credibilia, quatenus intellectum movent, ut judicet, existere revelationem mysteriorum, quæ ex terminis suis proposita nullatenus conciliaret sui assensum, ac proinde illa mysteria reddunt mediatè credibilia, quatenus suadent existentiam revelationis, illámque reddunt immediatè credibilem; implicat autem, ut reddant revelationem immediatè credibilem, & quòd non moveat immediatè, dum creditur: quia dum credit intellectus existentiam revelationis omnino obscuræ, & de se non conciliantis sui assensum, debet intrinsecè moveri ab aliqua ratione suadente mysterium; alioqui si sola voluntas haberet rationem ad imperandum, & intellectus non haberet rationem ad assentiendum, sola voluntas esset potentia rationalis, non autem intellectus, nec iste tunc tenderet sub ratione veri, quod pugnat cum ipsius natura. Quod confirmatur: quia si revelatio esset evidens, & per se innotesceret credenti, non indigeret intellectus motivis extrinsecis credibilitatis ad præstandum assensum revelationi, quia tunc illa per se ipsam moveret: ergo si indispensabiliter sunt necessaria motiva credibilitatis extrinseca, quando revelatio est obscura, id ideo est, quia tunc intellectus nequit assentiri existentiæ revelationis, nisi ob illa motiva, vel saltem aliquod illorum.

CXLVIII. Dices: etsi non appareat, re-

revelationem existere ex terminis ipsius, sed ex argumento extrinseco, vi cujus redditur credibilis, tamen revelationem habere veritatem distinctam à veritate illius argumenti, atque adeo posse credi immediatè propter se ipsam. Ratio à priori videtur esse: quia cùm objectum intellectûs sit veritas apparens, quodcumque objectum verum apparens, veritate propria distincta à veritate cujuslibet alterius, potest movere ad assensum sui ratione veritatis propriæ apparentis. Quod potest à paritate confirmari: siquidem objectum non apparens in se ipso bonum, sed in alio bono, si tamen appareat bonum bonitate distincta, potest movere ad amorem sui, quin moveat bonum illud, in quo apparet bonum: ergo objectum, distincta veritate apparens verum, in alio potest movere ad assensum sui, quin moveat objectum aliud, in quo apparet verum. Antecedens videtur certum: nam cognoscenti creaturas in Deo, si nullam aliam haberet cognitionem, repræsentantem eas in se ipsis, creaturæ in se ipsis non apparerent bonæ, sed tantùm in Deo, quia non repræsentarentur in se ipsis, & tamen quia non apparerent bonæ bonitate Dei, sed bonitate distincta, possent movere ad amorem, non Theologicum, quatenus ratione propriæ bonitatis movere possunt ad amorem sui, quin ad illum amorem moveat bonitas Dei: unde tunc beatus posset exercere actus virtutum moralium, & amare objecta creata propter eorum bonitatem. Consequentia patet: quia supposita cognitione in Deo, repræsentante beato, creaturam habere bonitatem distinctam à bonitate Divina, manet indifferens voluntas beati, ut amet bonitatem creaturæ, vel propter bonitatem Divinam amore charitatis, vel propter se amore alterius generis, scilicet virtutis moralis: ergo similiter, cùm in propositione Ecclesiæ appareat vera existentia revelationis veritate distincta, non manebit intellectus necessitatus, ut assentiatur existentiæ revelationis propter authoritatem Ecclesiæ illam proponentis, sed poterit assentiri propter veritatem ipsius revelationis.

CXLIX. Verùm hæc responsio non satisfacit: quòd enim mysterium habeat veritatem distinctam à testimonio Dei, non probat, posse intellectum illi immediatè assentiri propter ipsam: nam illa veritas mysteriorum est omnino latens & obscura, quatenus proposita ex terminis suis: unde, ut repræsentata per sui apprehensionem claram & distinctam, non habet vim movendi & inclinandi ad sui assensum, sed præcisè movet, ut apparens in revelatione, & ratione revelationis, seu Divini testimonij; hoc enim, ut repræsentatum, est, quod unicè movet ad assentiendum mysterio. Nec urget paritas: nam bonitas creaturarum cognita, tanquam in medio, non ideo præcisè movet, quia est bonitas distincta, sed quia est bonitas, quæ ratione sui proposita habet vim inclinandi ad sui amorem: quamvis enim cognitio illius bonitatis creatæ nihil aliud repræsentaret, sufficienter moveret ad illius amorem.

CL. Unde dum beatus videt bonitatem creatam in Deo, duplex illi motivum proponitur ad amandam illam boni-

bonitatem, nempe bonitas Divina, quæ movet ad amandum objectum creatum propter Deum, & bonitas ipsius creaturæ, quæ ut repræsentata per cognitionem sui, sufficienter movet ad sui amorem, quia quamvis cognitio illa nullum aliud objectum repræsentaret præter bonitatem creatam, proponeret sufficiens motivum ad amandum: patet ergo evidenter disparitas, nam apprehensio Trinitatis (& idem est de apprehensione revelationis omnino obscuræ, & latentis) si præcisè repræsentaret unitatem essentiæ, & Trinitatem personarum, nullatenus moveret ad sui assensum: unde infertur, solam apprehensionem, vel affirmationem revelationis movere ad assentiendum mysterio omnino obscuro & latenti: ac proinde solam revelationem Dei, ut distinctam à mysterio, esse motivum adæquatum assentiendi mysterio; & similiter infertur, solam apprehensionem, vel affirmationem authoritatis Ecclesiæ, & aliorum motivorum credibilitatis movere ad assentiendum existentiæ revelationis omnino obscuræ, & latenti.

CLI. P. Ripalda videns ex una parte impossibile esse, ut quis assentiatur existentiæ revelationis obscuræ, quin moveatur à motivo extrinseco tali revelationi, & ex alia parte agnoscens, non posse esse assensum Fidei illum, qui non movetur à testimonio Dei, asseruit disp. 3. de Fide sect. 4. num. 54. revelationem immediatè movere ad assensum Fidei, non præcisè apprehensam secundùm prædicata intrinseca, sed etiam secundùm prædicata extrinseca nobis nota, qualia sunt miracula, authoritas humana Ecclesiæ, & aliæ notæ, quæ revelationem credibilem reddunt, ac proinde asserit, motivum adæquatum assensûs terminati ad revelationem conflari ex revelatione ipsa, & ex motivis extrinsecis, quæ illam hîc & nunc reddunt credibilem.

CLII. Sed contrà primo: quia, ut ostendimus contra hunc authorem disp. 2. sect. 1. non minùs repugnat Fidei, respicere authoritatem humanam, quæ fallibilis sit, tanquam motivum partiale, quàm tanquam totale. Contrà secundò: quia ratio probans, revelationem non posse movere ad assensum sui adæquatè, probat, nec posse inadæquatè, ut ibi ostendi. Contrà tertiò: quia sicut mysterium ipsum, quia obscurum & latens est, nullatenus movet ad sui assensum, ita nec revelatio obscura, &c.

CLIII. Denique respondebis ex Michaële de Medina lib. 5. de recta in Deum Fide, distinguendum esse inter Fidem Apostolorum, aliorúmque, qui immediatè à Deo per revelationem, alióve modo Fidem didicerunt, & inter nostram Fidem: & motivum quidem prioris Fidei esse testimonium Divinum; motivum verò posterioris esse authoritatem Ecclesiæ, quatenus à Spiritu Sancto dirigitur, & habet assistentiam infallibilem ejus, ad non errandum in his, quæ credenda proponit Fidelibus, ut constat ex illis verbis, Matth. 16. num. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, & ex illo Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, & ex illo Joan.

14. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclytum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aternum, spiritum veritatis*, & denique ex illo 1. ad Timoth. 3. *Vt scias, quomodo te oporteat conversari in domo Dei, qua est Ecclesia Dei vivi, Columna, & Firmamentum veritatis.* Juxta hanc sententiam, quam etiam videtur approbare Bannez hîc q. 1. art. 1. dub. 4. credimus mysterium, quia illud Deus revelavit; Deum verò revelâsse, credimus, quia Ecclesia, cui Deus assistit, ut errare non valeat, id credendum proponit.

CLIV. Sed contrà: quia hæc sententia incidit in circulum vitiosum, dum ad credendam existentiam revelationis non recurrit ad authoritatem humanam Ecclesiæ, quatenus est congregatio hominum, sanctitate & sapientia illustrium, miraculis, & Martyrum sanguine, aliísque notis illustrata, sed ad authoritatem Divinam, quam habet ex assistentia Spiritûs Sancti. Si enim inquiramus à Fideli, cur credat, Deum revelâsse mysterium Incarnationis, respondere debet juxta hanc sententiam: quia Ecclesia Christi, quæ assistentiam habet Spiritûs Sancti, ita credendum proponit: si autem ulteriùs quæramus, unde sciat, Ecclesiam habere illam assistentiam Spiritûs Sancti? sanè cùm id non videatur ex terminis notum, respondebit, se id scire, quia Ecclesia ita docet, quæ errare non potest. Ubi committitur manifestus circulus, dum probat existentiam revelationis ex authoritate Ecclesiæ, & authoritatem Ecclesiæ ex existentia revelationis.

CLV. Nec satisfaciunt aliqui Authores, contendentes, illum circulum non esse vitiosum, cùm habeamus illum modum assentiendi in alijs casibus: nam si Regis minister afferat Regis Epistolam, qua jubeat, haberi fidem ipsius nuntio, tunc credimus, Epistolam esse Regis, quia nuntius dicit; nuntio autem credimus, quia Rex jubet ipsi credi. Non, inquam, satisfaciunt: siquidem in casu proposito non credimus, litteras esse Regias, præcisè quia nuntius dicit; sed quia aliunde ex alijs indicijs id cognoscimus, v. g. ex sigillo, & subscriptione. Quodsi non esset alia via ad credendum, litteras illas esse Regias, quàm testimonium nuntij, impossibile foret credere, litteras esse Regias propter authoritatem nuntij, ut Regia authoritate firmatam; sed vel non posset credi, vel crederetur ob authoritatem nuntij secundùm se sumptam: pariter ergo si non esset alia via ad cognoscendum, Deum revelâsse mysteria, nisi testimonium Ecclesiæ, impossibile foret, credere ob authoritatem Ecclesiæ, ut munitam authoritate Divina, & assistentiâ Spiritûs Sancti, Deum revelâsse mysteria, sed vel id non posset credi, vel certè crederetur ob authoritatem humanam Ecclesiæ, quatenus est cætus hominum, sanctitate & sapientia illustrium, inter quos miracula viguerunt omni sæculo, & constantia in subeundo Martyrio, conjuncta cum puritate & innocentia vitæ: quæ authoritas sufficiens est ad fundandam fidem humanam moraliter certam; non videtur autem sufficiens ad fundandam Fidem Divinam, quæ essentialiter nititur testimonio Dei.

CLVI. Ratio à priori desumitur ex doctrina Aristotelis in libris posteriorum, & ex communi omnium Philosophorum, quòd omnis assensus intellectûs, vel debet esse immediatus, id est affirmans rem immediatè propter ipsam, & non aliam, vel debet reduci ad aliquem assensum immediatum, cui ultimò innitatur: sicut omnis actus voluntatis tendit in finem, seu in bonum propter se appetibile, vel in medium, seu in bonum, quod appetitur propter aliud: & ne in infinitum progressus fiat, debemus sistere in aliquo bono, quod immediatè propter se ametur. Quare sicut non posset amari medicina præcisè propter sanitatem, si sanitas præcisè amaretur propter medicinam: ita intellectus non potest assentiri uni veritati propter aliam, si huic alteri solùm propter priorem assentiretur; alioqui eadem propositio faceret fidem sibi ipsi, & esset antecedens, ex quo ipsamet inferretur: unde esset certior, & incertior se ipsa; certior, quia esset antecedens; minùs certa, quia esset consequens: omnis enim propositio debet esse certior, quàm illa, quæ ex ipsa infertur.

§. III.

Ex dictis contra alias sententias concluditur, motiva ipsa credibilitatis non solùm inducere ad imperandum assensum de existentia revelationis; sed esse motivum intrinsecum talis assensûs.

CLVII. Dico ergo, motiva ipsa credibilitatis, quæ in sententia communi movent voluntatem, ut per piam affectionem imperet assensum firmum circa existentiam revelationis, movere quoque immediatè ad assensum de tali existentia, sicut motiva evidenter probabilia, moventia voluntatem ad imperandum assensum opinativum circa veritatem objecti, movent etiam immediatè ad ipsum assensum: quando enim dubitatur, an aliquis contractus sit licitus, & post diligentem quæstionis discussionem, factam citra omnem passionem, & ex sincero affectu inveniendi veritatem, in actu primo occurrunt rationes validæ, suadentes, illum contractum esse licitum, & præponderantes rationibus in contrarium, intellectus evidenter experitur vim majorem illarum rationum, & reflexè potest evidenter judicare, esse sibi certò probabile, seu certò prudenter judicabile, illum contractum esse licitum, & insuper ex vi illarum rationum præponderantium potest in omnium sententia elicere judicium certò prudens, quòd ille contractus sit secundùm se licitus; quamvis enim non sit certum, quòd intellectus possit prudenter assentiri ob rationes minùs, vel æquè probabiles, est tamen extra controversiam, quòd saltem ob rationes probabiliores, & urgentiores sic apparentes, potest prudenter assentiri: similiter ergo in nostro casu.

CLVIII. Hæc sententia constat ex impugnatione sententiæ communis, exhibitâ in hoc capite, §. 2. pro ea citat Cardinalis de Lugo, disp. 1. num. 51. Scotum, Durandum, Gabrielem, Okamum, & Medinam, & refert aliquos testan-

testantes, Patrem Vazquez multùm in hanc sententiam inclinâsse; & ut vidimus suprà, illa coincidit cum sententia Recentiorum, quos suppresso nomine citat, & sequitur Cardinalis Sfortia, num. 56. & 58. in re est ipsa sententia Cardinalis de Lugo rectè explicata, & sine incommodis, quæ ille cogitur admittere, dum asserit, nos credere ipsa mysteria propter loquutionem mediatam Dei, & dum ait, propositionem Parochi esse loquutionem Divinam, & immediatè movere ad assentiendum Fide Divina existentiæ revelationis præteritæ, quod nos in tractatu de Fide probavimus esse falsum. Coincidit etiam cum sententia Patris Ripaldæ, quatenus disput. 3. num. 69. docet, Fidem Divinam quoad assensũ revelationis resolvi in motiva extrinseca, quæ reddunt credibilem existentiam illius; licèt falsò affirmet, partim etiam resolvi in veritatem intrinsecam ipsius revelationis; cùm enim veritas existentiæ revelationis sit omnino latens, & obscura, nullo pacto, nec inadæquatè movet ad assensum sui, sed est objectum purè materiale illius, ut fusè ostendimus in præsenti capite. Eandem doctrinam nervosè defendit P. Elizalde in opere de forma veræ Religionis quærendæ, & inveniendæ, quæst. ultima, & P. Ægidius Estrix in Diatriba Theologica, assert. 25.

§. IV.

Solvuntur fundamenta contendentia, non posse Fide Divina credi mysterium propter revelationem, quin Fide Divina credatur existentia revelationis.

CLIX. Ex dictis facilè respondetur ad fundamenta, quibus §. 1. P. Suarez, P. Coninck, & P. Puente Hurtado suadebant, existentiam revelationis credendam esse Fide Divina. Ad fundamentum Patris Suarez, respondeo, neminē propter Dei testimonium credere mysteriu m, quin vel per scientiam, vel fidem aliquam sibi firmiter persuadeat, Deum revelâsse mysterium; necessarium tamen non esse, quòd Fide Divina, ob testimonium scilicet Dei, quis credat, Deum revelâsse mysterium; sicut ut quis propter Dei veritatem credat mysterium, non requiritur, quòd Fide Divina credat veracitatem; sed satis est, quòd per scientiam id assequatur, ut probavi capite 4. Fides enim mysterij non fundatur in scientia, vel fide, qua persuadeamur, Deum summè veracem revelâsse mysterium, nec illi commensuratur, sed fundatur in ipsa veracitate, & revelatione Divina: nam postquam quis cognitione ordinis inferioris persuasus est, Deum esse summè veracem, & revelâsse mysterium, statim resultat judicium evidens, quo cognoscit, se posse, ac debere credere ob authoritatem Dei cum summa firmitate mysterium, quia lumine naturæ notum est, reverentiam Deo loquenti debitam postulare, ut, ubi quis sibi persuadet, Deum loqui, cum summa firmitate credat ei, sicut ubi quis prudenter judicat, aliquam actionem esse peccaminosam, etiam si illud judicium speculativum sit tantùm probabile, statim resultat judicium practicum reflexum omnino evidens, quo censet, sibi illicitum esse, hîc & nunc exercere contractum illum, quia

quia lumine naturæ notum est, reverentiam Deo præcipienti debitam postulare, ut quis abstineat à contractu illo, quem speculativè judicat, esse secundùm se prohibitum, dum ita judicat; neq; potest judicare oppositum, etiamsi illud judicium speculativum sit tantùm probabile. Quare cognitio, proponens revelationem mysterij, est mera conditio, & applicatio motivi Fidei Divinæ, & cum illa minimè proportionatur assensus Fidei, qui firmior multò est: illud namq; axioma: *Propter quod unumquodque tale &c.* solùm habet locum in scientiis, & in voluntate, ut exposui.

CLX. Et sanè quòd non requiratur, eadem certitudine credere existentiam revelationis, quâ propter revelationem credimus existentiam mysterij, persuadet ipsum exemplum adductum à Patre Suarez: quamvis enim nemo possit credere sententiam aliquam ob authoritatem Augustini, quin sibi persuadeat, Augustinum protulisse illam sententiam, vel quin sibi persuadeat, esse Augustini librum continentem illam sententiam; tamen non requiritur, quòd fides illa, quâ credit librum esse Augustini, sit ejusdem firmitatis cum illa, quâ credit veritatem illius sententiæ ob authoritatem Augustini: nam satis est, quòd authoritate inferioris ordinis sibi persuadeat, illum librum esse Augustini, nimirum ob authoritatem viri gravis, adhoc ut pro posteriori ob authoritatem Augustini eliciat assensum superioris ordinis. Pariter ergo sufficiet, quòd fide humana moraliter certâ sibi quis persuadeat, Deum revelâsse mysteria, ut Fide Divina propter authoritatem Dei firmissimè credat rem revelatam.

CLXI. Verum quidem est, quòd si quis dubitet de existentia revelationis, hoc ipso dubitabit de existentia mysterij; id tamen non probat, quòd revelatio debeat credi Fide Divina, sed quòd vel debeat cognosci per scientiā, vel per fidem aliquam, qua quis sibi persuadeat, Deum revelâsse mysterium, sive illa fides sit Diviua, sive humana moraliter certa, qualis est omnis assensus opinativus unius partis ob motiva gravia & urgentia, quando non adest fundamentum pro parte opposita prudens dubitandi, an assensus ille sit falsus.

CLXII. Nec est necesse, ut is, qui credit mysteriū aliquod, quia dictum est à Deo, credat eodem actu, illud dictum esse à Deo, attingendo revelationem Dei, ut objectum *quod*, illámve affirmando, ut ostendi suprà capite 4. quia non est necesse, ut assensus objecti materialis attingat directè rationem formalem assentiendi, sed sufficit, quòd illam essentialiter supponat, attactam directè, & affirmatam per actum priorem, & quòd ipse eam attingat indirectè. Sic conclusio respicit intrinsecè objectum præmissarum, nec tamen illud iterum affirmat, siquidem ex falsis præmissis aliquando sequitur vera conclusio, quod non posset verificari, si per conclusionem deberet iterum affirmari objectum præmissarum.

CLXIII. Ad fundamentum Patris Coninck fateor, Fide Theologica non solùm credi, quòd articuli Fidei sint veri, sed quòd sint à Deo revelati, non quia sit necessarium ad credendum mysterium

um Fide Divina, ut Fide Divina priùs credamus, Deum illud revelâsse; sed quia in Scriptura Sacra Deus reflexè revelavit, se revelâsse mysteria nostræ Religionis: unde qui Fide Divina credit, Deum revelâsse mysterium, innititur testimonio Divino ad hoc credendum; non tamen est necesse, ut omnis credens actu mysterium, Fide Divina actu credat existentiam revelationis. Hinc fateor, futurum hæreticum, qui negaret, Deum revelâsse mysteria nostræ Religionis, tum quia opponeretur Scripturæ id testanti, & definitionibus Conciliorum, tum quia, qui negaret mysteria fuisse à Deo revelata, negaret Fidem ipsorum mysteriorum, quia hæc subsistere nequit sine revelatione, vel scitâ, vel creditâ, sive Fide Divina, sive saltem fide humana: unde omnis, qui tenetur credere mysteria Fide Divina, tenetur non negare, quòd illa sint à Deo revelata, licèt non semper teneatur Fide Divina credere, quòd sint revelata: ut enim teneatur credere Fide Divina mysterium, satìs est, quòd teneatur credere existentiam revelationis, sive Fide Divina, sive fide humana: evidens enim est, quòd teneatur credere Fide Divina mysterium is, qui fide humana moraliter certâ credit, Deum illud revelâsse, quia habet motivum Fidei Divinæ, sufficienter applicatum per fidem humanam, ratióque evidens dictat, credendum à nobis esse Fide Divina mysterium, quoties prudenter censemus illud esse à Deo revelatum, sicut ratio evidens dictat, evitandum nobis esse contractum, quoties prudenter censemus, illum esse prohibitum.

CLXIV. Nec urget confirmatio adhibita à Coninck: nam licèt, quando Deus revelat aliquod mysterium immediatè Prophetis, simul revelet virtualiter, se illud revelare, atque adeò revelatio possit credi immediatè propter se ipsam à Propheta, illam suscipiente, & experimentaliter illam cognoscente; tamen respectu nostri, qui illam revelationem non suscepimus, ejus existentia est penitus ignota, non minùs quàm existentia mysterij, ut satìs ostendi.

CLXV. Ad fundamentum Patris Hurtado respondeo, negando sequelam: nam ut ego sim certus certitudine Fidei Divinæ, respicientis ut motivum intrinsecum infinitam Dei authoritatem, satìs est, quòd sim certus certitudine fidei humanæ de existentia revelationis, quia per fidem purè humanam, moraliter tamen certam, proponentem mihi authoritatem Divinam, sufficienter mihi applicatur motivum Fidei Divinæ. Unde falsum est, quòd non possim habere majorem certitudinem de articulo, & mysterio revelato, quàm de existentia revelationis, ut cernitur in homine credente veritatem aliquam, quia definita est in Concilio, qui magìs certus est de veritate illa, quam credit Fide Divina, quàm de existentia talis definitionis, quam solùm credit fide humana. Falsò præterea supponit hic Author, authoritatem summam Ecclesiæ, proponentis existentiam revelationis, esse purè humanam, ut inde inferat, actum, credentem existentiam revelationis propter authoritatem summam Ecclesiæ, non esse Fidei Divinæ: jam in tractatu de Fide ad finem sectionis 6.

ostendimus, authoritatem Ecclesiæ, quatenus miraculosè fundatæ, & mirabiliter permanentis, & tot mirabilibus notis ornatæ, esse authoritatem Divinam; unde qui animadvertit, Ecclesiam tot signis illustratam aliquid credendum proponere, hoc ipso apprehendit ejus testimonium ut Divinum, & credit Fide Divina existentiam revelationis, quamquam ad credendum Fide Divina mysterium propter revelationem, non requiratur, credi Fide Divina existentiam revelationis, sed satis est, vel illam cognoscere per scientiam, vel per Fidem humanam moraliter certam, ut ostendimus.

CLXVI. Ad exemplum adductum ab Hurtado respondeo, eum, qui ob testimonium Prætoris credit, Regem sub juramento promisisse donum sibi, certiorem esse intra genus fidei humanæ de bono sibi dando à Rege, quàm sit de veritate testimonij Prætoris; quantum enim dignitas Regis excedit dignitatem Prætoris, tantùm fides innixa authoritati ejusdem Regis excedit fidem innixam authoritati Prætoris; utraque tamen fallibilis est. Requiritur quidem, ut miles, cui proposita est promissio jurata Regis, non dubitet de veritate Prætoris narrantis, nec dubitet de præmio sibi concedendo; at postquam securus est de veritate Prætoris, potest ob fidelitatem Regis securior reddi de dono sibi à Rege concedendo. Pariter ergo, ut quis ob authoritatem Dei dicentis certus sit de re revelata, debet esse securus de eo, quòd Deus revelaverit; hæc tamen securitas non debet esse necessariò securitas Fidei Divinæ, sed sufficit, quòd sit vel securitas scientiæ, vel fidei humanæ moraliter certæ, & quæ dubitationem prudentem excludat. Unde summopere expedit ad perseverantiam in Fide, ut quis ritè expendat motiva credibilitatis, quibus evidenter, saltem evidentia morali, probatur, Deum esse authorem Religionis Christianæ: qui enim voluntariè admiserit dubitationem de eo, quòd Deus revelaverit mysterium, hoc ipso dubitabit de veritate mysterij. Unde Christiani rustici, in captivitatem redacti à Mahumetanis, qui non penetrârunt argumenta, quibus persuademur, Deum esse authorem Religionis Christianæ, faciliùs possunt seduci, & ad Mahumetismum trahi, quàm qui illa motiva perspecta habent. Et præterea summopere expedit in oris maritimis, in quibus passim Christiani captivi ducuntur in Africam, à Prædicatoribus Evangelicis inculcari motiva credibilitatis, & populo pro dignitate exponi.

CLXVII. Neque authoritas Pauli adducta ab Hurtado quidquam contra nos probat: solùm enim probat, Deum, ut nos redderet omnino certos de remuneratione æterna, non solùm adhibuisse promissionem, sed etiam juramentum; ut enim quis firmissimum solatium habeat de futuritione rei promissæ, non requiritur per se, & ex terminis, quòd Fide Divina credat, Deum promisisse, & juràsse: nam qui audiret Deum jurantem, & evidenter cognosceret, Deum sibi loqui, firmissimum solatium haberet, credens futurum esse, quod Deus promisit, & juravit; similiter qui per argumenta moraliter evidentia sibi per-

persuaderet, Deum promisisse, & juràsse, se daturum mercedem æternam, etiam haberet firmissimum solatium ob gloriam sibi promissam; & pariter dicendum est de eo, qui fide humana moraliter certâ crederet, Deum ita promisisse, & juràsse, nam promissio, & juramentum Dei sufficienter applicantur per illam fidem humanam moraliter certam, ut accedente imperio supernaturali piæ affectionis, & lumine Fidei, eliciatur actus Fidei Divinæ firmissimus circa futuritionem rei promissæ.

CAPUT SEXTUM.

Ad credendum Fide Divina mysterium propter revelationem, nec sufficit, quòd pro priori assentiamur existentiæ revelationis assensu opinativo cum formidine, nec requiritur, quòd assentiamur assensu metaphysicè evidenti nec assensu omnino certo & infallibili, sive assensu Fidei Divinæ, sed satis est, quòd assensu fidei humanæ moraliter certo, vel ob rationes adeò probabiles, ut non sinant prudenter dubitare, judicemus, Deum illud revelâsse.

§. I.

CLXVIII. Quòd non sufficiat assensus opinativus cum formidine, jam omnino certum est post Bullam editam à Sanctissimo D. N. Innocentio Undecimo anno 1679. in qua quinque supra sexaginta propositiones, ut minimùm *tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas damnavit atque prohibuit*: certum enim est, Summum Ecclesiæ Pastorem habere authoritatem infallibilem ad declarandum Christi ovibus, quænam sint pascua nociva, & venenosa, à quibus cavere oporteat; quænam salutifera, quæ oporteat sedulò quærere. Inter illas autem propositiones vigesima prima est hæc: *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidet, ne non sit loquutus Deus.*

CLXIX. Quod non requiratur evidentia metaphysica de existentia revelationis, patet, quia quamvis viri sapientes, penetrantes motiva evidentia credibilitatis, quibus Deus insignivit Religionem Christianam, evidenter judicare possint, Deum esse Authorem illius, quia evidens est, Deum non posse tot signis veritatis ornare Religionem falsam, tamen hæc evidentia est paucorum; unde si illa foret necessaria ad credendum Fide Divina mysteria nostræ Fidei, rustici & indocti excluderentur à Regno Cœlorum, quod

fine Fide adquiri non poteſt: hoc autem eſt evidenter falſum.

CLXX. Quòd verò non requiratur, quòd Fide Divina, & propter authoritatem Dei dicentis credamus exiſtentiam revelationis, abunde à nobis probatū eſt in capitibus præcedentibus.

CLXXI. Dicendum ergo nobis eſt cum Scoto, cum Gabriele, cum Okamo, & aliis apud Ripaldam diſp. 3. n. 28. cum Ægidio Eſtrix in diatriba Theol. aſſert. 33. à n. 153. ad 158. incluſivè, ad credendum Fide Divina myſterium propter revelationem, ſatis eſſe, quòd aſſenſu Fidei humanæ moraliter certo, vel ob rationes adeò probabiles, ut non ſinant prudenter dubitare, judicemus, Deum illud myſterium revelâſſe. Probatur primò: quia ut ego credam veritatem aliquam definitam in Concilio, propter authoritatem infallibilem Concilij definientis, ſatis eſt, quòd firmiter credam, Concilium definiſſe illam veritatem; hoc autem non credo Fide Divina, ſed fide humana, quia ſcilicet video, id teſtari homines ſapientes, & hiſtorias fide dignas; ergo ſufficit, credere fide humana exiſtentiam revelationis, ut propter revelationem Fide Divina credam myſterium revelatum.

CLXXII. Ut ſecundam probationem conficiam, ſuppono, ſufficere motiva humana, ut quis prudenter judicet, Deum revelâſſe myſterium, quia nimirum id multi viri ſapientes, & probi uniformiter teſtantur, de quibus nullum habes prudens fundamentum ad ſuſpicandum, eos vel per malitiam velle decipere, vel per ignorantiam decipi: evidens enim eſt, poſſe intellectum accipere ut verum id, quod multi probi, & ſapientes palam, & conſtanter, ut verum, ſine ulla hæſitatione affirmant, quando non adeſt fundamentum ad judicandum, illos vel decipere, vel decipi: ergo ſatis eſt, quòd quis ſciat, omnes Epiſcopos & Doctores Chriſtiani Orbis docere, Deum revelâſſe myſterium Incarnationis, ut prudenter ſine hæſitatione credat, hoc eſſe verum; id autem poteſt ſcire, quin advertat ad miracula, & inſignia mirabilia, quibus fulget Eccleſia Catholica, & quæ oſtendunt, illam eſſe os, per quod Deus hominibus publicè, & ſenſibiliter loquitur, & conſequenter quin advertat ad Divinam ejus authoritatem, ſed ſiſtat in authoritate humana, quæ in hoc genere eſt omnium maxima.

CLXXIII. Hoc ſuppoſito, ſic argumentor ſecundò: ut quis Fide Divina credat Deo loquenti, ſufficit, quòd prudenter, & ſine ulla hæſitatione judicet, Deum loqui; at fide humana poteſt ſic judicare, Deum loqui: ergo ut quis credat Fide Divina Deo loquenti, ſufficit, quòd fide humana prudenter, & ſine hæſitatione judicet, Deum loqui: ergo ut quis Fide Divina credat myſterium Trinitatis v. g. propter authoritatem Dei revelantis, ſufficit, quòd fide humana credat, Deum illud revelâſſe. Cætera conſtant; ſola Major indiget probatione.

CLXXIV. Ea autem facilè ſuadetur: nam qui prudenter, & ſine ulla hæſitatione judicat, Deum eſſe loquutum, evidenter poteſt judicare, ſibi hîc & nunc honeſtum eſſe, credere Deo loquenti, imò, ſe hic & nunc teneri credere;

re: est enim evidenter illicitus hic actus: *Ego quidem prudenter, & sine hæsitatione judico, Deum revelâsse mysterium Trinitatis; nolo tamen illud credere, sed dubito, an sit verum:* esset enim manifesta injuria contra summam Dei authoritatem in testificando: ergo supposito illo judicio fidei humanæ, quo quis sine hæsitatione prudenter judicat, Deum revelâsse mysteriũ Trinitatis, potest voluntas prudenter imperare intellectui, ut propter infinitam Dei authoritatem firmissimè, & super omnia credat, illud esse verum, ut patet ex dictis, c. 4. §. 6. ubi explicuimus, quomodo certitudo Fidei sit super omnia, & cur possit esse major, quàm certitudo actûs, quo cognoscimus motivum credendi: quantùm enim testimonium Dei excedit testimonium hominum, tantundem proportionaliter potest actus, quo credo mysterium propter authoritatem Dei revelantis, excedere actum, quo propter authoritatem hominum credo, Deum revelâsse mysterium: Fides enim non est discursiva, & ideo certitudo assensûs circa mysterium non debet commensurari cum certitudine assensûs circa existentiam revelationis. Unde authoritas Divina exigit, ut assensus præstitus propter illam, tanquam propter motivum, sit firmior, quàm assensus exhibitus propter authoritatem ullam creatam, humanam vel Angelicam.

CLXXV. Idque explicatur primò: nam si ego ob authoritatem viri gravis credo, talem librum esse Augustini, & postea librum legens credo, verum esse, quod ibi dicitur, quamvis à me non capiatur, certè tantùm excedit fides, quâ credo dictis Augustini, fidem, quâ credidi testimonio illius viri gravis, quantùm authoritas illius excedit authoritatem istius: ergo pariter in nostro casu, &c. Explicatur secundò: nam si mihi occurrant fundamenta valde verisimilia, & urgentia ad judicandum, aliquem contractum esse illicitum, & nulla ratio occurrat in contrarium, & ob illa fundamenta eliciam assensum speculativum, quo judicem, illum contractum esse secundùm se malum, & prohibitum, sanè supposito judicio illo, quod metas probabilitatis non excedit, possumus formare judicium metaphysicè evidens, quo judicem, me hîc & nunc teneri ad abstinendum ab illo contractu: evidens enim est, me non posse licitè exequi id, quod prudenter judico secundùm se malum, & prohibitum.

CLXXVI. Quamvis enim aliqui cum P. Vazquez, & Thoma Sanchez dicant, eum, qui per principia intrinseca judicat, aliquem contractum esse malum, & prohibitum, posse nihilominus in sensu composito talis judicij formare dictamen practicum, quòd hîc & nunc sibi liceat operari illum contractum, nimirum ob authoritatem gravium Doctorum affirmantium, contractum illum esse licitum, tamen nullus est, qui dicat, nec dicere valeat, posse formari illud dictamen practicum in sensu composito illius judicij speculativi, quando nulla datur opinio probabilis in contrarium.

CLXXVII. Adde, sententiam illam communiter impugnari à Theologis,

legis, non solùm ab his, qui censent, licitum non esse, sequi sententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occursu tutioris, & sibi probabilioris; sed etiam ab ipsis Probabilistis, qui cum ejusmodi Doctoribus censent, licitum esse, sequi partem minùs tutam ei, qui agnoscit majus pondus authoritatis, & rationis in parte tutiore, dummodo pars minùs tuta nitatur motivo gravi, licèt inferiori motivo opositæ: ut ostendunt duo gravissimi Patroni usûs liciti sententiæ minùs probabilis, & minùs tutæ, nimirum P. Esparza in Appendice, art. 143. cum duobus sequentibus, & P. Tirillus, tom. de probabilitate, quæst. 30. cum Castro Palao, Bressero, Aversa, & communiori sententia etiam inter ipsos Probabilistas, quam ego semper verissimam censui, etiam antequam ab illorum castris discederem.

CLXXVIII. Explicatur tertiò: quia ut quis teneatur adorare hostiam adoratione latriæ, sufficit, ut judicio opinativo prudenti judicet, illam esse consecratam, quin occurrat ratio dubitandi in contrarium: ergo pariter, ut quis teneatur credere Deo aliquid revelanti, sufficit, quòd judicio opinativo prudenti judicet, Deum illud revelâsse: sicut enim suprema Christi majestas contenta in speciebus postulat, ut, qui credit ejus existentiam sub speciebus, teneatur hostiam adorare adoratione latriæ propter Christum ibi contentum, ita suprema Dei loquentis authoritas postulat, ut, qui fide humana credit, Deum revelâsse mysterium Trinitatis, teneatur illud credere super omnia, id est Fide firmiore, quàm sit ulla fides exhibita propter authoritatem humanam, vel Angelicam.

CLXXIX. Probatur deinde principaliter nostra assertio: quia nisi dicamus, satis esse ad credendum Fide Divina mysterium, quòd quis credat fide humana, Deum illud revelâsse, cogimur asserere, pueros audientes à parentibus, Deum revelâsse mysterium Trinitatis, & Incarnationis, & rusticos audientes hoc ipsum à Parocho, non habere Fidem Divinam de mysterijs, ac proinde carere Fide salutari: nam pueri, & rustici communiter solùm inducuntur ad credendum, quòd Deus revelaverit mysteria, ab authoritate Parochi & parentum, neque habent vim penetrandi, loquutionem Ecclesiæ esse loquutionem Dei, neque aliud considerant, quàm parentes vel Parochum hoc dicere, & credunt, Deum revelâsse, quia audiunt: neque enim parentes instruentes filios ipsis narrant argumenta illa credibilitatis, quæ ostendunt, Ecclesiam Catholicam esse Ecclesiam Dei, & os, per quod nobis loquitur, nec Parochi instruentes rusticos; sed simpliciter dicunt, Deum revelâsse hæc mysteria, ac proinde, illa esse firmiter credenda, tanquam dicta à Deo: ergo credunt propter testimonium humanum Parochi, & parentum. Idque denotant verba Pauli Roman. 10. *Fides ex auditu; auditus autem per Verbum Christi*, & specialiter interrogatio illa, quæ subjungitur, *nunquid non audierunt?* satis probat, audientes prædicationem Evangelij posse credere utiliter, nimirum,

si vita & authoritas prædicantis præbeat sufficiens fundamentum ad prudenter judicandum, illos vera nuntiare, dum dicunt, Deum revelâsse illa mysteria, & miracula fecisse in confirmationem ejus doctrinæ. Sic Dionysius, & Damaris, audientes Paulum concionantem in Areopago, cum paucis alijs utiliter crediderunt, ut constat ex illis verbis, Actor. 17. vers. 34. *Quidam autem viri adhærentes ei crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis*; & tamen non viderunt miracula, vel alia signa supernaturalia credibilitatis: ergo inducti sunt ad credendum, Deum esse Authorem Religionis, quam prædicabat Paulus, seu ad credendum, Deum revelâsse mysterium Incarnationis, & Christum resurrexisse, & venturum esse ad judicandum orbem in æquitate, quæ Paulus prædicabat, moti ab authoritate & sanctitate Apostoli, & à rationibus, quas adduxit: ergo authoritas hominis prædicantis, & argumenta ab ipso adducta reddiderunt prudenter credibilem doctrinam Apostoli; & deinde ob authoritatem Dei, quam Paulus proponebat, moti sunt ad credenda mysteria, quæ annuntiabat.

CLXXX. De hominibus simplicibus, qui vivacitatem non habent ad penetranda argumenta evidentia credibilitatis, quibus fulget Religio Christiana, notum est illud Augustini dictum in libro contra Epistolam fundamenti, cap. 4. *In Catholica Ecclesia ad sincerissimam sapientiam pauci spirituales perveniunt in hac vita; cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit*: facit etiam illud, quod dixit idem Augustinus, Epist. 102. ad Evodium: *Si propter eos solos Christus mortuus est, qui certâ intelligentiâ possunt ista discernere, penè frustra in Ecclesia laboramus; si autem, quod veritas habet, infirmi populi credentium ad medicum currunt, sanandi per Christum, & hunc crucifixum, ut, ubi abundavit peccatum, superabundet gratia, miris fit modis per altitudinem divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, ut multi in cruce Christi gloriantes, etiam si ista, quæ subtilissimè disseruntur, ignorent, ad eandem perveniant æternitatem, veritatem, charitatem, &c.* Ergo ut rustici, & simplices credant Fide Divina mysteria revelata, satis est, quòd videant, Parochum & sapientes affirmare, Deum revelâsse hæc mysteria, quin habeant fundamentum ad dubitandum, illos falsum dicere; hoc enim posito, prudenter credunt fide humana, Deum revelâsse hæc mysteria; hac autem fide instructi, jam propter authoritatem Dei revelantis credunt veritatem mysteriorum.

CLXXXI. Dices, non posse rusticos Fide Divina credere mysteria, quin ab authoritate Divina moveantur ad credendum, quòd Deus ea revelaverit, ac proinde non posse sic credere, quin Parochus priùs ipsis persuadeat, Ecclesiam Catholicam, tot prodigijs, signísque, ac notis miris, planéque Divinis ornatam, hoc docere: hac autem posita instructione, jam crederent, Deum revelâsse mysteria, non quia Parochus

dicit, sed quia Ecclesia Catholica universa id docet.

CLXXXII. Sed contrà: quia cùm rustici Ecclesiæ monumenta non adeant, neque historias evolvant, neque sermones omnium passim hominum conferant, ut certi sint, ita se habere illa, quæ narrat Parochus, certè sola fide humana ob authoritatem Parochi credunt, præcessisse illa prodigia, quæ ostendunt, Ecclesiam Catholicam esse Ecclesiam Dei: ergo ut authoritate Divina Ecclesiæ credant, Deum revelâsse mysteria, priùs authoritate humana credunt, Ecclesiam Catholicam ornatam esse miris illis notis, quæ ostendunt, esse Ecclesiam Dei, ejúsque organum, & os: ergo non est opus, ut credatur Fide Divina illud, quod est motivum credendi Fide Divina aliquid aliud: cur ergo revelatio mysterij credita sola fide humana non poterit esse motivum credendi Fide Divina mysterium? si enim semel authoritas Ecclesiæ, sola fide humana credita, potest esse motivum credendi Fide Divina existentiam revelationis, nulla potest esse ratio, cur existentia revelationis, credita sola fide humana, nequeat esse motivum credendi Fide Divina mysterium revelatum: ergo possunt rustici credere Fide Divina mysteria ob revelationem creditam fide humana. Ratio à priori est, quia hoc ipso quòd quis prudenter sibi persuadeat, Deum summè veracem aliquid revelâsse, habet authoritatem Divinam sibi sufficienter applicatam, ut propter illam credat super omnia mysterium revelatum.

CLXXXIII. Præterea impugnatur: quia Parochi & parentes proponunt rusticis & filijs, Deum revelâsse mysteria, quin proponant miracula, & alia signa, quibus propositio Ecclesiæ constituitur in ratione loquutionis, & tunc illi credunt: durum est autem dicere, illos tunc carere Fide Divina, & salutari: ergo ad credendum mysterium Fide Divina satìs est, credere fide humana, Deum illud revelâsse.

CLXXXIV. Et confirmatur ex verbis Augustini postea citandis: *Tenet me in Ecclesiæ Catholicæ gremio consensus populorum, & gentium*: quibus significatur, Augustinum inductum fuisse ad credendum, Religionem Christianam esse à Deo, & consequenter ab ipso revelata fuisse ejus mysteria, ex eo quòd videret, tot populos & gentes, inter quos degebant viri sanctissimi & sapientissimi, hanc Fidem tam uniformiter firmissimè amplecti: quamvis enim ibi adjungat alia motiva, id non probat, S. Augustinum illis omnibus simul sumptis indiguisse, ut crederet, Religionem Christianam esse à Deo; alioqui nec miracula, facta in confirmationem nostræ Fidei, essent juxta Augustinum motivum sufficiens ad credendum, illam esse à Deo: ergo ut quis prudenter credat, Religionem Christianam, quæ nihil contra rationem continet, & mysteria altissima credenda proponit, & præcepta valde difficilia injungit, esse à Deo, satìs est, quòd videat, illam summo affectu, & firmitate amplecti viros sapientissimos, & sanctissimos; hoc autem motivum est authoritas humana: ergo sufficit, quòd quis ob authoritatem humanam

credat, Deum revelâsse mysteria, ut subinde ob authoritatem Dei revelantis credat firmissimè, & super omnia mysterium revelatum.

CLXXXV. Confirmatur secundò: quia idem Augustinus lib. 6. confess. cap. 5. testatur, se inductum fuisse ad credendum, Scripturam, in qua continetur Fides Christiana, Deum habere authorem, ex eo quòd vidit, illam tantam in omni terra habere authoritatem: *Cùm essemus*, inquit, *infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset authoritate Sanctarum Scripturarum, jam credere &c.*

§. II.

Proponitur contra dicta difficile argumentum, cui succubuit Cardinalis Pallavicinus.

CLXXXVI. Contra dicta potest formari difficile argumentum: nam quotiescumque tenemur credere Fide Divina aliquod mysterium, tenemur credere, quòd Deus illud revelaverit: implicat enim, ut is, qui potest impunè, & sine peccato negare, quòd Deus revelaverit mysterium, teneatur credere Fide Divina illud mysterium. At motiva, obligantia ad credendum, quòd Deus revelaverit mysterium, debent esse talia, ut conjungi non possint cum falsitate, ac proinde debent esse talia, ut nequeant non esse loquutio Dei: ergo non possunt esse loquutio hominum: ergo non possumus obligari, ad credendum fide humana, Deum revelâsse mysterium. Minor probatur: quia, ut inquit Cardinalis Sfortia de Fide num. 63. Patres, & Scholastici dicunt, peccatum infidelitatis in eo consistere, quòd faciat Deum mendacem, & S. Paulus constituit *firmissimum solatium nostrum* in hoc, quòd impossibile est, mentiri Deum; at si motiva, obligantia ad credendum, possent conjungi cum falsitate, ac proinde possent non esse loquutio Dei, hæc sequela esset irrita: incredulus enim diceret, & quidem verè: ego credo, Deum non posse mentiri; sed nego, quam experior, esse Dei loquutionem, quia scio, posse dari totum id, quod experior, quin Deus loquatur: ergo ex eo quòd ego non credam, hanc esse Dei loquutionem, nullam facio injuriam Divinæ veritati.

CLXXXVII. Propter hoc argumentum Cardinalis Sfortia ibi num. 64. existimat, nunquam exerceri verum actum Fidei, nimirum circa mysterium, quin motiva credendi, Deum revelâsse mysterium illud, sint talia, ut essentialiter sint loquutio Dei. Additque, aliquando quidem habere essentialiter hoc prædicatum, quod est, esse loquutionem Dei, etiam sola motiva externa, cujusmodi sunt illa, quæ habet tota Ecclesia, & vir doctus: in quo sensu dictum est à Richardo de Sancto Victore, *si error est, quem credimus*, nos esse deceptos à Deo, cùm ille, & non alius potuerit illa præstare miracula, quibus inducimur ad credendum. Quando verò rusticus credit, si motiva externa, quæ illi proponuntur, non sunt inseparabilia à veritate

tate objecti, asserit, Deum interiori instinctu supplere insufficientiam objecti exterioris. Subdit, hanc sententiam tradere D. Thomam 2. 2. q. 2. art. 9. ad 3. ubi de illo, qui credit, sic habet: *Inducitur authoritate Divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, &, quod plus est, interiori instinctu Dei moventis, ideo non leviter credit.* Et eidem sententiæ favere D. Augustinum ex stimat; quod magis explicans, inquit, Dvinam bonitatem semper supplere per hanc interiorem vocem debilitatem motivorum externorum, in ordine ad illos pueros, & rusticos, qui non omittunt culpabiliter aliquam diligentiam in quærendis motivis exterioribus; præsertim verò id existimat contingere super illis articulis, quorum Fides est necessaria necessitate medij ad justificationem.

CLXXXVIII. Additque num. 65. hanc sententiam, quæ celebris est inter insignes scholasticos, minimè coincidere cum hæreticis, revocantibus omnem Fidei credibilitatem ad occultum instinctum Dei. Satis enim ab ea absurditate discedimus, inquit, dum fatemur, in tota Ecclesia esse discerniculum sufficiens exterius, & sensibile, ratione cujus possit probari summa credibilitas Fidei nostræ, & hæreticorum pertinacia; de reliquo nihil necesse est, hoc discerniculum sensibile esse penès omnes privatos & rusticos, qui credunt, quandoquidem est peculiare Dei beneficium, ac proinde non infallibile, nec sufficiens ad convincendam exteriùs pertinaciam eorum, qui non firmissimè credunt, quoties Deus præstat concursum supernaturalem, internum, quando externa apparentia non est talis, quæ reddat inexcusabiles resistentes.

§. III.

Solvitur prædictum argumentum.

CLXXXIX. Respondeo tamen ad hoc argumentum, negando minorem, nempe quòd motiva obligantia ad credendum, Deum revelâsse mysterium, debeant esse talia, ut conjungi non possint cum falsitate. Ut enim ego tenear credere viro sapienti mihi publicè proponenti, Deum revelâsse aliquod mysterium, & Ecclesiam Catholicam obligare omnes ad hoc credendum, satis est, quòd ego non habeam ullum prudens fundamentum ad judicandum, illum virum vel fallere, vel falli, & quòd mihi appareat valdè verisimile, illum dicere verum, & oppositum non habere apud me ullam verisimilitudinem: totum autem potest contingere, quin illa verisimilitudo sit connexa essentialiter cum veritate. Deinde probatio minoris falsa est: peccatum enim infidelitatis non sic explicatur à D. Thoma Scholasticorum Principe, neque ullam mentionem facit Patrum sic explicantium: nam 2. 2. q. 10. art. 1. explicans peccatum infidelitatis, inquit: *Infidelitas dupliciter accipi potest, uno modo secundùm puram negationem, ut dicatur infidelis ex hoc solo, quòd non habet Fidem: alio modo potest intelligi infidelitas secundùm contrarietatem ad Fidem, quia scilicèt aliquis repugnat auditui Fidei, vel etiam*

etiam contemnit ipsam: & in hoc propriè perficitur ratio infidelis, & secundùm hoc infidelitas est peccatum.

CXC. Et art. 3. in quo inquirit, utrùm infidelitas sit maximum peccatum? non asserit, esse maximum peccatorum, quia Deum facit mendacem, sed quia magis separat à Deo, quàm alia peccata: nec Interpretes D. Thomæ peccatum infidelitatis alio modo explicant. Infideles ergo dicuntur facere Deum mendacem, non quia existimant, Deum mentiri; sed quia, dum negant mysteria à Deo revelata, postquam eis sunt sufficienter proposita, argueretur, Deum mentitum fuisse, si standum foret eorum judicio. Et sanè incredulus, apud quem aliquis Apostolorum prædicaret mysterium aliquod, & in suæ doctrinæ confirmationem faceret miraculum, etiam posset dicere: ego credo, Deum non posse mentiri; cæterùm nego, Deum mihi loqui per hunc hominem: & similiter hæreticus, qui scit, totam Ecclesiam Catholicam Romanam proponere, tanquam articulum Fidei, præsentiam Christi in Eucharistia, Purgatorium, & numerum Sacramentorum, etiam dicit: ego credo, Deum non posse mentiri; nego tamen Deum mihi loqui per os Ecclesiæ Romanæ. Explicet ergo nobis Cardinalis Sfortia, in quo sensu faciat hic hæreticus Deum mendacem, & nos similiter dicemus, rusticum negantem aliquod mysterium, quod videt sibi proponi constanter à Parocho, tanquam à Deo revelatum, facere Deum mendacem, si negat, quando habet obligationem credendi, illud esse à Deo revelatum, quia nimirum moraliter, & æquivalenter perinde est, negare mysterium, quando teneris credere, illud esse à Deo revelatum, ac si negares illud, quando credis, esse à Deo revelatum: parúmque ad hoc refert, quòd revelationis existentia credatur Fide Divina, vel fide humana, siquidem non minùs faceret Deum mendacem, qui negaret mysterium, quod fide humana credit esse à Deo revelatum, quàm si negaret, quando id credit Fide Divina.

CXCI. Nec necessarium nobis est, redigi ad illas angustias, ad quas reducitur Cardinalis Sfortia: ad eas quippe redactus est, quia falsò supponit, non posse Fide Divina credi mysterium propter revelationem, nisi Fide Divina credatur existentia revelationis; nos autem necesse non habemus pro explicanda Fide rusticorum, recurrere ad instinctum illum: non enim solùm in tota Ecclesia, sed etiam in singulis credentibus reddenda est ratio aliqua exterior, distincta ab instinctu illo purè interno, ad quem tanquam ad asylum unicè confugiunt hæretici.

CXCII. Fides ergò rusticorum, simplicium, & puerorum sic resolvenda est: credo, Deum esse Trinum, quia Deus ipse hoc revelavit; credo verò, Deum hoc revelâsse, quia meus Parochus, & mei parentes, de quibus suspicari non possum, fallere in hoc, vel falli, mihi tanquam omnino certum testantur, id revelatum esse à Deo, & ita ab omnibus Christianis credi video. Inspiratio verò interna requiritur ex parte subjecti, ut salutariter credat; non proponit tamen motivum aliquod distin-

ctum ab illis, quæ proponuntur per loquutionem externam.

§. IV.

Proponitur modus, quo rectè defendi potest, actum illum, quo quis assentitur existentiæ revelationis, non propter ipsam, sed propter motiva extrinseca credibilitatis, esse actum Fidei Divinæ.

CXCIII. Sequendo sententiam communem, quæ docet, argumenta credibilitatis nostræ Fidei evidenter quidem ostendere, illam esse prudenter credibilem, & posse ac debere credi ejus mysteria cum summa firmitate, sed tamen argumenta illa non ostendere evidenter Fidei nostræ veritatem: sequendo, inquam, hanc sententiam, dici potest, posse intellectum elicere ex imperio prudenti voluntatis assensum sine formidine de existentia revelationis, qui tamen assensus supponit priorem assensum Fidei humanæ, quo quis credit, Deum fecisse miracula in confirmationem doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, & quo credit, Ecclesiam omnibus fidelibus credendum proponere, Deum revelâsse mysterium Trinitatis, Incarnationis, &c. Postquam enim quis sibi persuasit, Deum Ecclesiam Catholicam illustrâsse miraculis, & aliis prærogativis, & sibi persuasit, illam proponere credendum mysterium illud, ex terminis apprehendit, propositionem factam ab Ecclesia esse loquutionem Dei, qui per illam nobis publicè loquitur, & nos docet veritates necessarias ad salutem; unde tunc voluntas potest imperare intellectui assensum firmum circa existentiam revelationis, qui assensus erit elicitus ab habitu Fidei: quamvis enim tunc intellectus non judicet, Deum revelâsse mysteria ob testimonium Dei, quo expresse revelaverit, se loqui per os Ecclesiæ; tamen hoc iudicat per assensum firmum obscurum, quo censet, testimonium Ecclesiæ talibus notis insignitæ esse testimonium Dei, quia illæ notæ ostendunt, Ecclesiam Catholicam esse Ecclesiam Dei; Ecclesia autem Dei esse os, quo ipse sensibiliter loquitur: pertinet enim ad Dei perfectionem, quòd possit nobis loqui per internuncium, & Legatum, & quòd possit loqui loquutione quadam generali & publica, quæ omnes ad credendum obliget, ne cogatur adire singulos, & illis immediatè loqui.

CXCIV. Sicut autem, quando Propheta aliquid annunciat nomine Dei, & tanquam minister ipsius, atq; in confirmationem illius dicti facit aliquod miraculum, mortuum v.g. suscitando, convincitur, Deum loqui per os illius hominis, ut tradit D. Thomas 2. 2. q. 5. art. 2. corp. ita cùm Ecclesia Catholica aliquid credendum proponit, qui attentè considerat, ipsam tot notis mirabilibus esse insignitam, censet, eam esse Magistram veritatis, ac proinde esse doctrinam Dei illam, quam ipsa tanquam à Deo traditam proponit: unde ex terminis apprehendit, ex parte Dei proponi, quod illa tanquam à Deo revelatum proponit.

CXCV. Confirmatur: quia dum fidelis cognoscit, Ecclesiam aliquid credendum proponere, v. g. qui audit Parochum, aut Concionatorem hoc pub-

publicè docentem, hoc ipso censet, se non solùm peccaturum contra authoritatem Parochi, aut Concionatoris, si dissentiat doctrinæ, quam nomine Dei proponit, sicut peccaret contra authoritatem ejus, si dissentiret aliis narrationibus, quas nomine proprio coram ipso facit, sed peccaturum contra authoritatem Dei: ergo hoc ipso censet, Ecclesiam loqui nomine Dei, & tanquam organum ipsius; ergo dum fidelis credit, revelationem existere, quia Ecclesia proponit, credit tanquam doctrinam Divinam, quòd Deus revelavit mysteria nostræ Fidei. Quod ulteriùs probo; nam quando Apostoli proponebant mysterium Incarnationis v. g. tanquam revelatum à Deo, & in confirmationem illius doctrinæ miracula faciebant, sanè illa operabatur Deus, non solùm ut crederent, qui ea videbant, sed ut crederent reliqui omnes, quibus illa miracula ritè proponerentur: ergo intentio Dei fuit non solùm manifestare mentem suam illis, qui videbant miracula, sed omnibus, qui per testimonia fide digna, vel argumenta verisimilia sibi prudenter persuaderent, ea miracula facta fuisse à Deo in testimonium ejus doctrinæ: ergo Deus mediatè loquitur per Ecclesiam omnibus illis, quibus per illam proponit mysteria, ut à Deo revelata.

CXCVI. Quare habitus Fidei, qui producit assensum circa mysterium propter revelationem præteritam Dei, producit assensum circa revelationem propter testimonium Dei, exhibitum per os Ecclesiæ, quia voluntas ex pia affectione imperat intellectui, ut firmiter credat præcisè revelationem, quam videt proponi ab Ecclesia, tot notis & signis ornatâ, & quia propositio illa Ecclesiæ, ut vestitæ illis circumstantijs, est testimonium Dei; dum quis credit existentiam revelationis ob testimonium Ecclesiæ, credit ob testimonium Dei: unde non movetur ab authoritate Ecclesiæ, quatenus præcisè apprehenditur esse authoritas humana, sed quatenus apprehenditur esse Divina, vel quatenus per argumenta saltem moraliter evidentia probatur esse talis. Si autem motiva illa credibilitatis non solùm evincant, esse evidenter credibile, sed etiam esse evidenter verum, quòd Deus sit Author Religionis Christianæ, ut ego verissimum existimo, tunc qui penetraverit hæc argumenta, cognoscet evidenter, Deum revelâsse mysteria nostræ Fidei; quomodo autem cum hoc componatur meritum Fidei, explicabimus postea, dum probabimus, posse evidenter demonstrari, quòd Deus sit Author Religionis Christianæ.

CXCVII. Hic autem assensus elicietur ab habitu Fidei, ut vult Cardinalis de Lugo, qui etiam admittit, assensum evidentem circa veracitatem Dei esse elicitum à Fide: idque ego quoque verum judico, quoad assensum revelationis propter authoritatem Ecclesiæ, tot signis & notis illustratæ, quia ejus testimonium apprehenditur, ut infallibile, & loquutio Dei. Et quamvis, ritè penetratis omnibus argumentis credibilitatis, sit omnino certum, Religionem Christianam esse veram, tamen potest hæc veritas potiùs cognosci per Fidem, quàm veracitas ipsa Divina. Ratio est, quia hæc est ex terminis metaphysicè

physicè evidens, nihílque occurrit, potens intellectum retrahere ab illius assensu; at quamvis sit reflexè evidens, Deum esse Authorem Religionis Christianæ, & consequenter illam esse veram, hæc tamen evidentia coalescit ex attenta penetratione plurimarum circumstantiarum, opúsque est pia affectione ad applicandum intellectum ad consideranda argumenta credibilitatis, & illum avertendum à consideranda difficultate mysteriorum: qui enim in hanc aciem mentis intendit, validè tentatur, ut credat, illa esse falsa, & ideo multi viri superbi, avertentes intellectum à consideratione argumentorum, quæ evincunt, Deum revelâsse v. g. Eucharistiam, & illum convertentes ad scrutandum mysterium, à Fide defecerunt. Unde meritò dici potest, habitum ipsum Fidei concurrere ad illum assensum, non solùm quando est obscurus, sed etiam quando est evidens.

CXCVIII. Dices, communiter Theologos duplicem authoritatem Ecclesiæ distinguere, alteram humanam, alteram Divinam; & humanam quidem esse absolutè fallibilem; Divinam verò, utpote sumptam ab assistentia Spiritus Sancti, esse infallibilem. Respondeo, authoritatem Ecclesiæ esse purè humanam, si sumatur præcisè, quatenus est congregatio hominum; cæterùm si sumatur, quatenus signis & miraculis à Deo illustrata, & mirabiliter fundata, & tanta cum uniformitate & constantia retinens Fidem de mysterijs adeò elevatam, & superantibus creatum discursum, sic esse plusquam humanam, & participare firmitatem, & authoritatem testimonij Divini: quia per discursum naturalem evincitur, habere Deum Authorem, ac proinde esse Divinam doctrinam eam, quam Ecclesia Catholica, tanquam articulum Fidei, omnibus credendam proponit, nec posse sine injuria Dei de ejus veritate dubitari. Itaque Deum loqui per Ecclesiam Catholicam, non solùm credimus, quia in Scriptura est revelata assistentia infallibilis Spiritûs Sancti, sed etiam scimus, quia argumentis ineluctabilibus id evincimus.

CXCIX. Idque satìs clarè docuit Augustinus in libro contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti: nam ibi cap. 5. sic ait; *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas: quibus ego obtemperavi, dicentibus, credite Evangelio; cur eis non obtemperabo, dicentibus mihi, noli credere Manichæo?* Ergo motivum, quo inductus est Augustinus, ut crederet, Evangelium, quod legitur in Ecclesia, esse traditum à Deo, fuit authoritas Ecclesiæ testificantis, illud esse à Deo missum: ergo eadem authoritas potest me movere, ut credam à Deo revelatum esse id, quod ipsa proponit, tanquam articulum credendum.

CC. Nec satisfacit P. Conink, disp. 9. num. 70. respondens, Augustinum hoc dixisse, non quia putabat, testimonium Ecclesiæ esse objectum formale illius Fidei, quâ inter cætera credo, Scripturam esse Verbum Dei; sed quia, seclusâ Ecclesiæ authoritate, illud judicium, quod necessario actum Fidei præcedit, nullum habuisset sufficiens

ciens fundamentum, judicandi tam firmiter, credendum esse, Evangelia Divina authoritate conscripta esse, sive discernendi inter varios libros, qui à multis tanquam Scriptura Sacra fuerunt expositi, quinam sint legitimi, & quinam spurij. Non, inquam, satisfacis, si sic respondes: cùm enim, quòd Evangelium sit Verbum Dei, non sit per se, & ex terminis notum, ex aliquo motivo debeo firmiter credere, illud esse Verbum Dei; hoc autem motivum nequit esse testimonium ipsius Evangelij: ergo debet esse authoritas Ecclesiæ, atque adeò hæc non solùm movet ad imperandum assensum de existentia revelationis, sed etiam ad ipsum assensum, qui debet niti aliquo motivo intrinseco, suadente existentiam revelationis de se obscuram & latentem. Sola minor subsumpta probatione indiget; ea autem facilè suadetur: quia alioqui committitur circulus vitiosus, siquidem credo, Evangelium esse Verbum Dei, quia Evangelium ipsum hoc dicit, & credo, Evangelium hoc dicens, verum dicere, quia ipsum Evangelium hoc ipsum dicit: qui est manifestus circulus, ut constat ex dictis suprà.

CAPUT SEPTIMUM.

Quo pacto ex dictis explicanda sit analysis, seu resolutio Fidei Christianæ, atque Catholicæ sine mutua prioritate, & circulo?

§. I.

Quid sit Fidei resolutio, & quanta sit hujus controversiæ difficultas?

CCI. Celebris est apud Theologos Scholasticos quæstio de Fidei nostræ resolutione, quomodo scilicet sit facienda sine circulo vitioso, qui tunc contingit, quando hoc per illud, & illud per hoc probamus apud eum, qui neutrum concedit, & æquè de utroque dubitat: v. g. Si negem, & matrem, & filium esse probum, circulum committes, probando, matrem esse probam, quia filius dicit, & filium probum, quia mater dicit. Quare? quia utrumque mihi æquè ignotum, & incertum est; probatio autem debet procedere à notis ad ignota, vel à concessis ad inconcessa, ut ex Aristotele, & aliis Philosophis constat. Unde qui apud infidelem, cui ignota est authoritas Divinæ Scripturæ, & cui similiter est ignota authoritas Ecclesiæ, probaret, Ecclesiam esse infallibilem, quia Scriptura id testatur, & probaret, Scripturam esse infallibilis authoritatis, quia Ecclesia id testatur, & nullam probatio-

nem adduceret, quâ independenter à testimonio Scripturæ probaret, Ecclesiam esse infallibilem in his, quæ credenda proponit, circulum committeret.

CCII. Cùm autem unaquæque res resolvatur in sua principia, & causas, ex quibus, vel à quibus etiam conficitur, analysis seu resolutio Fidei nihil aliud est, quàm Fidei in sua principia, causásque reductio. Cùm autem Fides instar aliarum rerum sua quatuor vulgata causarum genera sortiatur, in illas omnes potest resolvi; & de tribus quidem, nempe materiali, efficente & finali, res est facilis, & expedita: si enim quæratur, ubi sit Fides, per quod causa materialis denotatur, respondebis, esse in intellectu; si autem quæratur, à quo sit, seu quam causam efficientem habeat? respondebis, esse à Deo, & ab intellectu creato: quia Deus simul cum intellectu est causa actûs Fidei. Si autem quæratur, ad quem finem ordinetur Fides, & cujus gratiâ existat? respondebis, ordinari ad perducendos homines ad æternam Dei possessionem, & æternam Dei visionem, tanquam in finem ultimum, & nobis à Deo dari, tanquam *lucernam lucentem in caliginoso loco*, ut nobis ostendat viam, quâ ad Deum tendamus. Similiter si quæratur, quam causam formalem intrinsecam habeat Fides, seu quid sit Fides, facilè respondetur, Fidem sumptam pro actu, nihil esse, quàm actum intellectûs, quo ex imperio voluntatis firmiter assentimur iis, quæ à Deo revelata sunt, quia ab ipso dicta sunt; sumptam verò pro habitu, nihil aliud esse, quàm virtutem à Deo infusam ad eliciendũ ejusmodi actum. Si verò ulteriùs quæratur, quodnam sit motivum intrinsecum illius actus Fidei, facilè ex communi sententia Theologorum respondetur, motivum illud esse summam Dei authoritatem in dicendo, consistentem in summa sapientia, & veracitate Dei, ut testificante; est enim Deus infinitè dignus, ut sibi aliquid testificanti, firmissimè super omnia credamus, quia est summè sapiens, & ideo per ignorantiam nequit falli in his, quæ dicit, & insuper est summè verax, & ideo per malitiam & dolum neminem potest fallere, ac proinde habet summum jus, ut sibi aliquid affirmanti firmissimè credatur, ubi constiterit sufficienter, ab ipso fuisse affirmatum: proindéque infidelitas est gravissimum peccatum.

CCIII. Hæc omnia facilia sunt, sed ulteriùs magna restat difficultas in explicanda causa formali extrinseca, seu motivo, & ratione objectiva, atque principio objectivo, ad quod ultimò revocandus sit assensus Fidei, & in quo ultimò quiescit intellectus, cùm ab hoc poscitur ratio Fidei suæ, quin ampliùs debeat interrogari: resolvere enim, est reddere rationem sui assensûs; unde resolvere ultimò, est reddere ultimam rationem, quin maneat jus ulteriùs interrogandi.

§. II.

Quomodo P. Gregorius de Valentia exponat nostræ Fidei resolutionem?

CCIV. His suppositis, P. Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1.

q. 1. punct. 1. §. 10. modum tradidit, quo quis de fide interrogatus debeat respondere: *Igitur* (inquit) *si quis rogatur v.g. quare credat, Deum esse Trinum, & unum? distinguat, utrùm sermo sit de causa ipsius Fidei secundùm se, cur videlicet firmiter, & infallibiliter credat, vel de causa, ob quam acceptaverit Fidem. Si primum, respondeat, quia Deus revelavit. Si rursus interrogetur: unde cognoscat Deum revelasse? respondeat, se non id nôsse clarè; credere tamen eadem Fide infallibiliter, & id quidem non ob aliam revelationem bene tamen ob infallibilem propositionem Ecclesiæ, tanquam ob conditionem ad id credendum requisitam. Si rursus rogetur, unde cognoscat propositionem Ecclesiæ esse infallibilem? Similiter dicat se clarè id non nôsse; credere tamen Fide infallibili ob revelationem Scripturæ testimonium perhibentis Ecclesiæ; cui revelationi non credit ob aliam revelationem, sed ob ipsam, quamvis ad hoc ipsum opus sit ipsa Ecclesiæ propositione, ut conditione requisita. Si autem quis demum rogetur, cùm, & revelatio & propositio infallibilis, obscuræ & inevidentes sint quid ipsum impulerit, ut hunc quasi labyrinthum rerum obscurissimarum ingressus sit ad Fidem modo dicto acceptandam, hoc est, ad credendam revelationem propter Ecclesiæ propositionem, tanquam propter conditionem requisitam, & hanc vicissim propter revelationem, tanquam propter causam credendi: veniat tum ad illum alterum secundum processum, & rationes, atque motiva clariora exponat, quibus ipse inductus sit, & quibus prudens induci possit ad acceptandam ejusmodi Fidem, quantumvis secundùm se inevidentem & obscuram: id quod luculenter disserere licebit cognitis communibus nostræ Fidei, quæ proponemus, & explicabimus punct. 4.* Hæc Valentia, qui eo punct. 4. §. 3. latè proponit argumenta credibilitatis nostræ fidei à colum. 74. ad 105.

CCV. Verùm hæc difficilia sunt, & non satis rem explicant. Quamvis enim rectè P. Valentia distinguat inter causam, seu motivum intrinsecum actûs Fidei, & causam, quâ quis inductus est ad credendum, seu quâ inductus est ad sibi persuadendum, Deum revelâsse mysterium; falsò tamen supponit, assensum illum, quo quis sibi persuadet, Deum revelâsse mysterium Trinitatis, esse assensum Fidei Divinæ, quo quis credat existentiam revelationis, unicè ob ipsam revelationem, seu ob testimonium Dei, dicentis per ipsam revelationem mysterij, se revelâsse mysterium, præcedente solùm propositione Ecclesiæ, ut mera conditione: id enim falsum esse, satìs ostendimus suprà.

§. III.

Ostenditur, hunc Authorem non sufficienter vitâsse circulum.

CCVI. ET in hunc labyrinthum ingressi sunt Doctores ex falsa suppositione, quòd nimirum ad credendum Fide Divina mysterium propter testimonium Dei, necesse sit, priùs Fide Divina credere existentiam Divini testimonij, cùm tamen abunde nobis probatum sit, satìs esse, quòd existentia Divini testimonij cognoscatur per rationes facientes evidentiam moralem, vel per fidem humanam moraliter certam.

CCVII. Nec P. Valentia se potest liberare

liberare à circulo: cùm enim dicit, fidelem rectè respondere, se nôsse, propositionem Ecclesiæ esse infallibilem, ob revelationem Scripturæ testimonium perhibentis Ecclesiæ, restat, ut respondeat ulteriùs interroganti, unde noverit, Scripturam testimonium perhibentem propositioni Ecclesiæ, seu Scripturam testificantem, Ecclesiam esse infallibilem in proponendo res Fidei, esse Scripturam Dei, à Deo scilicet dictatam, & consequenter veracem; & non poterit congruè respondere, nisi recurrat ad authoritatem Ecclesiæ, quæ declaravit, tales libros esse Canonicos, & Scripturam Dei. Si autem hanc authoritatem Ecclesiæ non aliunde quàm ex Scriptura probet, circulum committet apud infidelem, vel apud hæreticum, negantem, quòd Ecclesia Romana sit Christi Ecclesia, qui non minùs dubius est de authoritate infallibili Ecclesiæ, quàm de authoritate Scripturæ. Committet, inquam, circulum, siquidem probat authoritatem Ecclesiæ per Scripturam, & authoritatem Scripturæ per Ecclesiam & sic rem inexplicatam relinquit. Unde nisi probet authoritatem Ecclesiæ independenter à testimonio Scripturæ, vel authoritatem Scripturæ independenter à testimonio Ecclesiæ, nunquam evitabit circulum.

CCVIII. Et sanè doctrina illa Patris Valentiæ, & aliorum Theologorum videtur causam tribuere Calvinistis, ut Catholicis Romanis exprobrent, ab ipsis in resolutione Fidei committi circulum. Quod specialiter præstat David Paræus Calvinista apud Becanum in Compendio Manualis lib. 3. cap. 9. nam Catholicis opponit circulum, quòd Scripturam probemus per Ecclesiam, & rursùs Ecclesiam per Scripturam: cùm enim quæritur, unde scis, Scripturam esse Divinam? respondemus, quia Ecclesia suâ infallibili authoritate id dicit; cùm iterum quæritur, unde scis, Ecclesiam, quæ hoc dicit, habere infallibilem authoritatem? respondemus, quia Scriptura id dicit.

§. IV.

Quomodò Pater Becanus circulum vitet?

CCIX. HOc hæretici argumentum retorquet inprimis rectè Becanus contra ipsum: *Nam ego*, inquit, *vicissim quæro ex illo: unde scis, Scripturam esse Divinam? respondet: quia privatus meus spiritus hoc dicit. Sed unde scis, privatum tuum Spiritum esse infallibilem, & Divinum? Quia scriptura hoc dicit. Certè & hic circulus est, mi Parae: nam Scripturam probas per privatum spiritum, & rursus spiritum privatum per Scripturam: perinde ac si asseras, mater est proba, quia filius dicit; & filius est probus, quia mater dicit.*

CCX. Respondet ergo Becanus, circulum quidem fore, si quis Christianus apud Ethnicum, qui nec Ecclesiam, neque Scripturam admittit, probare vellet, Scripturam esse infallibilem, quia Ecclesia dicit, & Ecclesiam esse infallibilem, quia Scriptura dicit; nam utrumque illi æquè ignotum, æquè incertum est: econtrario verò, non fore circulum, si unum per alterum apud eum probes, qui alterum admittit,

rit, alterum negat: v. g. Calvinus admittit Scripturam, negat Ecclesiæ infallibilitatem: rectè illum convincam hoc modo: Scriptura, quam tu admittis, dicit, Ecclesiam esse infallibilem: ergo reverâ infallibilis est. Similiter, si quis idiota admittit judicium Ecclesiæ, & tamen nesciat in particulari, libros Machabæorum esse Canonicos, facilè persuadebo illi sine circulo, si sic dicam: Ecclesia, cujus tu authoritatem agnoscis, asserit, libros Machabæorum esse Canonicos: ergo non debes de hac re ampliùs dubitare.

CCXI. Statímque ostendit, hunc modum probandi usitatum esse in Scripturis, & Patribus: nam quia Pharisæi admittebant Moysem, & negabant Christum, convicit eos Christus his verbis Joannis 5. 36. *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi*; *de me enim ille scripsit*; contrà verò, quia Manichæi admittebant Christum & Evangelium, negabant autem Moysem & Prophetas, convicit illos Augustinus simili argumentandi modo in libris contra Faustum Manichæum, & lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 1. & sequentibus. Hinc deducit, Catholicos non committere circulum, dum hæreticos, qui negant Ecclesiam, convincunt ex Scripturis, quas non negant. Rectéque monet, Paræum hoc modo excusari non posse: nam spiritus privatus, qui ab ipso fingitur, à nemine admittitur; neminem ergo ex privato spiritu potest convincere: & subinde efficaciter, & lepidè hunc hæreticum exagitat, ostendendo, ipsum incidere in circulum inextricabilem.

§. V.

Ostenditur, hujus Authoris discursum non satis difficultatem complanare.

CCXII. Sed quamquam hæc sufficiunt ad convincendum hæreticum, & ad persuadendum, posse nos contra hæreticos, admittentes Scripturas, ex illis arguere efficaciter contra ipsos; in præsenti materia non videtur, ex sola Scriptura probari posse, Catholicam Religionem Romanam esse veram Christi Ecclesiam. Nam ex Scriptura solùm habetur, Ecclesiam Dei esse Columnam, & Firmamentum veritatis, ac proinde non posse veram Christi Ecclesiam proponere aliquam falsitatem aut errorem, tanquam dogma, aut articulum Fidei ab omnibus credendum; cæterùm quòd Ecclesia Catholica Romana sit vera Christi Ecclesia, non videtur efficaciter posse ex illo Apostoli testimonio concludi. Respondebunt enim hæretici, verum quidem esse, quòd Ecclesia Christi sit infallibilis, ac proinde hinc rectè inferri, quòd sint vera omnia illa, quæ vera Christi Ecclesia credenda proponit; cæterùm hanc veram Christi Ecclesiam non esse Romanam, sed Ecclesiam reformatam Calvini, vel aliquam aliam. Quapropter ad convincendum, solam Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, seu illam, de qua Christus dixit, portas inferni non prævalituras adversùs ipsam, & de qua dixit Apostolus, esse columnam & firmamentum veritatis, oportet ad alia

argumenta recurrere, nec ex ſolo Evangelio, non adjunctis aliјs, facile erit evincere, ſolam Eccleſiam Catholicam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

CCXIII. Quapropter quando hæreticus Calviniſta, vel aliquis alius, admittens Evangelia, & Epiſtolas Pauli, quærit à Catholico Romano, cur credat, dari Purgatorium, & Sacramenta eſſe ſeptem? & ipſe reſpondet, ſe id credere, quia Deus hoc revelavit, & hæreticus inſtat, unde ſciat, hoc Deum revelâſſe, & ipſe reſpondet, quia Eccleſia Catholica Romana, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, id credendum proponit: videtur Catholicus principium petere, ſupponendo id, quod hæreticus negat, nimirum quòd Eccleſia Catholica Romana ſit columna & firmamentum veritatis; & ideo hæreticus ſtatim clamabit, hoc gratìs à reſpondente ſupponi, & neutiquam probari: unde iterum inſtabit, unde ſcis, Eccleſiam Catholicam Romanam eſſe columnam & firmamentum veritatis? ſi autem tunc Catholicus reſpondeat, ſe id non ſcire, ſed credere, quia Apoſtolus dicit, Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis; iterum replicabit hæreticus, unde ſciat, Eccleſiam, de qua loquebatur Apoſtolus, eſſe Eccleſiam Catholicam Romanam, quæ modò exiſtit? certè hìc ſatisfacere non poterit, niſi recurrat ad argumenta illa evidentia credibilitatis, quæ oſtendunt, Eccleſiam, quam Chriſtus ſupra Petrum fundavit, non eſſe aliam, quàm Eccleſiam Catholicam Romanam. Non ergo ſufficit ſolus recurſus ad Scripturam, teſtimonium perhibentem de infallibilitate Eccleſiæ, ut contra hæreticos convincamus, veros eſſe omnes articulos, quos Eccleſia Catholica Romana credendos proponit.

§. VI.

Statuuntur aliquæ propoſitiones, deſervientes ad explicandam reſolutionem Fidei: quarum prima eſt, evidens eſſe, dari aliquam veram Religionem in mundo, & inveniri facilè poſſe ab omni homine ritè illam quærente.

CCXIV. HAnc Fidei reſolutionem nullus, quem ſciam, aptiùs, & ſolidiùs explicavit, quàm P. Michaël de Elizalde in præclaro illo opere de forma veræ Religionis quærendæ, & inveniendæ, cujus præcipuus ſcopus eſt, probare, cùm veræ Religionis profeſſio ſit neceſſaria ad ſalutem, & Deus velit omnes homines ſalvos fieri, evidens eſſe, quòd vera aliqua Religio exiſtat in mundo, & hanc ſine magno molimine inveniri poſſe, non ſolùm à doctis & ingenioſis, ſed etiam ab omnibus vera ratione utentibus, dummodo illam ritè, & debito modo quærant. Et cùm latè demonſtrâſſet, Deum impreſſiſſe mentibus hominum prima quædam principia, quæ non ſunt probanda, ſed ultro admittenda, quæ lumine naturæ nota appellantur, quibus homines juvarentur ad ſcientias humanas adquirendas; hinc rectè concludit, Deum optimum maximum omnibus hominibus hunc quaſi naturalem inſtinctum, & veluti primum principium

pium impressisse, & naturali lumine illustrâsse, *dari aliquam veram Religionem in mundo, & nefas esse sine Religione vivere*, ut hoc primo principio sollicitarentur, & stimularentur ad quærendam veram Religionem; quia ipso lumine naturæ, quo cognoscitur, unum dumtaxat esse Deum, etiam cognoscitur, hunc Deum unam dumtaxat Religionem veram in mundo habere, in qua, & per quam coli velit; cæteras verò huic oppositas esse falsas. Unde quæst. 5. illius operis pag. 69. num. 112. sic discurrit subtilis iste, & solidus Theologus: *Si pro disciplinis alijs præmisit Deus illarum principia, ex quibus homines possent illas invenire, vel excogitare, à fortiori ea, quæ Deus nobis concessit de vera Religione dictamina, & principia, talia sint necesse est, quibus possint homines Deum, & veram Religionem invenire, si velint, cùm in hunc dumtaxat finem ea concesserit.* Et statim subdit: *Quibus consideratis omnibus, asserendum indubitanter puto, ex toto rigore Philosophiæ, vel nullum verum esse invenibile, sed sensus, & mentem, & naturam totam fortè errare, vel præ omnibus, ac potissimùm esse invenibilem veram Religionem. Si enim Deus non est, neque naturam fecit, nihil tutum est, nihil invenibile: si DEUS est, & naturam fecit, & hominibus prima documenta ingessit, quibus proficerent, evidens est, in his maximè edoctum hominem, quæ magis Deum decent, quæ pluris ipsorum quoque hominum intersunt, & quæ maxima, quæ summa, & capitalia sunt; in his autem omnium caput est vera Religio: ergo vel hæc inveniri potest, vel nihil inveniri potest. At multa inveniri possunt, & asseri, & probari, & agi, ut contra Academicos demonstratum est cum Augustino: ergo vera Religio inveniri potest.* Hinc num. 115. inquit, *veram Religionem in mundo esse, ita animis est impressum nostris, ex eo unde est, ut esse non possit, unde non est.* Quæ est definitio, quam de vero, vel veri perceptione tradit Zeno Philosophus.

§. VII.

Secunda propositio, doctrinam veræ Religionis non posse humano discursu acquiri, sed Divinitus esse traditam.

CCXV. Probat insuper solidissimè totâ q. 6. doctrinam veræ Religionis non humanæ rationis & intentionis esse, sed superiorem & Divinam, non Scholarum aut librorum contentionibus depromendam, sed delapsam è Cœlo, traditam à Deo, & credendam ab homine. Quam assertionem verissimam esse; omnes nationes, & omnes Orbis Religiones, & sectæ fatentur. Id enim inprimis agnoscunt omnes Christiani veri, id est Catholici Romani, omnes falsi, scilicet hæretici: id agnoscunt Judæi, id Mahumetani, quorum falsus Propheta, & verus impostor Mahumetus, ut gentes ad se traheret, finxit, suam Legem sibi à Deo revelatam. Imò nec Gentiles hoc negabant: nulla enim, nec Gentium, est vel fuit tam humanitus instituta Religio, quæ oracula, & leges Numinum non quæ sierit, non audierit, & quæ in his potissimùm non se se fundaverit. Nam, ut Græci ipsi, qui sapientiam, id est,

est, rationem & demonstrationem maximè quærebant, oraculis abundârunt: & si quam eorum Philosophi colebant ex animo Religionem, non eam ad scholam unusquisque suam, ejúsque sententiam efformabat, sed ad fabulosam illam Numinum doctrinam, & normam. Unde habebant, *scholas pugnantes, sed templa communia*, ut de illis pulchrè dixit Augustinus.

CCXVI. Veritas hujus assertionis fundatur in doctrina Angelici Doctoris, & Scholasticorum Principis D. Thomæ, qui 2. 2. q. 2. art. 3. inquirit: *Vtrum, credere aliquid supra rationem naturalem, sit necessarium ad salutem?* Et respondet affirmativè, & probat tum authoritate Apostoli dicentis ad Hebræos 10. *Sine Fide impossibile est placere Deo*, tum ratione: *Quia cùm natura hominis dependeat à superiori natura, ad ejus perfectionem non sufficit cognitio naturalis, sed requiritur supernaturalis*, inquit ibi ad 1. Quod magis explicat in corpore: *quia in omnibus naturis ordinatis invenitur, quòd ad perfectionem naturæ inferioris duo concurrunt, unum quidem, quod est secundùm motum proprium; aliud autem, quod est secundùm motum superioris naturæ: sicut aqua secundùm motum proprium movetur ad centrum; secundùm autem motum lunæ movetur circa centrum secundùm fluxum, & refluxum. Similiter etiam orbes Planetarum moventur motibus proprijs ab Occidente in Orientem; motu autem primi orbis ab Oriente in Occidentem: sola autem natura rationalis creata habet immediatum ordinem ad Deum, quia cæteræ naturæ non attingunt ad aliquid universale, sed solùm ad aliquid particulare, participantes Divinam bonitatem, vel in essendo tantùm, sicut inanimata, vel etiam in vivendo, & cognoscendo singularia, sicut plantæ, & animalia. Natura autem rationalis, in quantum cognoscit universalem boni & entis rationem, habet immediatum ordinem ad universale essendi principium. Perfectio ergo rationalis naturæ non solùm consistit in eo, quod ei competit secundùm suam naturam, sed in eo, quod ei attribuitur ex quadam supernaturali participatione Divinæ bonitatis. Vnde & suprà dictum est* (nempe 1. 2. q. 3. art. 8.) *quòd ultima beatitudo hominis consistit in quadam supernaturali Dei visione, ad quam quidem visionem homo pertingere non potest, nisi per modum addiscentis à Deo Doctore, secundùm illud Ioan. 6.* Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. *Hujus autem disciplinæ fit homo particeps, non statim, sed successivè secundùm statum suæ naturæ. Omnis autem homo addiscens, oportet, quòd credat, ad hoc quòd ad perfectam scientiam perveniat, sicut etiam Philosophus dicit, quòd oportet addiscentem credere. Vnde ad hoc quòd homo perveniat ad perfectam visionem beatitudinis, præexigitur, quòd credat Deo, tanquam discipulus Magistro docenti.*

CCXVII. Probaverat autem efficaciter S. Doctor 1. 2. q. 3. art. 8. beatitudinem hominis sitam esse in visione Divinæ essentiæ, quia cùm Deus sit omnium prima causa, ad cujus essentiam cognoscendam insitum naturaliter est homini effectum cognoscendi desiderium, non nisi in illius essentiæ visione

potest

potest ejus beatitudo consistere. Ad quod probandum duo præsupponit principia: primum est, *quòd homo non est perfectè beatus, quamdiu restat sibi aliquid desiderandum, & quærendum.* Secundum est, *quòd uniuscujusque potentiæ perfectio attenditur secundùm rationem sui objecti.* Hinc subsumit: *At objectum intellectûs est, quod quid est, id est essentia rei, ut dicitur in 3. de Anima: unde in tantùm procedit perfectio intellectûs, in quantùm cognoscit essentiam alicujus rei. Si ergo intellectus aliquis cognoscat essentiam alicujus effectus, per quam non potest cognosci essentia causæ, ut scilicet cognoscatur de causa, quid est: non dicitur intellectus attingere ad causam simpliciter, quamvis per effectum cognoscere possit de causa, an sit: & ideo remanet naturaliter homini desiderium cùm agnoscit effectum, & scit habere causam, ut etiam sciat de causa, quid est: & illud desiderium est admirationis, & causat inquisitionem, ut dicitur in 1. Metaph. cap. 2. puta, si aliquis, cognoscens eclypsim Solis, considerat, quòd ex aliqua causa procedit, de qua, quia nescit, quid sit, admiratur, & admirando inquirit: nec ista inquisitio quiescit, quousque perveniat ad cognoscendum essentiam causæ. Si igitur intellectus hominis cognoscens essentiam alicujus effectus creati, non cognoscat de Deo, nisi an sit, nondum perfectio ejus attingit simpliciter ad causam primam, sed remanet ei adhuc naturale desiderium inquirendi causam: unde nondum est perfectè beatus. Ad perfectam igitur beatitudinem requiritur, quòd intellectus pertingat ad ipsam essentiam primæ causæ, & sic perfectionem suam habebit per unionem ad Deum, sicut ad objectum, in quo beatitudo hominis consistit.* Hactenus S. Thomas.

CCXVIII. Quare S. Thomas eo artic. 3. 12. ex eo, quòd ultima hominis perfectio, & beatitudo consistat in clara Dei visione, ad quam naturalis ratio ascendere non potest proprio motu, per legitimam consequentiam intulit, necessarium fuisse ad salutem, aliqua hominibus per disciplinam Fidei credenda proponi. Unde titulum illius articuli tertij explevit, probando, quòd necessarium sit ad salutem, credere aliquid supra rationem naturalem. Doctrina ergo veræ Fidei per solum discursum humanum sine Magisterio Dei, per seipsum, vel per Angelos, vel per alios homines docentis homines, haberi non potest.

CCXIX. Idque à fortiori patet ex ijs, quæ Sanctus Doctor tradit art. 4. in quo inquirit: *Utrum credere ea, quæ naturali ratione sciri possunt, sit necessarium?* Ubi probat, ut citiùs & firmiùs Dei notitiam homines assequerentur, necessarium fuisse homini, non solùm suscipere per Fidem ea, quæ supra rationem naturalem sunt, sed ea etiam, quæ naturali ratione investigari possunt: *Dicendum est, inquit, quòd necessarium est homini, accipere per modum Fidei non solùm ea, quæ sunt supra rationem, sed etiam ea, quæ per rationem cognosci possunt. Et hoc propter tria: primò quidem, ut citiùs homo ad veritatis Divinæ cognitionem perveniat: scientia enim, ad quam pertinet, probare, Deum esse, & alia hujusmodi de Deo, ultimò addiscenda proponitur (nimirum Metaphy-*

taphysica, & Theologia) præsuppositis multis alijs scientijs, & sic non nisi post multum tempus vitæ suæ homo ad Dei cognitionem perveniret. Secundò ut cognitio Dei sit communior: multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenij, vel propter alias occupationes, vel etiam propter torporem addiscendi, qui omnino à Dei cognitione fraudarentur, nisi proponerentur eis Divina per modum Fidei. Tertio modo propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus Divinis est multùm deficiens; cujus signum est, quia Philosophi, de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes, in multis erraverunt, & sibi ipsis contraria senserunt: ut ergo esset indubitata & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit, quòd Divina eis per modum Fidei traderentur, quasi à Deo dicta, qui mentiri non potest.

CCXX. Idem Sanctus Doctor 1.2. q. 91. art. 4. inquirit: *An fuerit necessarium, esse aliquam Legem Divinam?* Et respondet, quòd *præter legem naturalem, & legem humanam, necessarium fuit ad directionem humanæ vitæ, habere Legem Divinam.* Idque probat quatuor rationibus, quarum secunda est hæc: *Quia propter incertitudinem humani judicij, præcipue de rebus contingentibus & particularibus, contingit, de actibus humanis diversorum esse diversa judicia, ex quibus etiam diversæ, & contrariæ leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit, quid sit agendum, & quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus proprijs dirigeretur per Legem Divinitus datam, de qua constat, quod non potest errare.*

CCXXI. Præterea efficaci ratione suadetur, doctrinam veræ Religionis non acquiri per discursum & scientiam, sed per Fidem hauriri debere à Deo docente. Nam cùm Deus velit, omnes homines salvos fieri, & ad salutem consequendam necessaria sit vera Religio, & Deus nulli hominum neget necessaria ad salutem, consequens est, quòd omni homini rationis compoti dederit Deus potestatem, inveniendi veram Religionem: ergo omni homini dedit potestatem adquirendi doctrinam veræ Religionis. At non omni homini dedit potestatem, adquirendi eam doctrinam, quæ per scholarum discussionem comparatur: ergo doctrina veræ Religionis non est doctrina per scholarum discussionem, seu per scholastica certamina, & humanum discursum comparata. Ergo doctrinam veræ Religionis à Deo docente debent homines accipere. Deus autem, ut doctrinam veræ Religionis ad salutem necessariam hominibus traderet, commercium cum illis habere debuit, & loquutione quadam externa mentis suæ consilia illis manifestare: ut enim sciret homo, quem à se cultum Creator deposceret, cùm nequeat per se Divinæ mentis arcana intueri, necessarium fuit, ut per signum aliquod sensibile à Deo loquente illum cultum addisceret: ut autem homines certificarentur, Deum esse, qui per illa signa ipsis loqueretur, debuit Deus loquutioni suæ talia signa adjungere, quæ non sinerent prudenter dubitare, illum esse, qui loquebatur. Hoc pacto loquutus est Deus cum

Moyſe, & per ejus os cum filiis Iſrael: talibus enim prodigiis, & Cœleſtibus ſignis loquutionem illam ornavit, ut non potuerint homines prudenter dubitare, quin à Deo eſſet doctrina illa, quæ talibus notis illuſtrata erat. Hoc pacto loquutus eſt per Prophetas, & noviſſimè loquutus eſt nobis per Filium ſuum Unigenitum Jeſum Chriſtum, qui tali vitæ ſanctitate, talibúſque operibus & miraculis ſe Filium Dei eſſe comprobavit, ut inexcuſabiles ſint, qui credere nolunt, doctrinam Chriſti eſſe doctrinam Dei. Doctrinam hanc Chriſtus Eccleſiæ ſuæ commiſit, quam ſupra Petrum fundavit, & per illam ſenſibiliter loquitur hominibus: & ut eos omnino ſecuros redderet de veritate doctrinæ, quam hæc Eccleſia illis credendam proponit, talibus notis, inſignibus, & ſignis eam illuſtravit, ut cæcus ſit, qui non videat, Eccleſiam Catholicam eſſe os, per quod Deus ſenſibiliter hominibus loquitur, & eis manifeſtat, quæ neceſſaria ſunt, ut ad æternam Dei viſionem perveniant.

CCXXII. Præterea probatur, doctrinam veræ Religionis non per ſtudium humanum acquiri, ſed à Deo per Fidem accipi debere, quia veram Religionem, ejúſque doctrinam omnes putant à ſe haberi, &, ſi non haberetur, quærendam, ſive viri, ſive fœminæ, ſive nobiles, ſive plebeij, ſive domini, ſervi & ancillæ, ſive docti, ſive ruſtici ſint. At non omnes putant, à ſe haberi ſcientias, vel quærendas, ſi non habentur. Ergo veræ Religionis doctrina non eſt ſcita, nec habita per ſcientiam, & diſcurſum; ergo credita. At non credita hominibus: ergo credita Deo. Ergo via unica, habendi doctrinam veræ Religionis, eſt via Fidei Divinæ, ſeu Fidei, per quam homo credit Deo loquenti. per hanc viam homo rudis, & illiteratus, & ſimplex vetula plus veræ & ſolidæ ſapientiæ exiguo tempore comparat, quàm arrogans Philoſophus Gentilis multorum annorum ſtudio. Auguſtinum audiamus ſerm. 187. de tempore id egregiè explicantem: *Qui tibi* (inquit) *videris nihil ſcire, ſi ſcias hoc ipſum; quod neſcias, nonne plus cæteris videris ſcire? Gentilis homo videt lapidem, & Deum putat; Philoſophi vident Cœlum, & putant Deum, &c. Tu verò conſidera, quantam ſuper iſtos habes ſcientiam.*

CCXXIII. Ex ipſa etiam natura doctrinæ veræ Religionis, conſtat, eam non eſſe humanæ inveſtigationis, & inventionis, ſed ſuperiorem, & Divinitus traditam, ſiquidem doctrina veræ Religionis ea eſſe nequit, quæ circa neceſſaria, & quaſi eſſentialia Religionis maximè deficit, & errat. At talis eſt omnis doctrina, ſolùm fundata in ratione naturali, & naturalis inventionis: ergò nulla doctrina, ſolùm fundata in ratione naturali, & naturalis inventionis, eſt doctrina veræ Religionis, Doctrina ergo veræ Religionis debet eſſe Divinitus à Deo tradita. Minor probatur: quia materia neceſſaria, & quaſi eſſentialis Religioni ſunt Deus, & Divina, cùm vera Religio ad Dei cultum eſſentialiter dirigatur. At doctrina, ſolùm in ratione naturali fundata, ſeu naturalis inveſtigationis & inventionis, maximè deficit & errat circa Deum: ut enim nuper ajebat D. Thomas, *ratio humana in rebus*

Divinis est multùm deficiens: est enim principij loco à Principibus Gentilium Philosophis, & sapientibus Pytagora, Socrate, Platone, Trismegisto, & aliis traditum, & à Christianis receptum, *mentem humanam se habere ad Deum, & Divina, sicut noctuam ad lumen solis*: idque experientiâ ipsâ est manifestum ex innumeris erroribus, in quos inciderunt Philosophi Gentiles circa naturam Dei, & finem, propter quem homo conditus est, ut patet ex Tullio in libris de natura Deorum, qui postquam lib. 1. retulit multorum Philosophorum pugnantia placita circa naturam, & conditionem Deorum sapienter subjunxit: *Quorum opiniones cùm tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, alterum profectò fieri potest, ut eorum nulla, alterum fieri non potest, ut plus unâ vera sit.*

CCXXIV. Et sanè circa hominis beatitudinem, in quo scilicet consistat summum ejus bonum, maximæ olim Philosophorum extitêre concertationes. Lactantius lib. 3. Divinarum institutionum cap. 7. decem sententias cum suis Authoribus refert, & cap. 8. ostendit, illos errâsse, & luculenter refutat. Marcus Varro apud D. Augustinum lib. 19. de Civit cap. 1. ostendit, sectas Philosophorum de summo bono ita posse permisceri, ut ex ea permixtione octoginta octo supra ducentas sententiæ, seu sectæ existant. Totúsque mundus plenus erat erroribus, donec venit Christus, qui tot tenebras dispulit: ideo quippe Filius Dei in mundum venit, ut nobis veram doctrinam traderet, & viam ad veram felicitatem ostenderet, simúlque gratiâ suâ nobis vires tribueret ad ambulandum per eam: *Non enim nos aliter discere poteramus, quæ sunt Dei, nisi Magister noster Verbum existens, homo factus fuisset*, ut inquit sapienter D. Irenæus lib. 9. cap. 1.

§. VIII.

Tertia propositio: veram Religionem nec quæri debere, nec inveniri posse per examen rerum, & dogmatum, quæ tradit.

CCXXV. Hanc propositionem breviter stabilivi suprà cap. 1. §. 7. eam solidissimè probat P. Elizalde q. 8. & 9. redditque rationem: quia nequit via illa esse apta, & recta ad veram Religionem, per quam melius itur ad falsam, quàm ad veram, & in qua deterior futura sit causa veræ Religionis, quàm falsæ alicujus. Talis autem est via per examen: doctrina enim veræ Religionis, ut nuper ostendimus, naturâ suâ est de rebus altissimis & Divinis, & hoc ipso nobis difficilibus, ac parùm notis: est etiam de rebus æternis, atque futuris, quarum nec experientiam, nec usum, nec speciem propriam habemus, neque simile. Unde vera Religio ad examen nostrum vocata difficilior erit, atque obscurior, quàm falsa aliqua. Si enim quis sagacissimus Philosophus fabricaret nunc Religionem quamdam, quæ unum Deũ mundi conditorem poneret, & tolleret à Judaismo Messiæ expectationem, & multa, quæ puerilia apparent, & à Christianismo tolleret Trinitatem personarum, Incarnationem Verbi Dei, præsen-

sentiam Christi in Eucharistia, & illa omnia mysteria, quæ omnino humanum discursum superant; & ea omnia relinqueret, quæ contra vitia, & in favorem virtutis circa præmium bonorum, & pœnam malorum ratio naturalis approbat, & à Mahumetismo tolleret spurcitiam, & barbariem, & errores omnes contra rationem naturalem, & contra Mathematicam, & historiam: & hic Philosophus in certamen veniret cum Christiano circa veritatem Religionis, & contenderet, suam esse veram; Christianam verò falsam, & utriusque veritatem vellet explorare per examen articulorum, quæ unaquæque docet; & Christianus hunc modum discutiendi, & examinandi, quænam sit vera Religio, incautè admitteret, evidens est, in hac disputatione Religionem falsam prævalituram, quia assertor falsæ Religionis nihil poneret, quod non probaret, & omnia sibi objecta contra suos articulos clarè dissolveret; econtra verò Religionis Christianæ & veræ professor poneret articulos, qui ratione naturali probari non possunt, imò qui homini destituto Fidei lumine apparent omnino impossibiles, & quos nemo intelligere poterit, nisi priùs eos crediderit, ob authoritatem Dei dicentis, juxta regulam illam, quam Deus ipse nobis constituit per Isaiam, cap. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Tales sunt articuli de unitate Essentiæ, & Trinitate personarum, de Incarnatione Verbi, de Divinitate hominis crucifixi, & de præsentia reali Christi in Eucharistia. Et quamvis Christianus posset objectiones contra hæc mysteria factas dissolvere cum probabilitate; tamen non ita liquidò, & clarè dilueret, ut replicari ampliùs non posset. Unde in hoc certamine vinceret falsæ Religionis assertor. Evidens ergo est, hanc non esse rectam viam ad quærendam veram Religionem. Rationem à priori jam dedimus, cap. 1. § 7. quia vera Religio continet articulos, qui intelligentiam nostram transcendunt, & qui, cùm sint supra rationem, nequeunt per rationem probari. Ibi etiam aliam reddidimus rationem, quià, si ad quærendam & inveniendam veram Religionem priùs deberemus omnia ejus dogmata examinare, priùs finiretur vita, quàm susciperetur vera Religio.

CCXXVI. Doctrinam in hac assertione datam colligimus ex S. Augustino, Epist. 49. quam scripsit ad Presbyterum quemdam nomine *Deogratias*, respondens ad quæstiones à pagano quodam ipsi propositas, quarum solutionem ipse ab Augustino petierat. Petebat Paganus ille, ut sibi difficultates istæ explanarentur, antequam Christianus fieret: quæstiones erant sex; illas ad Augustinum misit Deogratias, & postquam omnibus satisfecit Augustinus, ad finem Epistolæ sic loquitur: *Proposita exposuimus, ut potuimus; sed ille, qui proposuit, jam sit Christianus, ne fortè, cùm expectat antè librorum Sanctorum finire quæstiones, priùs finiat vitam istam, quàm transeat à morte ad vitam. Ferri enim potest* (id est permitti, & tolerari) *quòd, antequam Christianis Sacramentis imbuatur, quærit de resurrectione mortuorum. Concedendum etiam fortassis, quòd de Christo quæ-*

quæsivit, cur tantò pòst venerit, vel si qua sunt alia pauca, & magna quæstiones, quibus cætera inserviunt. Si autem, qualis est illa: In qua mensura mensi fueritis, metietur vobis, vel qualis ista, de Jona, etiam omnes tales, antequam sit Christianus, finire cogitat, perperam cogitat, vel conditionem humanam, vel ætatem jam suam. Sunt enim innumerabiles, quæ non sunt finiendæ ante Fidem, ne finiatur vita sine Fide. Sed planè, retentâ jam Fide, ad exercendam piam delectationem mentium fidelium, studiosissimè requirendæ, & quod in eis eluxerit sine typho arrogantiæ communicandum; quod autem latuerit, sine salutis dispendio tolerandum. His verbis claudit Augustinus Epistolam illam. Quo nihil sapientiùs, & evidentiùs dici potuit. Permittit Augustinus, quòd de paucis, & magnis quibusdam quærat is, qui Fidem Christi vult suscipere, & ea sibi exponi deposcat, non quidem eo genere examinis, ut inde dijudicanda veniat, & accipienda, vel refutanda vera Fides, & Religio: nam ad hoc omnia essent examinanda; sed ita ut is, qui jam Fidem suscipere decrevit, minorem difficultatem experiatur in magnis & difficilibus mysterijs, ex quorum difficultate retardatur à suscipienda Fide. Monendus tamen est Catechumenus ille, ut considerationem avertat à mysterijs illis, quæ ipsi difficultatem præcipuam ingerunt, & illam applicet ad penetranda argumenta, quæ evincunt, Deum esse Authorem Religionis Christianæ, & mysteria illa revelâsse, quæ intelligentiam ejus superant, & exponatur ei obligatio, captivandi intellectum in obsequium Fidei, & firma Fide credendi omnia, quæ Deus dixerit, ubi firmis rationibus constiterit, Deum ea dixisse, quamvis homini sibi relicto, & suo discursu nitenti appareant penitus impossibilia: constat enim evidenter, multa sæpe homini videri impossibilia, quæ re ipsa existunt, & verissima sunt; cùm tamen evidentissimum sit, Deum nec posse fallere, neque falli in ijs, quæ attestatur. Unde ratio evidentissima dictat, credendum esse Deo aliquid testificanti, quamvis nobis summè difficile, imò & impossibile videatur (ut jam exposui cap. 1. hujus libri §. 4. & 6.) postquam nobis constiterit, id Deum dixisse: & hac in re præ oculis habendum est colloquium, quod ego habui cum Mahumetano ingenioso, qui Fidem Christi nolebat recipere propter difficultatem, quam experiebatur in mysterio Trinitatis, & Incarnationis, & observandus est modus, quem post explicationem mysteriorum ego tenui, ut illum obligarem ad captivandum intellectum, ad assentiendum his mysterijs ob authoritatem Dei, qui illa mundo manifestavit per os Domini nostri Jesu Christi, & Apostolorum: hoc colloquium exhibui tom. 3. Selectar, disput. ultima, Sect. 11. & modum illum tradidi ibi §. 7. pag. 615. & in secunda parte hujus operis apponetur.

§. IX. *Pro-*

§. IX.

Propositio quarta: veram Religionem quaerendam, & inveniendam esse per examen fundamentorum, & rationum, quae evincant, Deum esse Authorem illius Religionis.

CCXXVII. ID jam exposui, & probavi cap. 1. hujus libri, §. 4. & 6. Et constat veritas propositionis, nam sicut est injuria infinitae Dei majestatis & authoritatis, nolle assentiri mysterijs, quae sufficienter proposita sunt, ut ab ipso revelata; quia ubi per argumenta gravia, & facientia moralem certitudinem nobis constat, Deum revelâsse mysterium aliquod, ratio evidens dictat, mysterium illud credendum esse cum summa adhaesione, ob authoritatem Dei dicentis, ut ostendimus cap. 6. §. 1. ita est gravis injuria infinitae authoritatis Dei, accipere doctrinam alicujus Religionis, tamquam à Deo datam, quin praecedat sufficiens fundamentum ad firmiter judicandum, Deum esse Authorem talis Religionis: nam *qui citò credit, levis est corde,* Ecclesiast. 19. ut exposui lib. 1. cap. 1. Fundamentum autem hoc debet esse tale, ut reddat evidenter credibilem illam doctrinam, id est, quòd reddat audientem omnino securum de eo, quòd Deus sit Author illius doctrinae, quin de hoc possit prudenter dubitari: nam quamdiu potest prudenter dubitari, an Deus sit loquutus, nemo potest prudenter imperare assensum Fidei Divinae, quo scilicet veritati mysterij revelati assentiatur super omnia, id est firmiùs, & immobiliùs, quàm assentiri solet conclusioni evidenti. Paris enim est periculi accipere, tanquam à Deo revelata ea, quae seductor aliquis proponit, tanquam à Deo dicta; & nolle accipere, tanquam à Deo dicta ea, quae verus Dei Propheta ipsius nomine dicit, postquam sufficienter probavit, se esse Dei Prophetam, & Dei nomine loqui, ut probârunt Moyses, Elias, & alij Prophetae Legis veteris, & in novo Testamento probârunt Apostoli, & alij viri sancti.

CCXXVIII. Unde Mahumetani, qui doctrinam à Mahumeto praedicatam, tanquam doctrinam à Deo datam, receperunt, quin in hoc seductore viderent signa ulla, quae ostenderent, illum esse Dei Prophetam, omnino sunt inexcusabiles: sibi enim persuadent, Mahumetum fuisse Dei Prophetam, cùm tamen adsint manifesta argumenta persuadentia, fuisse hominem ambitiosum & carnalem, qui se Prophetam finxit, ut Regna occuparet, & Imperium posteris suis relinqueret. Sunt etiam inexcusabiles sectarij, qui Lutherum ut novum Germaniae Prophetam susceperunt, & sibi persuaserunt, Monachum apostatam, carnalem, ambitiosum, nullis praeeminentem virtutibus, nullis ornatum miraculis, sed magnis vitijs onustum, à Deo electum fuisse ad reformandam Ecclesiam. Et similia dici debent de his, qui Calvino adhaeserunt.

CCXXIX. Fundamenta autem illa, quae persuadere debent Deum esse Authorem Religionis, ut eam homines, tanquam à Deo datam, tuto & l...

dabiliter suscipiant, debent esse talia, quæ non relinquant locum prudenter dubitandi, ne data fuerit à Deo: ac proinde debent esse talia, ut evidentiam moralem gignant de eo, quòd Deus illius Religionis mysteria revelaverit; debent enim reddere evidenter credibilia mysteria talis Religionis, inducendo evidentem obligationem suscipiendi illam Religionem, ut à Deo datam, & credendi ejus mysteria, tanquam à Deo revelata, ut patet ex dictis lib. 1. cap. ultimo, & in hoc lib. cap. 2.

§. X.

Propositio quinta: Manifestum esse debere, & ex rebus in mundo moraliter evidentibus, quænam ex omnibus mundi Religionibus & sectis sit vera, & à Deo data Religio.

CCXXX. Veritas hujus propositionis constat ex his, quæ in toto hoc libro adduximus ad probandum, Religionem Christianam non solùm esse evidenter credibilem, sed evidenter veram evidentiâ in attestante, quatenus evidenter probatur, Deum esse authorem illius. Et robustissimè ostenditur à P. Michaele de Elizalde in toto suo opere de forma veræ Religionis quærendæ, & inveniendæ, præsertim q. 19. scopus enim illius præclari operis est, hoc probare, & efficaciter persuadere: *Esse in mundo manifestissimum, esse scitu & exploratu brevissimum, facillimum, saltem permultis, quamnam inter omnes Religiones doctrinam Deus tradiderit, proposueritque credendam, & in quo errare ritè quærentes nequeant.* Ad quod proinde opus non sit Metaphysicâ, non Theologiâ, non demonstrationibus immortalitatis animæ, cùm vel hoc absurdissimum futurum esset, si omnes, tam viros quàm fœminas, imò & litteratos omnes juberemus esse Metaphysicos, vel Theologos: quid enim stultius? omnes enim tenentur veram Religionem quærere, & ita quærere, ut inveniant, & inventam suscipere; non tenentur autem omnes esse Metaphysici, vel Theologi. Ad internoscendum ergo, quænam sit vera Religio, & à Deo data, non opus est Metaphysicâ, neque Theologiâ. Vera namque Religio, & vera Ecclesia est arx munitissima, in quam intrare debent, quicumque voluerint salutem suam in tuto ponere: est domus Dei, in qua habitare debent, qui hæredes Regni Cœlorum futuri sunt, & simul arx & Castellum munitissimum, in quo se defendere possunt ab hostium impugnatione. De Ecclesia loquitur Salomon Proverb. 9. dicens: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem; misit ancillas suas ut vocarent ad arcem.* Ubi S. Gregorius Magnus apud Salazar per ancillas sapientiæ Apostolos intelligit, qui fuerunt ministri sapientiæ Incarnatæ, seu Christi ab eo in mundum missi, ut Gentes vocarent in hanc arcem, id est, ut illis ingressum in Ecclesiam Christi persuaderent. Ubi nota, Ecclesiam, & esse domum, & simul arcem, domum ad habitandum, & arcem ad se defendendum à dæmonum impugnationibus.

CCXXXI. Est Ecclesia Dei Civitas supra montem posita, ut ab omnibus videri possit, qui oculos in illam intendere velint. Ut enim inquit sapientissimus

mus Theologus, & hæreticorum acerrimus impugnator Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 7. colum. 156. in sexta Ecclesiæ proprietate: *Dicitur ab Orthodoxis Doctoribus, secundùm certissima, & clarissima Sanctarum Scripturarum testimonia, Ecclesia visibilis; id est sic in luce hominum, & conspectu posita, ut quovis sæculo evidenter internosci, & quasi digito monstrari queat Congregatio illa, quam esse Ecclesiam veram determinatè credere possis, ac debeas.* Et hanc Ecclesiæ prærogativam prædixit David Psalm. 186. dicens: *In sole posuit tabernaculum suum,* id est, ut ibi explicat Augustinus, *in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto*; & epist. 166. ad Donatistas: *Ipsa est Ecclesia in Sole posita, id est, in manifestatione, omnibus nota usque ad terminos terræ*: & in libro de unitate Ecclesiæ, cap. 16. *Non est*, inquit, *operta Ecclesia, quia non est sub modio, sed super candelabrum, & de illa dictum est: non potest Civitas abscondi supra montem posita. sed Donatistis velut operta est, qui audiunt tam lucida, & manifesta testimonia, quæ illam in toto Orbe demonstrant, ut malint clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere*: & epist. 107. *Facile tibi est, attende, videre Civitatem supra montem positam.* Unde Origines homil. 30. in Matth. meritò dixit: *Ecclesia plena est fulgore ab Oriente in Occidentem.* Ergo evidenter cernitur, Religionem Christianam esse à Deo.

CCXXXII. Et quidem ad hominem contra Authores Catholicos, qui evidentiam veritatis nostræ Religionis negant, cùm tamen constanter doceant, Religionem Christianam ita esse evidenter credibilem, ut Religiones omnes sibi oppositas faciat incredibiles, hoc validum & invictum formatur argumentum. Nam si Religio nostra reliquas facit incredibiles, ergo reliquas facit improbabiles; omnia enim probabilia sunt prudenter, & absque vitio credibilia: ergo Religio Christiana non solùm est evidenter probabilis, aut evidenter probabilior reliquis sectis, sed certa; sola enim major probabilitas unius doctrinæ non facit, ut opposita sit absolutè improbabilis, seu talis, cui nullus possit prudenter assentiri. Si autem Religio Christiana ex suis fundamentis, & rationibus est certa; ergo est similiter evidens evidentiâ extrinsecâ, & in attestante: omnis enim certitudo, per rationem, ac probationem comparata, est in eodem gradu evidentia: imo evidentia rationum est causa certitudinis; nam extra Fidem Divinam, quæ est summè certa, quamvis sit obscura, omnis certitudo alicujus veritatis fundatur in ipsa evidentia talis veritatis: ergo implicat, Religionem Christianam esse ita evidenter credibilem, ut omnem sectam sibi oppositam reddat incredibilem, quin sit evidenter vera, evidentiâ in attestante.

CCXXXIII. Præterea argumentor: nam cùm Deus velit, omnes homines salvos fieri, vult, ut omnes quærant veram Religionem, donec illam inveniant, & vult, ut inventam amplectantur; & si jam in illa sunt, vult, ut in illa usque in finem perseverent: nam

sine professione veræ Religionis nemo potest salvus fieri, quia *sine Fide*, teste Apostolo ad Hebræos 10. *impossibile est, placere Deo.* Vera autem Fides non datur, ubi non datur vera Religio. Nec satìs ad salutem, quòd quis amplectatur Religionem, quæ sibi videatur probabilior, aut verisimilior, vel etiam certa, si re ipsa sit falsa; sic enim quilibet salvaretur in sua Religione, quia cuilibet sua videtur melior, & verisimilior aliis, imò certa. Sic Mahumetani, & Hebræi, imò & hæretici obstinati verissimam arbitrantur suam Religionem, & arbitrantur, Christianos Catholicos in errore versari. At certum est apud omnes Catholicos, neminem extra veram Religionem posse salvari, ut constat ex symbolo Athanasij: *Hæc est*, inquit, *Fides Catholica, quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Ergo Deus obligat omnes adultos, ad quærendam & inveniendam veram Religionem, illámque amplectendam: ergo omnes possent dignoscere quænam sit vera Religio. Patet consequentia: quia si non possent discernere inter veram, & falsam Religionem, & dignoscere, quænam sit vera, quænam falsa, impossibilia Deus juberet, dum jubet, veram Religionem amplecti. At Deus impossibilia non jubet, ut definitum est à Tridentino: ergo omnes possunt discernere, quænam inter omnes sit vera Religio. Non possent autem hoc præstare, nisi vera Religio esset talibus veritatis indiciis vestita, ut, quicumque ea indicia inspiciat, & contempletur, evidenter deprehendere possit, Religionem, talibus indiciis vestitam, seu talibus notis insignitam, esse Religionem à Deo traditam, & consequenter veram. Ergo argumenta evidentia credibilitatis quibus Deus Religionem Christianã insignivit, connexa essentialiter sunt cum ipsius veritate, & quicumque ea penetrat, evidenter cognoscit, Religionem Christianam esse veram. Probatur consequentia: nam si illa credibilitatis argumenta solùm redderent Religionem Christianam evidenter probabiliorem, & verisimiliorem reliquis omnibus sectis, neque ex se essentialiter connexa cum veritate, sed possent conjungi cum falsitate, Deus non obligaret ad quærendam, inveniendam, & amplectendam Religionem veram, sed solùm ad amplectendam Religionem probabiliorem, & verisimiliorem, sive sit vera, sive sit falsa; ergo si omnia credibilitatis argumenta, quibus Religio Christiana est insignita, & possunt cadere in Religionem falsam, possunt à Deo omnes homines obligari, ut titulo ponendi in tuto suam salutem amplectantur Religionem re ipsa falsam, in qua salus esse non potest: quo nihil absurdius, & Deo indignius excogitari potest. Hoc enim esset, Deum homines decipere, & seducere, dum ex una parte statueret, non dare salutem æternam, nisi professoribus Religionis veræ, & ex alia parte Religionem falsam vestiret talibus veritatis indiciis, ut omnes tenerentur illam amplecti: & ita homines fugiendo mortem, in mortem inciderent, seu potiùs quærendo vitam, inciderent in mortem sempiternã, idq; Deo procurante, seu incitante.

CCXXXIV. Id explicemus: Ponamus, Petrum fugere hostem insequen-

quentem, & non esse alium modum vitandi mortem, & evadendi gladium hostis persequentis, nisi se recipiat in aliquam turrim, vel arcem. Sint tres, vel quatuor turres ante ipsum è regione positæ, quarum una duntaxat sit secura, & medium aptum ad vitam tuendam; reliquæ verò sint omnino expositæ hostium furori, & quæ certissimè expugnandæ sint ab hoste insequenti Petrum. Sciat hoc Petrus, & evidenter cognoscat, se non posse in qualibet ex illis turribus vitam tueri, sed in una dumtaxat ex illis. Quid faciet in angustia Petrus? ad quam ex illis quatuor confugiet? Certum est, illum obligatum esse, eligere illam, in qua majora securitatis indicia conspexerit. Unde si indicia illa sint fallacia, & re ipsa turris illa non sit munita, sed expugnationi obvia, Petrus per illa indicia decipietur, & dum vitam vult tueri, ex illius tuendæ desiderio incidet in præsentissimam mortem: unde qui vocavisset, & incitâsset Petrum ad ingressum illius turris, ei ostendendo majora securitatis indicia in illa turri, quàm in aliis, illum profectò decepisset, & causa foret ruinæ ipsius. Cùm ergo homini evidens sit, extra Religionem veram nemini patere aditum ad æternam salutem, & evidens quoque ipsi sit, inter omnes Religiones mundi unam dumtaxat esse veram, & à Deo descendentem; reliquas verò illi oppositas esse falsas, & à Diabolo ortas, evidens ipsi est, se obligatum esse, ad quærendam, & amplectendam Religionem illam unicam, quæ vera est. Ergo cùm veritas Religionis cognoscatur per indicia veritatis, & argumenta credibilitatis, evidens ipsi est, se obligatum esse ad amplectendam illam Religionem, in qua post diligentem inquisitionem viderit majora veritatis indicia, & urgentiora credibilitatis argumenta. Ergo impossibile est, ut DEUS Religionem falsam vestiat majoribus veritatis indiciis, & urgentioribus credibilitatis argumentis, quàm Religionem veram: sic enim homines deciperet, eos obligando per illa præeminentiora veritatis indicia ad amplectendam Religionem falsam. Ergo evidens est, inter omnes mundi Religiones illam dumtaxat esse veram, quæ majoribus à Deo ornata est veritatis indiciis, & credibilitatis urgentioribus argumentis. At evidens est, inter omnes mundi Religiones solam Religionem Christianam Catholicam esse ornatam à Deo majoribus veritatis indiciis, & urgentioribus credibilitatis argumentis, cùm ex confessione omnium Doctorum Catholicorum non solùm sit evidenter credibilis, sed evidenter credibilior omnibus aliis mundi Religionibus, & quidem cum tanto excessu, ut apud æquum rerum æstimatorem, & sincerum veritatis amatorem reliquæ omnes comparativè ad illam nec verisimiles, aut probabiles, neque prudenter credibiles maneant: ergo evidens est, inter omnes mundi Religiones solam Religionem Christianam Catholicam esse veram, ac proinde solam illam esse veracem, seu veritatis Magistram, & veræ Fidei depositariam, atque custodem. Ergo Doctores Catholici, tanquam omnino indubitatum statuentes, Religionem Christianam à Deo ornatam esse evidentibus credibilitatis notis, & aliunde negantes ornatam esse evi-

dentibus veritatis argumentis, virtualiter sibi contradicunt, & contradictoria docent. Dicendum ergo est, Christianam Religionem Catholicam ornatam esse à Deo evidentibus veritatis argumentis, ac proinde quemcunque hominem, qui illa veritatis argumenta penetraverit, evidenter cognoscere, Christianam Religionem esse veram, id est Deum habere Authorem.

CCXXXV. Confirmatur, & explicatur: vera Religio est in mundo ab hominibus invenibilis; ergo est certò agnoscibilis, & discernibilis inter omnes, cùm homines invenire eam nequeant, nisi agnoscendo, & discernendo. Antecedens constat ex dictis, quia alioqui Deus impossibilia hominibus præciperet, dum eis præcipit, ut quærant veram Religionem, sine qua impossibile est salutem æternam obtinere: & præterea antecedens illud à nemine eorum negatur, qui aliquam Religionem tenent: nam cùm unusquisque suam veram putet, necesse est ut putet, à se inventam esse veram Religionem, nempe suam. Vel ergo vera Religio æquari à falsa potest in fundamentis suæ veritatis, vel non potest? Si secundum: ergo excessus in fundamentis erit infallibile signum veritatis, ac proinde evidens erit, esse veram illam Religionem, quæ præ reliquis est credibilis, & majoribus illustrata est veritatis indicijs. Si autem vera Religio æquari à falsa potest in fundamentis veritatis, impossibile erit, inter utramque discernere, cùm utraque sit æquè fundata, & æquè credibilis, ac proinde impossibile erit, veram Religionem invenire, ita ut animus in ea quiescat, & sibi sine formidine persuadeat, se veram Religionem tenere.

CCXXXVI. Rursus, vel excessus in fundamentis est signum infallibile veritatis? & tunc ex excessu evidenter infero veritatem; vel est signum dumtaxat probabile; & tunc ex excessu non possum certò agnoscere, & discernere veram Religionem. Ergo vel vera Religio non est invenibilis, & ad nullam Religionem amplectendam obligamur, quod est evidenter falsum; vel vera Religio est certò, & evidenter agnoscibilis.

CCXXXVII. Ulteriùs: vel excessus fundamentorum est certò, & evidenter agnoscibilis, & tunc obtinui: vel est tantùm opinabilis, & tunc opinari quidem de Religione potero; invenire autem non potero. Denique vel evidentia credibilitatis est certa nota veritatis? & tunc intentum obtinui, videlicet, Religionem Christianam esse evidenter veram, cùm juxta omnes Doctores Catholicos sit evidenter credibilis. Vel evidentia credibilitatis non est certa nota veritatis, sed fallibilis, & indifferens, & solùm probabilis? & tunc veram Religionem invenire non potero, nec certus esse, quòd Deus sit Author Religionis Christianæ, ejúsque mysteria revelaverit; sed semper manebo dubius, & apud me dicere potero: forsan nos fefellit Deus, dum per argumenta evidentia credibilitatis nos induxit ad amplectendam Religionem Christianam: cùm ergo hæc sint evidenter absurda, dicendum est, manifestum esse, & de rebus moraliter evidenti-

dentibus, quænam inter omnes sit vera, & à Deo data Religio, quæ erat propositio quinta, cujus veritatem probandam suscepimus.

§. XI.

Explicatur jam ex dictis Fidei nostræ resolutio facienda apud homines Infideles, qui Evangelio non credunt.

CCXXXVIII. EX dictis facile est, legitimam Fidei nostræ resolutionem explicare. Si ergo Philosophus Gentilis, vel Mahumetanus à Christiano quærat: cur credis, Deum esse unum, & Trinum? Cur credis, Deum factum esse hominem? Cur credis, Jesum Nazarenum à Judæis crucifixum esse verum Deum? Respondebit: quia Deus summè sapiens, ac verax, qui nec fallere, nec falli potest, has veritates mundo revelavit. Si autem ulteriùs quærat: Cur credis, Deum has veritates mundo revelâsse? Respondeat, negando suppositum, & dicat, se non credere, seu Fide solùm obscura cognoscere, Deum has veritates revelâsse, sed se hoc scire, seu per evidentia argumenta cognoscere. Si autem ulteriùs quærat: unde scis, Deum has veritates mundo revelâsse? Respondeat: quia evidens est, Deum aliquam Religionem veram in mundo habere, in qua, & per quam homines salvari possint; & evidens est, hanc non posse esse aliam, quàm Religionem Christianam Catholicam Romanam, quia sola hæc est à Deo illustrata evidentibus veritatis notis, & manifestissimis credibilitatis argumentis, & evidens est, Deum non potuisse Religionem falsam tot ac tantis veritatis signis, & credibilitatis argumentis exornare. Et hìc exponat credibilitatis argumenta, quæ in toto hoc tractatu sunt adducta, & breviter proposita ad finem libri primi.

CCXXXIX. Vel respondeat: certus sum, Deum revelâsse mysterium Trinitatis, & Incarnationis, & Divinitatis Christi, quia evidens mihi est evidentia facti, Christum Dominum has veritates docuisse, & per Apostolos mundo persuasisse: Christus autem evidenter probavit suam Divinitatem, ut constat ex toto lib. 1. & ex hoc lib. 2. cap. 2. Unde quæcumque Christus revelavit mundo, Deus revelavit. Rursus, quòd Christus sit Deus manifestis probatur argumentis, quia evidens est evidentiâ facti, Christum Dominum palam dixisse Judæis, se esse Filium Dei naturalem, verúmque Deum, & ob hanc causam à Judæis crucifixum esse: & evidens mihi est evidentiâ facti, & per historias fide dignas, quibus innumeri viri sapientissimi, & sanctissimi Fidem certissimam adhibuerunt, & per effectus manifestos, qui rem ita se habuisse, manifestè comprobant, Christum Jesum in confirmationem illius doctrinæ de sua Divinitate evidentia miracula patrâsse, mortuos suscitando, cæcos illuminando, paralyticos sanando, & alia opera miranda supra omnes naturæ vires operando, & Deum illum tertia die à mortuis suscitâsse, & ipsum redivivum Apostolis, aliísque personis apparuisse, & post qua-

draginta dies coram magna multitudine virorum ac mulierum è monte Oliveti ad cælos ascendisse, & Apostolos per totum Orbem dispersos Christi Divinitatem mundo persuasisse, & resurrectionem, atque ejus in cælos ascensionem, ut oculares testes, testificatos fuisse, & in hujus Fidei defensionem ipsos, & innumerabiles Martyres omnis ætatis, & sexûs, alacriter & constanter sanguinem fudisse: & sapientissimos ac doctissimos Doctores omni sæculo hanc doctrinam constanter defendisse, & pro ea defendenda innumeros labores alacriter sustinuisse. Evidens quoque mihi est evidentiâ facti, & per historias, quæ adhuc in genere narrationis humanæ summam authoritatem habent, hanc Fidem professos fuisse viros ac fœminas sanctissimas, quos Deus manifestis illustravit miraculis; & manifestum est, nec fidem falsam posse veram sanctitatem generare, nec providentiæ Dei congruum esse, ut miraculis illustret falsæ Fidei professores.

CCXL. Vel denique respondeat: certus sum, Deum esse Authorem Religionis Christianæ, quia manifestum mihi est, hanc Fidem non aliter, quàm virtute Divina potuisse per totum mundum defendi contra tot Imperatorum, & Principum potentiam, & tyrannidem: quia cùm Religio Christiana proponat credenda mysteria difficillima, qualia sunt Divinitas hominis crucifixi, ejus realis præsentia sub exigua panis particula, & identitas ejusdem naturæ cum personis distinctis: & cùm præcepta atque consilia, carni & sanguini contraria, contineat, & nihil de præsenti suis cultoribus promittat, sed omnia in futurum reservet; incredibile est, mundum res, humanitus tam incredibiles, tam firmiter credidisse, nisi ad hoc credendum evidentiâ miraculorum induceretur, vel potentiâ Divinâ, & singulari gratiâ moveretur. Unde meritò S. Thomas 1. contra gent. cap. 6. dicebat: *Hanc tam mirabilem mundi conversionem ad Fidem Christianam indicium certissimum esse præteritorum signorum, ut ea ulteriùs iterare necesse non sit, cùm in suo effectu appareant evidenter. Esset autem*, inquit, *omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, & ad operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus, & ignobilibus hominibus.* Et hîc repetendum est acutissimum illud dilemma D. Augustini à nobis propositum, lib. 1. cap. 9. num. 85. quia vel Apostoli mundo prædicantes, hominem crucifixum esse Deum, & à mortuis resurrexisse, & vivum in cœlos ascendisse, & totam illam doctrinam, quam ipsi prædicabant, docuisse, hanc Fidem mundo persuaserunt mediis signis externis, & miraculis, vel sine externis miraculis? Si primum: ergo Fides hæc vera est; quia Deus nequit miracula facere in confirmationem doctrinæ falsæ, & mirabilia operari, ut secta suæ voluntati contraria, & suis perfectionibus injuriosa in mundo prævaleat. Si secundum: idem sequitur, quia hoc idem est miraculum internum, omnibus miraculis externis multò majus, & evidenter probans, solâ Dei omnipotentis virtute fieri potuisse, ut res huma-

humanitus ita incredibiles, & carni & sanguini ita contrarias, mundus tam firmiter, & tam constanter crediderit.

§ XII.

Quomodo Fidei Christianæ resolutio facienda sit sine circulo, & mutua prioritate coram hæreticis credentibus Evangelio & coram Catholicis.

CCXLI. SI hæreticus à me quærat: Cur credis, dari Purgatorium, & Christum Dominum instituisse septem Sacramenta? Respondebo: quia Deus summè sapiens, ac verax hoc revelavit. Si iterum roget: unde cognoscis, id Deum revelâsse? Respondebo: quia Ecclesia Catholica Romana id semper tenuit, ac credidit, atque omnibus credendum proponit. Si instet: unde cognoscis Ecclesiam Romanam hoc proponentem non errorem, sed veritatem credendam proponere? Respondebo: quia, teste Apostolo, *Ecclesia est Columna, & Firmamentum veritatis*, id est columna firma, & stabilis, quæ à veritate deflectere non potest, & sua firmitate ac stabilitate sustentat suos filios, nè à veritate aberrent, ut exponunt omnes Doctores Catholici; vel quia (ut fatetur etiam ipse Calvinus apud Becanum in Compendio Manualis lib.1.cap.3. num, 17.) *veritatem præconio suo celebrat, quia puram & sinceram retinet, quia ad posteros transmittit, vel quia*, ut idem Calvinus dicit, *veritatem tuetur, ac propagat, ut à posteris in omne ævum colatur.* Si autem rursus roget: unde scis Ecclesiam illam, quam Apostolus appellat Columnam, & Frmamentum veritatis, esse Ecclesiam Catholicam Romanam? Respondebo: quia ex Evangelio manifestum est, Christum Dominum suprà Petrum fundâsse Ecclesiam visibilem in æternum permansuram, ut constat ex illis verbis: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Et de hac Ecclesia supra Petrum fundata loquutum fuisse Apostolum Paulum, manifestum est: Evidens autem est, Ecclesiam visibilem, supra Petrum à Christo fundatam, non esse aliam, quàm Ecclesiam Catholicam Romanam, quia illa hominum congregatio sola est Ecclesia Christi, quæ eadem est, & una, & Sancta, & Catholica, & Apostolica, & rectissimè ordinata, & visibilis, hoc est in luce hominum perpetuò constituta: hæ enim Ecclesiæ proprietates manifestè constant ex symbolis, Apostolico, Nicæno, & Constantinopolitano, & ex Scripturis. Atqui sola illa hominum congregatio, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret, ipsúmque ut verum Christi in terris Vicarium & legitimum Petri successorem agnoscit, & nulla alia est talis: ergo sola hæc Congregatio, id est, sola Ecclesia Catholica Romana est vera Christi Ecclesia. Ad hanc autem minorem persuadendam suppetunt Doctori Catholico evidentia argumenta, ut demonstrant P. Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 7. à §. 21. Bellarminus de notis Ecclesiæ, & alij: & nos libro sequenti id ostendemus: evidens enim est, solam Ecclesiam Romanam posse

per

per continuatam seriem Pastorum probare, se ab Apostolis fundatam esse, quia evidens est, evidentiâ facti, Innocentium XI. qui modò gubernat Ecclesiam Christi, successisse Clementi X. Clementem X. Clementi IX. Clementem IX. Alexandro VII. Alexandrum VII. Innocentio X. Innocentium X. Urbano VIII. & sic ascendendo perveniemus ad D. Petrum, à quo usque ad Innocentium XI. utrumque includendo, quadraginta quatuor supra ducentos numerantur Summi Pontifices, secundùm communiorem calculum. Et manifestum est, in sola Ecclesia Catholica Romana reperiri notas, signa, & argumenta, quæ probent, ipsam esse veram Christi Ecclesiam.

§. XIII.

Alius modus id ipsum explicandi.

CCLXII. ALio insuper modo sine circulo, & mutua prioritate possumus resolvere Fidem Catholicam coram hæretico, qui credens in Christum, negaret integritatem, & incorruptionem novi Testamenti, seu qui diceret, novum Testamentum, quod in Ecclesia modo servatur, non esse omnino incorruptum, & quale ab Apostolis scriptum fuit. Interroganti ergo: cur credis Purgatorium, & septem Sacramenta? respondebo: quia Deus hoc revelavit: & sciscitanti, unde cognoscis, hoc Deum revelâsse? Respondebo: quia Ecclesia hoc credendum proponit: & iterum roganti: unde cognoscis, Ecclesiam in hoc proponendo non errare? Respondebo: quia Ecclesia est infallibilis ob assistentiam Spiritus Sancti ei à Christo promissam: & rursus instanti: unde cognoscis, Ecclesiam hoc privilegium habere, & ei fuisse promissam à Christo assistentiam Spiritus Sancti, ne erret in iis, quæ credenda proponit? Respondebo: quia id Evangelium, & Scriptura apertè testatur: nam Christus Matth. 16. apertè promisit portas inferi non prævalituras adversùs Ecclesiam, quam supra Petrum fundavit; prævaluissent autem, si Ecclesiam permovissent ad proponendum, tamquam articulum Fidei aliquod dogma falsum: & Matth. 28. Apostolis & eorum successoribus, Ecclesiam Christi principaliter componentibus, dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; non esset autem in Ecclesia Spiritus Christi, qui est spiritus veritatis, si Ecclesia errare posset in iis, quæ credenda proponit. Petro etiam, & in illo ejus successoribus dixit Christus: *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat Fides tua*; obtinuitque proinde Christus pro sua reverentia, ne à Sede Petri deficiat unquam vera Fides; ut ita Romanus Pontifex, tanquam Petri successor, possit fratres suos, id est, Episcopos & fideles in Fide vera confirmare, eis ostendendo, quid credere debeant. Ex iis, & aliis Scripturæ testimoniis cognovi, Ecclesiam esse infallibilem in iis, quæ credenda proponit.

CCLXIII. Si autem ampliùs inquirat: unde cognoscis, Scripturam hoc testificantem, esse Scripturam Dei, ab eo scilicet dictatam, & libros, unde summun-

muntur ejusmodi testimonia, esse Canonicos? Respondebo: quia Ecclesia Catholica in Concilijs Generalibus congregata catalogum librorum Divinorum contexuit, & inter eos numerat Evangelia illa, in quibus continetur assistentia Spiritûs Sancti respectu Ecclesiæ, ne tota errare possit in ijs, quæ credit. Hunc catalogum exhibuit Concilium Tridentinum Sess. 4. Patres Tridentini hunc Catalogum acceperunt per traditionem ab Eugenio Papa in Concilio Florentino, ut videre est apud Bartholomæum Carranzam in summa Conciliorum. Rursus Eugenius illum accepit à Gelasio Papa in Concilio Romano, ut patet ex 2. tom. Conciliorum in Decretis Gelasij circa finem. Iterum Gelasius ab August. lib. 2. de doctrina Christ. c. 8. Augustinus autem à Concilio Carthaginensi 3. quod alij quintum, alij sextum vocant. Denique Patres hujus Concilij ab Innocentio I. epist. 3. ad Exuperium cap. 7. assumptus est autem Innocentius I. ad Summum Pontificatum anno 402. Unde ex illo tempore primitivæ Ecclesiæ ad nos usque per continuam successionem perseverat idem ille Scripturæ Canon, quem Ecclesia Catholica Romana tenet, & amplectitur. Ab hoc Canone multos libros hæretici hujus temporis expungunt, in quos optimè quadrat, quod de Manichæis scripsit Augustinus in libro de bono perseverantiæ cap. 11. *Scripturas*, inquit, *sic accipiunt, ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio, quod volunt, sumant; quod nolunt, reijciant.*



§. XIV.

Quomodo sine circulo authoritas Scripturæ probari possit per authoritatem Ecclesiæ, & Ecclesiæ authoritas per authoritatem Scripturæ.

CCXLIV. SI autem ulteriùs interroget: unde nôsti, Ecclesiam Catholicam præscribentem Catalogum librorum Divinorum, in eo designando non erràsse? Hîc non est recurrendum ad authoritatem invisibilem Ecclesiæ, seu ad assistentiam invisibilem Spiritûs Sancti, quam habet Ecclesia Catholica, ne errare possit circa Fidem, quæ assistentia solùm probatur ex Scripturis: sic enim circulum committeremus, probantes infallibilitatem Romanæ Ecclesiæ ex Scriptura, & rursus infallibilitatem Scripturæ ex infallibilitate Ecclesiæ: quem circulum suprà §. 3. hujus capitis exprobrant Catholicis Calvinistæ apud Beccanum in Compendio Manualis libr. 3. cap. 10. Recurrendum itaque est ad authoritatem manifestam, & visibilem Ecclesiæ, quæ in omnium oculos incurrit.

CCXLV. Duplex namque est Ecclesiæ authoritas: altera omnino invisibilis in se, & prorsus occulta, nimirum authoritas proveniens ab infallibili assistentia Spiritûs Sancti, quæ assistentia nobis constat per revelationem contentam in Scriptura; altera est manifesta & visibilis; quia in mundo est manifestum, & quasi palpabile, Religionem Christianam modis mirabilibus, atque Divinis fuisse priùs fundatam, & per totum Orbem diffusam; mox illustratam invictis sine numero

Martyribus ; in ea per singula sæcula floruisse homines admiranda sanctitate præditos, & manifestis miraculis claros; in ea semper illustrissimos Doctores, clarissimâ sanctitatis & doctrinæ luce perfusos, claruisse; ex illa prodiisse viros Apostolicos, qui zelo & charitate ardentes per singula sæcula barbaras nationes ad Christum traxerunt, & quotidie trahunt; hanc Ecclesiam immobilem in sua Fide per tot sæcula permansisse contra tot Imperatorum potentiam, contra tot hæreticorum persequutiones. Hæc, & alia Ecclesiæ decora ingentem illi conciliant authoritatem, & satìs clarè manifestant, Ecclesiam tot notis illustrem, tot prærogativis ornatam, tot Martyribus, tot Confessoribus, tot Virginibus, & tot Doctoribus decoratam, esse illam Ecclesiam visibilem, quam sibi Christus conjunxit, tanquam Sponsam perpetuam, ut explicat Apostolus ad Ephes. 5. v. 31. & prædictum est ab Osea cap. 2. v. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum*; esse illam, quam Christus supra Petrum fundavit, & de qua dixit: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, id est, *vitia*, *& peccata*, *& hæreticorum doctrinæ*, ut explicat Hieronymus ad illum locum: adversùs quam *inferorum porta*, *id est*, *hæreticorum ora*, *impetum quidem facient*, *sed non prævalebunt*, ut inquit Damascenus in oratione de transfiguratione Domini; denique esse illam, de qua Augustinus lib. 1. de Symbolo cap. 6. dicit: *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans. Oppugnari potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa verò manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua; Portæ inferi non vincent eam.*

CCXLVI. Ad hanc ergo authoritatem visibilem Ecclesiæ recurrendum est in præsenti interrogatione. Itaque ad illam interrogationem: unde nôsti, Ecclesiam Catholicam præscribentem Catalogum librorum sacrorum, in eo designando non errâsse? Respondebo: quia Ecclesia Catholica Romana tot prærogativis visibilibus, tot notis, & insignibus fulget, ut ex illis manifestè cognoscatur, eam esse Ecclesiam illam, in qua habitat Spiritus Dei, id est, Spiritus veritatis, cui sua sensa manifestavit, & per quam vult sensibiliter hominibus loqui, eísque ostendere legitimam ad æternam felicitatem viam. Credibiléque non est, Deum occultâsse huic Ecclesiæ, quinam sint illi libri, quos ipse dictavit, & per quos voluit ad æternam salutem dirigi: cui enim committeret libros illos custodiendos, & fideliter usque in finem servandos, nisi Ecclesiæ illi, *quam suo sanguine acquisivit*, ut inquit Paulus Actor. 20. v. 28. quam sibi in æternum desponsavit, & quam tot dotibus, & mirabilibus prærogativis decoravit? Ergo Ecclesia Catholica est fida custos sacrorum librorum. Ergo ad illam attinet, discernere, quinam sint libri Divini, & à Deo dictati, & illos filijs suis ostendere, ut ipsorum doctrinâ nutriantur ad vitam.

CCXLVII. Confirmatur: nam certum eſt, Filium Dei in terris viſum eſſe, & cum hominibus converſatum fuiſſe, ut prædixerat Baruch, cap. 3. *Poſt hæc*, inquit, *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Certum eſt, hominibus dediſſe præcepta vitæ, & novam legem fundâſſe; & voluiſſe, ut Evangelium ſcriberetur, ut uſque in finem eſſet forma ſanctitatis: ergo certum eſt, alicui hominum cœtui tradidiſſe hoc pretioſum depoſitum ſervandum: cui autem, niſi Eccleſiæ ſuæ? Quænam autem eſſe poteſt Eccleſia ejus, niſi illa, quæ ſignis mirabilibus fulget, nempe Catholica Romana? Ergo certum eſt, ad Eccleſiam ſpectare prærogativam, conſervandi purum Evangelium, alióſque libros ſacros ſine mixtura errorum. Ergo ex authoritate viſibili & manifeſta Eccleſiæ abundè probatur, eam habere authoritatem infallibilem ad notificandum fidelibus, quinam ſint libri Sacri, & Canonici, qui tanquam Divinitus inſpirati legendi ſunt.

CCXLVIII. Ipſáque neceſſitas Fidei nobis à Deo dandæ probat, Scripturas ſacras illi tanquam in depoſito traditas. Audiamus Auguſtinum, hanc neceſſitatem Fidei explicantem lib. 11. de Civit. Dei, cap. 2. & 3. *Quia ipſa mens*, inquit, *cui ratio, & intelligentia naturaliter ineſt, vitijs quibuſdam tenebroſis, & veteribus invalida eſt, non ſolùm ad inhærendum fruendo, verùm etiam ad perferendum incommutabile lumen, donec de die in diem renovata atque ſanata fiat tantæ ſalutis capax, Fide primùm fuerat imbuenda, atque purganda; in qua ut fidentiùs ambularet ad veritatem, ipſa veritas DEI Filius homine aſſumpto, non tamen conſumpto, eandem conſtituit, atque fundavit Fidem, ut ad Deum iter eſſet homini per hominem Deum: hic enim eſt Dei, & hominum mediator homo Chriſtus Ieſus. Hic priùs per Prophetas, deinde per ſeipſum, poſtea per Apoſtolos, quantùm ſatis eſſe judicavit, loquutus, etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentiſſimæ authoritatis, cui Fidem adhibeamus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos ipſos nôſſe idonei ſumus.* Hæc ille. Hanc autem Scripturam à ſe conditam, cui ſervandam traderet DEUS, niſi illi Eccleſiæ, quam tot ſignis mirabilibus ornavit?

CCXLIX. Sine circulo ergo cognoſcimus, Eccleſiam habere authoritatem infallibilem, & aſſiſtentiam occultam Spiritûs Sancti, ne erret, quia Scriptura Divina hoc teſtatur; & cognoſcimus, Scripturam hoc teſtificantem eſſe Divinam, quia Eccleſia viſibilis, quæ prærogativis ſuis probat, ſe eſſe Eccleſiam Dei, declarat, tales & tales libros eſſe Divinos.

CCL. Poſſemus etiam aliâ viâ vitare circulum, aſſerendo, nos ſcire, quòd Eccleſia habeat authoritatem infallibilem, quia id Scriptura Divina teſtatur: & interrogati: unde ſcimus, Scripturam hoc dictantem, eſſe Divinam? Reſpondebimus: quia, niſi eſſet Divina, tantam authoritatem non haberet omni ſæculo apud omnes homines. Hanc rationem colligo ex Auguſtino lib. 6. confeſſionum capit. 5.

dicente : *Cùm essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem , & ob hoc nobis opus esset authoritate sanctarum litterarum , jam credere cœperam , nullo modo Deum fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes jam terras authoritatem , nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses.* Et idem Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 29. cùm Manichæos ex quodam Evangelij loco convicisset , subjungit: *Quid hoc loco potest dicere impudentissima pertinacia? Non hoc Christum dixisse: At in Evangelio verba ejus ista conscripta sunt. Falsum esse scriptum: Quid hoc sacrilegio magis impium reperiri potest? Quid ista voce impudentius? Quid audacius? Quid sceleratius? simulacrorum cultores , qui Christi etiam nomen oderunt , nunquam hoc adversùs Scripturas illas ausi sunt dicere. Consequenter namque omnium litterarum summa perversio , & omnium , qui memoriæ mandati sunt , librorum abolitio, si, quod tantâ populorum Religione roboratum est , tanta hominum & temporum consensione firmatum , in hanc dubitationem ducitur, ut ne historia quidem vulgaris fidem possit , gravitatémque obtinere.*

§. XV.

Quomodo resolvenda sit Fides eorum , qui Christo , & Apostolis prædicantibus crediderunt.

CCLI. HÆc dicta sunt de resolutione Fidei , prout nunc habetur à Fidelibus : nam si sermo sit de actu Fidei, quo audientes Christum, crediderunt , vera esse mysteria quæ ipse prædicabat, videlicet quòd ipse esset verus Deus, & Messias in Lege promissus : ille resolvitur , tanquam in motivum credibilitatis , in miracula , quæ Christus patravit in confirmationẽ suæ doctrinæ : evidens enim est , vel esse doctrinam Divinam , ac proinde veram , quæ confirmata est miraculis; vel saltem evidens est, posse ac debere credi ut Divinam. Similiter si sermo sit de Fide eorum , qui immediatè audierunt Apostolos , illa revocanda est in miracula ab ipsis edita , vel in mirabilem Prædicatorum sanctitatem , & consonantiam cum ratione , quæ apparebat in doctrina ab ipsis prædicatâ, vel in aliud hujusmodi.

§. XVI.

Quomodo Fides nostra, qui miracula Christi , & Apostolorum non vidimus , possit in illa resolvi.

CCLII. REspectu autem nostrî, qui miracula illa non vidimus , etiam à miraculis illis potest probari , revelatam fuisse à Deo doctrinam illam , quam Apostoli prædicârunt , v. g. Resurrectionem , & Ascensionem Christi , dilemmate illo acutissimo Augustini , lib. 22. de Civit. cap. 5. sic arguentis ; Vel mundus credidit Resurrectionem, & Ascensionem Christi per miracula Apostolorum , & Prædicatorum Evangelij , vel sine ullis miraculis externis ? Si primum : ergo Deus confirmavit miraculis Resurrectionem , & Ascensionem Christi ; si verò Apostoli , ut eis crederetur , Resurrectionem & Ascensionem Christi præ-

prædicantibus, etiam iſta miracula feciſſe non creduntur; hoc vobis unum grande miraculum ſufficit, quòd eam orbis terrarum ſine ullis *miraculis credidit*. Quare juxta Auguſtinum nobis pro miraculo ſufficit Fides ipſa Catholicæ Eccleſiæ: ex terminis enim videtur manifeſtum, fieri non potuiſſe ſine miraculo, ut tanta hominum multitudo crederet certiſſimè rem ex natura ſua incredibilem, præſertim cùm talis Fides tantam morum mutationem & ſanctitatem attulerit.

CCLIII. Et quidem mihi mirabilior videtur mutatio illa, quam experimur per Fidem Catholicam, quàm ſuſcitatio mortuorum, & illuminatio cœcorum; & facilius intellectu mihi apparet, hanc Fidem Eccleſiæ Romanæ introductam eſſe per miracula externa, quàm ſine ullis miraculis: hoc enim ſecundum, ut Auguſtinus animadvertit, licèt à Deo fieri poſſit, difficilius tamen eſt, & incredibilius, quàm illud primum: unde idem Auguſtinus, lib. 22. de Civit. cap. 8. ajebat: *Miracula neceſſaria fuiſſe, priuſquam crederet mundus, ad hoc ut crederet; poſtquam verò mundus credidit*, neceſſaria jam non eſſe miracula: nam qui adhuc prodigia, ut credat, expectat, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit. Huc etiam facit ille S. Thomæ locus ex 1. contra Gent. cap. 6. quem ſuprà adduximus, §. 11. circa finem, ut enim ille ajebat: *Hæc tam mirabilis mundi converſio ad Fidem Chriſtianam indicium certiſſimum eſt præteritorum ſignorum, ut ea ulteriùs iterare neceſſe non ſit, cùm in ſuo effectu appareant evidenter.*

§. XVII.

Reſolutio Fidei à nobis expoſita confirmatur ex Patribus.

CCLIV. Probatur noſtra ſententia celebri alia authoritate ejuſdem Auguſtini, qui lib. de utilitate credendi, cap. 14. latè agit de credibilitate noſtræ Fidei, & docet: *Chriſtum nihil priùs, nec fortiùs, quàm credi ſibi voluiſſe: cùm illi nondum eſſent idonei, cum quibus ei res eſſet, ad Divina percipienda ſecreta*; docétque, Chriſtum Dominum in eum ſcopum miracula feciſſe, ut ſibi loquenti & docenti crederetur. Et poſtea cap. 16. paulò poſt initium dicit, pertinuiſſe ad providentiam Dei, conſtituere aliquam authoritatem, quâ velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum, & poſſimus credere ſine temeritate, & periculo errandi. Et paulò pòſt addit, nos duobus modis moveri ad credendum, partim miraculis, partim ſequentium multitudine, id eſt, tum miraculis, quæ in confirmationem Fidei facta ſunt, tum multitudine populorum illam profitentium. Quod etiam repetit, & confirmat in libro contra Epiſtolam fundamenti, cap. 4. his verbis: *Multa ſunt, quæ juſtiſſimè me tenent in Eccleſiæ Catholicæ gremio: tenet conſenſio populorum, & gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.*

Idem apertè testatur ibidem cap. 5. inquiens: *Infirmata Catholicorum authoritate, jam nec Evangelio credere potero, quia per eos illi credideram.* Ergo affirmat Augustinus, se ab authoritate Ecclesiæ Catholicæ inductum fuisse ad credendum, Deum esse authorem doctrinæ contentæ in Evangelijs. Denique in libro jam citato de utilitate credendi, cap. 14. circa finem docet, Christum miraculis obtinuisse, ut sibi prædicanti, se esse Deum, atque Messiam in lege promissum, crederetur: *Quid enim agunt tanta, & tam multa miracula, ipso etiam dicente, illa fieri non ob aliud, nisi ut sibi crederetur?* Et postmodum: *Ergo Christus afferens medicinam, quæ corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit authoritatem, authoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, vetustate roboravit Religionem.* Ex quibus manifestè constat, D. Augustinum permotum fuisse miraculis, & alijs notis credibilitatis, ut crederet, Religionem Christianam habere Deum authorem, ac proinde ut ob authoritatem Dei revelantis crederet mysteria nostræ Religionis: ergo Fides nostra resolvenda est in illa signa, & argumenta.

CCLV. Idque etiam apertè docuit Richardus à Sancto Victore, lib. 1. de Trinitate, ubi considerans evidentissima argumenta credibilitatis, quibus homines inducuntur ad credendum, Deum esse Authorem illius, ac proinde ejus mysteria revelâsse, exclamat, dicens: *Domine, si error est, quod credimus, à te decepti sumus.* Redditque rationem: quia mysteria nostræ Fidei tam multis, tam magnis, tam miris prodigijs divinitus sunt confirmata, ut genus videatur esse dementiæ, vel aliquantulum dubitare. Ergo gravissimus iste Pater reducit assensum, quo credimus, Deum esse authorem Religionis Christianæ, ac proinde ejus mysteria revelâsse, ad signa, & motiva credibilitatis: ergo his tanquam motivo intrinseco innititur assensus revelationis.

CCLVI. Præterea suadetur nostra conclusio authoritate D. Thomæ hic q. 2. art. 9. ad 3. dicentis: *Ille, qui credit, habet sufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim authoritate Divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, & quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis. Vnde non leviter credit, cùm habeat sufficiens inductivum ad credendum.* Ubi apertè loquitur, non de motivis, quæ habemus ad volendum credere: nam priusquam credamus, non inducimur authoritate Divinæ doctrinæ: neque enim tunc agnoscimus illam, tanquam authoritatem, & doctrinam Divinam; alioqui crederemus, antequam credamus; sed de motivis, quæ habemus ad ipsum actum credendi, ut optimè expendit Cardinalis Sfortia de Fide num. 64.

CCLVII. Denique efficaciter suadetur ex verbis Christi Joan. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, quibus significat, opera miraculosa Christi, ejúsque vitam esse motivum ad credendum, quòd missus à Deo, & ejus doctrina sit Divina, ac proinde cre-

credenda ob authoritatem dicentis. Et ex verbis Christi Joannis 11. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis*, ex quibus constat, Christum voluisse nos credere Divinam revelationem propter testimonia, & motiva, quæ suadent ejus existentiam. Idque fecerunt Samaritani Joan. 4. *Multi crediderunt in eum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia:* ergo Samaritani ducti sunt ad credendum, Christum esse Messiam, quia ob testimonium mulieris crediderunt, ei aperuisse secreta cordis, & ob hoc miraculum crediderunt, illum esse Messiam.

LIBER TERTIUS.

IN QVO EVIDENTER DEMONSTRATVR inter Christianas Religiones, solam Catholicam Romanam esse veram Christi Religionem, atque Ecclesiam, & in illa sola inveniri salutem.

I. Libro 2. ostendimus, Religionem Christianam, prout distinguitur ab omni secta, quæ Christum non adorat, ut verum Deum & hominem, esse non solùm evidenter credibilem, sed evidenter veram, non quidem evidentiâ directâ rei in se, quæ reddat evidentia mysteria nostræ Religionis; sed evidentiâ reflexâ, & in alio, nempe evidentiâ in attestante, quatenùs evidenter probatur, Deum esse authorem illius: ostendimúsque, hanc evidentiam in attestante componi cum fide obscura mysteriorum; & sistere in dicto, & non transire ad rem dictam. Et cap. 3. illius libri secundi §. 4. ostendimus, argumentum, quo Cardinalis Bellarminus probat, Religionem Christianam esse quidem evidenter credibilem, non tamen evidenter veram, duntaxat evincere, illam non esse evidenter veram evidentiâ rei in se, & per principia intrinseca, & directa; nam hoc pacto solùm *dicitur evidenter verum, quod in se, vel in suis principijs videtur*. Mysteria autem Religionis Christianæ nec in se, nec in suis principijs videntur in hac vita: non autem probare, quòd non sit evidenter vera, evidentiâ rei in alio, nempe in attestante, & per principia extrinseca, atque reflexa.

II. Nunc in præsenti libro probandum nobis est, saltem supposita fide in Christum, & veritate Scripturarum, evidenter demonstrari, solam Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Christi Ecclesiam; sectas verò omnes hæreticorum esse synagogas sathanæ, quod est facilius, quàm illud primum, quod libro præcedenti probatum est. Unde Cardinalis Bellarminus, quamvis illud primum neget, defendit hoc secundum

cundum t. 2. libro de notis Ecclesiæ cap. 3. ubi notat, *Ecclesiam Catholicam esse quasi solem quendam, qui radios lucis clarissimos ex omni parte diffundit, ut facillimè per eos cognosci possit. Habet enim plurimas notas, sive testimonia, ac signa, quæ illam discernunt ab omni Religione Paganorum, Judæorum, & Hæreticorum.* Et quamvis ipse arbitretur, has notas non efficere evidenter verum, ipsam esse veram Christi Ecclesiam, sed solùm efficere evidenter credibile juxta explicationem adductam libro primo cap. 12. n. 111. ex eodem Bellarmino: tamen addit, *apud eos, qui admittunt scripturas divinas, & historias, ac Patrum vetrum scripta, facere etiam evidentiam veritatis. Tametsi enim articulorum fidei veritas non possit nobis esse evidens absolutè, tamen potest esse evidens ex hypothesi, id est suppositâ veritate scripturarum. Quod enim à Scriptura evidenter deducitur, est evidenter verum suppositis scripturis.* Quod verissimè dictum est, & à nobis fusè in hoc Libro probandum.

CAPUT PRIMUM.

Primum Caput id probandi, quia ex Evangelio est manifestum, Christum supra Petrum fundâsse Ecclesiam visibilem usque ad finem Mundi permansuram: evidens autem est, hanc non esse illam, quam Reformatam *hæretici appellant, utpote, quæ cum Calvino, & Luthero incæpit; sed Catholicam Romanam, quæ continuata serie Pastorum à D. Petro ad Innocentium XI. 244. numerat summos Pontifices.*

§. I.

Demonstratur Christum supra Petrum fundâsse Ecclesiam suam.

I. QUod id sit manifestum ex Evangelio, constat ex illis Christi Domini verbis Matt. 16. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*: interrogaverat Christus Apostolos omnes, *vos autem quem me esse dicitis?* Petrus autem plenus fide cæteros in confessione præveniens, respondit, *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Christus autem laudans confessionem Petri, ad eúmque sermonem dirigens, ipsi determinatè dixit, *& ego dico tibi*: non dixit autem *vobis*, quasi comprehendere voluisset Apostolos omnes, quatenùs unam constituebant Ecclesiam: *Tu es Petrus*, id est non solùm vocaris, sed revera es Petrus, seu Petra, rupésque firmissima ratione immobilis fidei, supra quam fundabo Ecclesiam meam. Illa autem verba, *& ego dico tibi*, continent elegantem antithesim, quasi dicat: *Tu, qui homo es,*

et, Filium Dei vivi me esse dixisti, *Ego* verò, qui *Filius Dei vivi sum*, dico, te esse Petrum, seu firmissimam Petram, supra quam ædificabo Ecclesiam meam, id est, dico tibi, *te esse Vicarium meum*, id est, Ecclesiam, quæ super me tanquam supra Lapidem primarium ædificata est, supra te tanquam secundarium quoddam fundamentum ædificabo.

II. Et sanè cùm in hoc loco illud pronomen, *& super hanc petram*, referri non possit, nisi vel ad personam Petri, vel ad personam Christi, vel ad confessionem de divinitate Christi, quam Petrus fecit, Illustrissimus Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis opusc. 4. cap. 5. n. 27. verè testatus est, *universam Ecclesiam tum in occidente, tum in oriente, juxta litteralis sensus proprietatem semper Petrum intellexisse* in illis verbis, *Et super hanc petram*: nec ullum è Patribus hanc interpretationem rejecisse, imò verò omnes & singulos illam, ut veram & genuinam, amplexos esse; aliquos tamen Patres huic receptæ ab omnibus explicationi alias superstruxisse, quæ huic primæ, & universali non officerent. Unde Hieronymus epist. 57. aiebat: *Ego Cathedræ Petri communione consocior; super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.* Estque adeò exploratum, promissionem illam factam esse Petro in propria persona, ut P. Suarez lib. 3. adversùs Regem Angliæ cap. 10. n. 4. disertè pronuntiaverit, *evidens esse ex tenore verborum, promissionem illam factam esse Petro in propria persona*, & Christum per illa verba, *super hanc Petram, sine dubio* eumdem Petrum designâsse. Idque docuit totum concilium Calcedonense, in quo sederunt 630. Patres, dum actione tertia Petrum appellat *Petram, & crepidinem Ecclesiæ Catholicæ.* Et hunc esse communem sensum totius Ecclesiæ, & Græcorum, atque Latinorum Patrum affirmant etiam P. Suarez, ubi nuper; Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 10. P. Valentia in Analysi fidei lib. 3. cap. 2. & Maldonatus ad eum Locum.

III. Verum quidem est, D. Augustinum duplici modo exposuisse illum locum. Primò, ut per illa verba, *& super hanc petram*, intelligatur Persona Petri, secundò ut intelligatur persona Christi; ut constat ex primo retractationum cap. 21. *Dixi* (inquit) *in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo tanquam in petra ædificata est Ecclesia, sed scio me postea sæpissimè exposuisse, quod à Domino dictum est*, Tu es Petrus, & super hanc petram &c. *ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus*, & utramque expositionem dicere probabilem; *Harum autem* (inquit) *duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat Lector.* Sed ideo utramque expositionem ut genuinam, & litteralem approbavit Augustinus, & arbitrio legentium reliquit, judicare, quænam ex illis sit probabilior, quia ignoravit linguam Hebræam, & Syriacam, in qua Matthæus scripsit, & ob

 hanc,

hanc ignorationem existimavit, in illis verbis, *Tu es Petrus*, *& super hanc petram*, Christum distinxisse inter Petrum, & petram, & nomine petræ se ipsum intellexisse: cùm tamen scientibus Linguam Hebræam, & Syriacam sit manifestum, intellexisse Petrum. Nam cùm dixit, *& super hanc petram*, per pronomen illud *hanc* designavit aliquam petram, de qua paulò antè locutus fuerat: tunc autem Christus non seipsum, sed Simonem appellaverat petram; Syriacè namque loquebatur; in linqua autem Syriaca *Petrus & Petra*, ejusdem generis sunt, eandémque terminationem habent, ut docet Hieronymus in caput secundum Epistolæ ad Galatas. Et res certissima est, inquit Bellarminus; nam ubicumque in textu Hebræo est *sella*, id est *petra*, in Syriaco est *Cepha*; quin etiam *Cèpha* Hebraicè rupem significat. Quare ubi in versione Græca, atque Latina legimus, *Tu es Petrus*, *& super hanc petram*, in Syriaca atque Hebraica, in qua Matthæus scripsit, legimus: *Tu es Cephas*, *& super hoc cephas ædificabo*: quasi diceret latinè: *Tu es Petra*, *& super hanc Petram.* Unde teste Bellarmino, Augustinus ex sola ignorantia linguæ Hebrææ est deceptus, dum existimavit, verba illa, *& super hanc petram*, designare Christum, eò quòd immediatè antè Christus non dixerat: *tu es Petra*, sed *tu es Petrus.* Quo argumento minimè moveretur, si sciret, in lingua illa, in qua locutus est Christus, eodem nomine significari.

IV. Hinc apparet, quàm leve sit fundamentum, quo Calvinus motus est ad afferendum, ex hoc loco non posse probari Primatum Petri; observat enim, non sine causa Evangelistam Orationem variâsse, & cùm dixisset, *Tu es Petrus*, secundo loco non dixisse, super *hunc Petrum*, sed *super hanc petram*, ut aliam petram significaret, nempe seipsum. Hanc Calvini observationem *puerilem*, *& ridiculam* appellat Maldonatus: quia cùm certum sit, Matthæum Evangelium suum scripsisse in lingua Hebraica, aut Chaldaica, in quibus non est ista generis differentia, quæ græcè, & latinè reperitur, sed uno eodémque nomine *Petrus*, *& Petra* significantur; Christus in illa lingua dixit, *Tu es Petra*, & *super hanc petram.* Certum ergo est, pronomen illud, *hanc*, significare ibi Petrum; nam in eo loco nec Petrus appellaverat Christum *petram*, sed *filium Dei vivi*; nec Christus se ipsum nuncupaverat *petram*; ergo dici non potest, quòd postquam Christus cum Simone loquens, dixit, *Tu es Petrus*, statim per pronomen *hanc* designaverit personam propriam, de qua nullus præcesserat sermo, sed necessariò dicendum est, designâsse personam Petri, de qua immediatè antea locutus fuerat.

V. Quodsi quæras, cur interpres Græcus Matthæi illam generis distinctionem adhibuerit? respondet Maldonatus, in promptu rationem esse; nam quamvis Græcè Πέτρος genere masculino, & Πέτρα fæminino dicatur: tamen Petrus quia vir erat, non Petra fæminino, sed Petrus masculino nomine vocandus erat: secundo autem loco,

ubi

ubi de ædificij fundamento agebatur, non *Petrum*, sed *Petram*, quia in ejusmodi ædificijs nomen *Petra* fæmininum magis usitatum est.

VI. Illa autem verba, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, promissionem continent duntaxat Ecclesiæ postea fundandæ supra Petrum, non fundationem actualem: sicut per illa verba, *Tibi dabo* claves *Regni Cælorum*, non claves tunc dedit, sed promisit. Hanc autem promissionem adimplevit Christus post resurrectionem suam, cùm Joan. 21. dixit, *Pasce oves meas*; per quæ verba illum summum totius ovilis, & gregis sui pastorem constituit, & totius Ecclesiæ suæ caput visibile fecit. Et ideo Cyprianus in libro de unitate Ecclesiæ paulò post initium ajebat: *Loquitur Dominus ad Petrum*, Ego dico tibi, Tu es Petrus &c. *& iterum eidem post resurrectionem dicit*, Pasce oves meas. *Super illum unum ædificavit Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas.*

VII. Quare dum Christus Matt. 16. dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* perinde fuit ac si diceret: Tu es Saxum, & super hoc Saxum ædificabo Ecclesiam meam, id est, te, qui jam es Saxum, efficiam fundamentum Ecclesiæ meæ, ut ad litteram exponit Cajetanus, ac proinde per illa verba, *tu es Petrus & super hanc petram* &c. Christus solùm declaravit, Petrum ob fidei firmitatem jam esse tunc petram dignam, quæ assumeretur in fundamentum ædificij; ut enim inquit Ambrosius ad caput 22. Lucæ, *quem petram dixit, fundamentum Ecclesiæ indicavit*, nam ob illustrem confessionem Divinitatis Christi, & firmitatem fidei, quam ostenderat, dum dixit, *Tu es Christus filius Dei vivi*, meruit, ut postea supra ipsum ædificaretur Ecclesia, quando electus est in caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi per illa verba, *Pasce oves meas*: Unde Hilarius hunc locum exponens, *en*, inquit, *dignum planè confessio Petri præmium consecuta est, quia scilicet filium Dei in homine vidisset.*

VIII. Ex dictis constat, manifestum esse ex Evangelio, Christum supra personam Petri fundâsse Ecclesiam suam, tanquam supra fundamentum secundarium, quia Petrum constituit Vicarium suum in Terris, plenissimam ei potestatem super omnes fideles communicans. Ut enim testatur D. Thomas opusculo 1. contra errores Græcorum lib. 2. cap. 33. secundùm novissimam editionem anni 1600 Chrysostomus in Matth. ait. *Filius quæ Patris sunt, & ipsius filij potestatem Petro ubique terrarum concessit, & homini mortali omnium, quæ in Cælo sunt dedit authoritatem, ut Ecclesiam ubique terrarum amplificet.* Et in Acta Apostolorum: *Petrus à filio super omnes, qui filij sunt, potestatem accepit, non ut Moyses in gente una, sed in universo orbe.* Et homil. 30. ad Populum: *Ei* (Petro) *per totum orbem terrarum Ecclesiæ præsidentia tradita est.*

IX. Manifestum, inquam, est, fundâsse Ecclesiam supra Petrum; quia manifestum est, post confessionem Divinitatis Christi à Petro factam per illa

illa verba, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, Christum ad Petrum conversum dixisse: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Rursus juxta communem sententiam Patrum, & interpretum, & juxta textum Hebræum, vel Syriacum, in qua lingua Matthæus scripsit, manifestum quoque est, Christum Dominum per illa verba, & *super* hanc *petram*, non seipsum designâsse, sed Petrum, de quo immediatè præcesserat sermo, & de quo immediatè pòst subjunxit, *& tibi dabo Claves Regni Cælorum*: incredibile námque est, Christum loquentem cum Petro, dum dixit, *Tu es Petrus*, & dum dixit, *Tibi dabo Claves Regni Cælorum*, non loqui cum Petro in clausula intermedia, *& super hanc petram.* Vnde meritò P. Suarez dixit, evidens esse ex tenore verborum, promissionem illam factam esse Petro in sua propria persona. Manifestum quoque est, per illa verba, *& super hanc petram*, vel non designari fidem Petri, seu fidei confessionem, vel designari includendo principaliter personam Petri credentem, & confitentem. Quamvis enim Christus ob illam illustrem confessionem, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, ortam ex fide firmissima, dixerit Petro, *Tu es Petrus*, *& super hanc petram* &c. tamen promissio non est facta confessioni fidei, sed personæ confitenti; quia enim Petrus ob fidei soliditatem, & constantiam erat veluti firmissima petra, promisit ei Christus, se supra illum esse fundaturum Ecclesiam suam. Vnde sicut pronomina illa *tu*, & *tibi* Petrum designant, cùm Christus dixit, *tu es Petrus*, & cùm dixit, *tibi dabo Claves*; ita pronomen illud *hanc*, personam Petri designat, cùm dixit, *& super hanc petram* &c.

X. Hinc infero cum Maldonato, quo sensu exponendi sint Patres, qui verba illa *supra hanc petram* interpretantur *super hanc fidem*: dicere enim voluerunt, per fidem, & confessionem Petri Ecclesiam esse ædificatam, id est super Petrum propter fidem, & confessionem. Sic dicere solemus, in unius hominis fide fundatam esse Rempublicam, id est, in uno homine propter ejus fidem. Sic Ambrosius de resurrectionis fide dixit, *super aquas fidem Petri ambulâsse*, id est Petrum propter fidem, quia nimirum fides ejus effecit, ut super aquas ambularet.

XI. Nec urget fundamentum, quo Calvinus contendit, per *petram* Christum ibi designari; quia nimirum petra erat Christus, & solus ipse est fundamentum Ecclesiæ, juxta illud Pauli 1. Corinth. 3 *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter illud, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Non inquam, urget, quia licèt solus Christus sit primarium fundamentum, lapísque primus, & maximus, atque angularis hujus ædificij, Apostoli tamen & Prophetæ etiam sunt lapides, & fundamentum, licèt secundarium, ut constat ex ipso Apostolo ad Hebræos 2. *superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Apostolus ergo in prima ad Corinthios loquitur tantum de primario fundamento;

mento; alioquí pugnaret secum, & repugnaret Joanni, qui de Ecclesia loquens Apocal.21. inquit: *Et murus Civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum.* Christus ergò est prima petra, primumque fundamentum Ecclesiæ, post Christum verò Petrus, & ejus Successores Petra sunt firmissima, cui innititur tota ædificij moles. Dicamus ergò de Petro cum Augustino serm. 16. de Sanctis: *Dicitur Petra, eò quòd nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius corporis Christiani compagem & molem contineat.*

§. II.

Demonstratur, Ecclesiam supra Petrum fundatam esse visibilem.

XII. OMnes Doctores Catholici unanimiter tanquam dogma de fide certum tradunt, Ecclesiam à Christo supra Petrum fundatam esse visibilem, utpotè, in qua Episcopi, & Pastores visibiliter debent gubernare suos subditos, visibiliter docere, hortari, Sacramenta administrare, peccantes corripere, contumaces ab aliorum communione separare; apud quam possint accusari, qui correctionem fraternam secretam noluerunt admittere, juxta illud Matth. 8. 17. *Dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus:* in qua Concilia publicè indici, & celebrari possint, ut in eis communi consilio sanciantur Canones, & dirimantur controversiæ de fide, & religione, ut ab Apostolis Actor. 15. 28. indictum, & celebratum est Concilium Hierosolymitanum, in quo facta est hæc constitutio: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato.* Et post Apostolorum tempora celebrata sunt quatuor Concilia generalia, quæ ab Hæreticis ipsis hujus sæculi tanquam legitima admittuntur, nimirum Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense.

XIII. Et veritas ista constat ex Symbolo fidei, in quo dicimus, *Credo in unam Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Hunc enim articulum intelligendum esse de Ecclesia visibili docent non solùm omnes Catholici, sed etiam multi ex hæreticis, ut Calvinus lib. 4. institut. cap. 1. §. 2. Ubi ex professo disputat de Ecclesia visibili, & Philippus Melancthon in examine ordinandorum, titulo *de Ecclesia.*

XIV. Idque ratio ipsa comprobat: cùm enim Ecclesia Catholica sit veluti arca Noë, extra quam nemo salvari potest, ut constat ex Symbolo Athanasij, & sit veluti arx munitissima, in quam se recipere debent, qui in captivitatem æternam à diabolo abigi nolunt, debet esse visibilis, & ità conspicua, ut quicumque seriò desiderat æternam suam salutem, & facit quantum potest, ut illam consequatur, dignoscere possit Ecclesiam Catholicam, in qua sola salus obtineri potest. Quomodo autem id posset dignoscere, si illa non esset visibilis, & talibus notis, insignibus, & prærogativis ornata, ut omni homini illa

ritè contemplanti statim appareret, Ecclesiam talibus signis ornatam, non posse non esse illam, quam Christus supra Petrum fundavit, vel fundari promisit per illa verba *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

XV. Et ideo David Psalm. 18. 6. Ecclesiam Christi designans, dixit: *In sole posuit tabernaculum suum*, *id est*, ut ibidem explicat Augustinus, *in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto.* Et ut ait epist. 116 ad Donatistas: *Ipsa est Ecclesia in sole posita, id est in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terræ.* Et huc spectant verba Christi Matth. 5. 15. *Non potest Civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Hæc enim intelligenda esse de *Ecclesia*, docet Augustinus in libro de unitate Ecclesiæ cap. 16. his verbis: *Non est operta Ecclesia, quia non est sub modio, sed supra candelabrum. Et de illa dictum est, non potest Civitas abscondi supra montem posita, sed Donatistis velut operta est, qui audiunt tam lucida, & manifesta testimonia, quæ illam toti Orbi demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere.* Et Epist. 170. ad Sever. *Facile tibi est, attendere, & videre Civitatem supra montem constitutam.* Idque constat ex parabolis, quæ omnium consensu significant Ecclesiam. Ut enim sapienter notat Bellarminus lib. 3. de Ecclesia cap. 13. *Area*, in qua sunt grana, & paleæ; & *rete*, in quo sunt boni, & mali pisces: & *ager*, in quo sunt frumenta, & zizania: & *convivium*, in quo sunt boni, & mali discumbentes, & *ovile*, in quo sunt oves, & hædi, significant Ecclesiam visibilem, ut etiam hæretici fatentur: nam Ecclesia invisibilis non habet bonos, & malos, sed tantùm bonos secundùm eorum sententiam.

§. III.

Demonstratur, Ecclesiam visibilem à Christo fundatam supra Petrum nunquam perijsse, sed semper in mundo extitisse, & permansuram usque ad finem mundi.

XVI. ID manifestè demonstratur ex promissione Christi facta Petro: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Cùm enim Christus sit summè sapiens, summè potens, & summè verax; omnis ejus absoluta promissio adimpleri debet: cùm ergò promiserit, portas inferi non prævalituras adversùs Ecclesiam, in Petro tanquam in firmissima rupe fundatam, necessariò dicendum est, adimplevisse, quod promisit. Ergo portæ inferi hucusque non prævaluerunt, nec deinceps prævalebunt adversùs Ecclesiam ab ipso in Petro fundatam. Prævaluissent autem, si Ecclesia ab ipso fundata perijsset, vel essent prævalituræ, si esset peritura. Quisnam enim potest esse apertior, & manifestior modus prævalendi adversùs Ecclesiam, quàm illam omnino evertendo, & destruendo? Si ergò diabolus Ecclesiam destruxit, evertendo in ea veram fidem; sequitur manifestè, diabolum non solùm oppugnâsse, sed expugnâsse Ecclesiam, non solùm

con-

concussisse, sed diruisse. Unde sequitur, vel Christum in promittendo fuisse mendacem, seu fallacem, vel in adimplendo impotentem ob defectum virium. Cùm ergò hoc sit impossibile, sequitur, Ecclesiam à Christo fundatam supra Petrum, fixam, & immobilem hucusque perseverâsse in fide, & usque ad finem mundi perseveraturam; quin ullæ diaboli insidiæ, & tyrannorum persecutiones valeant unquam illam evertere.

XVII. Et ideo S. Leo Magnus ser. 3. in assumptione sua, expendens illam illustrem confessionem Divinitatis Christi à Petro factam per illa verba, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, & verba, quæ Christus in præmium illius confessionis ad Petrum locutus est, dicens. Et ego *dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, inquit: *Soliditas illius fidei, quæ in Apostolo est laudata, perpetua est; & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit; ita permanet, quod in Petro Christus instituit: Petrum enim in consortium Divinitatis assumptum, id quod ipse erat Dominus, noluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret.*

Non prævalebunt unquam portæ inferi adversùs Ecclesiam in soliditate Petræ fundatam. Quamvis fluctus persecutionum intumescant, & Hæreticorum machinæ Ecclesiæ firmitatem impetant, illidentur ad firmitatem petræ hujus, & evanescent. *Mirabilis valde est in hac re providentia Dei, quòd fuerint hactenus usque ad Lutheri tempora, ut minimùm ducenti hæresiarchæ* (inquit Bellar. lib. de notis Ecclesiæ cap. 6.) *quorum multi habuerunt multos Episcopos, multas Ecclesias, multos potentissimos Patronos, & Imperatores, & Reges, & scripserunt libros innumerabiles, ut viderentur nunquam posse deficere; & tamen ita defecerunt, ut jam non supersint, nec ipsi, nec libri eorum, nec dogmata, nec nomina, aut vestigia ulla nisi in libris Catholicorum.*

XVIII. Confirmatur, quia cùm Christus sit summa sapientia, manifestum est, quòd in ædificanda domo sua, seu Ecclesia sua, se gesserit ut sapientem architectum, non ut stultum; ut autem ipse Christus dixit Matt. 7. 24. sapiens Architectus est, qui ædificat domum suam supra petram; stultus, qui supra arenam: & causam reddit, quia quando oritur aliqua vehemens tempestas, mox corruit illa, quæ supra arenam, non illa, quæ supra petram. Ergò Christus, ut sapiens Architectus, Ecclesiam suam non ædificavit supra arenam, ita ut vi ventorum, tentationum diaboli, & imbrium persecutionum hominum posset dissipari, sed supra firmissimam petram, ita ut nullâ ventorum vi, nullo imbrium impulsu possit unquam subverti, & ad hoc ipsum allusit quando dixit: Et ego *dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Nam ut sapiens Architectus* tam firmum huic ædificio suppoſuit fundamentum, ut nullâ dæmonum tentatione, nullâ hominum perse-

persecutione, nullâ vi, nullá fraude possit unquam corruere. Quare hæretici asserentes, Ecclesiam à Christo fundatam, post aliquot sæcula perijsse, magnam ei faciunt injuriam, quia hoc ipso ostendunt, eum non se gessisse, ut sapientem Architectum, & insuper coguntur admittere, Christum mendacem promissorem esse, quia scilicet promisit, quod non adimplevit.

XIX. Manifestum ergò est ex Evangelio, Ecclesiam à Christo fundatam supra Petrum, nunquam perijsse, sed contra tot persecutionum imbres, contra tot dæmonum tentationes, & hæreticorum machinas, immobilem perseverâsse in Fide, supra quam fundata est. Unde S. Augustinus lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 6. expendens hanc Christi promissionem: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, inquit: *Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica; contra omnes hæreses pugnat, oppugnari potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa; Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferi non vincent eam.* Quia nimirum assistentia Spiritûs Sancti ipsi à Christo promissa, illam conservat contra omnes inferni machinas; & de Ecclesia verificatur illud, quod prædixit Isaias cap 41. v. 11. *Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant adversùm te, erunt quasi non sint, & peribunt viri qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non invenies, viros rebelles tibi; erunt quasi non sint, & veluti consumptio, homines bellantes adversùm te.* Unde Bernardus ser. 79 in Cant. *Nec fides* (inquit) *de terra, nec Charitas deficit de Ecclesia: venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit, quia fundata erat supra petram: Petra autem erat Christus. Itaque nec verbositate Philosophorum, nec cavillationibus hæreticorum, nec gladiis persecutorum potuit ista, aut poterit aliquando separari à Charitate Dei.*

XX. Christi omnipotentis promissio Ecclesiam immobilem conservavit, & auxit inter tot Imperatorum Romanorum sævissimas persecutiones spatio trecentorum annorum continuatas. Hæc promissio effecit, ut tot Hæreses, quæ diversis temporibus ex diaboli suggestione, & hominum pertinacia prodierunt, & videbantur Ecclesiam Christi subversuræ, instar torrentis transierint, & Ecclesia permanserit secura, & immota, utpote supra petram firmissimam fundata. De his propheticè locutus est David, cùm dixit; *dejecti sunt dum allevarentur, perierunt propter iniquitatem suam, velut somnium surgentium Domine, in Civitate tua* (id est, in Ecclesia) *imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Id quod rectè explicat Augustinus, similitudine torrentis, ad illa Psalmistæ verba (spernentur tanquam aqua decurrens) *Non vos*, inquit, *terreant, Fratres, quidam fluvij, qui dicuntur torrentes, & hyemalibus aquis implentur; nolite timere, post paululum transit, decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt, cucurrerunt in rivis suis, quantum potuerunt,*

runt, decurrerunt, ſiccati ſunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint, (ſpernentur tanquam aqua decurrens) Quin, & hoc agnovit, faterurque Lutherus; *Hoc* inquit, *vidimus, & videmus omnibus hæreticis contigiſſe, ut primò quidem hominibus placuerint: ſed poſtea diſſipata ſunt oſſa eorum ſecus infernum: confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos.* Et alibi; *Quamvis,* ait, *plantentur hæreſes, & nonnihil floreant; tamen non ferunt fructum. Placent quippe propter novitatem, cujus ut plurimum homines ſunt amatores; vel etiam propter voluptates ſensûs, quibus ſolent indulgere; poſtea verò tanquam plantæ ſine ſucco, ſe ipſis areſcunt, atque adeò in contemptum, etiam apud ſuos vertuntur.* Hæc Hæreſiarcha de hæreſibus.

XXI. Hanc aſſiſtentiam infallibilem ſuam, quâ Eccleſia in æternum conſervetur contra omnes Tyrannorum, & hæreticorum perſecutiones, promiſit etiam Chriſtus Matt. 28. dum dixit: *euntes in mundum univerſum docete omnes gentes &c. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quaſi diceret: Ego mitto vos in univerſum mundum, ut prædicetis Evangelium apud Ethnicos, & apud Hebræos, & fidem meam perſuadeatis, Eccleſias fundetis, & Sacramenta adminiſtretis: occurrent quidem ingentia pericula, magnæque difficultates, quia diabolus, qui ubique habet ſuos cultores, & idololatras, crudeliſſimè vos perſequetur. Sed eſtote forti animo. *Ecce* Ego *vobiſcum ſum* &c. non ſolùm per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſicut quatenus Deus præſens ſum in omnibus rebus; nec ſolùm per gratiam, ſicut ſum cum omnibus juſtis, eis tribuens vitam ſpiritualem; ſed per ſpecialem providentiam, quâ fiet, ut Eccleſia nunquam deficiat, *vobiſcum uſq; ad conſummationem ſæculi,* quia ſemper ero cum Eccleſia, quam vos repræſentatis, ac proinde non ſolùm vobiſcum, ſed cum ſucceſſoribus veſtris, uſque ad conſummationem ſæculi. *Ecce* Ego: Ego Deus veſter, Salvator, Debellator inferni, & peccati, & mortis: Ego, qui nuper dixi, *non relinquam vos Orphanos* Joan. 14. 18. Ego, qui dixi, *confidite,* Ego *vici mundum.* Joan. 16. 33. *Ego,* contra quem *Princeps hujus mundi non habet quicquam.* Joan. 14. 30. Ego, cui Pater promiſit, *Ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Pſal. 109.

XXII. Hoc teſtimonio uſus eſt Auguſtinus conc. 2. in Pſal. 101. contra Donatiſtas, qui dicebant, Eccleſiam Catholicam, quæ antea toto orbe fuerat diffuſa, poſtea toto orbe perijſſe propter crimen Ceciliani Epiſcopi, & ſolùm remanſiſſe in ea parte Africæ, quæ Donato adhærebat, ut teſtatur idem Auguſtinus in lib. de Hæreſibus cap. 69. Introducit eâ concione ſecundâ Sanctus Doctor Eccleſiam ita loquentem cum Chriſto: *Quid eſt, quòd neſcio qui recedentes à me, murmurant contra me? quid eſt, quòd perditi, me perijſſe contendunt? certe enim hoc dicunt, quia fui, & non ſum. Annuntia mihi exiguitatem dierum meorum, quamdiu ero in iſto ſæculo, annuntia mihi propter illos, qui dicunt,* fuit, & jam non eſt; apoſtatavit, & pe-

& perijt Ecclesia de omnibus gentibus. *Et annuntiavit : ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hactenus Augustinus, ex illa promissione Christi contra Donatistas, & in persona illorum contra Lutheranos, & Calvinistas inferens, Ecclesiam à Christo in Petro fundatam non perijsse, sed usque ad finem mundi permansuram, quia Christus promittens, se semper cum successoribus Apostolorum futurum, promisit semper conservaturum in Ecclesia fidem veram, in qua est fundata. Non dixit, *Ecce Ego vobiscum sum*, per tria sæcula, vel quatuor, & non ampliùs, & postea vos deseram, *sed usque ad consummationem sæculi.* Quomodo ergo hæretici fingunt, Ecclesiam à Christo fundatam supra Petrum, durâsse duntaxat per tria, vel quatuor, vel ad summum per quinque sæcula?

Dedit Deus Legem scriptam populo suo per manum Moysis servi sui, & hæc duravit per quindecim, & ampliùs sæcula, & dicemus, Legem Evangelicam, quam Deus dedit mundo per Filium suum unigenitum Jesum Christum, solùm durâsse per tria, vel quatuor, vel quinque sæcula? Dicemúsne plus dedisse umbræ, quàm corpori, plus figuræ, quàm rei figuratæ, plus servo, quàm filio, plus legi timoris, quàm legi amoris, plus populo suo, quando erat veluti sub Pædagogo, quàm quando erat in ætate adulta, & creverat in virum perfectum? Quis non videat, hæc esse absurda & incredibilia?

XXIII. Eandem assistentiam Spiritûs Sancti, quâ Ecclesia supra Petrum fundanda semper esset perseveratura, id est semper retentura veram fidem, per quam cætus hominum in ratione veræ Ecclesiæ constituitur (sicut enim per animam caro animatur in hominem viventem; ita per veram fidem, & Religionem, cætus hominum, qui alioquin totus penè est caro, formatur in Christi Ecclesiam) impetravit Christus sua oratione, dum Lucæ 22. 23. dixit, *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum;* Ego *autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: ex quo loco, ut notat Maldonatus, Patres, atque Doctores colligunt, Ecclesiæ Romanæ fundatæ in Petro fidem fore perpetuam. Rogavit namque Christus, & sua oratione obtinuit, ne à Sede Petri, cui omnes Christi fideles obedire tenentur, deficiat vera fides, nam à Sede Romana, tanquam à Matre omnium Ecclesiarum, vera fides derivatur in alias Ecclesias, & per conformitatem cum Sede Petri veram fidem retinere debent: unde si Sedes Petri erraret in fide, reliquæ omnes se conformantes cum Matre, & Magistrâ omnium Ecclesiarum errarent. Et ideò S. Leo ser. 2. in Natali Apostolorum Petri, & Pauli, in hunc sensum, hunc locum exponens inquit: *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & Dominicæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis*

pis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munita, & Dominicæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Ac per consequens firmitas fidei, quæ per Christum Romano Pontifici Petri Successori tribuitur, per Romanum Pontificem cæteris Episcopis conferatur, & sic in omnes fideles derivetur. Quia ad ipsum pertinet, fratrum communitatem in fide confirmare, eis vera dogmata proponendo, & dubia fidei resolvendo. Hinc Pelagius secundus ad Cathedram Petri exaltatus ann. 577. Epist. 1. ad Episcopos Istriæ, hunc locum explicans inquit: *Considerate charissimi, quia Veritas mentiri non potuit, nec fides Petri in æternum quassari non poterit, vel mutari; nam cùm omnes Discipulos diabolus ad excribrandum proposuit, pro solo Petro se Dominus rogâsse testatur, & ab illo voluit cæteros confirmari.*

XXIV. Ecclesiam Christi non perijsse unquam, deserendo fidem, in qua fundata est, & amplectendo falsa dogmata, & errores pro articulis, & veritatibus fidei, ut somniârunt Lutherus, & Calvinus, evincitur ex illis verbis Apostoli 1. ad Timo. 3. *Ecclesia Dei est columna, & firmamentum veritatis.* Quomodo enim Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis, si à veritate deflexit, & loco veritatis sustentat errores? Deinde etiam stando in explicatione horum verborum tradita à Calvino, & impugnata à Bellarmino lib. 3. de Ecclesia militante cap. 14. quòd scilicet ideò Ecclesia columna, & firmamentum veritatis dicatur, *quia est fida custos veritatis, eámque puram, & sinceram ad posteros transmittat*: etiam stando in hac explicatione, sequitur, nunquam in fide errâsse, sed nec errare posse. Si enim est fida custos veritatis, nunquam suâ culpâ illam amisit, & loco illius suscepit errores. Quomodo enim esse potest fida custos veritatis Ecclesia, quæ veritatem sua sponte deserit, & errores amplectitur? Quare si erravit, fida custos non fuit. Denique etiam juxta explicationem traditam à Theodoro Beza, sequitur, nunquam errâsse. Nam juxta Bezam ideò Ecclesia dicitur columna, & firmamentum veritatis, *quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, nisi in Ecclesia.* Si enim hoc ita est, sequitur, semper in Ecclesia à Christo supra Petrum fundata, habitâsse veritatem Dei; vel certè nullam in mundo habitâsse veritatem Dei. Cùm ergo certum sit, semper in mundo habitare veritatem Dei, certum est, semper habitâsse in Ecclesia supra Petrum fundata: Ergo certum est, nunquam illam amisisse veram fidem.

XXV. Id ipsum probatur, quia certum est, Ecclesiam gubernari à Christo tanquam à capite, & sponso, & ab Spiritu Sancto tanquam ab anima; ut patet ex illo ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et ex illo ad Ephes. 4. *Unum corpus, & unus spiritus.* Et ad Ephes. 5. *Vir caput est mulieris, sicut Christus Caput Ecclesiæ.* Ergo si Ecclesia in Dogmatibus fidei, & morum erraret; error tribueretur Christo & Spiritui Sancto. At certum est, errorem non posse tribui Christo, nec Spiritui Sancto. Ergo certum

tum est, Ecclesiam non posse errare in dogmatibus fidei, & morum. Et ideò Dominus Joan. 16. dixit: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, quam scilicet tanquam dogma certum credere debetis. Quamvis enim Christus tanquam caput Ecclesiæ, & Spiritus Sanctus, tanquam ejus sponsus, non teneantur revelare omnem omnino veritatem Ecclesiæ, seu ab illa removere omnem omnino errorem, & ignorantiam; tenentur tamen removere omnem errorem, ex quo magnum oritur malum, qualis est omnis error circa fidem: magnum enim est malum, quòd Ecclesia falsâ fide Deum colat; cùm præcipuè cultus Divinus in fide, spe, & charitate consistat, ut Augustinus docet in Enchiridio cap. 3. sic vir, qui est caput mulieris, licèt non teneatur removere ab uxore omnem ignorantiam; tenetur tamen removere omnem errorem, ex quo magnum aliquod malum oriatur, licèt uxor excusetur per ignorantiam.

XXVI. Et sanè cùm Christus jusserit Ecclesiæ in omnibus obedire sub Anathematis pœna, ut patet ex illis verbis Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus*; non potest permittere, ut Ecclesia erret in ijs, quæ credenda proponit omnibus fidelibus, vel facienda præcipit: iniquum enim esset, sub tam gravi pœna obligare ad assentiendum rebus incertis, & interdum falsis. Idque supponunt tanquam quid indubitatum Ecclesiæ Patres, dum omnes ad Ecclesiam provocant in quæstionibus fidei quibuscunque: quod profectò non facerent, si Ecclesiam falli posse existimarent in judicio fidei. Unde Tertullianus lib. de præscriptionibus, *Age*, inquit, *omnes Ecclesiæ erraverint, nullam respexerit Spiritus Sanctus.* Quibus verbis supponit, impossibile esse, ut tota Ecclesia erret in rebus fidei. Et ideò Augustinus epist. 118. ajebat, *disputare de eo, quod universa Ecclesia sentit, insolentissimæ dementiæ est.* Ergo insolentissimæ dementiæ est, Ecclesiam à Christo fundatam errâsse in fide, & per mille, & ampliùs annos dogmata erronea credidisse tanquam articulos, & veritates fidei, sicut absque dubio Ecclesia Romana semper tanquam dogmata fidei suscepit ea omnia, quæ nunc credit, nimirum dari septem Sacramenta, dari Purgatorium, Christum esse realiter præsentem sub speciebus panis, & substantiam panis ibi non manere; Sanctos esse colendos, Sacrificium Missæ esse sanctissimum, & Deo gratum; fidem sine operibus non sufficere ad salutem, & alia similia, in quibus Ecclesia Romana contradicit omnibus Sectis hæreticorum.

§ IV.

Demonstratur ex dictis, solam Ecclesiam Catholicam Romanam, esse veram Christi Ecclesiam, non autem illam, quam reformatam *appellant.*

XXVII. NOmine Ecclesiæ Romanæ non hîc duntaxat intelligimus Ecclesiam particularem, quæ Romæ existit, quatenus distinguitur ab alijs Ecclesijs particularibus; sed intelligimus cœtum omnium fidelium, qui obediunt Romano Pontifici, ut legitimo

gitimo Christi Vicario, & Petri successori, & capiti visibili totius militantis Ecclesiæ, quæ appellatur Romana à præcipua sui Parte, nempe ab Ecclesia Romæ existente, quæ est reliquarum Ecclesiarum Mater, quæ etiam dicitur Pontificia, quia Pontifici summo est subjecta, & Catholica, seu universalis, quia per totum orbem est diffusa.

XXVIII. Ecclesiam ergò Romanam, & non Ecclesiam Lutheranam, vel Calvinianam, quam *reformatam* appellant (& sic de aliis hæreticorum sectis) esse veram Christi Ecclesiam, evidenter ex præmissis infertur. Nam vera Christi Ecclesia semper in Mundo fuit, ex quo Christus illam supra Petrum fundavit. Atqui sola Ecclesia Catholica Romana semper in Mundo fuit, ex quo Christus supra Petrum Ecclesiam suam fundavit; non autem Lutherana, vel Calviniana; Ergò sola Ecclesia Catholica Romana, non autem Lutherana, vel Calviniana, est vera Christi Ecclesia. Major hujus syllogismi constat ex dictis §. præcedenti. Minor probatur, quia ex quo Christus Ecclesiam suam supra Petrum fundavit, semper fuit in mundo cætus homium obedientium Romano Pontifici, & agnoscentium illum ut successorem D. Petri, & Vicarium Christi, & profitentium dogmata illa, quæ Ecclesia Romana profitetur; omnibus enim sæculis celebrata est Missa pro vivis, & defunctis, celebrata festa, servata jejunia, frequentata Vota monastica, honoratæ sanctorum reliquiæ, administrata septem Saramenta, & alia religionis nostræ propria semper in usu fuerunt, ut ex omnium ætatum scriptoribus constat. Et à D. Petro usque ad Innocentium XI. qui modò feliciter gubernat Ecclesiam, continuati sunt Pontifices, qui sedem Romanam ascenderunt, & in regimine, & solicitudine Ecclesiarum Petro successerunt; & secundùm calculum communiorem sunt ducenti quadraginta quatuor. Petro námq; successit Linus, Lino Cletus, Cleto Clemens & & sic ascendendo deveniemus ad Innocentium XI. Unde concluditur, Ecclesiam Romanam, quæ modò agnoscit Innocentum XI. pro summo Pontifice, illam eandem esse, quam Christus supra Petrum fundavit: nam illa, quam Christus fundavit supra Petrum, usque ad finem mundi duratura est: Hæc autem nulla alia est, quam Ecclesia Catholica Romana, quæ Pastores suos usque ad Petrum continuatâ serie enumerat, nam Innocentius XI. successit Clementi X. Clemens X. Clementi nono, Clemens IX. Alexandro VII. Alexander VII. Innocentio X. & sic ascendendo devenimus ad Petrum.

XXIX. Quo eodem argumento evincitur, Ecclesiam Lutheranam non esse veram Christi Ecclesiam, & similiter de Calviniana, & aliis. Nam vera Christi Ecclesia semper fuit, ex quo Christus suprà Petrum illam fundavit. At Ecclesia Lutherana non semper fuit. Nam ante annum 1517. in quo Lutherus incæpit efferre caput, Religio Lutherana non erat in mundo, & à fortiori Calviniana, quæ illius soboles est, constâtque ex scriptoribus, eo tempore, quo Lutherus insurrexit contra Pon-

tificem Romanum, præter Judaicam, Mahumeticam, & Paganicam Religiones, non aliam fuisse in mundo præter Catholicam Romanam & Hussiticam. Ergo Ecclesia Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

XXX. Hoc argumento sumpto ab antiquitate Ecclesiæ veræ Christi, quæ incipiens à Petro semper duravit, & in finem mundi duratura est, usi sunt antiqui Patres Ecclesiæ contra Hæreticos, ut probarent, apud ipsos non esse veram Christi Ecclesiam. Illo usus est Irenæus, *Vir Apostolicorum* temporum (inquit Philippus Labbe) *à S. Polycarpo Smirnæorum Antistite, cujus in juventute fuerat auditor, in Galliam missus, & anno Christi* 178. *vel* 179. *consecratus est Episcopus Lugdunensis.* nam lib. 3. adversus hæreses cap. 3. enumerat Pontifices Romanos à Petro usque ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat, & dicit, per hanc successionem confundi omnes hæreticos.

XXXI. Eodem usus est Tertullianus, qui in decrepita ferè ætate obiit anno 215. libro de Præscriptionibus. *Edant* (inquit) *hæretici origines Ecclesiarum suarum, evolvant* ordinem *Episcoporum suorum*, ita *per successionem ab initio decurr.ntem*, ut *primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit authorem, & antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert.*

XXXII. Eodem usus est S. Optatus Melivitanus Episcopus lib. 2. contra Parmenianum, ubi enumerat Pontifices omnes Romanos à Petro usque ad Siricium, qui tunc sedebat, ut ostendat, Ecclesiam veram non esse apud Donatistas, qui per similem successionem ad Apostolos ascendere non poterant, & subdit: *Vos Vestræ Cathedræ originem ostendite*, qui *vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare.*

XXXIII. Eodem argumento, & in eundem scopum contra Donatistas usus est S. Augustinus Epist. 145. ut probaret, eorum Ecclesiam non esse Ecclesiã Christi; nam enumerat ordinẽ Pontificum Romanorum, qui à Petro usq; ad Anastasium obtinuerant Cathedram Romanam, & concludit; *sub hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur.* Ut inde eliciat, apud Donatistas non esse veram Christi Ecclesiam, quandoquidem suos Episcopos cum Petro connectere non poterant. Et in Psalmo contra partem Donati, *numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri, & in ordine Patrum, quis cui successerit; videte. Ipsa est* petra, quam *non vincunt superba inferorum portæ*, & lib. contra Epistolam fundamenti: *tenet me, inquit, in Ecclesia*, ab *ipsa sede Petri Apostoli*, cui *pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum.*

XXXIV. Hinc concluditur, illam duntaxat esse veram Christi Ecclesiam, quæ à Christo supra Petrum, & Apostolos fundata, usque ad præsentem diem perseverat. Id quod S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos in fine notavit iis verbis. *Brevem tibi apertámque animi mei sententiam proferam; in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris, eos, qui dicuntur Christi, non à Domino JESU*

Christo, sed quopiam alio nuncupari, ut *puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas, scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. ex hoc enim ipso quòd postea instituti sunt, eos se esse indicant* quos *futuros Apostolus prænuntiavit. Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis videntur, sibi affirmare, quod dicunt : cùm & diabolus de scripturis aliqua sit locutus; & scripturæ non in legendo consistant, sed intelligendo.*

XXXV. Ex quibus verbis constat, novitatem esse signum hæreseos ab Apostolo prænuntiatæ. Vnde infertur, Religionem Lutheranam, & Calvinianam & alias hæreticorum sectas, quæ in Luthero, & Calvino, aliisque hæresiarchis originem sumpserunt, non esse veram Christi Religionem, & Ecclesiam; nam Religio Lutherana incæpit quindecim sæculis, postquam Christus suam Ecclesiam supra Petrum fundaverat, ac proinde non fuit ab Apostolis fundata, nec proinde Ecclesia Christi esse potest.

XXXVI. Quapropter ut quis probare possit, se esse in vera Christi Ecclesia, seu veram Christi Religionem tenere, debet ostendere, se esse in Ecclesia, quorum ministri omnes ab Apostolis descendunt, suntque Apostolorum successores, vel ab eorum successoribus ordinationem acceperunt. Id autem omnes Romanæ Ecclesiæ filij ostendere possunt; nullus autem Lutheranæ vel Calvinianæ Religionis cultor probare valet; constat namque, omnes Catholicæ Religionis Ministros ab Apostolis descendere, sive potestatem Ordinis spectes, per quam offertur sacrificium, & conficiuntur sacramenta ad sanctificandos fideles : sive potestatem jurisdictionis consideres, per quam datur jus regendi, & pascendi Ecclesiam verbo Dei, &c. Inferiores enim ministri præsertim Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri ordinantur ab Episcopis : Episcopi autem suum ordinem ab aliis Episcopis acceperunt, & hi rursus ab aliis, & sic ascendendo usque ad Apostolos, qui potestatem suam proximè à Christo acceperunt. Nullus est ergo, qui non acceperit mediatè suam potestatem ab Apostolis, & per Apostolos à Christo. Quarè sicut omnes homines secundùm vitam, & potentiam naturalem, longo generationum tractu descendunt ab Adamo, ita omnes Ecclesiæ Ministri, secundùm potestatem supernaturalem ordinis longa ordinationum serie descendunt à Christo, qui est secundus Adam. Ac proinde nullus est Minister, qui potestatem suam ordinis, qua consecrat, qua sacrificat, qua absolvit à peccatis, & qua alia sacramenta conficit, & Populum Christianum sanctificat, non possit ad Christum tanquam ad primum fontem, & authorem reducere, qui homine tanquam mero instrumento utitur ad consecrandum corpus suum, ad remittenda peccata, & sanctificandas animas.

XXXVII. Idémque est de potestate jurisdictionis. Constat namque similiter, omnem potestatem jurisdictionis, qua ministri Ecclesiæ Catholicæ Populum Christianum regunt, verbum Dei prædicant, & alia munera pastoralia obeunt, à Christo descendere, & ad ipsum perspicuè reduci posse. Parochi namque habent suam jurisdictionem

nem ab Episcopis, Episcopi à Romano Pontifice, hic verò præcedente legitimâ hominum electione, immediatè accipit suam potestatem jurisdictionis à Christo; cùm enim sit verus Christi Vicarius, legitimúsque Petri Successor in Cathedra, & in munere regendi Ecclesiam Christi, & pascendi universum ejus gregem, necessariò succedit ei in potestate jurisdictionis, quam Christus per illa verba, *pasce oves meas*, communicavit Petro, & in ipso omnibus, qui legitimè fuerint electi ad Episcopatum Romanum.

XXXVIII. Qui autem in Ecclesia non habent potestatem ordinariam, sed delegatam tantùm, eam à Parochis, vel ab Episcopis, vel à Summo Pontifice acceperunt. Nullus ergo est Minister in Ecclesia Catholica, nullus Verbi Dei Prædicator, nullus Catechista, qui non possit ostendere, suam potestatem à Christo descendere, & suam missionem legitimam esse, utpote à Christo per legitimos ejus Ministros derivatam: quod nisi possent ostendere, non essent ullo modo audiendi, sed suspecti habendi tanquam lupi, cùm non per ostium in ovile intrarent, sed aliunde occultè irreperent.

XXXIX. Quòd autem nullus Lutheranæ, vel Calvinianæ Sectæ Professor possit ostendere, suæ Sectæ Ministros à Christo potestatem accipere; facilè evincitur. In primis probare non possunt, Episcopos suæ Sectæ potestatem ordinis à Christo accepisse. Non enim dicere possunt, Christum descendisse de cœlo, & illos per seipsum ordinâsse in Episcopos. Nec dicere possunt, Apostolos immediatè imposuisse super illos manus suas, & potestatem ordinis Episcopalis illis immediatè contulisse, nec probare possunt illos ordinatos fuisse ab aliis Episcopis, qui mediatè ab Apostolis ordinem susceperint, ut probare possunt Episcopi Catholici. Loquamur de primo Episcopo alicujus Sectæ, vel Lutheranæ, vel Calvinianæ, qui ante professionem illius Sectæ Episcopus non erat, sed, vel merè Laicus, vel solùm Presbyter in Ecclesia Catholica, à qua defecit, ut transiret ad illam Sectam: à quo, quæso, ordinatus est Episcopus?

XL. Hoc argumentum vehementer torsit Angliæ Ministros: nam ut refert Richardus Arsdekin to. 1. Theologiæ tripartitæ part. 1. cap. 3. pag. mihi 11. *Sæpius postulati de legitima ordinatione Parkeri, qui primus post hæresim tanquam Archiepiscopus Cantuariensis Sedem occupavit; nec testes, nec tabulas, nec ullum derivati à Christo ordinis, aut potestatis indicium legitimum unquam proferre potuerunt. Quorum unus* (inquit) *non ita pridem quasi collabenti Ecclesiæ humeros suppositurus, non antiquas tabulas, sed novas fabulas evulgavit, de Parkero in quadam taberna per aliquos Romanæ Ecclesiæ Episcopos in Præsulem consecrato; sed non defuit author Catholicus, Dublinensis nunc Præsul Illustrissimus, qui calamo suâ eruditione digno commentum illud apertè dissolvit, & ad vivum resecuit.* Hoc idem argumentum manifestè probat, nec apud Lutheranos, nec apud alios hæreticos esse veram Christi Ecclesiam: quia vera Christi Ecclesia non potest subsi-

ſubſiſtere ſine veris Epiſcopis, apud Lutheranos autem, alióſque hæreticos non ſunt veri Epiſcopi, quia veri Epiſcopi dari non poſſunt ſine vera ordinatione, & ſucceſſione ab Apoſtolis. Epiſcopi autem Lutheranorum (& ſic de aliis Sectis) non habent veram ordinationem, nec ſucceſſionem ab Apoſtolis. Nam ſi inquiramus, à quo ordinati ſint Epiſcopi Lutherani, qui modò exiſtunt, & ab illis petamus, ut probent, ſe ab Apoſtolis originem trahere, reſpondere non poterunt, nec ſatisfacere. Nam tandem deveniendum eſt ad primum Epiſcopum ſuæ Sectæ, de quo probari non poſſit, fuiſſe verè ordinatum in Epiſcopum, & originem trahere ex Apoſtolis. Nam in Secta Lutherana tandem deveniemus ad Lutherum, qui habitus eſt Epiſcopus Winbergenſis, de quo inquiro, à quo conſecratus ſit in Epiſcopum? certè ex ſtatuto Apoſtolorum, & Concilij Nicæni, & Carthaginenſis, Epiſcopus debet ordinari à tribus Epiſcopis, vel ex diſpenſatione ab uno, aſſiſtentibus Abbatibus; quæro, à quo ordinatus eſt Lutherus? Non ab Epiſcopis Lutheranis, quia ante illum nullus in illa Secta fuit nec Epiſcopus, nec Abbas; non ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, à quorum Fide, & Religione diſceſſit, & in quibus ipſe Lutherus veram poteſtatem ordinandi agnoſcere non poterat, quandoquidem palam prædicabat Eccleſiam Romanam à multis ſæculis defeciſſe à fide, & Religione, & jam non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, ſed Synagogam Sathanæ; manifeſtum autem eſt, non eſſe veros Epiſcopos cum vera poteſtate ordinandi, ubi non eſt vera Chriſti Eccleſia. Ergo Lutherus non fuit verus Epiſcopus, ſed ei, aliiſque ſimilibus convenit id, quod Cyprianus lib. de *Simplicitate Prælatorum* ait. *Ii ſunt, qui ſe ultrò apud temerarios convenas ſine divina diſpoſitione præficiunt, qui ſe Præpoſitos ſine ulla ordinationis lege conſtituunt, qui nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt.* Idem dico de Zvvinglio, qui habitus eſt Epiſcopus Tigurinus, & de Calvino, qui dictus eſt Epiſcopus Genevenſis, & de Oecolampadio, qui in ipſo ſepulchri epitaphio vocatur primus Baſileæ Epiſcopus, quod epitaphium ſe legiſſe teſtatur non ſine riſu Cardinalis Bellarminus lib. de notis Eccleſiæ cap. 8. de hoc, & de Luthero, & ſimilibus monſtris verè dicere poſſumus, quod de alio Hæreſiarcha dixit Cyprianus lib. 1. epiſt. 6. ad Magnum: *Novatianus* (inquit) *in Eccleſia non eſt, neque Epiſcopus computari poteſt, qui Apoſtolicâ traditione contemptâ nemini ſuccedens, à ſe ipſo ordinatus eſt.*

XLI. Quodſi hæretici ad declinandum hoc telum, dicant, ut quis ſit Epiſcopus, non opus eſſe, ut ordinetur, vel conſecretur in Epiſcopum ab aliis Epiſcopis; ſed ſatis eſſe, quòd eligatur à populo in Epiſcopum, ad hoc ut Chriſtus immediatè illi communicet poteſtatem ordinis Epiſcopalis, id quod reſpondet Brentius apud Bellarminum lib. de notis Eccleſiæ cap. 8. *Nos legitimè*, inquit, *vocati ſumus à Populo, & Magiſtratu, & ab eis Epiſcopatum accepimus, & nos non intruſimus.* Si, inquam, hoc dicant, contradicunt totii antiquitati, & perpetuo Eccleſiæ uſui,

ut enim inquit P. Lessius in opusculo de vera Religione capessenda, *Nunquam in Ecclesia habitus fuit Episcopus, ita ut munia omnia Episcopalia obire posset, nisi ab alio Episcopo ordinatus, cui ex Apostolorum constitutione duo alii Episcopi debent conjungi, ut expresè præcipitur can.* 1. *Apostol.* & can. 4. *Synodi* Nicænæ, *& insinuat Apostolus scribens Episcopo Timotheo* 1. 4. *& monens*: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbiterij: *hoc est catus Episcoporum, qui simul cum ordinante manus ordinando imponerent, ut Patres exponunt.*

XLII. Unde in primitiva Ecclesia, quando nec hæretici negant, Romanos Pontifices fuisse veros Pontifices, singuli Papæ incipiendo à D. Petro aliquos Episcopos ordinârunt; ut constat ex Pontificali Romano S. Damasi, & Historia Ecclesiastica in vitis singulorum Pontificum, in quibus incipiendo à D. Petro, & D. Lino, & aliis narratur, quot ordinationes fecerint, & quot Episcopos per varia loca ordinaverint, & ut inquit Cardinalis Bellarminus tom. 2. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 8. *constat, Christum*, à quo Ecclesia novi Testamenti cœpit, duodecim Apostolos tantùm elegisse Episcopos, & Sacerdotes, & eis commisisse omnem auctoritatem pascendi, & gubernandi Ecclesiam; Apostolos autem postea elegisse, atque ordinâsse alios Episcopos, & eis tradidisse similem potestatem, alios deinceps ordinandi; id qnod ex historiis non solùm antiquis Eusebii, & similium, sed etiam ex ipsis Centuriis Magdeburgensium apertè ostenditur. Et hinc est, quòd Paulus, qui extra ordinem Apostolus à Christo post ascensionem in Cœlum factus est, non fuisset agnitus in Ecclesia pro tali, nisi priùs in ipsa Ecclesia baptizatus fuisset, & ab Apostolis dexteras accepisset, imò, & ab illis ordinatus fuisset, ut patet ex Act. 9. & 13. Galat. 1.

XLIII. Itaque sicut in Populo Testamenti veteris, qui per carnalem generationem propagabatur, nulli erant de populo illo Dei, nisi qui descendebant à duodecim filijs Jacob, nulli Sacerdotes, nisi qui descendebant à Levi per Aaron. Et idcircò diligentissimè tunc conservabantur genealogiæ, ut patet ex toto veteri Testamento: ita in populo Testamenti novi, qui spirituali generatione multiplicatur, nulli sunt Christiani, nisi per Apostolos, vel eorum Successores, aut ab eis missos conversi; nulli Episcopi, nisi qui eisdem legitimè succedunt; & ideò tam diligenter annotantur à nostris Episcoporum successiones. Quare futilis est responsio Brentij; nam aliud est loqui de electione Episcopi, aliud de consecratione; nam electio variè varijs temporibus facta est. Nam constat, veteres Romanos Pontifices misisse Episcopos ad varias Civitates, sine ullo consensu populorum requisito. Constat etiam, aliquando populum simul cum Clero Episcopum elegisse, aliquando solum Clerum. *Cæterùm quomodocumque fieret electio, semper* (inquit Bellarm.) *necessaria fuit ordinatio, quam non populus, sed soli Episcopi, & quidem tres, regulariter conferebant, quod nemo*

nemo nescit, nisi qui nihil legit.

XLIV. Quod si rursus dicas, ad veram Christi Ecclesiam non requiri, quòd in illa detur Hierarchia Ecclesiastica coalescens ex Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Presbyteris, sed sufficere, quòd Ecclesia exclusis Episcopis, & Ministris à solis senioribus administretur, ut faciunt Puritani, & Presbiteriani in Anglia, qui ex diametro opponuntur Protestantibus, dicentibus Ecclesiam debere conflari ex Archiepiscopis, Episcopis, Decanis, aliisque gradibus Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Si hoc, inquam, dixeris, rem manifestè absurdam, & contrariam Scripturæ, & Patribus dices; clarè namque ostendit Bellarminus, ubi nuper, *non posse ullo modo* Ecclesiam esse sine Pastoribus, & Episcopis, ut rectè docet Cyprianus Epist. 9. lib. 4. ubi dicit, *Ecclesiam esse plebem Episcopo adunatam, & Episcopum esse in Ecclesia, & Ecclesiam in Episcopo:* Quare *Hieronymus* lib. contra Luciferianos; *Ecclesia*, inquit, *non est, quæ non habet Sacerdotes. Id* quod apertè probatur ex Paulo Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes; & ubi docet Apostolus, futuros Pastores* in Ecclesia usque ad diem judicij; tunc enim occurremus Domino in *unitate fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

XLV. Esse autem Episcopos Pastores huj⁹ gregis, docet idem Apostolus, apud Lucam Actor. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sed nec Lutherus id negat, quin potiùs in lib. de Eccl. & Conc. inter notas Ecclesiæ ponit, *habere veros Pastores.* Ex quo sequitur, eam non esse veram Ecclesiam, quæ aut nullos, aut non veros habet Pastores.

XLVI. Deinde probare non possunt Lutherani, & Calvinistæ, suos Ministros, imò nec primos authores suæ Ecclesiæ reformatæ Lutherum, & Calvinum potestatem jurisdictionis à Christo accepisse ad gubernandas Ecclesias, imò nec prædicandum Verbum Dei, nemo enim, in Ecclesia prædicare potest, nisi legitimâ authoritate fuerit missus, juxta illud Apostoli ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* alioquin maxima nasceretur in Ecclesia confusio. Ut enim sapienter ponderat P. Lessius, *quivis officium prædicandi, & Ecclesiam regendi, sibi assumere posset, & quosvis errores disseminare.* Si enim in Repub. temporali, & politia humana, nemo se ipsum potest intrudere, & assumere Magistratum ad regendum populum in rebus terrenis ad hanc vitam dumtaxat pertinentibus, sed debet à Principe ad hoc constitui: quantò minùs in Ecclesia, in Regno Christi spirituali, potest quis sibi arrogare officium Pastoris ad regendum populum in ijs, quæ salutem spectant æternam, sed ab Ecclesiæ supremo Rectore, & Sacrorum Principe, constitui debet? Multò enim magis vitanda est confusio regiminis in Ecclesia, quàm in po-

litia; cùm illa in perniciem cedat animarum, hæc solùm in damna fortunarum, vel corporum.

XLVII. Deinde Joan. 10. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, hic fur est, & latro*, inquit Dominus. At is, qui absque legitima missione, & authoritate assumit sibi officium Pastoris in Ecclesia, is non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ut Patres passim exponunt, & per se satìs constat. Quid enim aliud est, *intrare per ostium*, quàm intrare legitimâ viâ, legitimâ authoritate? Ostium enim est via ordinaria, ad hoc instituta, ut per eam intretur in Ovile. Unde designat illam authoritatem, per quam Ministri debent admitti in Ovile Christi, ad Oves Christi regendas, & pascendas.

Rursùs, Dominus apud Joannem 7. ait: *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, & injustitia in illo non est.* Quibus verbis significat, non esse credendum ijs, qui legitimè missi non sunt, sed à seipsis veniunt, quia gloriam propriam quærunt: ac proinde non ad veritatem, sed ad honorem, & compendium loquuntur, & doctrinam suam omnem eò dirigunt. Denique Apostolus in Epist. ad Hæbreos adeò hanc missionem necessariam ducit, ut etiam in Christo Domino eam requirat. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Unde Dominus toties inculcat Judæis suam missionem, nimirùm, quòd à se non venerit, sed à Patre missus, idémque multis modis confirmat.

XLVIII. Ex his clarè deducitur, Lutherum, Calvinum, & similes novos Doctores audiendos non esse, & eorum doctrinam vitandam. Quia constat, eos aliquâ legitimâ authoritate missos non esse, sed à seipsis venisse: constat, eos sibi Magistratum, & Officium Pastorum, & jus reformandi in Ecclesia usurpâsse: constat, non intrâsse per ostium, & viâ legitimâ, sed aliunde ascendisse in Ovile, ac proinde, juxta Domini sententiam, pro furibus, & latronibus habendos.

§. V.

Præcluditur vanum hæreticorum effugium asserentium, suam Religionem non esse novam; sed semper extitisse, licèt latuerit occulta, quousque Lutherus cœpit palam prædicare.

XLIX. Calvinus in præfatione suarum Institut. animadvertens antiquitatem esse potissimam notam veræ Ecclesiæ, nam sine dubio vera Ecclesia antiquior est quàm falsa, quemadmodum Deus antè fuit quàm Diabolus: quocirca Matt. 13. priùs seminatum legimus bonum semen, quàm zizania: & Ecclesia dicitur *Catholica*, quia omni tempore fuit, & similiter dicitur *Apostolica*, quia fundata est ab Apostolis, ac proinde debet esse antiquissima. Hoc, inquam, animadvertens Calvinus; ut declinaret argumentum,

rum, quod contra ipsum fiebat ex novitate suæ Ecclesiæ, quâ evincebatur, illam non esse veram Christi Ecclesiam. Respondit, suam Ecclesiam non esse novam, sed antiquissimam, imò illam ipsam, quam Christus fundavit, tamen non esse visam per multa sæcula, & tunc demum apparuisse. Sed contra hoc effugium, vel potiùs somnium, validè insurrexêre Cardinalis Bellarminus lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 5. P. Leonardus Lessius in præclaro illo opusculo, seu consultatione, *quæ fides, & Religio sit capessenda*, in nona consideratione in 1. ratione, ob quam omnes aliæ Religiones præter Catholicam sunt suspectæ, & P. Martinus Becanus in compendio manualis lib. 1. cap. 3. n. 34. & 61. ex quibus, & ipsorum verbis hoc delirium patefaciendum est: & imprimis contra illud militat argumentum, quod facit B. Augustinus contra Donatistas lib. 3. de Baptismo, cap. 2. *aut ista Ecclesia, quæ nunc apparuit, antea perierat, & nunc resurrexit, aut non perierat, sed tantùm latuerat, & nunc extulit caput. Neutrum autem potest dici.*

Non Primum, quia tunc non potuissent renasci ipsi, si mater perierat. Si periit: *Unde ergo*, inquit B. Augustinus, *Donatus apparuit? de qua terra germinavit? ex quo mari emersit? de quo Cælo cecidit?* Et præterea falsæ erunt promissiones Christi Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Et Matthæi ultimo: *Ego vobiscum sum usque*, &c.

Non Secundum, quia tunc, vel ista Ecclesia latens profitebatur suam fidem, vel non profitebatur. Si profitebatur, ergò non erat latens, sed manifesta. Et si manifesta, quomodo nemo advertebat? quomodo non capiebantur, & coercebantur ab inquisitoribus, qui longo tempore ante Lutheri ætatem esse cæperunt in Ecclesia? quomodo nullum vestigium, nulla memoria eorum extat? si autem non profitebatur fidem, sed verè, & propriè latebat (quam partem ipsi defendere coguntur) Ergo illa non fuit vera Ecclesia, ac proinde nulla fuit in mundo vera Ecclesia. Nam ut ipsi dicunt, confessio fidei est nota veræ Ecclesiæ, & Rom. 10. *ore confessio fit ad salutem.*

L. Præterea si ita est, quomodo apparente Luthero, & Calvino nemo fuit, qui se illis adjungeret, nisi quos ipsi deceperunt? si multi Lutherani, & Calvinistæ latebant, debuissent multi prædicante Luthero, & Calvino mox cognoscere socios suos, & ad eos currere, etiam non vocati; at non ita factum est, nam omnes ferè, qui sunt Lutherani, & Calvinistæ, fatentur, se antea fuisse ex nostris, & nihil cogitâsse de nova illa doctrina. Imò Lutherus ipse fatetur, se aliquando non fuisse Lutheranum, sed monachum Catholicum, & Missas celebrâsse per quindecim annos seriò, & devo è. Vide librum de Missa angulari, vel Joannem Cochlæum in actis Lutheri, anni M. D. XXXIV. Item librum secundum Lutheri contra Zvvinglium, vel septicipitem Joannis Cochlæi, cap. 24.

Denique, si ita Ecclesia latuisset, ut Calvinus dicit, sequeretur, Ecclesiam Christi fuisse peiorem, & miseriorem omni secta hæretica, & ipso etiam populo

pulo Judæorum post eversionem Hierosolymæ, quod certè est blasphemum; cùm Deus per Prophetas passim prædicet gloriam Ecclesiæ, & polliceatur, se cum ea semper futurum. Quòd illud sequatur, patet, nam omnis hæretica secta habuit sua templa, suos Episcopos, sua sacramenta, & similiter Judæi post eversam Hierusalem semper habuerunt aliquas synagogas, ubi liberè exercuerunt suas cæremonias, ut patet ex Gregorio lib. 7. Ep. 5. nec unquam coacti sunt generaliter, adorare Deos alienos.

At Ecclesia, quam latentem fingit Calvinus per annos ferè mille, nulla habuit templa, nulla sacra, nullos Episcopos, nec habuit unum angulum terræ, ubi liberè exerceret actus Religionis suæ, & quod peius est, coacta est servire Diis alienis, adorare idola, sacrilegiis communicare, quæ est horribilior, & longior captivitas, quàm unquam fuerit Judæorum, imò est ista Ecclesia deformior ipsis ruinis Synagogæ.

LI. Præterea si alia Ecclesia Christi præter Catholicā-Romanā semper fuit, licèt occulta, & latens, edisserant nobis adversarij, quænā illa fuerit, quas mundi partes occupaverit, & adhuc occupet? quos Pastores, & Episcopos habuerit, & adhuc habeat? Qui Reges, & Imperatores illi adhæserint, & adhuc adhæreant? qui hæretici ab illa damnati? quæ Academiæ confirmatæ? quæ templa, & monasteria erecta? Dicere enim, in mundo semper extitisse veram Christi Ecclesiam distinctam ab Ecclesia Romana; & tamen nullos habuisse Episcopos, & Pastores, nullas Universitates, nullos Doctores, nulla templa, nullas Religiosas familias; nulla Concilia celebrâsse, nullas hæreses damnâsse, est merum delirium, risu potiùs quàm confutatione dignum.

LII. Hinc P. Lessius evidente Dilemate concludit, nec Religionem Lutheranam, nec Calvinianam, nec ullam aliam Hæreticorum sectam esse veram Christi Ecclesiam. Nam vel Religio Lutherana, & Calvinistica ante suos authores extitit, vel non extitit; si non extitit, ergò est plane novitia, ac proinde non potest esse Religio Christi, quæ est antiqua: si extitit, ergò fuit occulta, ac proinde non potuit esse Christi Religio, & Ecclesia: Hæc enim est *Civitas supra montem posita, quæ abscondi non potest.* Mat. 9. Hæc est *Mons Domus Domini præparatus* in vertice *montium, & elevatus super omnes Colles, omnibus conspicuus, ad quem fluent omnes gentes.* Isa. 2. Hæc est Regnum Christi *diffusum à mari usque ad mare, & à flumine usque ad cardines terræ* Ps. 71. *Hæc est Mons* ille *magnus replens universam terram* Dan. 2. Ecclesia enim Christi mundo debet esse conspicua, tum ut suo cultu, & decore, suísque moribus, & externa specie gentes ad se alliciat; tum ut qui volunt fieri Christiani, sciant, quò se debeant conferre, quos adire, à quibus instructionem petere. Similiter ejus Doctrina, & fides manifesta esse debet; alioquin mundo esset inutilis, nec posset gentes convertere. Vnde etiam in maximis persecutionibus nunquam ita latuit, quin passim cognosceretur; ut ex historiis Ecclesiasticis constat; hinc tanta Martyrum multitudo. Deinde si tot sæculis latuit, indigna

dignaprorſus fuit hoc nomine. Quomodo enim dici poteſt Eccleſia Chriſti, quæ Chriſti ſinceram doctrinam non audet confiteri? quæ tam puſilli eſt animi, & ita mortem timet, ut ſe abdat in tenebras, & tot ſæculis non audeat prodire in lucem? Denique quæ tot ſæculis non ſolùm ſe occuluit, & ſinceram fidei profeſſionem ſuppreſſit, ſed etiam profeſſa eſt fidem falſam, nempe Papiſticam, adoravit idola, contaminavit ſe mille ſuperſtitionibus, & ſacrilegijs? Nam ante Lutherum omnes Chriſtiani exteriùs in omnibus gerere ſe debebant ut Catholici, alioquin mox ab Inquiſitoribus, & Epiſcopis deprehenſi fuiſſent, & tanquam hæretici puniti. Miſerabilior itaque, & deformior fuiſſet Eccleſia Chriſti ruinis Synagogæ, ſeu Sectâ Judaicâ, quæ ſemper ſuas Synagogas, & liberam ſuæ Religionis profeſſionem, quibuſdam locis habuit; nec coacta eſt, ſaltem generatim, ad idolorum cultum. Miſerabilior, & deterior Sectis omnibus hæreticis; nulla enim unquam Secta fuit alicujus nominis, quæ non ſua Templa, vel Domos religioſas, ſuos Conventus, ſuos Epiſcopos, ſuæ Religionis formam, & profeſſionem habuerit, ita ut paſſim cognoſci poſſet.

LIII. Cùm hæretici his preſſi argumentis non poſſint aſſignare Eccleſiam aliquam viſibilem diſtinctam ab Eccleſia Pontificia, in qua ſemper fuerint Epiſcopi, & Doctores, & in qua floruerint Univerſitates, & in qua celebrata ſint Concilia; duo quæſierunt effugia ſatìs ridicula apud Becanum. Primò námque aliqui fingunt Eccleſiam quandam in cunis jacentem, & vagientem. *Ajunt enim* (inquit ille) *Eccleſiam* Chriſti aliquot ſæculis tam fuiſſe corruptam, ac vitiatam, ut nulli in ea fuerint veri fideles, niſi infantes baptizati. Et ſine dubio intelligunt Eccleſiam Romanam, ſeu Pontificiam, quam putant ſuperioribus ſeculis penitùs defeciſſe, niſi quòd ſoli infantes legitimè in ea baptizati tanquam vera ipſius membra manſerint. Miſerum perfugium, & ipſis adverſarijs pernicioſum. Nam ipſi paſſim docent, duas eſſe notas Eccleſiæ, nempe ſinceram prædicationem Evangelij, & legitimam Sacramentorum adminiſtrationem, ex quibus vera Chriſti Eccleſia dignoſci debet, & ſine quibus conſiſtere non poſſit, ut videre eſt in Confeſſione Auguſtana art. 7. & in Apologia ejuſdem, & in Calvino lib. 4. Inſtit. cap. 1. §. 9. 10. & 11. At hæ duæ notæ non conveniunt Eccleſiæ, in qua ſoli infantes baptizati ſunt; quia ſoli infantes, nec poſſunt ſincerè prædicare Evangelium, nec legitimè adminiſtrare Sacramenta: ergò Eccleſia, in qua ſoli infantes ſunt, non eſt vera Chriſti Eccleſia.

LIV. Alij habent aliud effugium. Ajunt, ſemper in Eccleſia fuiſſe unum, aut alterum cordatum virum, qui Papæ contradixerit, cujuſmodi diverſis temporibus fuerunt Joannes Wicleff, Joannes Hus, Lutherus, Calvinus. Æquè ineptè. Nam primò, dicant mihi, quis fuerit ille unus, vel illi duo cordati viri, qui ante Wicleffum, per ſingula ſuperiora ſæcula, Papæ contradixerint? Si neſciunt, quare temerè affirmant?

mant? Si sciunt, edicant eorum nomina, locum habitationis, & cæteras circumstantias, non poterunt. Secundò Ecclesia Christi non est deterioris conditionis, quàm fuerit Synagoga Judæorum, cùm Ecclesia sit domina; Synagoga, ancilla (ad Gal. 4. 22.) At Synagoga nunquam fuit tam deserta, ut duo tantùm viri in ea reperirentur. Imò, tempore Heliæ, cùm putabatur desertissima, septem millia virorum in ea reperta sunt, Rom. 9. 4. Cur ergò Adversarij fingunt, Ecclesiam Christi fuisse aliquando tam desertam, ut duo tantùm viri in ea reperti fuerint? Quod manifestè repugnat Scripturæ, quæ apud Isaiam testatur, Ecclesiam Christi multò fæcundiorem, & ampliorem fore, quàm fuerit Synagoga, Isaiæ 54. 1. Tertiò, Donatistæ plus tribuebant Ecclesiæ quàm hi faciunt. Nam illi, tametsi dicerent, Ecclesiam toto orbe perijsse, & in sola Africa remansisse; non tamen ausi sunt asserere, quod hi asserunt, remansisse aliquando in duobus tantùm viris, qui Papæ contradixerint. Si ergò illi, qui meliùs sentiebant de Ecclesia, quàm hi nostri Adversarij sentiunt, nihilominùs ab Augustino, & aliis Patribus damnati sunt tanquam Hæretici; quid de his nostris fieri oportere existimandum est?

CAPUT SECUNDUM.

Secundum Caput idem probandi, quia cùm Sectarii fateantur, Ecclesiam Romanam tribus, quatuor, vel quinque sæculis veram Ecclesiam Christi fuisse: manifestè demonstratur, illam postea à vera fide, quam ab Apostolis acceperat, non defecisse per apostasiam, per hæresim, vel per schisma.

LV. P. Martinus Becanus in compendio Manualis lib. 1. cap. 3. n. 24. testatur, Hæreticos Lutheranos, & Calvinistas passim asserere, totam Ecclesiam visibilem, quæ primis quingentis annis habuit veram fidem, ac Religionem, postea erràsse, & multis sæculis usque ad tempora Lutheri in errore perstitisse, vel ut alij loquuntur, totam perijsse, ac defecisse, non quòd perierint, aut defecerint homines, ex quibus conflata est Ecclesia visibilis, sed quòd defecerit eorum fides, & sincera Religio. Et Cardinalis Bellarminus lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 5. asserit, hæreticos hujus temporis asserere, post primos quingentos annos cœpisse invalescere nostram Religionem, quam ipsi Sectam Papisticam, vel Pontificiam appellant; tamen quando cœperit absolutè, nunquam dixisse, & postea subjungit idem Bellarminus. *Passim Calvinistæ, & Lutherani, usque ad primos quingentos, vel sexcentos annos extendunt Ecclesiæ puritatem.* P. Leonardus Lessius in illo præclaro

claro opusculo suo, quæ *Fides*, & Religio *sit capessenda*, in nona consideratione, ratione 1. refert, Lutheranos Doctores in opere Centuriarum ab ipsis edito asserere, Ecclesiam Romanam, etiamsi temporibus Apostolorum, & aliquando postea fuerit vera Christi Ecclesia, tamen tertio saltem, & quarto sæculo cœpisse omnino deficere à fide vera, ac proinde non fuisse ampliùs veram Christi Ecclesiam, testatúrque, hoc passim judicari à Lutheranis in quibusdam Germaniæ oppidis, cùm prægrandibus litteris in frontibus Domorum scribunt in hæc, vel similia verba. *Anno tali illuxit huic Urbi verum Evangelium Christi, superstitione depulsâ.* Imò Rex Jacobus in oratione, quam habuit ad supremos Regni ordines (Parlamentum appellant) & Wittakerus in responsione ad secundam demonstrationem Sanderi, Tulkius in Caput secundum Epistolæ 2. ad Thessalonicenses, & alii Ecclesiæ Romanæ hostes, & hæresis Calvinianæ, vel Lutheranæ defensores apertè fatentur, Ecclesiam Romanam primis temporibus *purissimam, celeberrimam, nec non Sanctitate & Doctrinâ florentissimam extitisse.* Estque res evidentissima; cùm Petrus, & Paulus Ecclesiam Romanam fundaverint, & suo sanguine illustraverint, & Pontifices, qui Petro successerunt per tria, & ampliùs sæcula, ut Linus, Cletus, Clemens &c. Sancti sine dubio fuerint.

LVI. Dicunt autem Lutherani, & Calvinistæ, ita post aliqua sæcula Ecclesiam Catholicam à Christo supra Petrum fundatam in doctrina fidei mutatam fuisse, ut Pontifex Romanus conversus sit in Antichristum. Nam Magdeburgenses centuriâ 7. cap. 1. affirmant, initio anni 600. Papam in Antichristum mutatum esse. Et Lutherus in supputatione temporum vult, Sanctum Gregorium fuisse ultimum Papam. Item Theodorus Bibliander in tabulis suæ Chronologiæ initio anni DC. ponit apparitionem Antichristi, id est Papæ.

LVII. Hoc supposito, probo, nunquam Ecclesiam Romanam defecisse à vera fide, quam ab Apostolis acceperat, sed quam semel acceperat, semper retinuisse, & sic argumentor. Illa Ecclesia, quæ semel fuit vera Christi Ecclesia, pura & incontaminata, & postea nunquam incidit in apostasiam, hæresim, vel schisma, semper vera, pura, & incontaminata perseverat Christi Ecclesia. Atqui Ecclesia Romana aliquando fuit vera Christi Ecclesia, pura & incontaminata, & postea nunquam incidit in apostasiam, hæresim, vel schisma: ergò Ecclesia Romana semper vera, pura, & incontaminata perseverat Christi Ecclesia. Consequentia est evidens; & major est ex terminis nota. Minor quoad primam partem patet ex confessione adversariorum, & est evidens evidentiâ facti; & patet ex Apostolo Romanorum 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt; vos autem in carne non estis, sed in spiritu.* & v. 11. *Quòd si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem ejus*

 spiritum

spiritum in vobis. Item Rom. 16. 19. *Vestra obedientia in omnem locum divulgata est : gaudeo igitur in vobis.* Quoad secundam partem probatur eadem minor. Primò namque, quod spectat ad apostasiam, manifestissimum est, Ecclesiam Romanam in apostasiam nunquam incidisse; siquidem apostasia est fidei Christianæ non solùm abrenuntiatio, sed etiam vel ipsius tituli Christiani nominis omnimoda abjuratio: evidentissimum autem est, Ecclesiam Romanam nunquam abrenuntiâsse fidem Christi; & multò minus abjurâsse titulum nominis Christiani.

LVIII. Secundò, Ecclesia Romana non incidit in hæresim, quia hæresis est alicui privatæ, & singulari opinioni, seu errori in fide obstinata adhæsio, contra generalem, & approbatam universalis Ecclesiæ doctrinam: atqui Ecclesia Romana nunquam alicui novæ, privatæ, & singulari opinioni, seu errori in fide contra generalem, & approbatam Ecclesiæ universalis doctrinam adhæsit; ergò non incidit in hæresim. Minor manifesta est, quia nulla unquam Ecclesia adhæsit alicui novæ, privatæ, & singulari opinioni discrepanti à recepta totius Orbis universali doctrina, quin ab aliquo Oecumenico Concilio, vel à Patribus, & Scriptoribus illius sæculi, vel ab aliqua alia legitima potestate, tanquam heterodoxa seu hæretica, fuerit condemnata; atqui Ecclesia Romana nunquam condemnata fuit ab aliquo Oecumenico Concilio; nemo antiquorum Patrum adversùs illam stilum exacuit; contrà verò ad unum omnes pro illa acerrimè depugnârunt; nec ulla legitima potestas sive authoritas afferri potest, à qua, vel reprobata, vel condemnata tanquam heterodoxa, seu hæretica fuerit: ergò Romana Ecclesia nunquam adhæsit alicui novæ, privatæ, & singulari opinioni discrepanti à recepta totius Orbis universali doctrina: ergò nunquam incidit in hæresim.

LIX. Tertiò. Nunquam Ecclesia Romana incidit in schisma: quia schisma nihil aliud est, quàm discessio, seu separatio ab unitate Ecclesiæ, quo fit, ut vinculum communionis, quo cum Ecclesiæ corpore conjungimur, & coarctamur, rumpatur, necesse sit: atqui Ecclesia Romana nunquam rupit, aut dissolvit vinculum communionis cum aliqua priore Ecclesia, nec separavit se ab aliquo corpore fidelium Christianorum: ergò nunquam incidit in schisma. Minor manifesta est, quia impossibile est, ostendere aliquam Ecclesiam vel Christianorum Societatem, à qua discessit, vel quam deseruit Ecclesia Romana. Mihi quoque non modò stupendum videtur, verùm etiam ridiculum, & rationi omnino dissentaneum, quòd Ecclesia illa habeatur pro schismatica, cùm nulla alia Ecclesia assignari possit præter Romanam, quæ singulis sæculis ab ipso Salvatoris nostri tempore deductis, permansit visibilis, à qua illa recessit.

LX. Præterea argumentor; quia si Ecclesia Romana, quæ per aliqua sæcula fuit vera Christi Ecclesia, pura, & immaculata in fide, quam ab Apostolis acceperat, & postea conversa est in Synagogam Sathanæ, & Romanus Pontifex, qui priùs fuit verus Christi Vica-

Vicarius, & Legitimus Petri Successor, conversus est in Antichristum: necesse est, ut dicamus unum è duobus, nimirum, vel alicui Pontifici Romano vero, & legitimo successisse in Cathedra Romana alium, qui non fuit verus Christi Vicarius, & legitimus Petri Successor, sed Antichristus; vel aliquem extitisse Pontificem Romanum, qui primò fuerit verus, & legitimus Christi Vicarius, & veræ, & Apostolicæ fidei professor & custos, postea verò fidem deseruerit, & hæreses seminaverit, & ex pastore conversus sit in lupum, & ex Vicario Christi in Antichristum. Non enim est alius modus possibilis, quo verificetur, aliquando Ecclesiam Romanam habuisse verum, & legitimum Pontificem, & postea loco Pontificis legitimi habuisse, & nunc habere illegitimum, qui verus Pontifex non sit; nisi quia, vel vero, & legitimo Pontifici successit illegitimus & falsus, vel quia qui priùs fuit verus, & legitimus, factus est postea illegitimus, & falsus. Atqui utrumque est evidenter falsum, & penitùs incredibile. Nam tanta, & tam stupenda mutatio, ut Pontifex Romanus ex Vicario Christi mutaretur in Antichristum, & ex Custode veræ fidei fieret veræ fidei destructor, & devastator, & hæresiarcha, & totius Ecclesiæ eversor; non potuit fieri clanculum, & nullo contradicente, imò & nullo advertente. Quomodo ergò nulla hujus rei in historiis extat memoria? quomodo non est notata hæc defectio, nec observata nisi post tot sæcula à Luthero, & Calvino? quomodo ignoratur, quisnam fuerit primus Pontifex Romanus, qui apostatavit à vera fide? Nulla unquam in Ecclesia extitit hæresis, quin sciretur, quis fuerit ejus author, & quo cœperit tempore illam seminare. Sic scimus Arianorum authorem fuisse Arium Presbyterum Alexandrinum, qui anno 324. cœpit blasphemare contra Divinitatem Filij, ejúsque cum Patre æqualitatem. Scimus Nestorianæ hæresis authorem fuisse Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, qui anno 431. cœpit docere, in Christo esse duas Personas; & similiter de hæresi Eutychiana, de Pelagiana, & omnibus aliis, scimus authores, & tempus, in quo cœperunt.

LXI. At de defectione Ecclesiæ Romanæ à vera fide nunquam adversarij assignant tempus, in quo incœperit, nec Pontificem, qui fuerit ejus primus author, nec dogma particulare, in quo hæc defectio cœperit; imò dicunt adversarij, non simul factam mutationem, & defectionem Ecclesiæ Romanæ à vera fide, sed paulatim irrepsisse errores, non advertentibus, imò etiam dormientibus Pastoribus; unde illi apud Becanum in Compendio Manualis lib. 1. cap. 3. n. 64. & apud Bellarm. lib. de notis Ecclesiæ cap. 5. duo statuunt principia; unum est, Pontificiam Ecclesiam non subitò, sed sensim defecisse à fide, ac tandem omni fide abjectâ, adulteram factam esse. Alterum, hanc defectionem initio fuisse latentem, & occultam, adeò ut nec aliæ circumstantiæ illius designari potuerint: tandem tamen post aliquot sæcula à Luthero, & Calvino publicè

fuisse notatam, & deprehensam. Hæc autem sunt omnino incredibilia, & sine ulla veri specie. Quamvis enim dormientibus Pastoribus, possit aliquis impostor incipere seminare hæreses; at quòd illæ seminentur, nascantur, & crescant, nullo resistente, imò nullo advertente, est impossibile. Unde licèt Matt. 13. zizania dicantur seminata dormientibus hominibus, at mox nata apparuerunt, & cognita fuerunt. Quomodo igitur hæreses illæ monstruosæ, quas hæretici affricant Ecclesiæ Romanæ, per mille, & ampliùs annos detectæ non sunt, quousque venerunt oculati illi Doctores, & novi Apostoli Germaniæ, & Genevæ, Lutherus, & Calvinus, qui illas mundo manifestârunt? sanè non solùm Pastores, sed etiam Deus valde dormîsset, si per tot sæcula non excitâsset aliquem, qui his erroribus resisteret, & qui contra illos scriberet, & delendum esset ex Evangelio illud, *Ecce* ego vobiscum sum usque ad consummationem *sæculi.*

LXII. In hoc hæreticorum hujus temporis effugium invehitur non minùs eleganter quàm validè, strenuus ille fidei Catholicæ pugil, atque defensor in Anglia, Edmundus Campianus nostræ Societatis, qui proprio sanguine veritatem fidei Catholicæ consignavit, in libello illo præclaro decem rationum propositarum in causa Fidei, quibus ad certamen provocavit omnes Academicos Oxonij, & Cantabrigiæ, in septima ratione desumpta ex silentio historicorum; *Profectò* (inquit) *si quid in Religione mutatum aut à primis degeneratum sæculis inaudiissent, frequentes memorassent: si non frequentes, saltem aliqui: si non aliqui, unus aliquis absque dubio. Nullus omninò, neque benevolus nobis, neque malevolus, non modò quidquam tale prodidit, sed nec significavit. Verbi gratiâ: Dant nobis Adversarij, nec aliter possunt, fuisse Romanam Ecclesiam aliquando sanctam, Catholicam, Apostolicam, tum cùm hæc à Divo Paulo promeruisset elogia: Vestra fides annuntiatur in universo mundo.* Rom. 1. v. 8. *Sine intermissione memoriam vestri facio.* Rom. 1. v. 9. *Scio quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam.* Rom. 15. v. 29. *Salutant vos omnes Eccclesiæ Christi.* Rom. 16. v. 17. *Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est.* Rom. 16. v. 19. *Tum, cùm ibi Paulus in libera custodia disseminaret Evangelium: Tum, cùm in ea quondam Babylone collectam Ecclesiam Petrus regeret: Tum, cùm ille Clemens apprimè laudatus ab Apostolo sederet ad ipsa gubernacula: Tum, cùm profani Cæsares, ut Nero, Domitianus, Trajanus, Antoninus, Romanos Pontifices laniarent: Tum etiam, vel Calvino teste*, Instit. l. 4. c. 2. n. 3. & in epist. ad Sadol. *cùm Damasus, Siricius, Anastasius, Innocentius, clavum tenerent Apostolicum. Hoc enim sæculo, nihil adhuc, præsertim Romæ, digressos ab Evangelica doctrina, liberaliter ille concedit. Quando igitur hanc fidem tantopere celebratam Roma perdidit? quando esse desiit, quod ante fuit? quo tempore, quo Pontifice, quâ viâ, quâ vi, quibus incrementis, Urbem, & Orbem Religio pervasit aliena? quas voces, quas turbas, quæ lamenta progenuit?*

nuit? Omnes Orbe reliquo sopiti sunt, dum Roma, Roma inquam, nova Sacramenta, novum Sacrificium, novum Religionis Dogma procuderet? Nullus extitit Historicus, neque Latinus, neque Græcus, neque remotus, neque citimus, qui rem tantam, vel obscure jaceret in commentarios?

CAPUT TERTIUM.

Tertium Caput idem probandi, quia cùm sine fide impossibile sit placere Deo, si Ecclesia Romana à quinto, vel sexto sæculo veram Christi fidem perdidit, ut somniant sectarii; evidenter inde infertur, per mille annos nullum hominem salutem obtinuisse, ac proinde damnatos fuisse Benedictum, Malachiam, Bernardum, Dominicum, Franciscum, & alios, quos ipsi hæretici Sanctos fuisse fatentur. Hoc autem est evidenter falsum.

LXIII. ANte omnia tanquam primum principium supponendum est, veram Religionem, in qua homines salutem æternam consequi possint, unicam tantùm esse, non multiplicem. Una enim tantùm est veritas, & ut ait Apostolus ad Ephes. 4. *Vnus Dominus, una fides, unum baptisma: Deus, & Pater omnium.* Ex quo infertur primò, omnes Religiones, omnes fides, & fidei confessiones præter unam esse falsas, noxias, pestiferas, & authore diabolo, qui est pater mendacij, introductas. Infertur secundò, neminem, qui hanc Vnicam non habuerit, salutem æternam consequi posse, & omnes qui extra veram Religionem obierint, in æternum perituros, quantumvis alioqui laudabiliter vixerint. Quod enim Apostolus 1. Corinth. 13. de charitate dixit: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam. Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quod, inquam, Apostolus in hoc loco de charitate dixit, potiori jure dicendum est de vera fide, seu Religione, quæ charitatis, & reliquarum christianarum virtutum est fundamentum.

LXIV. Quod confirmatur ex verbis Christi Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Nemo potest venire ad Christum, & cum illo in Cœlis regnare, nisi Pater traxerit eum ad Religionem, per cujus professionem, & observantiam perventurus

turus est ad Christum: at Pater nequit trahere ad Religionem falsam, cujus non ipse, sed diabolus author est; ergò nemò potest venire ad Christum, & cùm illo in cælis regnare, nisi per professionem, & observantiam Religionis veræ. Ratio est, quia Religio, quæ à Deo non est, ad Deum ducere non potest, & quæ à cælo non descendit, non potest ducere in cælum, juxta illud Christi Joan. 3. v. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo*, idest, nemo potest ascendere in cælum, nisi qui per veram fidem, & charitatem fuerit unitus cum Christo, qui est filius Dei, qui descendit de cælo, ut nos sibi unitos, & incorporatos per veram fidem, & charitatem, secum duceret in cælum, ubi enim est caput, ibi esse debent membra ipsi unita per veram fidem, & charitatem.

LXV. Confirmatur secundò, quia ut inquit Apostolus ad Heb. 11. 6. *sine* fide *impossibile est placere Deo*; fides autem illa, sine qua impossibile est placere Deo, debet esse fides vera, & à Deo hominibus data; nam fides falsa, & à Deo non proveniens, sed à diabolo, nequit esse necessaria ad placendum Deo. Vnde Christus Joan. 3. v. 16. dicebat: *qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam sed ira Dei manet super eum.* Quare sicut non potest dari arbor sine radice, nec Domus sine fundamento; sic nec salus obtineri potest sine vera fide, & religione, quæ est radix, & fundamentum hujus spiritualis ædificij. Nemo recipietur à Deo in Domo sua cælesti, qui in hac vita non fuerit Domus, & templum, in quo Deus inhabitet, juxta illud Apostoli; *templum Dei estis vos.* In hoc autem templo fundamentum est fides, spes est veluti paries, & charitas est tectum, ut explicat Augustinus. Ergò impossibile est, ut sine professione veræ fidei, & Religionis sit aliquis verè justus, & templum Dei, & quòd sit in statu salutis.

LXVI. Hoc supposito primo principio, ex doctrina hæreticorum evidenter infertur, per mille, & amplius annos nullam fuisse veram fidem, & Religionem in mundo, quousque in Germania apparuit ille hæreticorum novus Apostolus Lutherus; ac proinde nullum hominem toto illo tempore salvatum esse. Sequela probatur: nam quando Lutherus incæpit caput efferre, & suos errores disseminare, solùm erant in mundo Religio Judaica, Religio Mahumetana, & Religio Christiana; nomen autem Religionis Christianæ solùm tunc profitebantur Christiani Pontificij, seu Catholici Romani, qui nimirum tenebant eam fidem, & profitebantur eos articulos, quos sedes Petri, seu Ecclesia Romana docebat, & Pontificem Romanum agnoscebant, ut Vicarium Christi: & Christiani Schismatici, seu Græci, qui separati sunt ab Ecclesia Romana: & secta quædam hæreticorum, nempè Hussitarum, qui scilicet sectabantur errores Joannis Hus Bohemi, qui damnati sunt in Concilio Constantiensi sub Martino V. anno 1418. ut patet ex ejus constitutione *inter cunctas*, quæ edita est, sacro approbante Concilio jam pleno, & legitimo. Manifestum autem est, nec in Re-

Religione Judaica, postquam Christus venit, esse salutem; nec esse in Religione Mahumetana, ut demonstrabimus in secunda parte hujus manuductionis. Præterea certum est ex confessione ipsorum hæreticorum, contra quos arguimus, homines non potuisse salvari in Ecclesia Græca, postquam per schisma tempore Photij Patriarchæ Constantinopolitani anno 869. separata est ab Ecclesia Latina, dum in illo schismate duraverunt; duraverunt autem ab illo tempore usque ad ann. 1438. quando sub Eugenio quarto Pontifice, & Joanne Paleologo Imperatore in Concilio florentino unita est iterum cum Latina, à qua tamen unione citò recesserunt; & ideo in pœnam pertinacis schismatis, ad quod Græci redierunt, tradidit eos Deus tyrannidi Turcarum, qui armorum vi occupaverunt Imperium Trapezuntinum, & Constantinopolitanum, quæ per tot annos in Græcia floruerant.

LXVII. Quòd certum sit ex confessione ipsorum hæreticorum, non posse Græcos schismaticos in sua Religione salvari, probatur: Quia Græci pertinaciter negant, Spiritum Sanctum procedere immediatè à Filio, asserentes procedere à solo Patre: qui est error damnatus in Symbolo Constantinopolitano, quod canitur in Missa; & ut probat Cardinalis Bellarminus Lib. 2. de Missa cap. 16. est ita antiquum, ut S. Chrysostomus, qui floruit ad finem quarti sæculi, & obiit anno Christi 407. illud inseruerit Missæ, quam composuit, ac proinde asserere Spiritum Sanctum non procedere à filio, est hæresis manifesta, non solùm apud omnes Catholicos, sed etiam apud Lutheranos, & Calvinistas, ut testatur Bellar. libro de notis Ecclesiæ cap. 9. In Ecclesia ergò Græca, quæ tempore Lutheri, & Calvini non solùm schismatica erat, per separationem à capite visibili, nempe à Romano Pontifice, sed hæretica ob negatam pertinaciter processionem Spiritûs Sancti à Filio, salvari homines non poterant.

LXVIII. Nec item salvari poterant in secta Hussitarum; quia extra veram Christi Ecclesiam nemo salvari potest, ut fatentur ipsi hæretici; illa autem secta non erat vera Christi Ecclesia, tum quia incæperat in Bohemia tempore Concilii Constantiensis, ac proinde non erat Ecclesia vera, quam Christus supra Petrum fundavit: tum quia Ecclesia vera Christi debet esse Catholica, id est Universalis, illa autem secta solùm occupavit exiguam aliquam partem Germaniæ, paucósque habuit sectatores. Denique quia illa secta jam prorsus evanuit, & finita est; vera autem Christi Ecclesia duratura est usque ad finem mundi; ergò illa secta non erat vera Christi Ecclesia, ac proinde in illa salvari non poterant. Ergo si juxta hæreticos Ecclesia Romana, & Pontificia non est vera Christi Ecclesia, nulla erat vera Christi Ecclesia, quando venit Lutherus, in qua homines possent salvari; nec fuerat per mille, & ampliùs annos, siquidem Ecclesia Romana, à qua apostatavit Lutherus, ex ipsius sententia jam defecerat à vera fide Christi post quartum, vel quintum sæculum, vel saltem post sextum. Ergò nullus homo sa-

salutem æternam obtinuit spatio mille annorum : quia extra veram Ecclesiam vera fides esse non potest, nec sine vera fide, & vera Religione potest salus obtineri.

LXIX. Perierunt ergò Benedictus, Malachias, Bernardus, Dominicus, & Franciscus ; perierunt Xaverius, Petrus de Alcantara, & Theresia, qui floruerunt in Ecclesia Romana post sextum sæculum ; hos autem sanctos fuisse hæretici ipsi fatentur. Nam Totila, quamvis hæreticus Arrianus esset, summo honore affecit S. Benedictum, & tanquam verum Dei servum, & Prophetam veneratus est, ut scribit S. Gregorius Lib. 2. Dialogorum cap. 15. Calvinus etiam institut. cap. 10. §. 17. vocat Bernardum *pium scriptorem* : nemo autem pius sine vera fide, & sanctitate esse potest. Philippus etiam Melanchton in Apologia art. 5. & 27. Confessionis Augustanæ, vocat sanctos Bernardum, Dominicum, & Franciscum ; quod idem facit Lutherus in Libro de abroganda Missa propè finem ; ut sanctum etiam venerantur Franciscum Xaverium ipsi hæretici. Sic enim de illo Richardus Haclultus Minister Anglus scribit in 2. volumine de primis navigationibus part. 2. pag. 8. *Pius ille confessor Indorum in iis, quæ ad Religionem pertinent, Institutor Franciscus Xavier, post multos exantlatos labores, post injurias, & calamitates magno animo superatas, omnibus benedictionibus plenus obiit anno 1552. postquam multa hominum millia ad fidem Christi perduxisset. De hoc Viro sancto, virtutibus ejus, & mirabilibus, omnes recentes Indorum historiæ testantur.* Hæc ille vi manifestæ veritatis coactus est eloqui, suffragantúrque Hollandorum eò navigantium de ejusdem sanctitate, & prodigiis testimonia.

LXX. Cùm ergò evidenter sit absurdum, & penitus incredibile, & impossibile, viros ejusmodi, quos Deus tot signis, & miraculis illustravit, & qui tanta pro ejus gloria amplificanda passi sunt, & tam ardenter ipsum amârunt, in æternum periisse ; consequens est, esse evidenter falsum, Ecclesiam Romanam non perseverâsse in vera fide, & Religione, quam in primis quatuor, vel quinque sæculis, ex confessione Adversariorum, puram & illibatam servavit. Quis non miretur, homines judicio aliquo pollentes, potuisse sibi persuadere, per mille, & ampliùs annos mundum fuisse sine vera CHRISTI Ecclesia ? Quid hoc est, nisi negare Dei providentiam erga hominum salutem ? Quomodo verificari potest, Deum seriò velle homines salvos fieri, si permisisset mundum per mille, & ampliùs annos perseverâsse sine vera fide, & Religione, in qua homines salutari possent ? si nulla fuit vera in Mundo Christi Ecclesia per mille annos, promptum erit cum Tertulliano, libro de præscriptionibus, contra hæreticos ab absurdo sic inferre: *Perperam ergò tot sæculis evangelizatum, perperam creditum, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata.* Quis autem non videat, quàm hæc omnia sint incredibilia, absurda, & blasphema ?

ma? Quàm totius orbis, & omnium sæculorum judicio contraria? Manifestum ergò est, Ecclesiam Romanam nunquam veram fidem, & Religionem perdidisse, quia qui hoc concesserit, cogitur devorare hoc absurdum, nempe per mille, & amplius annos nullum hominem salutem æternam obtinuisse, Deúmque conservasse mundum per tot sæcula, ut omnes homines in infernum detruderet.

LXXI. Ad fugiendum absurdum illatum, quod scilicet sequeretur, damnatos fuisse viros illos eximios, qui etiam ipsorum hæreticorum judicio sancti fuerunt, dicere quis poterit, illos fuisse excusatos per ignorantiam; sed contra, quia ignorantia non excusat, nisi in iis, quæ sunt tantùm necessaria necessitate præcepti, non autem in iis, quæ sunt necessaria necessitate medii; quale est colere, & profiteri veram Religionem; quia sine fide, & vera Religione impossibile est aliquem salvari. Deinde si vera fuerint, quæ sectarii dicunt de Ecclesia Romana, essent inexcusabiles, qui illi adhærerent, quia nimirum adhærerent *meretrici Babylonicæ* (sic enim illi vocant Ecclesiam Romanam) & essent Ministri, & instrumenta primaria Antichristi, essent idololatræ colentes creaturam pro Creatore, nimirum panem, & vinum loco Christi in Eucharistia. Nulla autem est ignorantia, qua valeant ista accusari. Fuissent ergò omnes illi impii, & æterno igne digni. Quia, homines adulti, & baptizati si gloria æterna non fruantur, necesse est, ut in ignem æternum mittantur, unum enim ex illis duobus extremis Matth. 25. 46. *& ibunt ii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*, illis competere debet.

CAPUT QUARTUM.

Impugnatur effugium quorundam Protestantium, qui cùm absurdum capitis præcedentis devorare non audeant, dicunt, posse quemlibet Christianum in sua Religione, & fide salvari; v. g. Lutheranum in sua, similiter Calvinistam, & Pontificium. Atque apertè demonstratur, si semel in Ecclesia Romana reperitur salvatio, illam reperiri non posse in secta Lutherana, vel Calviniana, nec in ulla alia negante aliquem ex articulis, quos Ecclesia Romana credendos proponit.

LXXII. Pater Richardus Arsdekin in sua Theologia tripartita parte prima cap. 2. ar. 1. testatur Sedianum, & plures præsertim in Hollandia, & Germania, & nuper in Anglia Thomam Hobbesium in elementis Philo-

Philosophicis docuisse, quemlibet Christianum posse in sua fide, & secta salvari. Et P. Leonardus Lessius in Appendice Consultationis de Religione & Fide capessenda duas hac de re instituit quæstiones. Prima *utrum quivis in sua, fide*, ac *Religione salvari possit?* & circa hanc, inquit, *Multi* hoc tempore sentiunt, quemlibet in sua Fide salvari posse; ac perinde ad salutem sufficere, credere in DEUM, & nemini facere injuriam. Secunda quæstio, *utrum si fides Christi sit necessaria, ipsa per se sufficiat, an verò aliquid aliud credere oporteat?* id est, utrùm sufficiat ad salutem credere in Christum, cúmque pro peccatis esse mortuum, etiamsi alia nolimus credere? Et post quæstionis propositionem subjungit. *Plurimi* præsertim ex plebe, id satis esse existimant, modò ea, quæ de Deo & Christo habentur in Symbolo Apostolorum, credantur, cætera omnia putant adiaphora, & quemlibet de illis posse credere prout ei bona Fide videtur credendum: Symbolum autem à quovis credi volunt juxta sensum, qui cuilibet videtur optimus. Itaque statuunt, quemlibet, qui Christum confitetur, in sua fide salvari posse; sive sit Papista, sive Lutherista, sive Calvinista, sive Anabaptista, sive alterius sectæ. Omnes enim hi tenent idem caput, quod est Christus, omnes eidem innituntur fundamento, quod est Christus JESUS. Itaque à salute excidere non possunt, etiamsi in aliis dissentiant. Hinc aliqui potentes, qui istis novis Religionibus utuntur ad stabiliendum, & amplificandum suum Imperium, plurimùm laborant, ut ex Lutheranis, & Calvinistis unam Ecclesiam conficiant, & persuadere nituntur, inter eos non esse discrimen, nisi in nescio quibus apicibus, & rebus adiaphoris. Quia res ista est magni momenti, utrúmque errorem in hoc capite impugnabo.

§. I.

Demonstratur esse evidentem errorem contra Lumen rationis, quod unusquisque possit salvari in sua fide & Religione, videlicet Mahumetanus in sua, Judæus in sua, & Christianus in sua.

LXXIII. CArdinalis Bellarminus lib. de notis Ecclesiæ cap. 11. nota octava probat ad veram Ecclesiam, in qua homines salvari possint, requiri, quòd nihil contineat falsum quoad fidei doctrinam, nihil injustum quoad doctrinam morum. Religio námque illa, quæ vel aliquod dogma falsum credit, vel aliquid injustum præcipit, nequit esse à Deo, ac proinde nequit esse talis, ut in illa homines salvari possint, & ex hac nota dicit evidenter ostendi, nullam esse veram Ecclesiam nisi nostram, *nulla enim* (inquit) est *secta*, vel Paganorum, vel Philosophorum, vel Judæorum, vel *Turcarum, vel Hæreticorum, quæ non contineat aliquos exploratos errores, & rectæ rationi manifestè contrarios.* Quod ipse probat discurrendo per singulas sectas, & postquam id probaverat de Philosophis, & Paganis, subjungit. *De Mahumetanis idem patet ex Alcorano, nam capite secundo docet, omnes salvari in suis Legibus, si eas servent,*

vent, *Judæos, Christianos, Turcas.* Et posteà addit alios crassos, & manifestos Alcorani errores; de quibus nos latè agemus in secunda parte hujus manuductionis. Nunc satìs est scivisse, esse doctrinam Alcorani, quod unusquisque salvari possit in sua Lege, & Religione.

LXXIV. Hunc esse evidentem errorem, quo convincitur, Alcoranum non esse Legem Dei, nec Librum à Spiritu Sancto dictatum, sed ex suggestione Diaboli ab illo insigni seductore Mahumeto compositum ad comparandum sibi imperium, sæpè disputans cum Mahumetanis Luce meridianâ clarius ostendi, ut patebit ex secunda parte hujus operis Lib. 2. cap. 3. Hic sufficiat rationem demonstrativam insinuare. Quia implicat, ut Leges, seu Religiones quoad doctrinam Fidei, quam credendam proponunt, invicem inter se oppositæ, sint omnes veræ; sed necesse est, ut vel omnes sint falsæ, vel una sola sit vera, & reliquæ ipsi oppositæ sint falsæ. Id quod Tullius Lib. 1. de natura Deorum scitè observavit; nam cùm retulisset varias, & inter se oppositas Philosophorum opiniones circa naturam Deorum, subjunxit: *quorum opiniones, cùm tam variæ sint, támque inter se dissidentes; alterum fieri profectò potest, ut earum nulla, alterum certè non potest, ut plùs unâ vera sit.* At Religio Christiana, Judaica, & Mahumetana sunt inter se omninò oppositæ quoad doctrinam fidei, siquidem Religio Christiana proponit credendum tanquam articulum fidei mysterium Trinitatis personarum in Unitate essentiæ; proponit credendum Christum esse non solùm sanctum, sed sanctum sanctorum, & Filium DEI naturalem, verúmque DEUM, & Messiam in Lege Veteri promissum: At Judæi, & Mahumetani conveniunt inter se in negando mysterio Trinitatis, & in neganda Divinitate Christi; licèt ex diverso motivo; nam Judæi perfidi credunt, Christum non esse Messiam promissum in Lege Veteri, nec fuisse virum sanctum, sed seductorem; At Mahumetani tanquam Articulum fidei habent Christum fuisse Prophetam sanctissimum, & Messiam promissum Judæis in Lege antiqua, ut constabit parte secunda Lib. 2. cap. 5. Evidens ergò est, has tres leges esse inter se oppositas in doctrina fidei. Ergò evidens est, non omnes illas esse veras; ergò evidens est, vel omnes esse falsas, vel ex illis unam solam esse veram; & reliquas ipsi oppositas esse falsas. Ergò evidens est, non esse salvationem in illis tribus Religionibus: nam evidens est, Religionem falsam non esse datam à Deo, & evidens est, in Religione non datâ à Deo, sed à Diabolo inductâ non posse homines salvari; Ut constat ex dictis capite præcedenti, & ampliùs constabit parte secunda Lib. 2. cap. 3. ergò est manifestus, & evidens error dicere, quòd unusquisque *potest salvari in sua Lege,* Judæus in sua, Mahumetanus in sua, & Christianus in sua.

LXXV. Ex vi hujus argumenti præcisè sumpti non probatur, homines salvari in Religione Christiana; sed evidenter ostenditur, non posse salvari in Mahumetana, vel aliqua alia, quæ continet

tinet tam crassum & evidentem errorem; nec in Judaica post adventum Christi; cùm illa contineat manifestos errores, ut probat Bellarminus lib. de notis Ecclesiæ nota 8. cap. 11. Sed ad probandum salvari homines in Religione Christiana, assumendum est aliud principium, quod est evidens, nimirum dari Deum, & Deum habere providentiam hominum, illósque creâsse, ut ipsi serviant, debitúmque illi cultum exhibeant. Frustrà enim fuisset condere hominem rationis participem, nisi eo fine, ut Conditori suo debitum cultum persolveret. Evidens ergò est Deum modò habere, & semper in mundo habuisse aliquam veram legem, per cujus observationem homines debitum Deo cultum exhiberent, & finem felicitatis æternæ consequerentur, ut probavi lib. 2. §. 2. & 3. Hoc autem principio stabilito, evidenter demonstratur Religionem Christianam esse veram. Nam tres solùm sunt Religiones, vel sectæ, quæ Unitatem Dei agnoscunt, nempe Religio Christiana, secta Mahumetana, & secta Hebræorum: aliqua ergò illorum est vera Religio, in qua homines salvari possint. At evidens est, nec Mahumetanam sectam, nec Hebraicam esse veram Dei Religionem. Ergò evidens est, solam Christianam esse veram, solámque Ecclesiam Catholicam esse veram Dei Ecclesiam; Ut enim concludit Bellarminus libro illo de notis Ecclesiæ nota octava cap. 11. *Ecclesia nostra Catholica nullum errorem, nullam turpitudinem, nihil contra rationem docet, etsi multa supra rationem: proinde sola est absolutè sancta, eíque soli convenit, quod in symbolo dicimus; Credo sanctam Ecclesiam:* Quam rem ostenderunt adversus Paganos, Justinus in utraque Apologia. Tertullianus in Apologet. capite 36. & sequentibus: Ambrosius libro primo, secundo, & tertio contra gentes. Minutius Felix in Octavio: Augustinus in libris de Civitate Dei: contra Paganos autem, & hæreticos omnes, idem ostendit accuratissimè beatus Thomas in libris contra gentes.

LXXVI. Concludamus igitur cùm S. Augustino libro secundo, de Civitate Dei, capite vigesimo octavo: *Nihil in Christianis Ecclesiis turpe, & flagitiosum spectandum, imitandúmque proponitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.* Et libro vigesimo secundo, capite septimo: *Persuadebatur veritas nova consuetudini, sed non contraria rationi.*

LXXVII. Deinde demonstratur falsum esse, quod unusquisque possit salvari in sua fide, ut enim sapienter inquit P. Lessius, *si quilibet*, etiam Turca, *vel Iudæus* in sua fide salvari potest: ergo frustra Apostoli, & sancti Patres tantopere in fide Christi asserenda laborârunt: frustra tot Martyres per omnia tormentorum genera sanguinem, & vitam pro ea profuderunt. Poterant enim ab hac doctrina, & professione absque salutis dispendio abstinere, & confessione unius Dei cum Judæis esse contenti. Addo: ergò frustra Deus factus est homo; frustra tot miracula patravit, ut Messias, & Salvator Mundi crederetur; frustra Crucifixus,

fixus, & mortuus est. Nihil enim horum ad salutem hominum erat necessarium. Satìs erat mittere per orbem prædicatores, qui fidem unius Dei mortalibus persuaderent.

§. II.

Ostenditur ex Apostolo, non posse ullum nunc salvari sine fide in Christum.

LXXVIII. HOc modo ratiocinatur Apostolus ad Galatas secundo, cùm ait: *si per legem justitia: ergò gratìs Christus mortuus est.* hoc est, si justitia potest obtineri per cognitionem unius Dei, & Legis observationem; frustra Christus mortuus est. nimirum, quia minimè saluti nostræ mors ejus erat necessaria: Unde Cardinalis Bellarminus lib. 2. de pænit. cap. 2. dicebat. *Lex vetus, ut à nova distinguitur, non habet promissionem gratiæ, nec ejus opera Deo sunt grata. Nam si ex Lege esset justitia, Christus gratìs mortuus esset, ait Apostolus* ad Galat. 2. *& qui operatur, nimirum sine gratia, quæ propria est testamenti novi, habet gloriam, sed non apud Deum, inquit idem* Roman. 4. *& Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non litterâ, sed Spiritu.* 2. Corint. 3. ubi Littera legis sine Spiritu Evangelij, tantùm abest, ut vitam adferre dicatur, ut etiam dicatur occidere. Hactenus Bellarminus. certissimum ergò est ex Paulo neminem post adventum Christi salvari posse per observationem Legis Mosaicæ; sed necessariam esse fidem Christi ad justificationem, & ad salutem. Unde idem Apostolus eodem capite secundo epistolæ ad Galatas vers. 16. dicebat: *scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: propter quod ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.* Quid clarius? absurdum ergò est existimare, quòd post adventum Christi possit aliquis salvari sine fide in Christum?

LXXIX. Quod amplius urgetur. Nam Paulus invehitur cap. 3. epistolæ ad Galatas in Galatas, eò quòd dicerent, ex operibus legis posse homines justificari, & Spiritum Sanctum accipere: & sic illos carpit. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos JESUS Christus proscriptus est. in vobis crucifixus? Hoc solum volo à vobis discere: ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, ut cùm spiritu cæperitis, nunc carne consummemini?* Et mox. *Qui ergò tribuit vobis spiritum, & operatur in vobis virtutes; ex operibus Legis, an ex auditu fidei? Sicut scriptum est; Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Cognoscite* ergò, *quia qui ex fide sunt, ij filij Abrahæ; providens autem scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur, qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham, quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, scriptum est enim, &c. Ac* mox. *Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est; quia justus ex fide vivit. & post aliqua. Sed conclusit scri-*

ptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide JESV Christi daretur credentibus,&c.

LXXX. Ex quibus verbis constat, Paulum insensatos fascinatósque appellâsse eos, qui putabant, justificationem, vel salutem ex Lege Mosaica, ac ex operibus in lege illa præscriptis haberi posse sine fide. ergò manifestum est Apostolum prædicâsse Galatis, observationem legis Mosaicæ non sufficere sine fide Christi ad justificationem, & salutem. cùm ergò indubitatum sit, Christianis omnibus legem Veterem Judæorum à Deo datam fuisse, & nullam aliam ante adventum Christi fuisse illâ sanctiorem, & valentiorem ad justificationem, & salutem; & certùm sit, Paulum asserere opera illius legis nō sufficere sine fide ad justificationem, & salutem; consequens est, ut ex mente Pauli nullus possit salvari sine fide in ulla lege. Unde falsissimum est, & contra Paulum asserere, quòd post adventum Christi & prædicationem Evangelij possit quis salvari sine fide supernaturali, & divina, per observationem solius legis naturalis. Ergò est apertè contra Paulum dicere, quòd unusquisque in sua fide, & lege possit salvari. quandoquidem Paulus apertè docet, opera legis Mosaicæ, quæ Sancta erat, & à Deo collata fuit, non sufficere ad salutem, sed necessariam esse fidem Christi.

LXXXI. Ubi adverte, Galatas deceptos hac cogitatione, quod lex Mosaica data fuisset à Deo, & esset in se sancta, existimasse, adhuc post adventum Christi esse necessariam ejus observationem ad justificationem, & salutem, nec posse aliquem per solam fidē Christi, & observationem legis Evangelicæ justificari, & salvari, nisi simul observaret legem Moysis. Hunc errorem ita impugnat Apostolus, ut nec in totum, nec in partem admittat opera legis, ut necessaria ad salutem, & ideò ad Rom. 3. v. 18. ait: *arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis*, & ad Ephes. 2. v. 5. *Salvati estis per fidem, non ex operibus*, quibus verbis significat, nec Judæos ex nuda observatione legis Mosaicæ, nec gentiles propter bona opera ante fidem susceptam patrata, justitiam à Deo consecutos esse, aut consequi potuisse. Ratio est, quia lex Mosaica, quamvis bona, & sancta, erat solùm umbra, & figura legis Evangelicæ, & adveniente Christo cessare debuit, quoad omnia præcepta cæremonialia, & judicialia, & quoad Sacramenta peculiaria illius legis, quæ præfigurabant Sacramenta novæ legis, ut explicabimus 2. part. hujus manuductionis lib. 3. cap. 12. Et ideò idem Apostolus ajebat, *in Christo Jesu nec circumcisio, nec præputium aliquid valet, sed nova creatura*, ad Gal. 6. v. 15. id est, nec lex Mosaica, in qua circumcisio præcipitur, nec ulla alia, in qua circumcisio non postulatur, sed observatur integrè retento præputio, aliquid valet ad justificationem, & salutem, postquam Christus venit, & pro hominibus mortuus est; sed requiritur, quòd homo per baptismum fiat nova creatura, & quòd, postquam per Baptismum renatus, & justificatus est, novam vitam instituat, secundùm illud ejusdem Apostoli, *eratis aliquando tenebræ,*

bræ, nunc autem lux in domino, ut filij lucis ambulate. Ut enim exponit Bellarm. lib. 2. de pœnit. cap. 5. sensus illorum verborum, *in Christo Jesu nec circumcisio, &c.* est iste, *iis, qui sunt in Christo Jesu jam per Baptismum renati, & justificati, nova vita necessaria est, sive* (ut ibidem ipse loquitur) *fides, quæ per dilectionem operatur, ut nimirum justè, sobriè, & piè vivant in hoc sæculo; neque periculum ullum imminet, si præputium gerant, neque utilitatem ullam poterit afferre circumcisio.*

LXXXII. Quare idem Apostolus cap. 3. ad Galat. v. 21. dicebat: *Si data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Priùs autem, quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itáque lex noster Pædagogus fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub Pædagogo. Omnes enim filij Dei estis per fidem;* quæ est in Christo Jesu. *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

LXXXIII. Itáque lex vetus talis non erat, ut posset sine fide justificare, & propterea Evangelista Joannes cap. 1. 17. ajebat, *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est;* Et ideò, ut ait Augustinus, lex priùs *jubebat, sed non juvabat; post Christi adventum, & jubet, & juvat.* Consulantur, quæ dicimus 2. p. lib. 3. cap. 12. quam veritatem declarans Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. de fide loquens inquit: *sine qua nulli unquam contigit justificatio.*

§. III.

Excluditur error hæreticorum asserentium, solam fidem in Christum justificare.

LXXXIV. Fides Catholica non solùm declinat errorem illum huculque impugnatum, quòd scilicet sine fide in Christum possit quis justificari, & salutem obtinere, sed errorem alium huic contrariè oppositum hæreticorum hujus temporis, qui ita extollunt fidem in Christum, ut existiment, illam solam justificare, & salvare; bona autem opera, vel esse nulla, vel nihil ad justitiam & salutem conducere; & in confirmationem sui erroris abutuntur testimonio Apostoli affirmantis, justificari hominem per fidem. Ut enim declarat Concilium Tridentinum sess. 5. cap. 8. *Cùm Apostolus dicit, justificari homines per fidem, & gratìs, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem justificari dicamus, quia fides est humanæ salutis initium, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Hæc autem fides, quæ ad justificationem est necessaria in parvulis, & infantibus, qui baptizantur ante usum rationis, est solùm habitualis, & per baptismum infunditur; nec requiritur fides actualis in ipsis, ut somniavit Lutherus, in eo fundans suum errorem, quòd alioqui *illuderetur Sacramentis sacrilego*

crilego mendacio, *dum respondetur pro infante*, *credo*. Ut enim sapienter respondet Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 11. Nullum est ibi mendacium; nam qui respondet, *credo*, non significat infantem credere proprio actu, sed alieno. Ut enim exponit S. Augustinus serm. 10. de verbis Apostoli, *accommodat Mater Ecclesia infantibus aliorum pedes*, *ut veniant*, *aliorum cor*, *ut credant*, *aliorum linguam*, *ut confiteantur*. Idque jure merito, cùm enim sint maculati per peccatum ab ipsis propriâ voluntate non commissum, sed contractum ex Adamo, licèt propriè ipsis inhærens; congruum est, ut qui sine proprio actu sunt infecti, sine proprio actu possint justificari.

§. IV.

Quænam sit fides Christi requisita in adultis ad salutem.

LXXXV. In adultis autem necessaria est ad justificationem fides actualis; unde quando adultus baptizatur, vel post Baptismum justificatur, necessariò debet præcedere in ipso actualis fides, priusquàm infundatur ipsi gratia justificans. Fides autem ista actualis ad justificationem prærequisita, est fides illa, quâ credimus in Deum, & in Filium ejus Jesum Christum juxta illud Christi Joan. 17. 3. *Hæc est autem vita æterna*, *ut cognoscant te solum verum Deum*, *& quem misisti Jesum Christum*: id est, hæc est causa vitæ æternæ, & hâc solâ viâ obtinenda est, nempe fide Divinitatis, & Mysterij Incarnationis; ut credatur Deus, & credatur Christus; ut ad litteram exponit Cardinalis Toletus. Articulorum enim fidei hæc summa est, nempe veritas Divinitatis, quæ in Unitate essentiæ identificat Trinitatem Personarum, & Mysterium Incarnationis Christi, per quem redemptio perfecta est, quorum sine fide nemo vitam æternam obtinere potest. Ad salutem enim requiritur, quòd cognoscamus finem nostrum ultimum, qui est Deus unus, & Trinus, & Mediatorem Jesum Christum, cujus passionem & mortem Deus elegit, ut medium necessarium ad hominum salutem.

LXXXVI. Unde sicut nemo potest salvari, qui ignoret Deum, & beneficium creationis, & ideò nullus idololatra salvari potest: ita nullus potest salvari, qui ignoret Christum, & beneficium redemptionis, siquidem redemptionis beneficium est longè majus, & mirabilius, magísque ad gloriam Dei, & Christi pertinet, & ampliorem à nobis gratitudinem, & servitutem postulat. Scripturæ enim apertè dicunt, Christi redemptionem nobis non applicari nisi per fidem ejusdem, ut patet ex illo Rom. 3. v. 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes*, *qui credunt in eum*, & v. 25. *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*. Ex illo Joan. 20. *Hæc scripta sunt*, *ut credatis*, *quia Jesus est Christus Filius Dei*, *& ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Et ex illo Christi Joan. 11. *Omnis qui vivit*, *& credit in me*, *non morietur in æternum*. Et ex illo Joannis epist. 1. cap. 4. *In hoc cognoscitur*

tur Spiritus Dei. Omnis Spiritus, qui confitetur Jesum Christum venisse in carne, ex Deo est. Et ex illo Christi Joan. 3. *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*; id est, oportet Christum crucifigi; & constat ex verbis, quæ Christus ipse apparens Saulo dixit Act. 26. *Nunc ego mitto te ad gentes, aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter Sanctos, per fidem, quæ est in me.* Idem constat ex actibus Apost. cap. 4. à v. 10. ad 13. & Apocal. 1. à v. 5. & 6. & Apocal. 7. v. 14.

LXXXVII. Idque ratio ipsa postulat, ut expendit optimè P. Lessius, quia ut efficiamur participes alicujus magni & insoliti beneficij, omnis ratio postulat, ut agnoscamus beneficium, & benefactorem, eúmque, ut par est, cum omni gratiarum actione honoremus: hanc enim gratitudinem ipsa conditio beneficij, & benefactoris postulat. Itaque cùm beneficium redemptionis sit adeò magnum, & exoticum, & ipse, qui illud contulit, adeò sublimis, & eximius, & modus, quo contulit, adeò mirabilis: operæ pretium erat, hæc omnia à nobis cognosci, ne prorsus ingrati in tantum benefactorem viveremus, & moreremur, néve pro amore odium, pro benedictione maledicta, pro gratiarum actione blasphemias ei more Judæorum rependeremus. Absurdum itaque est, eos, qui in Christum non credunt, salutis per Christum nobis paratæ ponere participes.

LXXXVIII. Ad fidem in Deum, & Christum pertinent Mysteria omnia contenta in Symbolo, quæ explicitè credere debemus, & implicitè reliqua omnia, quæ Ecclesia Sancta Catholica credenda proponit. Et hæc est fides necessaria ad salutem; non autem illa fides specialis, quam Lutherus, & Calvinus fidem justificantem appellant; cùm potiùs sit superba præsumptio, & manifestus error contra lumen rationis. Ut enim inquit Bellarm. lib. de notis Ecclesiæ cap. 11. in quo probat, omnes Sectas oppositas Religioni Catholicæ continere aliquem, vel aliquos manifestos errores contra rationem, & errorem manifestum designans in Sectis hæreticorum nostri temporis, inquit: *Sectarij nostri temporis docent, omnem hominem justificari solâ fide speciali, quâ quisque certò credit, se propter Christum coram Deo esse justum, quod cum quolibet paradoxo comparari potest; non enim est id supra, vel præter rationem, sed planè contra omnem rationem. Quæro enim, cùm incipio credere, me esse justum, vel sum justus, vel injustus? si justus, igitur justificor per fidem illam, quæ est posterior meâ justitiâ; si injustus, ergò ista fides est falsa, ergò non est fides Divina justificans, nisi dicamus, homines justificari per mendacium.*



§. V.

Solvitur objectio, contendens non esse necessariam fidem explicitam in Christum ad salutem, & exponitur, quomodo Deus omnibus distribuat auxilia sufficientia ad perveniendum ad hanc fidem.

LXXXIX. SEd objicies: Potest quis educari inter gentes, ad quas nunquam pervenerit ulla Christi notitia, imò educari in silvis, ubi à nullo possit audire Mysterium Incarnationis; ille autem sic educatus potest sequi ductum naturalis rationis in appetitu boni, & fuga mali, & sic servare legem naturalem sine peccato ullo mortali, præsertim si exiguo tempore post usum rationis moriatur; ergò potest sine fide Christi salvari: nam huic facienti, quod in se est, Deus gratiam salvationis non negabit. Verùm hoc argumentum nimis probat, nimirum ad salutem non esse necessariam fidem supernaturalem, & infusam, contra illud Pauli, *sine fide impossibile est placere Deo.* Et contra illud ejusdem ad Hebr. 11. *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Probatur sequela; quia *fides ex auditu.* Rom. 10. 17. Ergò nullus potest credere, nisi audiat res fidei. *Quomodò autem audiet, si* non sit prædicator, qui proponat? *Quomodò audient sine prædicante?* Rom. 10. 14. Ergò fidem supernaturalem nullus potest adultus obtinere, nisi audiat prædicatorem veræ fidei. Ergò si potest salvari is, cui nunquam Christus prædicatus est, poterit salvari is, cui nunquam vera fides, veráque Religio prædicata est.

XC. Respondeo ergò, fieri non posse, ut homo vivens inter gentes, quibus nunquam annuntiatus est Christus, se immunem à peccato servet, nisi ex gratia Dei illi collata propter merita Christi, vi cujus efficaciter moveatur ad observandam legem naturalem. Cui autem Deus ob merita Christi hanc gratiam præstat, ut vivens inter gentes, abstineat ab omni peccato mortali, & potens transgredi præcepta Decalogi, quæ sunt de lege naturæ, non transgrediatur; eidem infallibiliter gratiam fidei in Christum dispensabit, vel disponendo, ut abducatur captivus in terram Christianorum, vel illuc aliquâ singulari providentiâ destinando Prædicatorem, qui illi annuntiet Christum, vel illum internè illuminando. Et hæc est legitima & solida solutio, ad quam recurrit Theologorum Princeps D. Thomas. Nam 2. 2. q. 2. art. 7. & 8. docet, post tempora gratiæ revelatæ tam majores, quàm minores teneri ad fidem explicitam eorum, quæ ad Mysteria Incarnationis, & Trinitatis spectant, & clariùs in 3. dist. 25. q. 2. ad 2. affirmat, post adventum Christi omnes teneri ad explicitè credendam Incarnationem: Et respondens ad objectionem nuper factam, inquit: *si aliquis instructorem non habeat, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa maneret.* Id quod fusiùs explicat q. 14. de veritate art. 11. in quo inquirit, *num sit necessarium, aliquid explicitè credere?* Et pro parte negativa, proponit hoc argumentum. *Possibile est enim* (inquit) *aliquem*

aliquem nutriri in silvis, vel inter lupos; & talis non potest aliquid de fide cognoscere, & sic erit aliquis homo, qui de necessitate damnabitur, quod est inconveniens, & sic non videtur, quòd sit necessarium aliquid explicitè credere. Cui argumento respondet: *dicendum, quòd non sequitur inconveniens, posito, quòd quilibet teneatur aliquid explicitè credere, si in silvis, vel inter bruta animalia nutriatur: hoc enim ad Divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessarijs ad salutem, dummodò ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus nutum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè est tenendum, quòd ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium Act.* 10. Et ibidem ad 2. addit, *quòd quamvis non sit in potestate nostra cognoscere ea, quæ sunt fidei ex nobis ipsis; tamen si nos fecerimus, quod in nobis est, ut scilicet ductum naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis est necessarium.*

XCI. Et hæc est Doctrina S. Augustini, qui Epist. 49. ad Deo gratias latè explicat, quo modo Deus omnibus adultis provideat mèdia sufficientissima ad salutem, & potestatem veniendi ad Religionem Christianam, si per ipsos non stet, quibus explicatis concludit: *ita salus Religionis hujus, per quam solam veram salus vera veracitérque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.* Quare adulti, qui pereunt, & damnantur, sibi ipsis imputare debent, quòd damnentur in æternum: quamvis enim ex sententia D. Thomæ, & communi Theologorum apud Patrem Suarez disp. 12. de fide sect. 4. n. 9. illis subscribentem, post promulgationem Evangelij fides explicita in Christum sit medium necessarium ad salutem, hoc medium Deus omnibus offert, siquidem omnibus dispensat auxilia gratiæ sufficientia ad observandam legem naturalem; qui autem legem naturalem observaverit, infallibiliter perveniet ad fidem Christi, facienti enim, quod in se est, ad quærendam veram Religionem necessariam ad salutem, Deus non denegabit gratiam necessariam ad illam obtinendam.

XCII. In hunc scopum adducit S. Augustinus lib. de prædestinat. sanct. cap. 7. successum Cornelij Centurionis, qui Act. 10. describitur, *Vir justus, religiosus, ac timens Deum, cujus orationes, & eleemosynæ accepta erant coram Deo,* & tamen admonitus fuit ab Angelo, ut vocaret Petrum, qui prædicaret ipsi fidem Christi, ut salvus fieret; ex quo infert Augustinus necessitatem fidei in Christum ad salutem. Sic enim ait, *cujus accepta sunt eleemosynæ, & auditæ orationes,* antequam credidisset in Christum; *nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat; nam quomodò invocabat, in quem non crediderat? sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Apostolus Petrus.*

* * *

§. VI.

An Cornelius Centurio fuerit justificatus ante fidem explicitam Christi? ubi statuitur pars negativa.

XCIII. Et quamvis Actorum 10. v. 14. dicatur *Cornelius Centurio Vir justus, & timens Deum,* & hinc aliqui Doctores affirment, illum justificatum fuisse ante fidem Christi susceptam ob prædicationem Petri, & M. Canus. in relect. de Sacram. par. 2. concl. 3 propterea doceat, fidem explicitam Christi esse quidem medium necessarium post Christi adventum ad gloriæ consecutionem, non tamen ad justificationem, idque probet, quia Cornelius erat justus, & tamen necesse habuit instrui à Petro, ut salvus fieret. Quamvis, inquam, eo loco dicatur Cornelius justus, inde non probatur sufficienter, Cornelium fuisse justum justitiâ supernaturali ante adventum Petri. Tum quia non appellatur justus ab historico sacro, sed à duobus domesticis Cornelij, & ab uno milite ejus, quos ipse ex admonitu Angeli misit in Joppem, ut vocarent Petrum in domum suam: tum quia, ut probat P. Vasquez 12. disp. 192. cap. 1. Locus iste non est intelligendus de justitia supernaturali, sed solùm de justitia quadam morali, quia nimirum Cornelius regulariter legem naturalem observabat, & bonis operibus studebat, licèt in aliquo deficeret.

XCIV. Sententia autem M. Cani communiter impugnatur. Et sententia communis Patrum est, Cornelium non fuisse coram Deo justificatum, nisi post susceptam fidem Christi per prædicationem Petri. Unde Chrysost. tom. 3. in sermone de fide, & lege naturæ inquit. *Et vis planè videre, quòd opera sine fide non vivificantur? Testimonium bonum habuit Cornelius de eleemosyna, & precibus, & Christum ignorabat, & quia magnus ille justitiæ, & veritatis judex personarum respectum nesciens, vidit bona quidem opera, sed mortua, quia fidem non habebat, mittit divinum Angelum.* Idem docet S. Gregorius hom. 9. in Ezech. dicens: *Unum sine alio nihil prodesse valet, quia nec fides sine operibus, nec opera sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda: sicut Cornelius pro bonis operibus meruit audiri, antequam fidelis existeret.* Idem docet Basilius in regulis brevioribus regulâ 224. & Augustinus expresè multis in locis, quæ congerit Vasquez.

XCV. Adeóque necessariam judicavit hanc fidem in Christum Augustinus ad salutem, ut videatur censuisse, illam fuisse necessariam adhuc in vetere lege, & in lege naturæ. Sic enim ait lib. 2. de gratia Christi, cap. 24 ubi sic loquitur. *Itaque sine ista fide hoc est sine fide unius Mediatoris Dei, & hominum, hominis Christi Jesu, sine fide, inquam, resurrectionis ejus, quam Deus hominibus definivit, qua utique sine incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent à peccatis, potuisse mundari, & Dei gratiâ justificari, veritas Christiana non dubitat: sive in ijs justis, quos Sancta Scriptura commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt; vel ante diluvium, vel*

inde usque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solùm in filiis Israel, sicut fuerunt Prophetæ, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Job.

XCVI. Hactenùs ibi Augustinus, cujus verba explicatione indigent, ne contra communem sententiam Theologorum cogamur dicere, neminem unquam ex adultis salutem obtinuisse sine fide explicita Christi, quod durum videtur; nam licèt aliqui in lege naturæ, & in lege scripta habuerint fidem explicitam Christi venturi, tamen fides ista explicita tunc non erat necessaria ad salutem; sed sufficiebat fides implicita; ut explicat D. Thomas 22. q. 2. ar. 7. ad 3. his verbis: *Dicendum, quòd multis Gentilium facta fuit revelatio de Christo: ut patet per ea, quæ prædixerunt.* Nam Job 19. dicitur: *Scio, quòd Redemptor meus vivit. Sibilla etiam prænuntiavit quædam de Christo, ut August. dicit. Invenitur etiam in historiis Romanorum, quòd tempore Constantini Augusti, & Helenæ matris ejus inventum fuit quoddam sepulchrum, in quo jacebat homo, auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat, Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum. O sol sub Helenæ, & Constantini temporibus iterum me videbis. Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in Divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundùm modos sibi placitos, & secundùm quod aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus revelâsset: secundùm illud Job. 35. cap. qui docet nos super jumenta terræ.*

XCVII. Habemus ergò, post adventum Christi, & prædicationem Evangelii esse omninò necessariam ad salutem fidem explicitam Incarnationis Verbi, & Mediatoris Dei, & hominum Christi JESU. *Nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ut dixit D. Petrus Act. 4. v. 12. Quam fidem Deus, quantum est ex se, est paratus dare omnibus non ponentibus obicem peccatis suis personalibus; si enim, ut possunt, observent legem naturalem, & quærant seriò, & diligenter veram Religionem, illam infallibiliter invenient. Sic invenerunt Clemens Romanus, Justinus Philosophus, Hilarius, Gregorius Taumaturgus, & alii, qui diligenter illam quæsierunt, & in Historia Societatis habemus de hoc illustria exempla: illud præclarum, quod accidit Venerabili P. Josepho de Anchieta fama sanctitatis, & miraculis celebri in Brasilia, ubi fidem Christianam prædicavit, & nomen novi Taumaturgi ob multitudinem signorum meruit, & refertur à P. Sebastiano Beretario Florentino in vita Latina, quam de hoc illustri Viro collegit ex iis, quæ lingua Lusitanica quatuor libris scripserat P. Petrus Roterigius Provincialis Societatis in Brasilia, lib. 2. pag. mihi 218.

XCVIII. *Ex multis* (inquit) *quæ inde Josephus animarum lucra retulit, unum admiratione dignum, & cujus haud facilè simile reperias exemplum, non prætereibo, ex quo divinæ Bonitati laudes reddantur, quæ admiranda planè*

ratione Ethnicum hominem ad sua prædestinationis finem adduxit. Obibat Josephus de more suam hanc provinciam. cùm à comitibus digressus solus in sylvas penitùs intravit, nullo certo consilio, nulla ei subita rei novæ oborta cogitatione, sed quasi alterius manu duceretur, in senem incidit Brasilium, humi abjectum, atque arbori applicitum. Is Patrem ad se adeuntem his vocibus compellat. Perge huc adire, jam diu enim hìc tibi præstolor. Quærit ex eo Pater, quinam sit, quáque ex terra vicóve eò venerit. Respondit senex, patriam suam mari imminere; aliáque adjecit, ex quibus Pater intellexit, ipsum neque ex Itaniensibus, neque è Vincentianis finibus, neque ex tota ora Brasiliæ, in qua versantur Lusitani, sed ex remotioribus terris, fortasse circa flumen argenteum, aliísve Australibus partibus infra tropicum (nam Brasilico loquebatur idiomate) vel ministerio supra quàm humano eò translatū, vel divino aliquo monitore, ac duce suis gressibus venisse, ex quo labore, & ætate fractum ibi quievisse divini promissi fidem expectantem. Quæsivit rursus Pater, quid eò venisset, & quid sibi quæreret? Respondit, ut rectam vitam percipiam. Hoc loquendi modo divinam legem, & iter ad salutem intelligunt Brasilii. Cùm multa de eo exquisijsset; accuratéque vitæ genus per omnes ætatis partes perscrutatus, omnia illius facta cogitatáque excussisset; cognovit, ipsum nunquam plùs unam conjugem habuisse, nunquam bellum, aut arma nisi sui defendendi causa suscepisse; denique omnibus subtiliter, minutatímque perpensis, statuit apud animum suum Pater, hominem illum nulla unquam lethali culpa naturæ legem violâsse; ut verissimum illud esse credamus, quod de id genus hominibus, integerrima vita innocentia in infidelitate viventibus sacræ nos docent interpretes doctrinæ. Comperit præterea hominem natura bono magna præditum cognitione rerum pertinentium ad animum, æqui præsertim, & iniqui: tum etiam ipsius naturæ auctoris. Et, cùm multa de veræ Religionis mysteriis illi Pater exponeret, subjiciebat identidem, se intra animum suum ita sensisse, sed expromere nescîsse. Ergò satis instructum, labore, & ærumnis itinerum, ætatéque confectum, quoniam solutio instabat, aquâ pluviâ ex carduo collectâ (nulla enim alia in arenis illis suppetebat) baptizavit, Adamúmque illi nomen dedit: qui tam divino affectus beneficio, operante intus virtute Sacramenti, divinæ in se gratiæ sentiens charismata, oculis manibúsque in Cœlum sublatis, læto vultu divinæ Bonitati primùm, tum etiam Patri gratias agit, & quasi expetiti voti compos. cùm superesset nihil eorum, quorum illuc causâ divino ductu venerat, omni solutus cura, animam sacro lavacro expiatam, in ipso primo suæ regenerationis vestigio Deo reddidit, Patre abeuntē statis precibus de more commendante. Corpus exanime Pater sacris adjunctis precibus sabulo sepelivit. Illud aliquando fortasse divina providentia, & dies in lucem proferet: neque enim locum in invia sylva. & arenis indagare facile fuit. Hæc peregrè cùm rediisset, ipse postea narravit.

XCIX. Narrat insuper P. Franciscus Sachinus par. 4. hist. nostræ societatis

tatis lib. 6. n. 229. in vita insignis Martyris Rodolphi Aquaviva, illum, cùm primùm in Salseten venit, sacro fonte abluisse viginti homines, ut sic primitias suæ culturæ offerret Deo: *in his* (inquit historicus) *fuit vir Maurus genere, qui nullius mortalis suasu petitum venit Baptismum ex Balegate, quàm ocyssimè expiari cupiens, quòd, ut ajebat, nesciebat, quando esset moriturus. Ecce autem statim à Baptismo, ita soluta est narium vena; ut cum immensa copia sanguinis supremo spiritu emisso, eodem tempore in militantem, triumphantémque Christi Ecclesiam adscriptus sit.* Aliud singulare Exemplum narrat idem Sacchinus parte V. histo- Societatis Lib. 5. n. 191. de quodam juvene inter Brasillos Mediterraneos prænobili, qui ob vitam inter Gentiles innocenter actam meruit à Deo ad Baptismum mirabiliter trahi. *Is ab ineunte pueritiâ* (inquit historicus) *mirabilem se suis popularibus præbuerat, pudicitiâ, & sobrietate, virtutibus in illa Barbarie tam raris, ut qui eas constanter colant, nihil minùs, quàm cœlestes Angeli, aut homines de cœlo delapsi videantur. Huic domi agenti cùm famâ, & sermonibus hominum allata esset notitia quadam Christianæ Religionis, cujus Magistri, & Professores in Regionibus mari vicinis esse dicerentur, arcanum, & vehemens innatum desiderium ejus cognoscendæ, peregrinationem in eas partes persuasit. Venit, vidit, acquievit, volens poscénsque baptizatus est. Vitáque aliquamdiu Sanctè intet Christianos acta, in morbum incidit, quo post animum confessione purgatum Sacræ Eucharistiæ Viatico munitus in Suavissimis cum Christo præsente colloquiis, lætus, & gratulans, vinculo corporis solutus est.*

§. VII.

Rejicitur error quorundam hæreticorum nostri temporis asserentium, posse omnes Christianorum sectas in sua fide, & Religione salvari, dummodò credant articulos in Symbolo Apostolorum contentos, quamvis in aliis inter se dissentiant.

C. V. g. posse Pontificios, seu Catholicos Romanos in Religione Catholica salvari: posse Lutheranos in Lutheranismo, Calvinistas in Calvinismo, & sic de aliis hæreticorum sectis, quia hi omnes credunt 12. articulos fidei, qui in symbolo Apostolorum continentur. Hos appellat Politicos P. Becanus in manuali lib. 5. cap. 1. P. Lessius citatus supra in proœmio hujus capitis dicit plurimos ita sentire, præsertim de plebe, qui ita sentiunt, facilè mutant Religionem, & de una secta transeunt facilè in aliam, prout ipsis commodum magis est. Reddúntque rationem hujus imaginationis, quia Symbolum Apostolorum est regula, & summa Religionis Christianæ, ut notat S. Augustinus ser. 13. de tempore, cùm ait: *Symbolum est regula fidei vestræ brevis, & grandis: Brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum*, & ser. 181. *Apostoli certam regulam fidei tradiderunt, quam secundùm numerum Apostolorum, duodecim sententiis comprehensam, Symbolum vocârunt; per quam credentes, Catholicam tenuerunt unitatem, & hæreticam convicerunt pravi-*

pravitatem, ergò qui credit hos duodecim articulos, tenet summam Religionis Christianæ: tenet Catholicam unitatem, & hæreticam convincit pravitatem: ergò quamvis in aliis dogmatibus, & articulis dissentiat à Catholicis Romanis, poterit salvari; hoc enim dissidium videtur esse solùm in rebus non attinentibus ad substantiam, sed ad sola accidentia Religionis: Unde sicut Thomistæ, & Scotistæ, Dominicani, & Jesuitæ licèt differant in quibusdam doctrinis, conveniunt in substantia doctrinæ necessariæ ad salutem; ità Calvinistæ, atque Lutherani licèt in quibusdam articulis dissentiant à Pontificiis, seu Catholicis Romanis; nihilominùs quia conveniunt in articulis contentis in Symbolo Apostolorum, conveniunt in substantia Religionis, & solùm differunt in quibusdam accidentibus, quæ non sunt necessaria ad salutem.

CI. Hæc doctrina de falsitate convincitur demonstrativè ex dictis in hoc cap. §. 1. comparando Religionem Christianam cum Mahumetana, & Judaica: quibus aliqua superaddenda sunt comparando Christianorum sectas inter se. Convincitur, inquam, demonstrativè, quia hoc ipso, quòd aliquæ Religiones, vel sectæ opponantur inter se in aliquibus articulis, quos credendos proponunt, evidens est, non posse esse salvationem in utrisque, seu in omnibus illis: quia evidens hoc ipso est, aliquam, vel aliquas ex illis esse falsas, & non posse esse veram plùs quàm unam. Evidens autem est in Religione falsa, non posse homines salvari: Ut enim testatur Cardinalis Bellar. in libro de notis Ecclesiæ capit. 1. *Omnes confitentur, in sola vera Eccesia, seu vera Religione, esse veram fidem, veram peccatorum remissionem, veram spem salutis aeternæ*: additque, hoc docere omnes Patres, nec hæreticos id negare: *nam idcircò* (inquit) *omnis hæresis ad se solam trahit veram Ecclesiam, & alios omnes extra Ecclesiam ponit.* Idque ratio evidens convincit, quia religio falsa nequit Deum habere authorem: In Religione autem, quæ Deum non habet authorem, sed diabolum, nequit esse salvatio, & spes salutis. Unde meritò Cyprianus in libro de simplicitate Prælatorum dixit: *Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt, ardeant licèt flammis & ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: occidi talis potest, coronari non potest.*

CII. Quòd autem evidens sit, ex Religionibus, vel sectis habentibus articulos aliquos oppositos, quos credendos proponunt, aliquam, vel aliquas esse falsas, constat: quia ut Religio sit falsa, non requiritur, ut omnia, quæ credenda proponit, sint falsa, satis est, quòd aliqua, vel aliquod dogma falsum credendum proponat. Sic Religio Mahumetana falsa est, quamvis multa vera credenda proponat, videlicet unitatem Dei, præmium virtutis, pœnam vitiorum, & alia hujusmodi, quia cum his veritatibus proponit credendos multos errores. sic Religio perfidorum Hebræorum, multa vera credenda proponit, & tamen quia falsa cum illis miscet, falsa, & fallax

fallax est. Cùm ergò evidens sit, Religionem Catholicam opponi in multis articulis, quos credendos proponit, Sectæ Calvinianæ, & Lutheranæ, evidens est, vel illas sectas esse falsas, vel esse falsam Religionem Catholicam Romanam. Nam v. g. Religio Catholica Romana credendam proponit præsentiam realem Christi in Eucharistia: Calviniana secta hunc articulum negat, & proponit credendum oppositum. Vel hæc præsentia est vera, vel est falsa? Si est vera; evidenter sequitur, esse falsam sectam Calvinianam, quæ credit, non dari talem præsentiam. Si hæc præsentia Christi in Eucharistia est falsa, evidenter infertur esse falsam Religionem Catholicam, quæ illam credendam proponit; & idem argumentum fieri potest de aliis articulis, in quibus Religio Catholica opponitur cum secta Calviniana, & Lutherana, circa numerum Sacramentorum, circa fidem justificantem, circa Purgatorium, circa necessitatem bonorũ operum. Ergò evidens est, non esse veras omnes istas Religiones; sed aliquas ex illis esse falsas. Ergò est evidens, non posse homines in omnibus illis salvari; ergò est evidentissimus error, dicere, quemlibet Christianum in sua Religione, & fide salvari posse per hoc præcisè, quòd credat duodecim articulos contentos in Symbolo Apostolorum; nam si simul cum his veritatibus credit aliquam falsitatem, ut dogma fidei, Religio aliqua, illa est Religio falsa, & non habet Deum authorem, ac proinde nequit in illa esse salus.

§. VIII.

Cùm ad salutem requiratur fides supernaturalis & Divina; hæretici circa mysteria, etiam quæ verè confitentur, non habent nisi fidem purè humanam, ex motivo suo fallacem, sicut habent Mahumetani.

CIII. Idque alia manifesta ratione evincitur, nam ut quis possit salvari, debet credere fide supernaturali infallibili, & divinâ articulos illos contentos in Symbolo: nam *sine fide impossibile est placere Deo*, utique sine fide infusa, infallibili, supernaturali, & divina, omnino veraci: nam operari ex fide purè humanâ, & fallaci, quæ simul cum veritatibus credit falsitates, non sufficit ad placendum Deo; alioqui Mahumetani, Hebræi perfidi, & omnes hæreticorum sectæ placerent Deo: non credit autem fide supernaturali, infallibili & divina articulos contentos in Symbolo, qui negat aliquem alium articulum, quem Ecclesia Catholica credendum proponit; sed fide humana, & ex motivo fallaci, se extendente ad errores, quia objectum formale, & motivum fidei Divinæ solùm complectitur veritates reipsa à Deo revelatas. Unde hæreticus, unam ex veritatibus à Deo revelatis, & ab Ecclesia Catholica propositis, pertinaciter negans, non habet de aliis *nisi opinionem quandam secundùm propriam voluntatem*, ut Loquitur D. Th. 2. 2. q. 5. ar. 3. quo inquirit, *utrum qui discredit unum articulum fidei, possit habere fidem informem de aliis articulis?* Et ad quæstionem respondet his verbis. *Dicendum, quòd in hæretico*

discredente unum articulum fidei, non manet fides, neque formata, neque informis. Cujus ratio est, quia species cujuslibet habitus dependet ex formali ratione objecti quâ sublatâ, species habitus remanere non potest; formale autem objectum fidei est Veritas prima, secundùm quod manifestatur in Scripturis Sacris & Doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima. Unde quicumque non inhæret, sicut infallibili & divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in Scripturis Sacris manifestata, ille non habet habitum fidei, sed ea, quæ sunt fidei, alio modo tenet, quàm per fidem: sicut si aliquis teneat mente aliquam conclusionem, non cognoscens medium illius demonstrationis, manifestum est quòd non habet ejus scientiam, sed opinionem solùm: manifestum est autem, quòd ille, qui inhæret Doctrinæ Ecclesiæ, tanquam infallibili regulæ, omnibus assentit, quæ Ecclesia docet: alioquin si de iis, quæ Ecclesia docet, quæ vult, tenet, non jam inhæret Ecclesiæ doctrinæ, sicut infallibili regulæ, sed propriæ voluntati. Et sic manifestum est, quòd hæreticus, qui pertinaciter discredit unum articulum fidei, non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiæ. Si enim non pertinaciter, jam non est hæreticus, sed solùm errans. Unde manifestum est, quòd talis hæreticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quandam secundùm propriam voluntatem.

CIV. Quapropter in fide non solùm spectandum est, quid credatur, sed potissimùm, quo fundamento credatur, seu quæ sit tota sic credendi ratio; ex hac enim tota fidei natura, & conditio pendet. Qualis enim est credendi ratio, & fidei fundamentum, talis est & ipsa fides: quare si credendi ratio sit fallax, fides erit fallax, & erroribus obnoxia: si autem credendi ratio sit divina, infallibilis, & falli nescia; fides erit certa, & infallibilis. Ratio autem credendi, & fundamentum fidei in sola Ecclesia Catholica est infallibile, nempe revelatio divina proposita ab Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum Veritatis, quæ ob assistentiam infallibilem Sp. Sancti nequit credendū proponere nisi illud, quod à Deo revelatum est, vel ex revelatis necessariò infertur. Ratio autem, & motivum credendi, quo nituntur hæretici, fallax est; unde etiam veritates ipsas, quas habent cum Catholicis communes, non credunt fide divina infallibili, sed fide humanâ ex ratione sua fallaci, & erroribus obnoxia, ac proinde insufficienti ad salutem. Unde eorum fides circa vera dogmata, qua credunt, similis est fidei, quam habent Mahumetani de uno Deo conditore omnium, & de aliis veritatibus circa immortalitatē animæ, & præmium bonorum, & supplicium malorum, quas credunt. Credunt quidem Turcæ, Deum esse unum conditorem omnium, remuneratorem bonorum operum, & vindicem malorum; sed id credunt, quia ita docet Alcoranus, quem Spiritu divino conscriptum putant. Unde credunt motivo fallaci, vi cujus pariter credunt multa falsa, videlicet, in Deo non esse nisi unicam personam, Christum non esse Deum, sed Prophetam Sanctum, Mahumeto minorem, tenendam esse circumcisionem, & similia.

Simi-

Similis eſt fides hæreticorum: quamvis enim credant veritatem unius Dei, Trinitatem perſonarum, Divinitatem Chriſti, ejus mortem, & reſurrectionem, & alias veritates contentas in Symbolo, has credunt ex fundamento fallaci; viciſſim credunt pariter tanquam dogmata fidei manifeſtos errores. Vel enim credunt ſua dogmata propter authoritatem ſuorum Apoſtolorum, Lutheri, & Calvini, quos divino Spiritu afflatos eſſe exiſtimant: vel quia ſinguli proprio judicio ea in ſcripturis contineri judicant, vel ab Apoſtolis tradita: vel quia denique Spiritus privatus interiùs teſtatur, ea eſſe vera, & hanc eſſe Scripturæ Sacræ mentem; omnis autem ejuſmodi credendi ratio eſt omnino fallax: unde ſæpe putantes ſe credere veritatem revelatam à Deo, credunt blaſphemiam. Sic Calvinus articulum illum Symboli, *Deſcendit ad inferos*, ita intellexit, ut ſibi perſuaſerit, ibi ſignificari, Chriſtum ſuſtinuiſſe tormenta damnatorum, dubitâſſe de ſua ſalute, & timuiſſe, ne ab æterna morte penitus abſorberetur: unde Calviniſtæ ſecuti ſuum Doctorem, & Prophetam, in hoc articulo non veritatem à Deo revelatam, ſed blaſphemiam à Calvino confectam credunt.

CV. Hinc patet, ad veram fidem requiri, quòd virtualiter in omni ſuo actu extendatur ad omnia, quæ Deus revelavit; qui enim credit unum articulum, quia Deus revelavit, & ſibi perſuadet, Deum revelâſſe, quia Eccleſia, quæ eſt columna, & firmamentum Veritatis, proponit illud tanquam à Deo revelatum, paratus debet eſſe credere omnia, quæ Eccleſia credenda proponit: unde nullum articulum ab Eccleſia propoſitum poteſt diſcredere. Vnde quando dicitur ſalvari poſſe omnes, qui credunt duodecim articulos contentos in ſymbolo Apoſtolorum; hoc ſolùm eſt verum, ſi credant ſecundùm verum, & legitimum ſenſum intentum ab Apoſtolis, qui eſt ille, quem Eccleſia proponit Catholica, ídque creditur in illo articulo Symboli, *Sanctam Eccleſiam Catholicam*: jubemur enim credere, talem Eccleſiam dari. Vt autem inquit Bellarminus Lib. de notis Eccleſiæ cap. 11. *Conſtat, Sanctam dici Eccleſiam, quia profeſſio ejus eſt Sancta, nihil continens falſum quoad fidei doctrinam, nihil injuſtum quoad doctrinam morum*, quæ nota ſoli convenit Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, quæ ſola eſt Catholica, id eſt univerſalis, & Sancta. Vnde quicumque fide Divina credit articulos contentos in Symbolo, debet eſſe paratus credere omnia, quæ Eccleſia Catholica credenda proponit; quod nulla ſecta hæreticorum facit, ac proinde nulla ſecta hæreticorum eſt Eccleſia Sancta Dei; omnes enim diſſentiunt à Catholicis in aliquibus articulis, quos Eccleſia credendos proponit, ac proinde omnes ſectæ hæreticorum continent aliquid falſi quoad doctrinam fidei.

CVI. Unde differentia inter Catholicos, & hæreticos non eſt ſimilis illi, quæ datur inter Thomiſtas, & Scotiſtas, & inter alios Theologos; iſti enim conveniunt in dogmatibus omnibus, quæ ſancta Mater Eccleſia credenda proponit, parati relinquere ſuas opiniones, ſi Eccleſia declaret illas eſſe falſas, &

contrarias principiis fidei. Illásque defendunt, quia veræ ipsis apparent, & Ecclesia nihil in contrarium statuit; parati relinquere, si Ecclesia oppositum definiret: quod hæretici non faciunt; sed ideò sunt hæretici, quia pertinaciter resistunt Ecclesiæ definitionibus, suúmque judicium præferunt judicio totius orbis Catholici, quæ est intolerabilis superbia, imò insolentissima insania; unde Augustinus Epist. 118. dicit, *disputare contra id, quod universa Ecclesia sentit, insolentissimæ insaniæ esse.*

CVII. Quamvis autem hæretici, detrectantes se subjicere judicio Ecclesiæ, appellent ad Scripturas, & dicant, se sequi veritatem, quia sequuntur Scripturas; egregiè falluntur, quia dum putant, se sequi Scripturam, sectantur privatum suum judicium erroneum, quo existimant à Scriptura dici, quod est longè à Scripturæ sensu. Unde meritò dicebat Augustinus tomo 7. lib. 1. contra Cresconium cap. 33. de Catholicis loquens: *Scripturarum à nobis tenetur veritas, quando id facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat authoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.*

CVIII. Deinde ad salutem non sufficere, utcunque credere omnia, quæ continentur in Symbolo, patet, quia certum est ex Scripturis, & Patribus, & communi sensu Ecclesiæ, nullum hæreticum in sensu composito hæresis salvari. Et tamen certum est, posse aliquem esse hæreticum, quamvis expressè credat omnes articulos contentos in Symbolo. Ergò non sufficit ad salutem, utcumque credere articulos contentos in Symbolo. Consequentia est legitima; minor constat: quia etsi quis fateretur vera esse, quæ continentur in symbolo, & tamen pertinaciter negaret peccatum originale, & necessitatem gratiæ ad opera salutaria, & meritoria vitæ æternæ, & negaret perseverantiam finalem esse donum Dei; & negaret Baptismum, & omnia Sacramenta, & pertinaciter assereret, nuptias esse à diabolo, & aliquas escas ex natura sua esse malas; & pœnam damnatorum non esse æternā, sed damnatos, & diabolos aliquādo obtenturos veniam, & perventuros ad Dei visionem; absque dubio is esset hæreticus. Major verò etiam est certa, nimirum nullum hæreticum in sensu composito hæresis salvari. Id enim disertè docet Apostolus ad Tim. 3. dicens: *Hæreticum hominem post unam, & secundam correctionem devita, sciens, quia subversus est, qui hujusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.* Cur enim juberet illum vitari, si ejus error non officeret saluti? Cur diceret illum subversum, & condemnatum? Idem docet 2. ad Tim. 2. dum de hæreticis loquens, inquit: *Sermo eorum, ut cancer serpit.* Sentit ergò, sicut cancer est lethalis corpori humano, nisi exscindatur, ita hæreticum animabus fidelium, quia dum in hæresim animas trahit, illas lethaliter inficit.

CIX. Idcirco ajebat Theologorum, & Patrum communis Magister Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 8. *Consti-*

Constituamus aliquem castum, continentem, non avarum, non idolis servientem, hospitalitatem indigentibus ministrantem, non cujusquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, nullum æmulantem, nulli invidentem, sobrium, frugalem, sed hæreticum. Nulli utique dubium est, propter hoc solum, quòd hæreticus est, regnum Dei non possessurum. Et idem est judicium reliquorum Patrum, & hic fuit semper Ecclesiæ sensus. Et propterea S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. 38. tradens communes fidei regulas, inquit: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solùm omnes Paganos, sed etiam omnes Judæos, hæreticos, atque schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.*

Unde gravis Theologus Leonardus Lessius in appendice ad consultationem, *quæ fides, & Religio sit capessenda*, cap. 1. in fine hoc confirmans, sic concludit: *Hæc semper fuit Ecclesiæ fides & omnium Patrum indubitata doctrina: quam omnes, qui extra Ecclesiam versantur, utinam accuratè perpenderent, viderent profectò, quàm in periculoso statu versentur.*

CX. Patétque ab absurdo, & ab inconvenienti, esse crassissimum errorem, quòd ad salutem sufficiat, credere in Christum, & ea, quæ sunt in symbolo, quamvis quis paratus non sit credere reliqua, quæ Ecclesia Catholica credenda proponit. Ut enim rectè expendit P. Lessius, hæc sententia salvat penè *omnes antiquos hæreticos.* Plerique enim confitentur Christum, & suo sensu tenent Symbolum. Salvari itaque poterant in sua hæresi Arriani, qui Filium Patri negabant consubstantialem: Macedoniani, qui Spiritum Sanctum Filio faciebant minorem: Nestoriani, qui duas in Christo statuebant personas: Eutychiani, qui carnem Christi in divinitatem conversam asserebant: Apollinaristæ, qui Verbum divinum loco animæ rationalis carni unitum in Christo ponebant: Monothelitæ, qui unicam tantùm voluntatem, & operationem in Christo statuebant: Pelagiani, qui peccatum originale negabant, & hominem viribus naturæ posse gratiam Dei, & salutem promereri docebant: Donatistæ, qui Christi Ecclesiam ubique periisse, præterquam in parte Donati affirmabant: Novatiani, qui lapsis pœnitentiam negabant: Montanistæ, qui Montanum Paracletum putabant. Hi omnes juxta hanc sententiam, singuli in sua fide, ac hæresi, salvati sunt, quia in Christum crediderunt, & non minùs Symbolum Apostolicum, quàm modò Lutherani, & Calvinistæ tenuerunt. At quid absurdius magísque paradoxum in Ecclesia dici potest? Si enim cum ejusmodi fide salus obtineri potest, cur tot Concilia, tanto labore, & sumptu convocatis ex toto orbe Episcopis, adversùs illas hæreses celebrata? Cur toties anathemate fuêre damnatæ? Cur sancti Patres tantopere in illis extirpandis laborârunt? Cur Catholici hæreticorum illorum consuetudinem, & convictum tantopere exhorruerunt? Cur plurimi exilia, mortem, & omnia tormento-

 rum

rum genera præferre maluerunt, quàm alicui ex illis hæresibus subscribere? Sanè hæc omnia frustrà, stultè, & injuriosè facta sunt, si in illis sectis salus obtineri poterat; quod cùm nemo sapiens dicere possit, fatendum est, hæreses illas esse animorum pestes, nec posse ullo modo salutem cum illis consistere.

§. IX.

In quo sensu possit esse verum, quòd salvari valeant omnes, qui credunt duodecim articulos contentos in Symbolo.

CXI. Quapropter quòd possint salvari omnes, qui credunt 12. articulos contentos in symbolo, solùm potest esse verum cum sequentibus limitationibus. Prima, si credant secundùm verum, & legitimum sensum. Unde Calvinistæ, qui in illo articulo, *descendit ad inferos*, credunt, Christum in cruce sustinuisse tormenta damnatorum, & de sua salute dubitâsse, non credunt articulos omnes symboli. Secunda, si implicitè credant reliquos omnes articulos à Deo revelatos, quamvis non sint in symbolo, & generatim, & in confuso credant reliqua omnia, quæ Ecclesia credit, & paratos se exhibeant ad credendum explicitè, quidquid Ecclesia credendum proposuerit, & ad deponendos errores, quos Ecclesia damnat, vel damnaverit. Denique, si cum fide illa conjungant observantiam mandatorum. Nam *fides sine operibus mortua est*; & si quis vult ad vitam ingredi, debet servare mandata, juxta Christi Domini expressam doctrinam.

CXII. Ratio à priori, cur fides ista requiratur ad salutem, est, quia sicut vera justitia ad salutem requisita se debet extendere ad omnia mandata, quia qui in uno delinquit, factus est omnium reus; siquidem hoc ipso contemnit legislatorem, qui non minùs unum, quàm aliud præcepit: ita vera fides se debet extendere ad omnia divinitùs revelata, & qui inter articulos electionem facit, & alios credit, alios discredit, contemnit authoritatem Dei revelantis, & non credit, quia Deus revelavit, sed ob motiva humana fallacia. Peccátque contra fidem, si dissentit alicui articulo sibi sufficienter proposito: sufficienter autem est proposit⁹, quando Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum veritatis, declarat, articulum illum esse à Deo revelatum. Unde qui judicium suum judicio Ecclesiæ præfert pertinaciter, incidit in crimen hæresis: & quamvis ipsi videatur, suam viam esse securam, & rectam, abs dubio illa ducet ad mortem sempiternam.

CXIII. Et sanè ratio probans necessarium esse ad salutem, credere omnes articulos contentos in Symbolo, similiter probat, necessarium esse, credere reliquos à Deo revelatos, si ab Ecclesia proponantur: ideò enim illos credere est necesse, quia revera sunt à Deo revelati, & Ecclesia illos credendos proponit. Hæc autem ratio militat in omnibus articulis à Deo revelatis, si ab Ecclesia proponantur, vel aliunde sufficienter constet, illos esse revelatos: nulli enim hujusmodi articulo licet dissentire, quia hoc esset contemnere authoritatem Dei revelantis.

§.X. Re-

§. X.

Reijcitur ex dictis doctrina hæreticorum, distinguens inter articulos essentiales, quos omnes credere debeant, & accidentales, quos liberum sit, vel admittere, vel repudiare.

CXIV. NEc sufficit cum Marco Antonio de Dominis Episcopo Spalatensi, apostatâ à Religione Catholica lib. 7. de Republica Ecclesiast. cap. 9. & 10. distinguere articulos fidei in essentiales, & accidentales, quos liberum sit admittere, vel repudiare, salvâ fidei integritate: cui solutioni in Hollandia passim insistunt modò novatores. Non, inquam, sufficit, quia cùm fundamentum fidei sit authoritas Dei revelantis, quæ æqualiter omnes veritates revelatas afficit; fides necessariò se debet extendere ad omnes veritates revelatas; sive illæ veritates in se sint magnæ, sive parvæ. Si enim mihi Deus diceret, se esse Trinum, & simul diceret, canem Tobiæ habuisse caudam; æquali firmitate deberem utrumque credere; quia cùm Deus sit summè sapiens, & summè verax, non minùs ipsi repugnat fallere, vel falli, quando revelat parva, ac quando revelat magna; quando revelat creata, ac quando revelat increata. Unde quamvis non sit necesse, ut Deus omnes veritates revelet, & inter veritates revelabiles aliæ sint digniores aliis; ex suppositione tamen, quòd sint revelatæ, & sufficienter propositæ, æquali certitudine credendæ sunt, & nulli fas est dissentire, licèt non omnibus necesse sit positivè assentire. Unde est omnino chymericum, asserere, esse aliquos articulos fidei secundarios, quos liceat repudiare salvâ fidei integritate. Nam hoc ipso, quòd sint articuli fidei, & taliter sint propositi, ut liceat illis assentiri assensu fidei supernaturalis, seu assensu summè certo, & super omnia, nemini fas est illis positivè dissentire, quia præceptum naturale obligat ad non dissentiendum Deo loquenti, quando nobis sufficienter constat, Deum loqui, quamvis præceptum naturale non obliget ad assentiendum positivè. Quare licèt relatè ad præceptum positivum credendi possint distingui articuli primarij, & quasi essentiales, & secundarij, & quasi accidentales; ut illi dicantur primarij, quos tenemur explicitè credere; illi secundarij, quos solùm tenemur credere implicitè: nunquam tamen potest esse verum, quòd sint aliqui articuli fidei, quos salvâ integritate fidei possimus repudiare, eisdem, ut falsis, dissentiendo.

CXV. Pro quo nota ex communi sententia Theologorum, in præcepto fidei esse duplicem partem, alteram negativam, alteram positivam. Prior est, non dissentire ijs, quæ sufficienter nobis proponuntur, tanquam dicta & revelata à Deo; & hæc pars est quasi de jure naturæ independenter ab omni lege positiva Dei, nam ratio naturalis dictat, non esse dissentiendum ijs, quæ nobis sufficienter constat dicta esse à Deo; eis enim dissentire, esset gravis Dei injuria, quia qui ita dissentiret, in actu exercito reputaret, vel Deum esse fallacem, vel fallibilem, quorum neutrum

trum potest Deo sine gravissima irreverentia imputari. Pars affirmativa præcepti fidei est, credere positivè ea, quæ à Deo revelata sunt, & quoad hanc partem affirmativam, præceptum fidei erit quasi naturale quoad fidem implicitam, & confusam eorum omnium, quæ à Deo revelata sunt in Scripturis, & per Apostolos, & Prophetas nobis tradita; & quæ ab Ecclesia, vel per Concilia generalia approbata, vel Romanum Pontificem sunt definita, ut enim inquit Card. de Lugo disp. 13. num. 3. *Fides implicita, & confusa eorum omnium, quæ Deus nobis revelat, videtur esse ex lege naturæ, ex suppositione, quòd Deus ea nobis revelet.*

CXVI. Quoad fidem autem explicitam aliquorum mysteriorum, non erit præceptum quasi naturale, sed positivum. Certum enim videtur, esse aliquo modo præceptum positivum divinũ, aliqua objecta explicitè credendi, v.g. Trinitatem, Incarnationem, Mortẽ, & Resurrectionem Christi, & his similia; quæ attento præcisè jure naturæ, sufficeret implicitè, & in genere (inquit ibi Cardinalis) credere, nisi Deus fidem explicitam horum objectorum præciperet, ut de facto præcipit. Quoad partẽ negativã obligat hoc præceptũ semper, ac pro semper: quoad partem affirmativam non obligat semper, & pro semper, sed certis quibusdam temporibus, ut explicant Theologi. Qui etiam benè distinguunt inter ea, quæ necesse est credere necessitate medij, & ea quæ solùm necessitate præcepti. Quæ autem necessitate præcepti explicitè credenda sint, colligendum est ex modo, quo Deus fidei promulgationem imposuit, & ex Scripturis, & traditione, & usu Ecclesiæ; quod pariter in materia de fide explicatur à Theologis, qui etiam explicant tempus, pro quo urget hujusmodi præceptum: nec ista exponere pertinet ad hunc locum, nec facit ad meum scopum, in quem tamen utile fuit, ad æquivocationes impediendas explicâsse, ut distinctas duas istas obligationes.

CAPUT QUINTUM.

Sectarii fatentes, dari in Ecclesia Romana salvationem, habent evidentem obligationem deserendi suam Sectam, & transeundi ad Ecclesiam Catholicam.

CXVII. Ratio est manifesta, quia evidens est, viam certam perveniendi ad aliquem terminum, præferendam esse dubiæ ab eo, qui seriò desiderat ad illum terminum pervenire. In Ecclesia autem Catholica Romana certa est spes salutis ex utriusque partis confessione; in sectis autem hæreticorum solùm est spes salutis in hæreticorum opinione, quam esse manifestum

festum errorem Catholici omnes constanter credunt, & Doctores Catholici satis demonstrant.

CXVIII. Hoc argumento inductus est ad abjurandam hæresim Calvinianam, & amplectendam Religionem Catholicam Magnus ille Galliarum Rex Henricus Quartus; ut narrat Henricus Spondanus ad annum Christi 1593. num. 12. inductus enim est, *quòd interrogatis suis Magistris, utrum Catholici in sua Religione salvari possent, ij negare non auderent*, & è contra à Catholicis asseverantissimè audiret, si in hæresi, quam sectabatur, moreretur, absque ullo dubio in æternum damnatum iri in inferno: ac proin hanc inde necessariam conclusionem elicuit, longè tutiùs sibi esse eam Religionem profiteri, in qua salvari se posse utraque pars consentiret, quàm illam, quam altera duntaxat probaret. Unde ne animam simul cum regno perderet, de utriusque salute intentiùs cogitans, consultatione cum primarijs, & intimis habitâ, constituit instructioni suæ diligenter vacare, & post sufficientem instructionem fidem Catholicam amplexus est, quæ ipsi fuit medium necessarium ad regnum temporale, & æternum consequendum. Professionem autem solemnem fidei Catholicæ fecit eo anno 1593. die vigesimâ quintâ Julij D. Jacob. sacra, sub hac verborum forma: *Protestor, ac juro coram Deo Omnipotente, vivere me velle, ac mori in Religione Catholica Apostolica Romana, eámque protegere, ac defendere adversùs omnes periculo sanguinis ac vitæ meæ; renuntians omnibus hæresibus contrariis Doctrinæ Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ*. Cui fidei Catholicæ professioni, & Ecclesiæ defensioni debet regnum florentissimum Galliæ felicitatem, quam deinceps consecutum est.

CXIX. Hoc argumento sæpè usus sum contra Mahumetanos, qui ex doctrina sui Alcorani fatentur, posse Christianos salvari in Religione Christiana: & gratiâ adspirante divinâ non pauci eo convicti, Mahumetismum abjurârunt, & Religionem Christianam amplexi sunt; ut constabit ex 2. parte hujus operis lib. 2. cap. 3, & 4. & 5. cum sequentibus.



CAPUT SEXTUM.

Quartum caput probandi solam Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Christi Ecclesiam; quia in illa sola invenitur firma credendi regula, & supremus controversiarum fidei judex.

§. I.

Præsupponuntur aliqua.

CXX. UT argumentum conficiam, aliqua supponenda sunt. Supponendum est 1. Ecclesiam à Christo fundatam supra Petrum esse visibilem; ut ostensum est. cap. 1. §. 2.

2. Supponendum est, hanc Ecclesiam visibilem, quatenus conflatur ex Pastoribus, & ovibus, non posse secundùm se totam errare in fide, id est, non posse credere tanquam articulum fidei aliquod dogma falsum: id constat ex dictis cap. 1. §. 3. præsertim n. 23. & 24. 25. & 26. Probatúrque nunc breviter 1. quia Christus sua oratione impetravit, ne unquam vera fides deficeret à sede Petri, ut Petri successores possent nutantes in fide fratres, in fide confirmare, & solidare. *Ego autem rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos* Luc. 22. v. 31. Unde S. Leo in ser. in natali Apostolorum Petri, & Pauli hunc locum expendens inquit: *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & Dominicæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.* Quare cùm immediatè antea Christus alloqueretur omnes Apostolos, omnibúsque diceret, *Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*, immediatè conversus determinatè, & singulariter ad Petrum dixit: *Ego autem rogavi pro te &c.* quia ad Petrum tanquam ad Ecclesiæ caput sermonem dirigebat. Et ideo sua oratione obtinuit, ne Petrus, vel ullus ejus successor Ecclesiam instruens in fide, & moribus erraret, proponens toti Ecclesiæ aliquod dogma falsum credendum; vel toti Ecclesiæ aliquid injustum præcipiens.

CXXI. 2. Quia Christus promisit, portas inferi non prævalituras adversùs Ecclesiam visibilem, quam supra Petrum erat fundaturus, & *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam* Matth. 16. prævaluissent autem abs dubio, si tota Ecclesia profiteretur aliquem errorem pro dogmate fidei: quia sic defecisset ab illâ vera fides, quæ est fundamentum salutis.

3. Quia

3. Quia Ecclesia *Dei est columna, & firmamentum veritatis* 1. ad Timoth. 3. quod non haberet, si posset sustentare errorem tanquam dogma fidei. 4. quia Christus promisit Ecclesiæ providentiã suã specialem, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi*, & assistentiam Spiritûs Sancti; *ille docebit vos omnem veritatem.* Quæ promissiones fuissent irritæ, & fallaces, si Ecclesia tota posset in fide errare.

CXXII. Supponendum est 3. Christum reliquisse in hac Ecclesia visibili, quam supra Petrum fundavit, & quam credimus esse unam, & sanctam, & Catholicam, juxta illa verba Symboli: *Credo in unam sanctam Ecclesiam Catholicam:* Reliquisse, inquam, tribunal aliquod supremum, à quo determinentur dubia circa fidem, & religionem emergentia, & à quo non sit appellatio ad aliud. Nullum enim est regnum, nulla Respublica, in quibus non sit supremus aliquis Magistratus, à quo causæ determinentur ultimò, & finiantur; alioqui lites, & controversiæ nunquam finirentur, sed essent interminabiles.

CXXIII. Supponendum est 4. hoc supremum tribunal supremúmve magistratum, à quo dubia emergentia circa fidem, & Religionem determinari debent, debere in Ecclesia Catholica esse authoritatis infallibilis ad determinandas fidei, & morũ controversias emergentes inter ipsos fideles. Cùm enim supremo Magistratui, & supremo judici, à cujus sententia non est appellatio, in quocunque regno, vel Republica, omnes teneantur obedire: sanè si hic supremus controversiarum Judex in Ecclesia Catholica posset errare in determinandis fidei & morum controversiis, & toti Ecclesiæ proponere credendum tanquam dogma fidei aliquem errorem, aliquámve falsitatem; tota Ecclesia in capite, & in membris posset, imò teneretur errare, quia tota teneretur acceptare eam partem, quam supremus Judex controversiarum determinâsset. At impossibile est, totam Ecclesiam errare in credendo: ergò impossibile est, supremum Judicem controversiarum fidei in Ecclesia Catholica errare in determinando.

CXXIV. Qui voluerit rationes exactè dignoscere, ob quas Christus in Ecclesia sua reliquerit tribunal aliquod visibile infallibile, ad determinandas fidei & morum controversias, seu regulam vivam visibilem fidei, falli nesciam, ad quam spectet proponere fidelibus, quid credere debeant, consulat P. Suarez lib. 1. Defensionis Fidei adversùs Regem Angliæ cap. 11. & P. Gregorium de Valentia tom. 3. quæst. 1. de fide punct. 7. §. 1. ubi hujus regulæ visibilis necessitatem præclarè manifestat: primò ex parte providentiæ divinæ, quia nisi talis aliqua extaret regula infallibilis, magistra, & judex doctrinæ fidei, non satis esset à Deo prospectum hominibus, de necessariis ad suam æternam salutem comparandam. Secundò; ex humani ingenii conditione; cùm enim mens nostra non solùm imbecilla sit, & omnino impar viribus, ut ipsa per se necessariam doctrinam fidei, & revelationem divinam pervestigare possit, sed in eâ ipsa doctrina nobis divi-

nitùs revelata facillimè hallucinetur, & aberret, indiget Magistro aliquo visibili authoritatis infallibilis, à quo discat, quid à Deo revelatum sit, ut propter authoritatem Dei revelantis firmiter credat mysteria revelata. Tertiò ex natura ipsius fidei: cùm enim fides ex proprio conceptu argumentum sit rerum non apparentium, juxta Apostolum ad Hæbreos 11. id est, cùm sit cognitio non evidens, sed quæ nitatur infallibili testimonio, & pariatur *ex auditu*, ut docet Apostolus ad Rom. 10. sitque proinde certissima, necesse est, ut supponat aliquam vivam regulam, falli nesciam, quæ proponat Dei testimonium; res enim, quæ obscurè isto modo, & tamen certò, ac infallibiliter sciuntur, eas necesse est, alicujus authoritatis infallibilis judicio, atque asseveratione discere. Quartò, ex necessitate damnandi hæreses in Ecclesia: nulla enim potest oriri de aliqua fidei quæstione hæresis, quæ non possit, ac debeat ab Ecclesia damnari, ac rejici, dicto anathemate ejus authoribus juxta mandatum Apostoli ad Galat. 1. *Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Hoc autem minimè fieri posset, nisi in Ecclesia authoritas extaret aliqua viva, atque visibilis, quæ in omni quæstione de rebus fidei certò doceret, quid rectæ fidei consentaneum sit, & quid eidem repugnans. Unde S. Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 16. probat, à Deo authoritatem aliquam constitutam esse, qua velut gradu certo nitentes attollamur in Deum. Hanc autem authoritatem agnoscit in ipsa Ecclesia visibili: Et ideo in libro contra Epistolam fundamenti cap. 5. dixit: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moveret authoritas.*

CXXV. His suppositis, facilè ostenditur, in sola Ecclesia Catholica Romana reperiri firmam credendi regulam, falli nesciam, & supremum controversiarum judicem infallibilis authoritatis ad determinandas fidei, & morum controversias, quæ inter fideles exoriuntur, non autem in ulla hæreticorum secta; ac proinde solam Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Christi Ecclesiam; sectas verò hæreticorum esse Synagogas diaboli. Siquidem in Ecclesia Catholica hoc privilegio infallibilitatis gaudent concilia generalia confirmata à Romano Pontifice, ut est in confesso apud omnes Catholicos, nullo excepto, item ipse Romanus Pontifex, dum è Cathedra Petri toti Ecclesiæ proponit, quid credere debeat; ut docent ferè omnes Doctores Catholici, & nos breviter hîc probabimus. In sectis autem hæreticorum non reperitur ejusmodi infallibilis credendi regula, quod jam ostendo.

§. II.

Ostenditur contra hæreticos solam Scripturam non esse normam, & judicem ad omnes fidei controversias decidendas.

CXXVI. HÆreticorum nostri temporis sectæ nullam habent firmam, & certam credendi regulam, quam sequantur, indéque convincitur, illas non esse veram Dei Religionem.

nem; capita namque veræ Religionis debent esse definita, certa, & immutabilia. Quòd regulam hanc non habeant, ex qua statui possit, quid sit necessariò credendum, quid respuendum, constat: quia nec traditiones Ecclesiæ, neque Conciliorum Oecumenicorum, neque Romani Pontificis authoritatem admittunt, nec veterum Ecclesiæ Doctorum, qui Sacras litteras exposuerunt, judicium æstimant; traditiones omnes reiicit Lutherus in caput primum ad Galatas, & Calvinus lib. 4. Institut. cap. 8. §. 6. 7. & 8. & in antidoto ad quartam Sess. Concilij Trident. conveniúntque Lutherus, & Calvinus, eorúmque asseclæ in hoc, quòd nihil sit credendum, nihil recipiendum, quod in Sacra Scriptura non contineatur.

CXXVII. Concilia Oecumenica, quæ semper in Ecclesia summam authoritatem habuerunt, & tanquam Spiritus Sancti organum æstimata sunt, ita contemnit Lutherus in art. 115. & sequentibus, *ut, quidquid illa definierint, cujusvis privati hominis judicio subjectum esse velit. Imò dicit esse rem insanam, quòd Concilia concludere velint, quid sit credendum*: ibidémque expresè docet, *quid credendum sit, quid non, id relinquendum judicio cujusvis Viri Spiritualis*, ac proinde Lutherus, ne unum Papam admittat, qui tanquam Christi Vicarius, & communis Ecclesiæ Magister omnibus fidelibus articulos credendos è Cathedra Petri proponat, tot Papas facit, quot sunt viri, qui se spirituales existimant. Et incredibili superbia judicium hominis privati anteponit judicio Concilij Universalis, totam Ecclesiam repræsentantis, cum qua Christus semper se futurum esse promisit, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

CXXVIII. Idem fuit Spiritus, & sensus Calvini, qui lib. 1. instit. cap. 7. §. 1. 2. & 4. expresè affirmat, *non esse Ecclesiæ judicare, qui libri sint canonici, sed hoc ad Spiritum internum pertinere*: hac doctrina fontem errorum aperiens, ut unusquisque judicans ex suggestione diaboli aliquid à Deo esse revelatum, pro articulo fidei credat sui capitis somnium, & blasphemiam pro veritate Catholica habeat; quale est illud, quod lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. docuit, nimirum, *nihil efficere homines nisi arcano Dei nutu, nec quidquam deliberando agitare, nisi quod ipse jam apud se decreverit, & arcana sua directione constituit*; quod est facere Deum authorem omnium *scelerum*. Deniq; quod ad Patres attinet, Lutherus lib. contra Regem Angliæ, *non curat mille Augustinos, mille Cyprianos.* Calvinus etiam pluribus locis *eos contemnit, & errasse affirmat.*

CXXIX. Quia ergò hæretici isti in eo conveniunt, quòd sola Scriptura sit norma, & judex controversiarum fidei, & morum, pertinaciter asserentes, omnes controversias fidei ex sola Scriptura definiri, ac decidi posse: nobis probandum est, falsum esse hoc eorum dogma, & radicem errorum. Et cum communi omnium Catholicorum sententia dicimus, quòd sicut in Republica civili præter leges scriptas, & consuetudines, necessarij sunt judices vivi, qui lites dirimant, & sententiam ferant, attendendo tamen ad leges scriptas, & ad hone-

ſtas conſuetudines legitimo uſu præſcriptas, tanquam ad normam, & regulam, qua dirigantur in ferenda ſententia, ita in Eccleſia Chriſti ad decidendas fidei, & morum controverſias opus eſſe judice vivo, qui ſententiam proferat, & normâ, ad quam attendat in ferenda ſententia; Judicem autem iſtum eſſe Eccleſiam, quæ dupliciter poteſt ſententiam proferre, vel per Pontificẽ Romanum, qui eſt caput & Paſtor ſummus Eccleſiæ, communíſque fidelium Magiſter in rebus fidei, & morum, vel per Concilia generalia â Pontifice approbata, quæ Eccleſiam repræſentant: normam verò, quam ſequi debent in definiendo, non eſſe ſolam Scripturam, ſed Scripturam, & traditiones ſimul; id eſt verbum Dei ſcriptum, & verbum Dei traditum; quia conſtat, multa Apoſtolos docuiſſe Eccleſiam, quæ non ſunt ſcripta ab ipſis, ut enim inquit S. Damaſcenus lib. 4. cap. 17. *Plurima Apoſtoli ſine ſcripto tradiderunt.* Idque patet ex illis verbis Apoſtoli 2. ad Theſſaloni. 2.14. *Itaque Fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*: quæ verba exponens S. Chryſoſtomus, *Hinc patet* (inquit) *quòd non omnia per Epiſtolam tradiderit, ſed multa etiam ſine litteris.*

§. III.

Primum Caput probandi, ſolam Scripturam non eſſe judicem controverſiarum fidei; quia per ipſam nequit ſufficienter probari, quænam ſit legitima, & vera Dei Scriptura.

CXXX. PRobatur ergò, falſum omnino eſſe, quòd ſola Scriptura ſit ſufficiens norma, & judex ad dirimendas & definiendas omnes fidei, & morum controverſias. Primò nam inter cõtroverſias fidei una ex potiſſimis verſatur circa ipſam Scripturam; in qua ipſa Scriptura nequit eſſe judex, nam antequam utamur teſtimonio Scripturæ ad probandam veritatem alicujus dogmatis, priùs nobis conſtare debet, illum Librum, unde ſumimus teſtimonium, eſſe verè Scripturam, non eſſe ſuppoſititium, non eſſe confictum ab aliquo impoſtore; illámque ſententiam, quam allegamus, non eſſe inſertam, vel perverſam al quâ induſtriâ hominum, vel incuriâ ſcribarum; denique nihil ibi eſſe additum, vel mutatum, quod ad ſubſtantiam doctrinæ pertineat. Hæc autem omnia ex Scriptura conſtare non poſſunt: nec præcisè per ipſas Scripturas poſſumus probare, ipſas eſſe veras Dei Scripturas impulſu Sp. Sancti exaratas. Solúmque conjecturis quibuſdam valde infirmis poterimus uti, niſi recurramus ad authoritatem Eccleſiæ, quæ columna eſt, & firmamentum veritatis, & nos ſecuros reddit de veritate ſcripturarum. Et ideo Tertullianus lib. de præſcriptionibus cap. 15. docet, hæreticos contendentes probare ſuos errores ex ſcripturis, non eſſe admittendos ad certamen hoc, niſi priùs probaverint, apud ipſos eſſe veras Dei Scripturas. *Hunc igitur* (inquit) *potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendos eos ad ullam de Scripturis diſputationem: ſi hæ ſunt vires eorum, an eas habere poſſint, diſpici debet, cui competit poſſeſſio ſcripturarum, ne is admittatur, cui non competit.* Et cap. 37. id probat, *quoniam nihil proficit*

congressio Scripturarum, nisi planè, ut aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri. Ista hæresis (idem dici debet de hæresi Calviniana; & Lutherana) *non recipit quasdam scripturas, et si recipit, non recipit integras, & si aliquatenus integras præstat, nihilominùs diversas expositiones commentata convertit. Quid promovebis exercitatissime Scripturarum; cùm si quid defenderis, negetur, ex diverso, si quid negaveris, defendatur.*

CXXXI. Quapropter, nemo potest ex Scripturis veritatem, quam intendit, probare, nisi prius supponatur, testimoniũ, quod allegat, esse desumptum ex vera Dei Scriptura; quænam verò sit vera Dei Scriptura, non potest scire præcisè per ipsam Scripturam. Unde S. Augustinus in libro contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti, dicebat: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moveret authoritas.* Id est, non crederem mysteria, & veritates narratas in Evangelio tanquam à Deo dictas; nisi authoritas Ecclesiæ Catholicæ me per prius movisset, ad mihi firmiter persuadendum, Evangelium istud esse divinum, & Deum habere authorem; Ergò ut quis propter authoritatem Scripturæ aliquid credat, debet priùs aliundè certificari, quod illa Scriptura sit verè Scriptura Dei.

CXXXII. Quare Ecclesiæ Authoritas aliundè cognita, quàm ex testimonio ipsius Scripturæ, est motivum firmiter judicandi, Scripturam illam esse Divinam: nequit enim non esse divina Scriptura illa, quam ut Divinam acceptat tota Ecclesia Catholica, quam esse veram Ecclesiam Dei tot insignia, & illustria testimonia demonstrant; & imprimis miracula, quæ ad illam fundandam Christus per se, & per Apostolos suos operatus est. Quo argumento utitur Augustinus Lib. de utilitate credendi cap. 16. postquàm enim exposuit naturam miraculorum, subjungit. *Talia facta sunt eo tempore, quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat, sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt: Ita quadam corpori manifestiori beneficio, quadam verò menti occultiori signo, & omnia hominibus Majestatis testimonio consulebant; in se tunc animas errantes mortalium, Divina commovebat authoritas. Cur, inquit, ista modo non fiunt? Quia non moverent, nisi mira essent. At si solita essent, mira non essent. Facta sunt igitur illa opportunissimè, ut his multitudine credentium congregatâ, atque propagatâ, in ipsos mores utilis converteretur authoritas.* Hæc ille, qui addit, quod postquam Ecclesia tot miraculis fundata est, authoritas ipsa divina, quæ per miracula persuaserat veritatem fidei; per ipsam fidem persuasit mores quosdam divinos, qui non minus efficaces sunt ad persuadendum, esse Divinam, & à Deo, fidem, quæ tales mores generat, quàm ipsa miracula. Et posteà addit August. *Hoc factum est Divinâ providentiâ per Prophetarum Vaticinia, per humanitatem, doctrinámque Christi, per Apo-*

Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis, atq; virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructúmque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.

CXXXIII. Et sanè cùm certum sit, Divinas Scripturas traditas esse à Deo alicui hominum cætui, vel Comunitati; ubinam possumus prudenter judicare, illas conservari integras, & incorruptas, nisi in Ecclesia Catholica Romana, quam tot signis, & argumentis Deus probavit esse suam veram, & germanam Ecclesiam, & cui tantam & tam sublimem concessit authoritatem? unde idem Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. Doctorem Christianum, & solertem Divinarum Scripturarum indagatorem instruens, inquit: *In Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium authoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiant. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures graviorésque accipiunt, eis, quas pauciores, minorísque authoritatis Ecclesiæ tenent.* Cùm ergò omnes Ecclesiæ Catholicæ recipiant uti legitimos Sacræ Scripturæ libros eos omnes, & solos, quorum catalogum contexit Concilium Tridentinum sess. 4. quem catalogum accepit Tridentinum per traditionem ab Ecclesiis Apostolicis, id est, quas fundârunt Apostoli, & ad quas scripserunt, consequens est, illam esse veram Dei Scripturam, quam modò habet, & semper habuit Ecclesia Catholica Romana.

CXXXIV. Hunc catalogum, seu canonem Scripturarum acceperunt per traditionem Patres Tridentini ab Eugenio IV. in Concilio Florentino, ut videre est apud Bartholomæum Carranzam in summa Conciliorum. Rursus Eugenius illum accepit à Gelasio Papa in Concilio Romano, ut constat ex secundo tomo Conciliorum in Decretis Gelasii circa finem; iterum Gelasius ab Aug. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. Et Augustinus à Concilio Carthaginensi tertio, quod alii quintum, alii sextum vocant. Denique Patres hujus Concilii ab Innocentio I. qui vixit anno 402. in epistola ad Exuperium. Nec dubium, quin Innocentius catalogum hunc contexuerit, prout invenit in Ecclesiis Apostolicis, quas scilicet Apostoli fundârunt, & in quibus sederunt, inter quas Princeps, & reliquarum Mater est Ecclesia Romana, in qua sedit Petrus, quæ per antonomasiam appellatur Sedes Apostolica, quia illam Principes

cipes Apostolorum Petrus & Paulus fundârunt, & sanguine suo illustrârunt, & ad quam Paulus scripsit. Cùm ergò Ecclesia Catholica Romana eos libros omnes, ut canonicos, & à Deo dictatos custodiat, & per traditionem acceperit à sedibus, in quibus Apostoli docuerunt; certum est, Scripturam Sacram veram, & legitimam eam esse, quam Ecclesia Catholica pro tali agnoscit.

CXXXV. Quare Catholici omnes securissimi sunt, sequentes judicium Ecclesiæ Catholicæ, quam Spiritus Sanctus gubernat, & quam non potest permittere errare in fundamento præcipuo fidei, agnoscendo pro libris Canonicis, & Divinis eos, qui Divini non fuerint. Illi námque Ecclesiæ, quam Christus fundavit, & per Apostolos suos per mundum diffudit, libros suos Deus tradidit custodiendos, & usque in finem mundi servandos. Et propterea dixit Augustinus epist. 118. ad Januarium, *insolentissimæ insaniæ esse disputare de eo, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.* Cùm ergò tota Ecclesia libros, quos Concilium Tridentinum, ut Canonicos taxat, semper ut Canonicos legerit; extremæ dementiæ erit, de hoc dubitare. Hæretici autem, qui à catalogo librorum sacrorum expungunt eos, in quibus eorum errores clarè damnantur, & versiones firmant, prout suis erroribus fovendis conducit, probare non possunt, se habere veras scripturas, verámque earum versionem, nisi in ea parte, in qua cum Catholicis conveniunt. Unde de illis verificatur, quod dixit August. lib. de persev. cap. 11. *Scripturas se accipiunt, ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio, quod volunt, sumant, quod nolunt, rejiciant.*

CXXXVI. Quapropter antequam testimonio Scripturæ probemus aliquam veritatem, priùs debet supponi probatum judicio aliquo authentico infallibilis authoritatis, quænam sit vera, & legitima Scriptura, quod judicium nequit esse aliud, quàm judicium ipsius Ecclesiæ loquentis per Concilia generalia approbata, quæ ipsam repræsentant, vel per Romanum Pontificem, qui est Vicarius Christi, & caput visibile Ecclesiæ, cui omnes fideles tenentur obedire, cui Spiritus Sanctus assistit, ne erret, dum totam instruit Ecclesiam in fide, & moribus, & dum illi designat libros, quos tanquam dictatos à Deo legere debeat.

§. IV.

Secundum caput idem probandi, quia Scriptura nequit fungi munere judicis ad definienda dubia circa ipsius sensum.

CXXXVII. Ex officio judicis clarè ostenditur, solam scripturam non posse esse sufficientem controversiarum fidei judicem. Nam cùm vis Scripturæ non consistat in sono verborum, sed in sensu, qui est vita, & anima Scripturæ, & circa hunc sensum possint esse, & sæpè sint sententiæ omninò contrariæ; nequit ex sola Scriptura, semotâ traditione, & expositione Patrum, determinari, quinam sit legitimus sensus Scripturæ ab Spiritu Sancto intentus. Necesse ergò est recurrere ad judicem alium,

um, qui clarè, & dilucidè declaret, quinam sit Scripturæ sensus, illúmque fidelibus proponat. Nec satis est, quod cum Calvino respondent hæretici hujus temporis, nimirum judicium de Scriptura, & ejus sensu pertinere ad spiritum internum. Hoc enim nihil aliud est, quàm unicuique assignare pro regula credendi spiritum privatum; nam Spiritus ille internus non est Spiritus Sanctus, qui contradictoria nequit, ut vera inspirare. Spiritus autem ille internus, quem judicem controversiarum faciunt hæretici, contradictoria dictat ut vera: nam ex illo spiritu interno Lutherus judicabat, Epistolam Jacobi esse *stramineam*, & Apocalypsim esse *dubiæ authoritatis*. Ex eodem autem spiritu interno Calvinus judicabat, utrúmque esse Verbum DEI. Ex illo spiritu interno Calvinus judicabat, sensum genuinum illorum verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, esse hunc. *Hic panis figura est corporis mei*: Lutherus verò esse istum. *Hic panis est verè corpus meum.* Ergò spiritus internus, ad quem hæretici recurrunt pro explicando judice controversiarum fidei, non est Spiritus Sanctus; sed spiritus privatus cujuslibet, seu proprium cujusque cerebrum, quod uni dictat unum, & alteri dictat oppositum. Unde miseri isti homines, dum existimant, se in explicanda Scriptura sequi impulsum Spiritûs Sancti, sequuntur sæpissimè impulsum diaboli, qui se transfigurans in Angelum Lucis, illis persuadet, esse sensum Scripturæ, illum, quem Spiritus Sanct. intendere non potuit, utpote erroneum, & puritati Spiritûs Sancti contrarium, illísque adaptatur illud *væ* Prophetæ: *Væ vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Isai. 5. 2. & de illis verificatur illud Proverb. 16. 25. *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem.* Et sanè cùm motus internos discernere, sit difficillimum, an sint à Deo, an à diabolo; an à proprio spiritu: dum hæretici dicunt, Sacram Scripturam, ut explicatam spiritu interno, esse regulam fidei, regulam fidei ancipitem, & dubiam statuunt; & ista ipsorum sententia est errorum innumerabilium seminarium. Et hinc fit, ut unicuique sua imaginatio pura veritas, & ipsissimus Scripturæ sensus videatur.

CXXXVIII. Præterea convincitur, Scripturam non posse esse judicem controversiarum fidei, quia nequit esse inter duos litigantes judex ille, qui non potest ita clarè pronuntiare sententiam, ut quilibet litigantium clarè intelligat, an pro illo, an contra illum sit prolata sententia, Talis autem est Scriptura: ergò illa nequit esse controversiarũ judex. Probatur minor. Nam Lutherani, & Calvinistæ, qui dicunt, solam Scripturam esse controversiarum judicem, inter se litigant de præsentia reali Christi in Eucharistia, affirmantibus Lutheranis, & negantibus Calvinistis; utraque pars ad Evangelium tanquam ad judicem provocat, utraque pro se dicit stare Evangelium. Lutherus dicit illa verba Christi, *hoc est corpus meum*, pro ipso dare sententiam: id negat Calvinus, & contendit stare pro se: hucusque ex Evangelio, quod est judex mortuus

tuus, nullus ex illis persuasus est, Evangelium contra ipsum stare, cùm tamen sit evidentissimum, non posse stare pro utroque; rixantur, & pugnant, & nunquam usque ad diem judicii finietur hæc lis, nisi assignent aliquem judicem vivum, cui utraque pars se subjiciat, à cujus ore accipiant sententiam, vel determinatè affirmantem vel determinatè negantem præsentiam realem Christi in Eucharistia: similiter inter se diffident circa Baptismum parvulorum, circa exorcismum, & alia, & unaquæque pars censet pro se stare Scripturam. Quare qui Scripturam solam judicem faciunt, eo ipso apertè indicant (inquit sapienter P. Lessius) se nullum judicem, quo causa possit decidi, admittere, præter judicium suum privatum. Perinde enim faciunt, atque si Titius, & Cajus litem civilem habentes, nollent alium judicem, quàm Codicem Justiniani cum Pandectis, seposita Doctorum interpretatione; & Titius pro suo jure producta aliqua lege affirmaret, per eam manifestè causam sibi adjudicari, Cajus verò negaret; similiter Cajus allegata alia lege diceret, clarum esse, eam legem sibi favere, Titius verò negaret: & ita ambo causâ indecisâ discederent: nonne res esset ridicula, & omnes dicerent, neutrum velle causam definiri? neutrum admittere alium judicem, quàm proprium judicium? simili planè modo, hoc ipso quòd illi nolunt alium judicem quàm Scripturam, & quisque suo spiritui reservat ejus interpretationem; ostendunt, se nolle causam legitimo modo definiri, nec alium judicem quàm proprium judicium admittere.

§. V.

Caput tertiũ idem probandi, quia cùm littera occidat, *spiritus autem vivificet; qui solam Scripturam vult esse controversiarum Judicem, relicto Ecclesiæ sensu, necesse est, ut erroribus obvolvatur.*

CXXXIX. Sicut in homine sunt duo, corpus scilicet, & anima; ita in Scriptura duo spectanda sunt, scilicet littera, quæ est veluti corpus, & sensus, qui est veluti anima; Apostolus autem 2. Corinth. 3. 6. dicit: *littera occidit, spiritus autem vivificat*; quod secundùm explicationem traditam ab Augustino ser. 70. de tempore, perinde est, ac si diceret. Si *sequaris* Scripturæ sensum, qui est quasi spiritus, & anima vivificans, proderit tibi ad salutem; si autem neglecto vero, & legitimo sensu, hæreas tantùm in externa Littera, & contendas illum esse sensum, quem externa littera præsefert, sæpè errabis. Unde infelices appellat Judæos, & plus infelices hæreticos, *qui dum solum litteræ aspiciunt sonum, quasi corpus sine anima, ita sine vivificante spiritu mortui remanserunt.* Hoc pacto littera occidit Judæos, qui omnia, quæ de Christo prædicta sunt à Moyse, & Prophetis sub umbris, & figuris, secundùm litteram externam intelligunt, & sensum internum ab Spiritu Sancto intentum non percipiunt, & hoc est, quod ait Apostolus 2. Corinth. 3. dum ait: *Usque in hodiernum diem, dum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum*, quasi diceret, hucusque Judæi non intelligunt Moysem, quem quotidiè legunt, quia

quia sistentes in sono, & cortice exteriore litteræ, non transeunt ad internum sensum; ac propterea non agnoscunt Christum, qui sub illis Moysis sacrificiis, & ceremoniis tanquam sub velamine occultatus est. Et idcirco Christus Joan. 5. 39. Judæis dicebat: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*; id est, si vultis cognoscere, me esse Messiam vobis à Deo per Moysem, & Prophetas promissum, non debetis tantùm legere Scripturas quoad externum corticem litteræ, sed debetis scrutari internum sensum, & spiritum, qui est veluti nucleus sub illo cortice latens, quod hactenus non fecistis. Quamvis enim vobis verè persuasum habeatis, in Scripturis sitam esse vitam æternam; adhuc tamen ignoratis, in qua parte sita sit: non enim sita est in littera, & cortice, seu in ceremoniis, & sacrificiis, sed in spiritu, qui sub illis umbris latet: hunc scrutari debetis. Si autem debitè quæratis, invenietis, illas testimonium perhibere de me, & me esse corpus illius umbræ, & spiritum illius litteræ, & veritatem illorum signorum.

CXL. Sicut autem littera Scripturæ non penetrata occidit Judæos, ita etiam occidit hæreticos, qui abusi sunt litterâ Scripturæ ad suos errores confirmandos: quia enim spiritu superbiæ obcæcati contempserunt verum, & legitimum sensum, quem Sancta Mater Ecclesia in littera Scripturæ aperuit, & quem Patres Ecclesiæ Spiritu Dei pleni invenerunt, & secuti sunt, componentes invicem Scripturæ testimonia, & unum cum alio conferentes, & lucem à Deo enixè postulantes ad assequendum verum sensum: quia, inquam, hunc sensum reliquerunt, & in littera, & cortice alicujus testimonii sistentes, ad verum sensum investigandum non sunt progressi, ideo in errores suos, & hæreses prolapsi sunt. Nullus enim est hæreticus, qui suos errores non hauserit, vel confirmare procuraverit ex aliquo Scripturæ testimonio secundùm sonum, & corticem litteræ allegato. Sic Sabelliani secundùm litteram intelligentes illa Christi verba Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*, deducebant, Patrem, & Filium esse eandem personam, diversis nominibus significatam propter diversa munera, quæ ad extra exercent, cùm tamen secundùm legitimum sensum ly *unum* significet unitatē essentiæ, & ly *sumus* pluralitatem personarum. Sic Arriani ex illis verbis Christi Joan. 14. 28. *Pater major me est*, secundùm litteram occidentem intellectis deducebant, Filium Dei esse minorem *Patre*; cùm tamen secundùm verum sensum haustum ex illo textu collato cum illo alio; *Ego, & Pater unum sumus*, & cum aliis Scripturæ locis, Christus sit minor Patre secundùm humanitatem, & æqualis Patri secundùm divinitatem; cùm enim sit Deus, & homo, & habeat duplicem naturam in una persona; secundùm naturam humanam est minor Patre, & secundùm divinam æqualis Patri, utpote idem DEUS cum Patre, licèt distincta persona à Patre. Et sic de aliis hæreticis, quorum errores

ex Scriptura malè intellecta collectos, latè proponit P. Becanus in manuali Lib. 1. cap. 5.

§. VI.

Caput quartum idem probandi, quia cùm Scriptura quoad verum, & legitimum sensum in multis Locis sit obscura, nequit se sola esse Judex omnium controversiarum fidei.

CXLI. MUlta esse Scripturæ loca obscura, & intellectu difficilia, constat Testimonio Divi Petri Epistolâ 2. cap. 3. v. 16. affirmantis, in Epistolis Pauli *quædam esse difficilia intellectu.* Constat Secundò ex illo Act. 8. 31. Ubi Eunuchus Reginæ Æthiopum interrogatus à Philippo, an intelligeret Isaiam Prophetam, quem legebat, respondit. *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Tertiò quia manifestum est, obscurissimam esse Prophetiam Ezechielis de visione quatuor animalium: manifestum etiam est, prophetiam Danielis de septuaginta hebdomadibus, & de abominatione desolationis claram non esse, sed multorum ingenia exercuisse; & propterea Christum Matt. 24. 15. de illa dixisse; *Qui legit, intelligat.* Quartò quia certum est, Joannis Apocalypsim plenam esse reconditis Mysteriis; & propterea Hieronymum in Epistola ad Paulinum dixisse, *tot habere Sacramenta, quot verba.* Quintò quia Augustinus Lib. de fide & operibus, cap. 15. fatetur, illum Locum Pauli 1. Corint. 3. v. 12. *superædificat super fundamentum hoc, aurum argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum,* esse unum ex illis, de quibus Petrus locutus est, quando dixit, *in Epistolis Pauli quædam esse difficilia intellectu.* Certum quoq; est, obscurum esse illum locum 1. Corint. 15 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Item illud Hebræ. 6. 4. *impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, & prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam.* Certissimum denique est, multa alia esse Loca in Scriptura difficillima intellectu, ídque constat ex consensu omnium interpretum. Si enim Scriptura esset clara & perspicua, non opus esset tot interpretibus, & tot commentariis.

CXLII. Hoc supposito manifestè probatur, Scripturam non esse se sola Judicem sufficienté ad terminandas, & definiendas quæstiones, quæ circa fidẽ, & mores inter ipsos Catholicos excitantur: nam certissimum est, sæpè dubitari, quisnam sit sensus legitimus, & verus alicujus textûs Scripturæ, quem tanquam veritatem à Deo revelatam omnes fideles amplecti debeant. Hoc autem dubium nequit resolvi tanquam à Judice ab ipsa Scriptura, de cujus sensu dubitatur. Ergò evidens est, vel controversiam illam semper debere manere indecisam, & litem de sensu ejus Loci nunquam finiendam, vel designandum esse aliquem alium Judicem, qui habeat authoritatem ad definiendum & determinandum, quisnam sit legitimus sensus illius textûs, & qui ita clarè, & dilucidè ferat sententiam, ut partes Litigantes facilè illam percipiant. Iste autem Judex nequit esse Scriptura ali-

qua mortua, sed debet esse, vel persona aliqua particularis, habens authoritatem interpretandi Scripturas, & proponendi fidelibus verum eorum sensum, vel cœtus aliquis hominum, seu aliquod concilium, cujus judicio omnes debeant stare; & Judex iste, cui omnes fideles teneantur obedire, debet esse authoritatis infallibilis, ut ostendi §. 1. qui Judex inter hæreticos non reperitur, & ideo nullam in articulis suæ Religionis consistentiam habent hæretici, qui ad Scripturam tanquam ad unicam credendi regulam & controversiarum fidei Judicem provocant.

CXLIII. Vt enim de illis scribebat P. Lessius anno 1609. Videmus, nullum apud eos esse finem controversiarum etiam de gravissimis fidei capitibus. Dissentiunt enim Lutherani, Calvinistæ, & Anabaptistæ in multis hoc tempore acerbissimè, & se mutuò damnant hæreseos. Dissentiunt ipsi Lutherani tùm inter se in plurimis, tùm à Luthero parente & Apostolo suo: adeò ut hoc tempore numerentur tredecim præcipuæ Lutheranorum Sectæ, nominibus & dogmatibus quibusdam discrepantes. Dissentiunt inter se Calvinistæ maximè in articulo de capite Ecclesiæ; magna enim illorum pars hanc potestatem tribuit Principi sæculari, etsi mulier sit; vocantur hi Protestantes: alij id nefas ducunt, & blasphemiam; hos vocant Puritanos. Dissentiunt inter se Anabaptistæ in plurimis, ita ut 14. eorum Sectæ diversæ numerentur, nominibus & dogmatibus distinctæ.

Denique nunc eò ventum, ut cùm se quisque hanc regulam sequi, eâque niti putat, tot pænè sint hæreses, quot hæretici. Plerique enim, præsertim simpliciores, dicunt se parùm curare, quid docuerit Lutherus, vel Calvinus, se enim adhærere S. Scripturæ, & Verbo Dei, in quo nullus error esse potest, & ita se putant valdè securos. Scripturam autem quisque pro suo captu, & judicio intelligit. Vnde cùm se putant Scripturam habere regulam credendi, loco Scripturæ habent imaginationem propriam. Quod enim imaginantur significari verbis Scripturæ, pro vero sensu Scripturæ accipiunt: sicque quot sunt diversæ hominum imaginationes, tot sunt regulæ credendi.

Sed unde fit, ut sua cuique imaginatio, pura veritas, & ipsissimus Scripturæ sensus videatur? Provenit hoc partim ex immensa quadam philautia, & æstimatione sui: qui enim se magni facit, facilè sibi persuadet, omnes suas inventiones, & animi conceptiones præclaras esse; partim ex diabolica operatione, qui interiùs phantasiam hominum pervertit, ut id, quod apprehendunt, statim ob levissimam aliquam ratiunculam, perspicuam veritatem putent. Cùm enim homines tædio Religionis antiquæ veritatem aversantur, & pruriunt auribus ad novitates, justo Dei judicio sinuntur decipi à diabolo. Hic ergò dum interiùs in sensibus eorum operatur, putant se divino Spiritu illustrari, & omne de fidei dogmatibus judicium ad hunc Spiritum referunt. Hinc fit, ut cuilibet Sectæ, & ferè cuilibet homini privato sua apprehensio purum putum Dei verbum videatur, nec curet

omnes rationes, quæ in contrarium adferuntur. Significat hoc Apostolus, cùm ait. *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Mittet, non imperando, sed diabolo vires laxando, ut eos, qui veritatem, seu antiquam Religionem contempserunt, possit decipere, & in mille errores agere transversos.

§. VII.

Infertur ex dictis, Lutheranos, & Calvinistas non posse ex Scripturis arguere.

CXLIV. RAtio est, quia ut ostendimus §. 1. non potest quis ex Scripturis apud ipsum existentibus, arguere, nisi priùs probet, apud ipsum esse veram Scripturam. Id autem probare non possunt Lutherani, & Calvinistæ, quia nec habent authenticum canonem Scripturarum, nec authenticam versionem, nec authenticam interpretationem; qui autem hæc non habet, absdubio non habet veram Scripturam. Non habere authenticum canonem, probatur; quia nec Canonem Lutheranorum, nec Canonem Calvinistarum unquam Ecclesia approbavit. Nam Lutherus ex Canone veteris testamenti, approbato in Ecclesia Catholica, expungit Tobiam, Esther, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, & Machabæos; ex canone novi, Epistolam ad Hebræos, Epistolam Jacobi, Epistolam Judæ, & Apocalypsim Joannis. Calvinistæ verò quamvis conveniant in aliis cum Luthero, tamen admittunt Epistolam ad Hebræos, Epistolam Jacobi, & Judæ, & Apocalypsim. Vnde canon iste hæreticorum nunquam fuit ab Ecclesia approbatus, siquidem à tempore Innocentij primi semper in Ecclesia receptus fuit canon librorum sacrorum, quem Concilium Tridentinum præscripsit.

CXLV. Non habent rursus authenticam versionem, quâ Catholici omnes utuntur, nempe veterem, ac vulgarem, quæ jam multis sæculis in Ecclesia viguit, & communi Christianorum consensu recepta est: hanc enim repudiant, *& in ejus Locum, non unam aut duas, sed propè infinitas suis auditoribus obtrudunt* (ut probat Becanus in manuali Lib. 1. cap. 1. §. 2.) & plerasque etiam ipsis adversariis suspectas, & ab ipsis damnatas. Denique non habent authenticam Scripturæ interpretationem, sed novam, & inauditam, & omnibus bonis authoribus repugnantem; ut cernitur in interpretatione adhibita à Calvino illis Christi verbis Mat. 19. *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; affirmat enim hic novus Genevæ Propheta, illa non seriò, sed ironicè à Christo dicta fuisse, ut sensus sit; *ne* serves mandata, quia illorum observatio nec prodest, nec possibilis est. Et cernitur in interpretatione Theodori Bezæ ad illa verba Actor. 2. 27. non *derelinquas animam meam in Inferno*; quæ sic exponit ad Litteram. *non derelinquas cadaver meum in sepulchro.* Non ergò habent hæretici veram Scripturam, ergò ex Scriptura, prout apud ipsos extat, & quatenus ipsorum Canone, & versione continetur, nequeunt arguere.

Vnde ad arguendum contra Catholicos necesse est, ut recurrant ad Scripturam, & versionem, quæ semper fuit in usu in Ecclesia ipsa Catholica.

CXLVI. Jam ergò ab his Ecclesiæ reformatæ auctoribus rogo, unde acceperint Codicem Bibliorum? respondebunt, non aliunde, quàm à Catholicis. Sed rursus rogo, Cur eundem, quem recepistis, non retinetis? cur canonem Catholicorum, qui ab Innocentio primo, ab Augustino, & à tota Ecclesia receptus est, repudiatis? cur novum fingitis, qui ab Ecclesia nunquam pro legitimo agnitus est? de vobis sanè verificatur, quod de Manichæis scripsit Augustinus Libro de bon. persever. cap. 11. *Scripturas sic accipitis, ut vestro quodam privilegio, imò sacrilegio, quod vultis sumatis, quod non vultis, reijcitatis.* Cur antiquam, & usitatam editionem, quam semper Ecclesia veneratа est, reiicitis? cur novas, & inter se repugnantes versiones substituitis? cur sensum Scripturæ falsis, & distortis interpretationibus depravatis? si ergò ex Scriptura Dei arguere vultis, ex nostra debetis arguere, quia vestram non admittimus. Nostra Legitima, & antiqua est, vestra spuria, & novitia: nostra unica & sibi constans, vestra varia, multiplex, & instabilis.

§. VIII.

Quintum caput idem probandi, quia multa sunt controversiæ fidei, quæ non possunt definiri ex Scriptura.

CXLVII. Ratio est, quia multæ sunt controversiæ circa fidem, & Religionem quarum nulla fit mentio in Scriptura, vel non sufficiens, ut determinentur; nequeunt autem ex Sola Scriptura determinari controversiæ, quarum nulla fit in Scriptura mentio, vel non sufficiens ad illarum decisionem: pro his ergò controversiis dirimendis quærendus est Judex alius diversus ab Scriptura, nimirum Judex vivus, qui consulens non solùm Libros Sacros, sed traditiones Apostolicas, controversias illas determinet: ille autem Judex non potest esse persona privata; sed debet esse, vel summus Pontifex, vel Concilium generale: ratio enim ipsa postulat, ut causa Religionis, cùm sit communis toti Ecclesiæ, non judicetur à privatis, qui nullam in Ecclesia dignitatem obtinent: sed vel ab ipso universali Ecclesiæ Pastore, cui omnes suas oves Christus in Petro pascendas commisit, dum dixit, *Pasce oves meas*: vel à cætu generali Pastorum, qui in unum convenientes ad Concilium generale, Ecclesiam universam repræsentant, & tanquam capita particularium Ecclesiarum, & pastores gregum providere debent, ut oves ipsorum habeant salutarem pastum doctrinæ; sic controversiæ de legibus, & privilegiis Regni, non ab alio quàm à Rege, & à Regni primoribus, qui totum regnum repræsentant, debent determinari.

CXLVIII. Quòd multæ sint controversiæ circa fidem, & Religionem, quarum nulla fiat mentio in Scriptura, vel non sufficiens ad ipsarum determinationem, patet: quia controversia de canone Scripturarum, quinam videlicet libri habendi sint pro Canonicis, & à Deo

à Deo dictatis, maximè spectat ad fidem, & religionem: & tamen hæc controversia nequit ex Scriptura determinari. Affirmant Catholici, Libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, & Machabæorum esse Canonicos: negant Lutherani, & Calvinistæ; manifestum est autem istam controversiam non posse ex Scriptura determinari. Idque ipsi hæretici fatentur; dum ad expungendos hos libros à Catalogo librorum sacrorum, non provocant ad Scripturam, sed ad Canonem & Traditionem Judæorum; dicunt enim non esse Canonicos, quia non reperiuntur in Canone Judæorum; ac proinde agnoscunt in hac causa alium judicem, quàm Scripturam: & qualem judicem? Traditionem Judæorum. Mira res, exclamat P. Becanus, *Pluris Judæos, quàm Christianos faciunt, & cùm ipsi Christiani esse velint, Christi*, & *Apostolorum traditionibus infensissimi sunt, & Judæorum traditionem in pretio habent.* Catholici obediunt summis Pontificibus, & Conciliis generalibus, quæ mota ex traditione Apostolica, & ex usu perpetuo Ecclesiæ, declarârunt, omnes istos libros esse Canonicos.

CXLIX. Ad fidem quoque, & Religionem pertinet controversia de numero Sacramentorum novæ legis. Hæretici affirmant, Sacramenta novæ legis esse duntaxat duo, nempe Baptismum, & Eucharistiam; Catholici constanter credunt esse septem. Illi ex Scriptura, ad quam provocant, probare non possunt, esse solùm duo: quia nec ex Scriptura probare possunt, nomen Sacramenti tribui Baptismo, & Eucharistiæ, non autem aliis quinque: neque ex Scriptura possunt probare, quænam sit definitio Sacramenti; nec supposita definitione, possunt ex Scriptura persuadere, illam definitionem convenire soli Baptismo, & Eucharistiæ. Catholici ex traditione, & perpetua praxi, & consensu Ecclesiæ suam doctrinam hauriunt, quæ in Conciliis ex hac traditione est definita.

CL. Ad fidem etiam, & religionem pertinet controversia, an Baptizati ab hæreticis, sint rebaptizandi. Affirmabat olim Cyprianus cum multis Episcopis Africanis; negabat Stephanus Papa, cujus sententiam secutus est Augustinus, & postea ab Ecclesia definita est. Neutra pars ex sola Scriptura putabat posse hanc controversiam definiri. Et Augustinus, qui veram sententiam defendit, non aliunde illam probavit, quàm ex Apostolica traditione, & praxi Ecclesiæ; ut constat ex lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. & lib. 5. cap. 23. *consuetudinis robore* (inquit Augustinus) *tenebatur orbis Christianus, & hac sola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Huic traditioni cessit tandem Cyprianus, quia videbat, se destitutum esse valido Scripturæ testimonio, quo suam sententiam firmare posset, ut testatur August. Epist. 48. ad Vincentium.

CLI. Vnde constat, hæreticos hujus temporis Lutheranos, & Calvinistas contrarium Spiritum habere ei, quem habuit vetus, & vera Christi Ecclesia. Nam illi propter unum Scripturæ testimonium sinistrè explicatum contemnunt æternam Ecclesiæ consuetudinem, ut loquitur Lutherus de abroganda

Missa, & in libro de instituendis Ministris ad Pragenses. At vetus Ecclesia ex consuetudine ducentorum, vel trecentorum annorum explicabat cum Stephano Papa omnia testimonia, quæ Cyprianus cum suis afferebat: & meritò, ut ponderat Bellarminus; nam cùm certum sit, consuetudinem universæ Ecclesiæ perpetuã non posse cum Dei verbo pugnare, & clarior sit consuetudo quàm ipsum verbum, rectè judicabant illi, ex consuetudine Verbum Dei esse interpretandum, non ob Verbum Dei obscurum, & ambiguum consuetudinem abrogandam, ut Lutherani, & alij hujus temporis hæretici faciendum esse contendunt.

CLII. Ad fidem etiam, & Religionem attinent controversiæ istæ, An Christiani Loco Sabbati debeant colere diem Dominicum? an Symbolũ fidei sit verè Apostolicum? an B. Virgo manserit Virgo post partum: quæ ex sola Scriptura decidi non potuerunt. Et tamẽ ab Ecclesia ritè decisæ sunt, & earum decisionem amplexi sunt Lutherani, & Calvinistæ. Ergò manifestum est, solam Scripturam non esse sufficientem controversiarum Judicem. Ergò certum est, nullam sectã hæreticorum esse veram Christi Ecclesiam, quia in nulla reperitur legitimus contoversiarum fidei Judex; sed solam Ecclesiam Catholicam Romanam, in qua Judex iste reperitur.

§. IX.

Supponitur, ut omnino certum inter Catholicos, Concilia generalia confirmata à Romano Pontifice esse legitimos controversiarum fidei, & morum Judices. ubi obiter ostenditur, etiam permisso, quòd Concilium generale sit supra Papam, non esse licitum appellare à sententia Pontificis ad Concilium generale.

CLIII. Cardinalis Bellarminus l. 2. de Conciliis cap. 2. testatur, *Catholicos omnes constanter docere, Concilia generalia à Romano Pontifice confirmata errare non posse, nec in fide explicanda, nec in tradendis fidei, & morum præceptis toti Ecclesiæ communibus,* Et similiter lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 2. testatur, *Catholicos omnes & hæreticos convenire in duobus, Primò, posse Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum* suo cætu Conciliariorũ, vel cum generali consilio errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione, testimoniísque hominum præcipuè pendent. Secundò posse Pontificem, ut privatum Doctorem errare etiam in quæstionibus juris universalibus tam fidei, quàm morum, ídque ex ignorantia, ut aliis Doctoribus interdum accidit.

CLIV. Deinde addit, Catholicos omnes in aliis duobus convenire, non quidem cum hæreticis, sed solùm inter inter se. Primò, Pontificem cum Generali Concilio non posse errare in condendis fidei decretis, vel generalibus præceptis morum. Secundò Pontificem solum, vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentẽ, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.

CLV. Ex hoc principio deducit Cardinalis Pallavicinus in historia Tridentini lib. 1. cap. 12. n. 7. invalidam, & illicitam fuisse appellationem Lutheri ad futurum Concilium à Diplomate summi Pontificis Leonis X. in quo errores ejus in materia indulgentiarum damnavit, declarans è Cathedra Petri, in Eccle-

Ecclesiæ thesauro Christi, ac Sanctorum merita contineri, atque etiam jure Claviũ eo Romanos Pontifices uti posse, indulgentias elargientes ad emolumentum vivorum, & mortuorum. Probat Cardinalis ibi n. 7. immeritò appellâsse Lutherum ab hoc Decreto summi Pontificis ad futurum Concilium; nam Lutherus fatebatur, Romanum Pontificem esse Dei Vicarium in terris; unde negare non poterat, habere authoritatem supra omnes fideles. Atque adeo, *tametsi talis authoritas* (propria Vicarij Dei in terris) *tanquam subjecta Concilio admitteretur, non idcirco Pontificiæ sententiæ executio, præsertim contra privatum hominem, suspenderetur provocatione ad Concilium. Alioqui, vel oporteret cujusvis litis gratiâ Oecumenicum Concilium cogere, vel quilibet penderet anceps, donec opportunitas incideret Oecumenici Concilij in Ecclesia convocandi. Pari ratione, quamquam sint Principes, qui subjecti sint generalibus Regni ordinibus, risu tamen exciperetur, qui contenderet, executionem Sententiæ, à Principe in privatum latæ, ad Ordinum Generalium conventum retardandam. Posito, quòd Pontifex errare posset in fidei dogmatis declarandis, essent quidem soluti fideles obligatione credendi indubitanter, quod ille definit, sed non ex eo solverentur obligatione extrinsecùs observandi, quod in eo genere idem præciperet, dummodo hoc præceptum Scripturæ, seu legi divinæ evidenter non opponeretur*; quæ evidentia *nequaquam poterat à Luthero prætendi, ubi tam magna fidelium, ac Theologorum pars illius novitati reclamabat.*

CLVI. Quæ in hoc num. narrat Cardinalis, supponunt ea, quæ narraverat num. 1. Nam cùm Lutherus usque ad id temporis (nempe ad ann. 1518.) in suis Commentariis, actísque judiciorum plenam subjectionem sui suarúmque rerum Pontifici professus esset; tunc scripto publico palàm fecit, se imprimis nolle adversari Ecclesiæ, sedísque Apostolicæ Magisterio, ac Pontificiæ authoritati, sed adjecit, Romanum Pontificem, tametsi Dei Vicarius in terris esset, tamen obnoxium esse tanquam hominem erroribus, quod in Petro patebat, qui idcirco legitur à Paulo acriter objurgatus. Quapropter sicut paratus erat obtemperare Pontifici probè edocto; ita ubi suorum æmulorum suasu quidquam in se statuisset, à jure sacrísque litteris alienum, provocare se ad futurum Ecclesiæ universale Concilium, quod Romano Pontifici præest; ac propterea in Pontificum potestate non esse, hujusmodi provocationes interdicere.

CLVII. Hic est spiritus hæreticorum, appellare ad futurum Concilium, quando vident, suos errores à Pontifice damnari, obtendentes, illum esse hominem erroribus obnoxium, ac proinde potuisse errare in illa definitione; non distinguentes inter errorem Pontificis, quatenus homo est, & inter errorem ejusdem, quatenus Summus Pontifex est, & è Cathedra Petri totam Ecclesiam instruit in fide, & moribus: quo pacto habet assistentiam infallibilem Spiritûs Sancti, ad non proponendum prava dogmata toti Ecclesiæ, sicut habent Concilia generalia; quæ etiam

componuntur ex hominibus errori obnoxiis ; & tamen in decretis fidei, & morum errare non possunt. Unde, qui affirmant, Pontificem Romanum posse errare in Decretis fidei, & morum toti Ecclesiæ intimatis, viam sternunt ad idem asserendum de Conciliis generalibus, ut fecit Lutherus, qui postea assert. 28. & 29. palàm affirmavit, nullum esse Concilium, quod errare non possit ; quod etiam docuit Calvinus lib. 4. instit. cap. 9. §. 8. & est communis error hæreticorum hujus temporis: qui probè scientes, eorum doctrinam esse damnandam in Conciliis generalibus, si ad hoc congregentur ; se munire volunt hac assertione adversùs Conciliorum definitiones. Hunc spiritum Lutheri imitati sunt aliqui partiales Jansenii, qui ut refert Theophylus Raynaudus tomo 20. pag. 377. postquam certò sciverunt, quinque propositiones Jansenii damnatas fuisse, ut hæreticas ab Innocentio X. adhuc ausi sunt obmurmurare, *nondum prorsus præclusum esse exitum sectatoribus Jansenii, cùm reliquum* (ajebant ipsi) *sit perfugium appellationis ad generale Concilium, cujus comprobatio in Romana Jansenii damnatione desideratur, cùm solius Concilii sit, pronuntiare irretractabiliter de doctrina fidei.*

CLVIII. Quod effugium Jansenistarum continet perniciosum errorem. Cùm enim juxta Declarationem Concilii Florentini in litteris Unionis certum sit, Romanum Pontificem, *verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere.* Et ut loquitur Innocentius III. in Epistola ad Catholicum Armenorum, Romanus Pontifex *Magister sit Christianæ fidei* : sanè quando in re dubia, & controversâ inter Catholicos, tanquam supremus Ecclesiæ Magister, & summus Pastor, controversiam definit, & unam partem tanquam hæreticam, vel erroneam damnat, & pro tali haberi præcipit, omnes fideles tenentur suum judicium conformare ipsius judicio : & quamvis ipsi existimârent, illam propositionem contineri in Scriptura, cùm tamen sciant, oppositum asserere authores gravissimos ante definitionem Pontificis, & evidenter ipsis constet, rem hanc saltem fuisse dubiam ante definitionem Pontificis, & videant, Pontificem post diligentem rei discussionem, quæ in re tam gravi semper præsumi debet, partem, quam illi existimabant Catholicam, declarâsse ut hæreticam; debent judicium suum deponere, & in re antecedenter dubiâ, se conformare cum judicio communis Ecclesiæ Magistri; peccabúntque gravissimè contra obedientiam debitam supremo Ecclesiæ Pastori, si pergant judicare, esse sanam & Catholicam doctrinam, quam ille damnavit, ut hæreticam.

§. X.

Demonstratur, concilia generalia confirmata à Pontifice non posse errare in decretis fidei, & morum.

CLIX. HOc constat 1. quia cùm certum sit ex Evangelio, Christum supra Petrum, & successores ejus fundâsse unam Ecclesiam visibilem

bilem usque ad finem mundi duraturam, & permansuram firmam in fide, quin portæ inferi adversùs eam prævalere valeant, ut ostendimus cap. 1. certissimum est, reliquisse in Ecclesia sua authoritatem necessariam ad conservandam unitatem fidei in illa, id est, authoritatem falli nesciam in edendo symbolum, & proponendo fidelibus articulos fidei, & dogmata ab ipsis credenda; nam unitas Ecclesiæ stare nequit sine unitate fidei, nec unitas fidei conservari potest in Ecclesia, nisi in illa detur authoritas aliqua suprema falli nescia in determinandis fidei, & morum controversiis, cujus judicio omnes stare debeant. Hæc autem authoritas suprema infallibilis debet esse Summus Pontifex, saltem quando simul cum Concilio generali determinat fidei & morum controversias, & decreta fidei edita à Concilio generali confirmat, & toti Ecclesiæ proponit.

CLX. Hanc Rationē desumo ex D. Thoma 4. contra Gent. cap. 76. n. 2. ubi hæc habet: *ad unitatē Ecclesiæ requiritur, quòd omnes fideles in fide conveniant; circa ea verò, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergò ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quòd sit unus, qui toti Ecclesiæ præsit: manifestum est autem, quòd Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit, quam dilexit, & pro ea sanguinem suum fudit, cùm, & de Synagoga dicatur per Dominum Esaiæ 5. Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? Non ergo dubitandum est, quin ex ordinatione Christi Unus toti Ecclesiæ præsit.* Hæc ille.

CLXI. Nec item est dubitandum, quòd præsit cum authoritate infallibili ad determinandas fidei, & morum controversias, saltem quando eas determinat cum Concilio generali; nam si hanc non haberet, non posset unitatem fidei conservare, sed potiùs foret causa, ut Ecclesia tota erraret: supremus enim Magistratus, cui in causa fidei omnes tenentur obedire, seu supremus Magister, quem è Cathedra loquentem omnes tenentur audire, si erret, causa est, ut omnes errent.

CLXII. 2. Quia certissimum est ex Scriptura, *Ecclesiam esse Columnam, & firmamentum veritatis.* Unde impossibile est, ut Ecclesia Christi erret in iis, quæ credenda proponit: Ecclesia autem Christi verissimè dicitur, credenda proponere illa omnia, quæ definiunt Concilia generalia confirmata à Romano Pontifice, & quæ mediante eodem Romano Pontifice intimantur fidelibus, & in Ecclesiis particularibus publicantur. Ecclesia enim non aliter potest proponere fidelibus mysteria credenda, nisi mediante capite Ecclesiæ, & mediis Pastoribus, seu Episcopis, quos Deus præfecit communibus fidelibus: ad plebem enim non attinet docere, sed doceri, nec ovibus convenit pascere, sed pasci. Quorum enim est regere aliquam communitatem, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, eorundem est determinare, & definire controversias emergentes in illa communitate, sine quorum decisione pax conservari nequit. Et sic indubitatum

eſt, Eccleſiam determinâſſe omnia, quæ definita ſunt in Conciliis generalibus approbatis. Sic in Concilio Nicæno primo approbato à S. Silveſtro definita eſt Divinitas Chriſti Domini, ejúsq; æqualitas cum Patre contra Arrianos; in Concilio Conſtantinopolitano primo confirmato à S. Damaſo, declarata eſt Divinitas Spiritûs Sancti, ejúsque æqualitas cum Patre & Filio contra Macedonium. In Concilio Epheſino primo confirmato à S. Celeſtino, definitum eſt contra Neſtorium, in Chriſto unam tantùm eſſe perſonam, eámque Divinam; ac proinde Beatam Virginem, quæ Mater eſt Chriſti, eſſe verè, & propriè Matrem Dei. In Concilio Chalcedonenſi confirmato à S. Leone, definitum eſt, & declaratum contra Dioſcorum, & Eutychetem, in Chriſto eſſe duas naturas, Divinam, & humanam, in unica perſona divina, quæ cùm ſemper habuiſſet naturam divinam per identitatem, in tempore per veram unionem ſibi copulavit humanam. Et ſic de aliis Conciliis: Hæc autem Concilia S. Gregorius venerabatur, ut quatuor Evangelia. Certiſſimum ergò eſt, Eccleſiam Catholicam, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, determinâſſe, & definâſſe ea omnia, quæ definita, & determinata ſunt in Conciliis generalibus. Et omnino indubitatum eſt, eſſe hæreſes illas omnes doctrinas, quas ut hæreticas Concilia illa generalia damnârunt.

CLXIII. Et ſanè cùm hæretici noſtri temporis, non negent Eccleſiam Catholicam Romanam fuiſſe veram Chriſti Eccleſiam in illis primis quatuor, vel quinque ſæculis, negare non poſſunt, eſſe certa, & indubitata omnia illa, quæ determinata, & declarata ſunt in illis Conciliis primis Eccleſiæ. Ergò Concilia generalia confirmata à Romano Pontifice, certam & infallibilem fidem faciunt. Alioqui nec Symbolum Nicænum certam fidem faceret; quod tamen hæretici ipſi hujus temporis, ut infallibilem fidei regulam venerantur.

CLXIV. Quòd ſi dixerint, veritates definitas in illis Conciliis eſſe certas, & indubitatas, non quia ſunt in illis Conciliis definitæ, & declaratæ; ſed quia continentur in Scriptura, quæ errare non poteſt: contra eſt, quia Arrius, Macedonius, Neſtorius, & Eutyches, qui damnati ſunt, ut hæretici in illis Conciliis, Evangelia admittebant, & exiſtimabant, ſua dogmata non eſſe contraria Evangelio, ſed potiùs in illo contineri. Unde Concilia illa, dum damnârunt illorum dogmata ut hæretica, fideles omnes certificârunt de eo, quòd dogmata illa ſint contraria Evangelio. Quod facere non poſſent, niſi haberent aſſiſtentiam infallibilem Spiritûs Sancti ad non errandum, dum declarant conciliariter ſcripturas, & fidelibus proponunt dogmata credenda. Quomodo certificari poterunt fideles de ſenſu legitimo ſcripturarum, ſi non certificantur ex decretis Conciliorum generalium legitimè congregatorum, & à capite Eccleſiæ confirmatorum? Quæro à Lutheranis, & Calviniſtis, unde certi ſint, Arrium, Macedonium, Neſtorium, & Eutychetem fuiſſe hæreticos? ſi dicant; quia certi ſumus, docuiſſe dogmata contra legitimum

ensum scripturæ; ulteriùs rogabo: unde vobis constat, dogmata ab illis tradita fuisse contra legitimum sensum scripturæ? si dixerint; quia spiritus internus hoc nobis dictat: rogabo; unde scitis, hunc spiritum vestrum internũ, qui sicut vobis dictat, dogmata definita in Concilio Nicæno esse vera, ita vobis dictat, esse falsa dogmata definita in Tridentino circa fidem, circa justificationem, & circa Sacramenta, esse falsa? unde, inquam, scitis, hunc esse Spiritum Dei, esse spiritum veritatis, & non potiùs esse spiritum proprium, vel diabolum, & spiritum mendacii? Arrius, Macedonius, Nestorius, & Eutyches etiam spiritu interno judicabant, dogmata sua esse conformia Evangelio: nec enim tam tenaciter illa defenderent, nisi internè judicarent, esse conformia Evangelio, & sibi persuaderent, hoc suum judicium esse ab spiritu veritatis; & tamen vos scitis illos deceptos fuisse. Ideò ergò certi estis, fuisse hæreticos illos homines; quia evidenter vobis constat, eorum dogmata damnata fuisse in Conciliis illis generalibus. Ergo fateri debetis, Concilia generalia legitima, & approbata à Romano Pontifice habere authoritatem infallibilem. Nec ullum Concilium generale legitimum, & approbatum potestis rejicere, ut mendax, si semel concedatis prima illa quatuor Concilia, quia generalia, & approbata, fuisse authoritatis infallibilis.

CLXV.3. Eadem veritas probatur ex illo Apostoli ad Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum; in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris:* ex quibus verbis constat, Christum reliquisse in Ecclesia sua Pastores & Doctores, ut populũ instruant in doctrina fidei & morum, & ita in unitate fidei, & agnitione Filii Dei, id est, ipsius Christi vera cognitione, confirment, & consolident, ut tanquam parvuli, non circumferantur omni vento doctrinæ, & seducantur à falsis Prophetis, id est, ab hominibus seminantibus falsa dogmata. Ergò ope sua assistit Pastoribus, & Doctoribus Ecclesiæ, ne illi ita errent in fide, ut populus teneatur illos errantes sequi. Ergò ita assistit illis, ut quando conveniunt ad Concilium generale, & approbante Romano Pontifice definiunt dogmata aliqua, & credenda proponunt, non possint errare. Si enim Pastores, & Doctores in Concilio generali legitimo, & approbato errarent, à rectóque fidei tramite discederent; oves ipsæ, id est, fidelium populus, in errorem ducerentur: ut enim Gregorius docet, *cùm Pastor per abrupta graditur, necesse est; ut per præcipitium oves sequantur.*

CLXVI. Et sanè cùm Papa sit caput universale visibile totius Ecclesiæ, & Episcopi particulares sint capita suarum Ecclesiarum, & ad ipsos tanquam ad pastores spectet, populos tan-

tanquam oves pascere doctrinâ veritatis, & communes fideles instruere in fide, & moribus tanquam ipsorum Magistros, atque Doctores; fieri non potest, nisi ut membra reliqua eò deferantur, quò, & oculi suam vim, atque aciem intenderint, & caput sese inclinaverit, atque deflexerit. Fidelium ergò reliquorum turba, si videret, Episcopos convocatos ad Concilium generale simul cum Summo Pontifice controversiam fidei determinâsse, & unam partem credendam proposuisse, illam partem, ut veram deberet amplecti & oppositam rejicere, ut hæreticam, ac proinde errante Concilio generali, tota Ecclesia erraret.

CLXVII. 4. Probatur ex Christi promissionibus factis Ecclesiæ suæ: nam Joan. 14. *Ego* (inquit) *rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem vos cognoscetis, quia apud vos manebit.* Et postea. *Paracletus autem Spiritus ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Item Joan. 16. *Cùm autem venerit Spiritus veritatis, ille vos docebit omnem veritatem.* Quæ verba non possunt intelligi de solis Apostolis, sed referri debent quoque ad eorum successores Episcopos, ut constat ex illis verbis, *ut maneat vobiscum in æternum.* Et ex illa alia Christi promissione, Mat. ultimo: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Item patet ex illis Christi verbis, Joan. 17. *Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est. Pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Ergo promissiones illæ factæ sunt non solùm Collegio Apostolorum, sed Collegio Episcoporum, qui illis successuri erant in munere pastorali, & factæ sunt Ecclesiæ in capite illorum. Nec verba illa referri possunt ad singulos Episcopos, singulósque fideles in particulari, quia constat, non singulis promisisse Christum Spiritum veritatis; cùm ex Scriptura sit manifestum, *oportere, ut hæreses sint*; & ex Ecclesia prodituros, qui prava dogmata seminent; ut fecerunt Dioscorus, Nestorius, & alii hæresiarchæ, qui Episcopi fuerunt. Intelligendæ ergo sunt de communitate Episcoporum; ad quos tanquam ad Pastores pertinet pascere Ecclesiam Dei: Ergò quando convocantur à Vicario Christi ad Concilium generale, ut in eo definiant aliquam fidei, & morum controversiam, illámque definiunt approbante eodem Pontifice, & confirmante eorum definitionem, habent assistentiam infallibilem Spiritûs Sancti ad non errandum.

CLXVIII. Si enim Christus dixit Matth. 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quantò magìs erit in medio Episcoporum, qui ex mandato Summi Pontificis ex omni mundi parte conveniunt in unum locum ad providendum Ecclesiæ in magna aliqua necessitate, & ipso approbante, & confirmante determinant aliquam fidei, vel morum controversiam, ut ipsis assistat, ne in re tanti momenti errent. Ut enim explicat Cardinalis Bellarm. lib. 2. de Conciliis cap. 2.

cap. 2. illorum verborum, hic sensus *est: si duo vel tres*, congregati in nomine meo, obtinent semper, quod petunt à Deo, nimirum sapientiam, & lumen, quod sufficit eis ad cognoscenda ea, quæ ipsis necessaria sunt, quantò magìs Episcopi omnes, congregati in nomine meo, semper obtinebunt, quod justè petunt, id est, sapientiam, & lumen ad judicanda ea, quæ ad totam Ecclesiam dirigendam pertinent?

CLXIX. Itaque sive pauci, sive multi, sive privati, sive Episcopi congregentur in nomine Christi, omnes habent Christum præsentem, & adjuvantem, & obtinent, quod eis convenit obtinere; sed in congregatione paucorum, & privatorum adest Christus, ut eos adjuvet in rebus paucis & privatis; in congregatione autem Episcoporum adest, ut eos adjuvet in rebus magnis, & publicis. Ita hunc locum exponit, & hoc argumento utitur Concilium Chalcedonense in Epistola ad Leonem, quæ est post finem tertiæ actionis ejusdem Concilii. Item sexta Synodus act. 17. Toletanum III. non procul ab initio. Item Innocentius Papa ad Gratian. dist. 20. Can. de quibus. Cælestinus in Epistola ad Ephesinum Concilium I. & Cyrillus in expositione Symboli Nicæni circa principium.

CLXX. Dixi *Romano Pontifice approbante, & confirmante.* Ut enim sapienter scribit M. Cano lib. 5. cap. 5. sicut congregatio Concilii, reclamante vero, certóque Ecclesiæ Pontifice, vana est, & irrita, sic doctrina, cui præsens *Pontifex per se*, vel absens *per Legatos suos* contra dicit, *incerta est*, atque imbecilla. Et ideo Concilium generale, etiam legitimi Pontificis authoritate congregatum, in fide errare potest, si Pontifex per se, vel per Legatos suos non consentiat ipsius Decretis; ut manifestè apparuit in Concilio generali Ephesino secundo, authoritate S. Leonis Magni congregato, in quo Legatis ejusdem Leonis repugnantibus Episcopi ferè omnes Dioscori hæresi subscripserunt. Et quidem Concilia generalia à Romano Pontifice non confirmata, firma non esse, probat luculenter idem S. Leo epistolis 12. 13. 21. 22. 23. & 24. & Synodus octava actione 7. Nicolaus Papa in epistola ad Michaëlem Imperatorem. Et Eugenius IV. in Decreto super unione Jacobinorum, in quo postquam Ephesinam secundam Synodum sub Leone congregatam condemnavit, quia errorem Eutychetis approbavit, subjunxit, *suscipit sancta Romana Ecclesia omnes universales synodos, authoritate Pontificis legitimè congregatas, ac celebratas, ac confirmatas*: ubi non solùm requirit ad valorem, & firmitatem synodorum, quòd authoritate Romani Pontificis celebrentur, sed simul quòd ab illo confirmentur: nec enim primum sine secundo sufficit.

CLXXI. Quintò probatur, Concilia generalia à Romano Pontifice confirmata esse regulam infallibilem fidei. Nam Ecclesia Catholica, quæ est columna, & firmamentum veritatis, nequit esse Magistra errorum: foret autem Magistra errorum, si Concilia generalia, confirmata à Pontifice, in fide errare possent; illa enim Concilia, ut unita capiti Ecclesiæ, repræsentant Universam Ecclesiam, & quod Concilia ejusmodi definiunt, Ecclesia Catholica dicitur

dicitur definire, & docere, & ideo S. Augustinus Lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 18. dixit: *Plenarij Concilij sententiam totius Ecclesiæ consensionem esse.* Et Martinus V. cum Concilio Constantiensi, quatenus inconcusè fuit generale, & ex omnibus obedientiis compositum, hanc veritatem stabilivit; siquidem inter alias interrogationes, *quibus* suspecti in fide erant examinandi, proposuit hanc: *Vtrum credant, quòd quodlibet Concilium generale universalem Ecclesiam repræsentet.* Quod ergò Concilium generale Legitimum, & à Romano Pontifice confirmatum, definit tanquam articulum fidei, & omnibus credendum proponit, id Ecclesia Vniversalis Catholica docet, & credendum proponit. Ut enim sapienter notat Bellarminus tomo primo controversiarum lib. 3. de Verbo Dei cap. 5. (prout habetur in tomo, qui servatur in Bibliotheca nostri Collegij Romani manu propria ipsius Cardinalis correcto, quem ego vidi) *Ecclesia non aliter loquitur, quàm per os Pastorum ac Doctorum, ac præcipuè in Concilio generali congregatorum, quod Concilium, vel summum Pontificem habuerit præsentem, & Præsidem, vel Confirmationem atque approbationem ab eo meruerit obtinere.* Non enim Ecclesia Catholica Universalis dicitur docere aliquid, quia universi fideles suffragium habeant in determinandis fidei controversiis; esset enim non solùm impossibile, sed indecens, & ridiculum, in fidei & morum quæstionibus determinandis cerdonum, & mulierculatum rogare sententias, & judicium expectare. Sed dicitur Ecclesia Universalis aliquid docere; quando id docet Concilium generale confirmatum, per quod Ecclesia Universalis repræsentatur, vel quando seorsim à Concilio Generali Romanus Pontifex, ut Vicarius Christi, è Cathedra Petri totam Ecclesiam instruit, & illi toti veritatem aliquam credendam proponit: Ut enim inquit D. Thomas 2.2.q. 11. art. 2. ad tertium: *authoritas Ecclesiæ principaliter residet in summo Pontifice:* quod probat ex Hieronymo, ex jure canonico 24. q. 1. cap. quotiescumque.

CLXXII. Cùm ergò Universalis Ecclesia verè dicatur docere, & credenda proponere ea omnia dogmata, quæ Concilia generalia approbata proponunt credenda; & cùm ex Christi promissione Ecclesia Universalis nequeat errare in Doctrina fidei, & morum, necessariò infertur, Concilia generalia esse regulam vivam infallibilem fidei, & judicem infallibilem controversiarum fidei.

CLXXIII. Quod confirmatur: nam ad explorandum, quid sentiat Universalis Ecclesia Catholica, non est necesse, adire singulos fideles, & rogare, quid ipsi sentiant, & credant; sed satìs est, exquirere commune judicium Episcoporum Ecclesiæ Catholicæ; id enim Ecclesia Catholica docet, quod docent communiter ejus omnes Episcopi. Unde Patres Concilij Ephesini, ut explorarent, an Nestorius haberet veram fidem, & sentiret, atque doceret id, quod sentit, & docet Vniversalis Ecclesia Catholica, ad ipsum scripserunt Epistolam, in qua exigunt, ut si satisfacere Ecclesiæ velit, *jure jurando fateatur sentire*

tire se, & docere, quæ Universi per Orientem, & Occidentem Episcopi præsidésque populorum crederent, ac docerent. Quæ etiam Epistola comprobata est à sexta synodo generali Actione 11. In Concilio quoque Tridentino sess. 3. definitum est, *Ecclesiæ esse, judicare de vero sensu & interpretatione Scripturam*; insanum autem esset, velle, ut tota fidelium multitudo de ejusmodi re judicium ferat: sufficit ergò, Pastores, ac Doctores Ecclesiæ de illa re judicium ferre, approbante Romano Pontifice, & id dicetur Ecclesia judicare. Idque confirmatur ex historia Ecclesiastica Eusebij Cæsariensis lib. 4. cap. 22. in qua celebratur diligentissima fidei inquisitio, quam fecit Egesippus Philosophus, qui Romam veniens, causâ veræ Religionis quærendæ, & inveniendæ, non popularium sententiam ad fidē requisivit, sed satisfecisse ad fidei suæ confirmationem visus est, si judicium commune Episcoporum per Loca singula, & Doctorum sententiam exquireret. Ergò quod Episcopi ad Concilium generale congregati simul cum Romano Pontifice determinant, & definiunt, id Ecclesia Catholica verè definit, & determinat. Cùm ergò impossibile sit, Ecclesiam Catholicam in doctrina fidei errare, impossibile est, ut Concilia Generalia à Pontifice approbata errent.

CLXXIV. Denique probatur ex illo Actorum 15. v. 28. *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, &c.* Cùm enim Antiochiæ orta esset seditio ob Judæos, qui volebant gentes ad Deum conversas circumcidi; Paulus & Barnabas venerunt Hierosolymam, ut rem ad Apostolos referrent, qui post Petri, & & Jacobi suffragia, communi Decreto per litteras statuunt, gentes conversas non ligari lege Moysi; & hoc decretum miserunt Antiochiam per Judam, & Silam simul cum Paulo & Barnaba; decretum autem erat illud, *visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Ex quo constat, concilia legitimè congregata, in quibus præsidet Petrus, vel Pontifex Romanus ejus Successor, per se, vel per legatos suos, & in quibus approbante sede Petri determinatur quæstio fidei, habere assistentiam infallibilem Spiritus Sancti ad non errandum, & decreta ejusmodi Conciliorum esse decreta Spiritus Sancti. In hoc autem Concilio, quod fuit norma, & exemplar aliorum, quæ successu temporis congreganda erant, præsedit Petrus; ut patet ex versu 7. *Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos*, & palam pronuntiavit, non esse imponendum jugum legis Mosaicæ conversis ad fidem Christi: *Nunc ergò, quid tentatis* (ajebat) *Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum, quod nunquam patres nostri, nec nos portare potuimus?* Post Petrum locutus est Jacobus, tanquam Episcopus ejus Loci, in quo celebratum est Concilium, & dixit v. 13. *Viri fratres audite me*, & confirmavit, quæ dixerat Petrus, & suffragium suum iis verbis conclusit: *Propter quod ego judico, non inquietari eos*, qui ex *gentibus convertuntur ad Deum* v. 19.

CLXXV. Notandum est, quòd Petrus, qui quatenus Apostolus, & tanquam caput Ecclesiæ habebat assisten-

tiam infallibilem Spiritus Sancti, ad non errandum in Decreto fidei, nihilominus noluit se solo quæstionem hanc determinare, sed communi suffragio Apostolorum, qui aderant; Ut scilicet relinqueret exemplum successoribus suis, ut quæstiones fidei non determinent, quin præcedat matura inquisitio, & deliberatio, & ut ad damnandas hæreses utantur communi suffragio aliorum Episcoporum, imò convocent Concilium generale, quando commodè fieri potest. Ut enim ponderat P. Suarez disput. 5. de fid. Sec. 5. n. 10. interdum convenit, ut Pontifex non definiat sine Concilio generali, *nimirum ad majorem Ecclesiæ satisfactionem, útque magìs constet de communi consensu ejus, & ad majorem confusionem hæreticorum, vel quorumcumque contradicentium, ut rectè nobis declarant Apostoli exemplo suo* Act 15. Cæterùm quando est periculum in mora, & necessitas, vel utilitas Ecclesiæ id postulat, potest, & solet Papa res fidei sine Concilio generali definire, & toti Ecclesiæ proponere; quamvis nunquam id faciat non præcedente magna deliberatione, & multis consultationibus.

§. XI.

Ostenditur, Romanum Pontificem etiam extra Concilium Generale, & non expectato Ecclesiæ consensu, esse infallibilem controversiarum fidei Judicem.

CLXXVI. Romanum Pontificem habere authoritatem infallibilem ad definiendas fidei, & morum controversias extra Concilium generale, & consequenter non expectato Ecclesiæ consensu, *communissimam omnium ferè Catholicorum sententiam* appellat Bellarminus lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 2. *quam totus orbis, exceptis pauculis Doctoribus amplectitur*, ut inquit celebris Doctor Sorbonicus Andreas Duvalius t. 2. in l. 2. pag. 846. & 754. *quam unicè Hispania, Italia, omnesque Christianitatis Provinciæ docent, ita ut illa, quam sententiam Parisiensium vocant, ad classem earum opinionum reducenda sit, quæ tolerantur*, ut scripsit anno 1662. Illustrissimus Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis in observationibus ad Theses Claromontanas, quæ Teste Stephano Ballutio, postremum ejus opus fuerunt. Quam sectantur omnes Christiani orbis Universitates, ut testatur idem Marca ibidem iis verbis: *Authoritas, infallibilem sententiam in Causis fidei pronuntiandi, est Romanis Pontificibus omnium Universitatum consensu acquisita, exceptâ tamen contiguâ Sorbonâ, idest* excepta Universitate Parisiensi, paulò post Concilium Constantiense, & tempore Concilij Basileensis, & postmodum per aliquot annos in eo statu, quem habuit, quando post Joannem Gersonem Cancellarium Universitatis aliqui Doctores Parisienses, ut Jacobus Almainus, & Joannes Major docere cæperunt, Papam esse in definiendo fallibilem, ejúsque judicium posse reformari à Concilio. Et propterea gravissimus Doctor, & Decanus Lovaniensis Ruardus Tappe orat. 3. Theolog. pag. 393. testatur, eam Doctrinam *esse noviter introductam à quibusdam Parisiensium contra*

Doctri-

Doctrinam veterum omnium Scriptorum, qui Romani Pontificis judicium in quæstionibus fidei infallibile esse tradunt. Et ideo eruditissimus Theophilus Raynaudus, in opusculo, cui titulus Αὐτὸς ἔφα, seu *ipse dixit*, testatur, pro infallibilitate Romani Pontificis allegari posse *Theologos omnes, quotquot ante Concilium Constantiense floruerunt: nam nonnisi* (subjungit) *à tempore Concilij Constantiensis, & Basileensis vocata est in controversiam hæc veritas apud Catholicos, sed omnes anteriores unanimiter docuerunt, definitiones Pontificias absque Concilio generali editas facere rem de fide.* Et ut ostendit D. Josephus Gibalinus author quoque Gallus lib. 5. de Jure Can. cap. 3. §. 15. *Hæc fuit semper Doctrina scholæ Theologicæ Parisiensis, tàm in definitionibus, & censuris editis ab ipsa in unum congregata, quàm in scriptis singulorum ipsius universitatis Doctorum.* Et hanc Doctrinam etiam hoc tempore major pars Doctorum Sorbonæ, & Galliæ defendit, ut scribebat Illustrissimus Marca anno 1662. in observationibus ad Theses Claromontanas num. 34. *Pars* (inquit) *major non solùm Theologiæ, sed etiam juris Doctorum communi opinioni adhæret, utpotè fundamentis nixæ solutu difficillimis, ridétque antiquæ Sorbonæ opiniones.*

CLXXVII. Unde mirandum est, quòd his ultimis annis tanta sit apud aliquos facta mutatio in Gallia, ut Conventus habitus Parisiis anno 1682. negaverit summo Pontifici eam infallibilitatem, quam tota Gallia semper ante Concilium Constantiense professa est, & quam post Concilium Constantiense innumerabiliter plures in Gallia propugnabant, quàm oppugnabant, & quam tota Gallicana Ecclesia ann. 1653. in Pontifice agnoverat. Et quidem ut omnino necessariam ad succurrendum Ecclesiæ periclitanti in Jansenismi procellis. Qui scire desiderat hujus tam celeris mutationis causas, legat Eugenium Lombardum eas latè exponentem in suo Regali Sacerdotio à pag. 3. usque ad 14. Nobis satis sit, advertere, Declarationem illam de potestate Ecclesiastica editam à Conventu Parisiensi, immeritò publicatam esse sub speciosissimo titulo cleri Gallicani, quia illam non edidit Communitas Illustrissimi cleri, ut probat author præclari operis de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ num. 6. Præfationis. *Præterquam quòd* (inquit) *Episcopi tantùm congregati hanc declarationem emisêre, aliis non mandantibus, nec sua sponte probaturis; contrariam mentem frequentibus, & liberioribus Comitiis aliàs idem clerus aperuit*

CLXXVIII. Infallibilitatem hanc Romani Pontificis non solùm defendunt nunc omnes reliquæ nationes orbis, omnésque Universitates, sed omnes Religiosæ familiæ. Religio S. Benedicti cum S. Anselmo lib. de Incarnat. Verbi cap. 1. Religio Cisterciensis cum S. Bernardo Epist. 190. & lib. 2. de consid. paulò post medium. Religio S. Dominici cum S. Thoma 2. 2. q. 1. ar. 10. & 4. contra gent. cap. 76. Religio S. Francisci cum S. Bonaventura t. 1. opuscul. fol. 373. & t. 2. fol. 494. & in 4. dist. 19. art. 3. q. 1. & cum Alexandro Alensi 3. par. summæ fol. 160. Re-

ligio S. Augustini post S. Doctorem, cum Ægidio Romano in libro de renuntiatione Papæ cap. 8. cap. 9. & 10. & in 3. dist. 29. part. 2. q. unica ar. unico. Religio Carmelitana cum suo Antesignano Doctore resoluto Joanne Bachonio in Prologo libri quarti sent. q. 10. & denique Doctores omnes Societatis Jesu nullo excepto, cum Bellarmino, & Suarez, & Valent. post S. Ignatium in Epistola ad Claudium Abissinorum Imperatorem, & post Didacum Laynes in Concilio Tridentino apud Cardinalem Pallavicinum in historia Concilii lib. 18. cap. 14.

CLXXIX. Et hanc sententiam adeò certam existimant gravissimi Theologi, ut P. Franciscus Suarez disp. 5. de fide sec. 8. n. 4. censeat, *esse rem de fide certam:* & disput. 20. sec. 3. n. 22. responsionem cujusdam authoris asserentis, *non esse de fide certum, Pontificem definientem sine Concilio generali non posse errare*, appellet, *non solùm nimis temerariam, sed etiam erroneam.* Et magnus Cardinalis Bellarminus tom. 1. manu propriâ correcto (prout servatur in Bibliotheca Collegii Romani) lib. 4. de Roman. Pontifice asserat, illam doctrinam *videri omnino erroneam, & hæresi proximam, ut meritò possit judicio Ecclesiæ hæretica declarari.* Et Cardinalis Toletus in Commentariis in 2. 2. q. 1. ar. 10. controversia 8. concl. 5. dicat, *esse errorem manifestum in fide*, & M. Cano. lib. 6. de locis cap. 6. pronuntiet, *se non dubitare, si Concilio proponeretur, quòd damnaretur, ut hæresis*, & P. Banez 2. 2. q. 1. ar. 10. dubio 2. concl. 4. postquam asseruit, *in publico judicio fidei non posse Summum Pontificem errare*, addit. *Et procul dubio si quæstio hæc ad Concilium legitimum deferretur, non dubito, quin prædicta conclusio definiretur tanquam vera fides, & contraria anathematizaretur.* Nec mirum, nam certius est, Papam non posse errare in determinandis fidei, & morum controversiis, quando è cathedra Petri toti Ecclesiæ declarat, quid tenere debeat, quàm in nullo casu subjacere Concilio: & tamen Cardinalis Pallavicinus in hist. Tridentini lib. 24. c. 2. n. 12. affirmat, *ex decem partibus Patrum novem, & ampliùs convenisse ad dandum suffragium pro definitione, quòd Papa sit supra omnia Concilia.*

CLXXX. Gravissimus etiam Theologus Gregorius de Valentia tom. 3. princ. 7. §. 41. col. 246. censet, authores, asserentes, posse Papam errare in determinandis fidei, & morum quæstionibus, quæ inter ipsos Catholicos sunt controversæ, *errare in fide gravissimè*; & ibidem §. 45. col. 298. asserit, *eos, qui Concilium Pontifice superius faciunt, pugnare revera, licèt inadvertentes, cum certissima fide de D. Petri, ac Romani Pontificis Primatu.*

CLXXXI. Ego ab omni censura abstinens, & supponens, Papam, ut Doctorem particularem posse errare; & præscindens ab eo, an possit errare, dum consultus, ut Pontifex in casu particulari, respondet secundùm sententiam sibi probabiliorem, quam veram putat, hoc tanquam conclusionem Theologicam omnino certam, statuo, *Pontificem* definientem ex cathedra *esse regulam vivam fidei, & judicem infallibilem*

libilem controversiarum. Tunc autem (inquit P. Suarez disp. 5. de fide sec. 8. n. 4.) *Romanus Pontifex loquitur è Cathedra*, & ut Summus Pontifex, *de rebus fidei, quando aliquid authenticè universæ Ecclesiæ proponit, tanquam fide divina credendum.* Et ut ait P. Valentia tom. 3. col. 250. *toties loquitur Romanus Pontifex è Cathedra, & tanquam Christi Vicarius, & Summus Ecclesiæ Pastor, quoties de rebus fidei controversis alterutram sententiam ita determinat, ut ad illam recipiendam obligare velit totam Ecclesiam.* Hanc conclusionem alibi à me latè probatam ex omnibus locis Theologicis, ex Scriptura, ex traditione Apostolica, ex Conciliis generalibus, & Provincialibus, ex perpetua praxi Ecclesiæ, ex Decretalibus Summorum Pontificum, ex communi sensu Patrum, ex jure canonico, & ex communi consensu Theologorum; in præsenti breviter rationibus Theologicis ostendam.

CLXXXII. Et imprimis probatur ratione, qua D. Thomas 2.2.q.1.ar.1. ostendit, ad Summum Pontificem pertinere, fidei symbolum ordinare. Id autem hac ratione probat: Siquidem *nova editio symboli necessaria est ad evitandum insurgentes errores:* ad evitandum autem insurgentes errores nimis periculosum foret, expectare Concilium generale, quia ad hoc multo tempore opus est; unde interim grassarentur errores. Hinc sic infert Angelicus Doctor. *Ad illius ergò authoritatem pertinet editio symboli, ad cujus authoritatem pertinet, finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur: hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in Decret. distinct. 43. Unde, & Dominus Luc. 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit, Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et hujus ratio est: quia una fides debet esse totius Ecclesiæ: secundùm illud 1. ad Corinth. 1. Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Quod servari non posset, nisi quæstio fidei, de fide exorta, determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ praeest: ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam authoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio symboli; sicut & omnia alia, quæ pertinēt ad totam Ecclesiam, ut congregare synodum generalem, & alia ejusmodi.*

CLXXXIII. 2. Argumentor, quia cùm certum omnino sit, & de fide, Christum reliquisse in Ecclesia sua authoritatem infallibilem ad determinandas fidei, & morum controversias; & cùm hæc authoritas sit accidens quoddam spirituale; evidens est, relictam esse à Christo in aliquo subjecto, cui primariò, & per se conveniat, & unde possit derivari participativè in alia. At hoc subjectum, cui primariò insidet hæc authoritas, nec est cumulus ipse, seu universitas omnium fidelium, nec cumulus, seu universitas optimatum Ecclesiæ, seu universitas omnium Episcoporum: ergò est unus aliquis Episcopus, nempe Romanus Pontifex, in quo tanquam in Summo Pontifice, & Christi Vicario, collocata sit primariò, & prin-

& principaliter ab ipso Christo hæc infallibilis authoritas pro bono totius Ecclesiæ. Et ideo S. Thomas 2.2. q. 11. ar. 2. ad 3. dicit: *authoritas Ecclesiæ* principaliter *residet in Summo Pontifice*. Et probat ex Jure Canonico: dicitur enim 24. q. 1. *Quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres nostros, & Coepiscopos non nisi ad Petrum, id est, ad sui nominis authoritatem referri debere. Contra cujus authoritatem nec Hierony. nec August. nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit. Unde dicit Hierony. ad Damas. Papam; Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia: in qua si minùs peritè, aut parùm cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.*

CLXXXIV. Quòd hæc infallibilis authoritas non sit relicta, tanquam in subjecto, in cumulo, seu universalitate fidelium, videtur manifestum; tum quia illi non possunt in aliquem unum locum convenire ad determinandas fidei, & morum controversias: tum quia ridiculum foret, rusticos, & ignorantes habere suffragium in determinandis fidei, & morum controversiis: tum quia docere, & definire res fidei, attinet ad Pastores, non ad oves, unde universitati, & cumulo fidelium convenit quidem infallibilitas passiva, & in credendo, quia non potest tota Ecclesia in fide errare; non autem infallibilitas activa, & in docendo, in definiendo, & in proponendo aliis, quid credere debeant.

CLXXXV. Quòd non sit relicta in cumulo, seu universitate Episcoporum, tanquam in subjecto primario, inde probatur; quòd cùm ad conservandam unitatem fidei necessaria sit aliqua visibilis regula, quæ authoritate tutissimâ fidei dubia resolvere valeat, & subinde nascentia hæresum monstra in cunis elidere, & ad quam Reges, & Principes tam sæculares, quàm Ecclesiastici confugere possint, ne in eorum regna, & ditionem prava dogmata irrumpant, & radices agant, non sufficienter Christus providisset Ecclesiæ suæ, si authoritatem infallibilem illam reliquisset, tanquã in subjecto primario, in cumulo, seu universitate Episcoporum, ut convenientes in unum in Concilio generali definirent fidei, & morum controversias; vel si relinquens in Petro, & successoribus ejus tanquam in subjecto primario hanc authoritatem infallibilem, non promisisset illis infallibilem Spiritûs sancti assistentiam, ad definiendas fidei & morum controversias, nisi sub conditione, quòd illas definirent in Concilio, & cum Concilio generali. Cùm enim Concilia generalia non nisi raro, & magnâ difficultatum mole superatâ congregari possint, miserrima esset Ecclesiæ conditio, si non nisi convocato concilio generali damnari absque errandi periculo hæreses possent, & liberum interim eorum authoribus foret, Summorum Pontificum definitiones eludere, utpote ortas ab homine, qui etiam dum totam Ecclesiam è Cathedra Petri

tri in fide, & moribus instruit, errare possit, si id faciat extra Concilium generale, quamvis diligentissimè rem examinet, & Theologorum, atque Doctorum judicia exquirat.

CLXXXVI. Quis non videat, absurdum esse, quòd Christus opem suam promissam Petro, & successoribus ejus ad non errandum in decretis fidei & morum, directis ad universam Ecclesiam, alligaverit conciliis generalibus? quasi sine illis non possint Pontifices Summi Scripturas sufficienter scrutari, monumenta Patrum evolvere, & debitam diligentiam adhibere ad requirendam veritatem. Dicendum ergò est, hanc authoritatem infallibilem non esse relictam à Christo in cumulo, seu in universitate Episcoporum, tanquam in subjecto primario.

CLXXXVII. Quod à posteriori, & absurdo inde svadetur: nam hæc authoritas infallibilis ad definiendas fidei, & morum controversias est propria supremæ potestatis spiritualis, quam Christus reliquit in Ecclesia: hæc autem suprema potestas non est in cumulo, seu universitate Episcoporum; quia in concilio Constantiensi, quatenus inconcussè universali, definitum est, *Papam canonicè electum habere supremam authoritatem in Ecclesia Dei*: siquidem *Martinus V.* anno 1418. edidit constitutionem, quæ incipit, *inter cunctas*, in qua sacro approbante Concilio jam pleno, damnati sunt errores Joannis Wiclefi, & Joannis de Hus, quâ robur infallibile dedit damnationi horum errorum facta à Concilio sess. 8. quando non erat generale. In ea autem constitutione circa articulum vigesimum quintum hæreticorum, is qui foret de hæresi suspectus, jubetur explorari sub hac forma: *utrùm credat, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, est successor Divi Petri, habens supremam authoritatem in Ecclesia Dei.* Ergò Concilium Constantiense, quatenus plenum, & confirmatum à Martino V. definivit, eum hominem, qui pro tempore fuerit canonicè electus, & ab Ecclesia pro vero Pontifice agnitus, qualis est nunc Innocentius XI. qui sanctissimè Ecclesiam regit, habere supremam authoritatem in Ecclesia Dei. Ergò est de fide, Papam certum & indubitatum habere supremam authoritatem in Ecclesia Dei. Ergò hanc supremam authoritatem non habet Concilium generale, quatenus à Papa distinctum; nam implicat, ut in Ecclesia Christi detur duplex suprema potestas spiritualis. Ergò non reliquit Christus in Concilio generali, quatenus distincto à Pontifice, nec in cumulo Episcoporum, ut tali, tanquam in subjecto primario authoritatem infallibilem ad decidendas fidei, & morum controversias; nam hæc authoritas infallibilis necessariò imbibitur in suprema authoritate, vel ad illam necessariò consequitur.

CLXXXVIII. Hinc P. Valentia tomo 3. q. 1. de fide, princ. 7. § 45. col. 298. de falsitate convincit sententiam Gersonis, Jacobi Almaini, & Joannis Majoris, qui incautè authoritatem concilii superiorem fecerunt authoritate Papæ, non solùm tempore schismatis, quando dantur multi Pontifices dubii

(pro quo casu eorum sententia est vera) sed etiam quando datur Papa certus, & indubitatus; pro quo est apertè falsa, *quia ejus* (inquit) *tantùm est, controversias fidei cum infallibili authoritate determinare, cujus est in Ecclesia suprema post Christum potestas spiritualis. Sed suprema hæc potestas duntaxat Romani Pontificis est, non autem ullius Concilii, secluso Pontifice ergò &c.* Postquam autem utramque præmissam hujus syllogismi probavit, subjungit immediatè. *Atque hinc profectò illorum authorum sententia manifestè revincitur, qui Concilium universale Pontifice superius faciunt. Pugnant enim illi revera (licèt non advertentes) cum certissima fide de Divi Petri, ac Romani Pontificis Primatu.* Hæc ille: meritò autem P. Valentia appellat sententiam de Primatu Romani Pontificis *certissimam, & de fide.* Constans enim est inter omnes Doctores Catholicos, D. Petrum, cui Christus dixit: *Pasce oves meas*; item: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, habuisse primatum potestatis, & jurisdictionis in universa Ecclesia Christi, & in universam Ecclesiã, & fuisse summum Pastorem totius ovilis Christi. Ut enim nomine omnium Catholicorum inquit Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 16 *nobis certum, exploratúmque est, omnes omnino Christianos, etiam Apostolos, Petro tanquam oviculas commendari, cùm ei dicitur, Pasce oves meas.*

CLXXXIX. Rursus constans, & certum est inter Doctores Catholicos, Romanum Pontificem succedere Petro non solùm in Episcopatu Romano, sed in Pontificatu Ecclesiæ universæ, seu in Primatu, idque ex jure divino, & ratione successionis, ut latè demonstrat Bellarm. lib. 2. de Romano Pontifice à cap. 12. Et ideo eximius Doctor P. Franciscus Suarez disp. 5. de fide sec. 8. n. 1. dixit: *Ex communi sensu, ac traditione Ecclesiæ, & Patrum omnium constat, Christum instituisse Primatum Ecclesiæ in persona Petri, ut in successoribus ejus perpetuò duraret: & ita hic est articulus tenendus non solùm tanquam de fide, sed tanquam unum ex præcipuis fundamentis fidei, & maximè necessarium ad tollendas hæreses, & schismata.* Unde Bernardus lib. 2. de considerat. ad Eugen. cap. 9. expendens verba illa Christi, *Pasce oves meas*, subjungit: *Quas? illius, vel illius populos Civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit: cui non planum, non designâsse aliquas, sed assignâsse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.* Et ego in tractatu Theologico de infallibilitate Romani Pontificis, in definiendis fidei, & morum controversiis extra Concilium generale, & non expectato Ecclesiæ consensu, disput. 3. ex Concilio Nicæno, ex Constantinopolitano primo, & ex Chalcedonensi latè probavi, Romanum Pontificem semper in Ecclesia, & in Ecclesiam Dei habuisse Primatum, & consequenter ad hæc Concilium Florentinum in Decreto fidei, sic disertè pronuntiat sess. 25. *Item definimus, sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum.* Et Concilium Lateranense ultimum eandem veritatem definivit, nam inter

alios

alios articulos Lutheri damnavit hunc: *Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro institutus*; ac proinde definivit articulum contrarium.

CXC. Quapropter ex eo, quòd Papa habeat primatum in universa Ecclesia, & in universam Ecclesiam, legitimè, & necessariò infertur, esse supra cumulum, & collectionem reliquorum omnium Episcoporum, esséque proinde non solùm Pastorem universalem reliquarum ovium, sed Pastorem reliquorum omnium Pastorum. *Habent illi* (inquit Ber. ubi nuper) *sibi designatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modò ovium, sed & Pastorum; tu unus omnium Pastor.*

CXCI. Et hinc infertur, habere supremam authoritatem in Ecclesia Dei: nam primatus iste, cùm sit potestatis spiritualis, & jurisdictionis, necessariò secum affert primam, & supremam authoritatem in Ecclesia Dei, à qua nimirum non sit appellatio ad aliam superiorem authoritatem, quæ ipsius sententiam, & judicium reformare valeat: ergò Concilium generale, ut distinctum à Papa non habet supremam authoritatem in Ecclesia Dei: ergò non reliquit Christus in Concilio, tanquam in subjecto primario, authoritatem infallibilem ad definiendas fidei, & morum controversias; siquidem in eo subjecto reliquit authoritatem istam infallibilem, in quo posuit primam, & supremam Ecclesiæ authoritatem, quæ non habeat authoritatem superiorem, à qua ejus judicium reformari valeat: implicat enim authoritatem aliquam in Ecclesia Christi esse supremam, & esse fallibilem in definiendis fidei & morum controversiis. Nam hoc ipso quòd authoritas ad definiendas fidei, & morum controversias in Ecclesia Christi sit fallibilis, ejus judicium debet esse reformabile per authoritatem superiorem; alioqui totam Ecclesiam induceret in errorem, obligando illam ad credendum aliquod dogma falsum tanquam articulum fidei: ergò si primam, & supremam authoritatem reliquit Christus in Romano Pontifice, in illo tanquam in subjecto primario collocavit authoritatem infallibilem ad decidendas fidei, & morum controversias; ergò non collocavit primariò in cumulo, seu universitate reliquorum Episcoporum, qui necessariò subjiciuntur Pontifici Romano tanquam Vicario Christi, & capiti visibili Ecclesiæ, summóque totius ovilis Christi Pastori, ac proinde tanquam supremo Pastorum Pastori.

CXCII. Alia etiam ratione probatur, Christum non reliquisse authoritatem infallibilem ad decidendas fidei, & morum controversias in cumulo, seu Vniversitate Episcoporum, tanquam in subjecto primario: nam si reliquit in cumulo, seu collectione Episcoporum; ergò non in uno potiùs quàm in alio, sed in communitate omnium, quatenus communitas est. Ad quem ergò attinebit, congregare ad Concilium reliquos omnes Episcopos, illos obligando? nam obligare omnes Episcopos, ut veniant ad Concilium, est proprium alicujus supremæ authoritatis. Si ergò suprema authoritas ad definiendas res fidei,

dei, & morum controversias, quæ necessariò conjuncta est cum suprema authoritate Ecclesiæ, est in communitate Episcoporum, quatenus communitas est, nullus erit particularis Episcopus, ad quem spectet congregare reliquos: ergò nullus erit, qui possit obligare reliquos: ad quem ergò spectabit convocare authoritativè Concilium?

CXCIII. Sed demus, Concilium convocari industriâ Imperatoris, & Regum, & mutua conventione Episcoporum, qui per Epistolas paciscantur, ad diem determinatum convenire ad Concilium in talem Civitatem. Sanè si authoritas infallibilis ad determinandas fidei, & morum controversias non est primariò in aliquo Episcopo particulari, sed in communitate omnium, quatenus communitas est, postquam Episcopi fuerint congregati, ubi jam agitur de determinatione controversiæ fidei, Pontifex in Concilio in ordine ad definitionem, erit tanquam unus ex reliquis, si semel authoritas infallibilis ad definiendum residet primariò, & immediatè in universitate Episcoporum, seu in omnibus collectivè sumptis; itaut communitas Episcoporum sit subjectum immediatum, & primarium illius authoritatis. Nam ut communitas, seu Synodus Episcoporum per suffragia exerceat potestatem, quæ in ipsis collectivè sumptis residet, non est necesse, ut omnes uniformiter conveniant in eandem sententiam, sed sufficit, quòd conveniat major pars; illud enim censetur Concilium, Senatus, Synodus, Congregatio, vel Capitulum decernere, quod major pars decernit, ut patet in omni Republica, in omni Regno, & in omni Senatu, & Congregatione. Idque patet per rationem, quia si ad valorem decretorum, & definitionum Concilij Generalis requireretur, ut omnes omnino Patres in idem votum, eandémq; omnino sententiam conspirarent, redderentur valdè difficiles, & ferè moraliter impossibiles definitiones Conciliorum, & nunquam terminarentur causæ conciliariter decernendæ; cùm moraliter videatur impossibile, ut in re inter Catholicos controversa, & dubia, ad quam determinandam convocatur Concilium generale, uniformis sit consensus omnium; præsertim si numerus Patrum sit magnus, ut contigit in Concilio Lateranensi 4. sub Innocentio III. in quo sederunt 1212. Patres. Ergò si semel suprema, & infallibilis authoritas ad determinandas fidei, & morum controversias, esset à Christo relicta in communitate, & cumulo Episcoporum, sufficeret, quòd major pars Patrum aliquid definiret, ad hoc ut definitio esset infallibilis, & universam obligaret Ecclesiam, utpote orta à suprema authoritate in universam Ecclesiam: Major autem pars posset in unam sententiam convenire, non consentiente, imò contradicente, & reclamante Romano Pontifice: Ergò sine consensu, & confirmatione Romani Pontificis possent controversiæ fidei definiri in Concilio, & illa definitio rem faceret certam de fide. At hoc est manifestè absurdum: Utenim verè pronuntiavit doctissimus Ferdinandus de Salazar in tomo de conceptione cap. ultimo,

timo; in quo de auctoritate conciliorum egit, pag. 151. *fide Catholica certum est, nec plures Concilii Patres, nec omnes efficere posse doctrinam aliquam de fide, nisi accedat eorum suffragiis approbatio Summi Pontificis.* Idque constat testimonio Paschalis primi Summi Pontificis ad Cathedram Petri exaltati ann. 817. in cap. significasti. de electione dicentis; *Omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ authoritatem, & facta sunt, & robur acceperunt.* Et ideo Nicolaus Primus Papa Sapientissimus, & sanctissimus ad Pontificatum evectus ann. 858. hanc doctrinam tanquam indubitatam supponens, Epistola 7. ad Episcopos Orientales ajebat: *In universalibus Synodis quid ratum*, quid *prorsus acceptum, nisi quod sedes Petri probavit*, ut *ipsi scitis, habetur*?

§. XII.

Nequit dici, Christum reliquisse primariò authoritatem supremam in Ecclesia, ut exercendam tamen per unum, nempe per Romanum Pontificem, tanquam per Ministrum Ecclesiæ, & Vicarium Concilij.

CXCIV. NEque sufficit respondere cum Parisienibus apud Nauarrum in Capit. *Novit*. de judiciis notabili 3. num. 17. Christum reliquisse quidem supremam, atque infallibilem authoritatem ad definiendas fidei & morum controversias in cumulo pastorum, seu Episcoporum; reliquisse tamen, ut exercendam per unum, nempe per Romanum Pontificem, quando Episcopi nequeunt congregari ad Concilium, quia Christus prævidens, non nisi rarò Ecclesiam convenire ed Concilium generale; quamvis in illa tanquam in subjecto reliquerit authoritatem infallibilem ad determinandas fidei, & morum controversias; designavit tamen unum particularem Episcopum, nempe Romanum, qui tanquam Minister Ecclesiæ, & tanquam Vicarius Concilij generalis, & quatenus gerens vices illius, quando Concilium generale cogi non potest, damnaret hæreses emergentes, & omnibus fidelibus sanam doctrinam proponeret. Non, inquam, sufficit hoc respondere, nam juxta hanc solutionem Romanus Pontifex non erit Vicarius Christi simpliciter, & absolutè, sed Vicarius Vicarij, nimirum Vicarius Concilij, cui juxta hanc solutionem Christus communicavit supremam authoritatem in Ecclesia sua; nam Vicarius Christi est illa persona ficta, vel vera, cui Christus commisit supremam authoritatem in Ecclesia. Si ergò hanc commisit Concilio principaliter, & primariò, & Romano Pontifici solùm secundariò, & tanquam Ministro Concilij, & Vicario ipsius, supplente ejus Vices; sequitur Concilium esse simpliciter, & absolutè Vicarium Christi, Papam verò non esse verè, propriè, & simpliciter Vicarium Christi: nam sicut Vicarius Episcopi non est Episcopus, Vicarius Regis non est Rex, Vicarius Papæ non est Papa; Ita Vicarius Vicarij Christi non est simpliciter, & absolutè, & propriè Vicarius Christi. Quod tamen est manifestè erroneum, imò & hæreticum: nam in Concilio Florentino sess. 25. in litteris Unionis definitum est, *Romanum*

Pontificem esse Verum Christi Vicarium, & totius Ecclesiæ caput. Idem definivit Innocentius IV. in cap. *ad Apostolicam* de re judicata. in sexto, approbante Concilio Lugdunensi Generali. Deinde illa solutio continet errorem damnatum in Concilio Constantiensi, quatenus inconcussè fuit generale: nam ibi contra 37. articulum Wicleffi definitum est, *Papam esse proximum, & immediatum Vicarium Christi.* Ergò Papa non est Vicarius Concilij, vel Ecclesiæ, sed immediatè Vicarius Christi.

CXCV. Præterea illa responsio inde efficaciter impugnatur; quia si Papa non esset immediatè Vicarius Christi, sed Vicarius Concilij Generalis, seu Ecclesiæ repræsentatæ à Concilio, sequitur, quòd, dum est congregatum Concilium, jam Papa defunctus fuisset munere suo, nimirum gubernandi Ecclesiam universam Vice Concilij, quando hoc non est congregatum; ergò præsente Concilio, & volente per se immediatè condere decreta pro tota Ecclesia, illámque per se immediatè gubernare, deberet Papa ab omni exercitio jurisdictionis supersedere: nam quando proprietarius est præsens, & vult per se ipsum immediatè gubernare, debet ejus Vicarius ab exercitio Vicarij cessare; consequens autem est falsum; nam adhuc, postquam Concilium est congregatum, Papa immediatè gubernat Ecclesiam, nec ab exercitio sui officij potest à Concilio impediri.

CXCVI. Præterea si Papa esset solùm Vicarius Concilij ad gubernandum Ecclesiam, sequitur, quòd Concilium non indigeret subscriptione, & consensu Pontificis ad decreta fidei, & morum edenda, seu ad definiendas fidei, & morum controversias, sed posset sine consensu Pontificis, imò ipso contradicente, definitionem facere, & intimare toti Ecclesiæ, illámque obligare ad credenda dogmata definita. Nam quando Proprietarius vult perseipsum immediatè judicare, non indiget subscriptione sui Vicarij, nec ejus consensu, ut ipsius decreta robur, & firmitatem habeant. Sic si Rex Hispaniæ præsens adesset Neapoli, non indigeret subscriptione, & consensu sui Proregis ad valorem suorum Decretorum: nec Papa indiget consensu Vicarij sui, ad hoc ut validè, & licitè aliquid decernat. At certum est, decreta Concilij generalis non confirmati à Pontifice non habere vim obligandi Ecclesiam: ut enim testatur septima Synodus Generalis, Actione 6. *non est legitimum decretum generalis Concilij, quod sine Romano Pontifice, aut ejus Legato fit.* Et ideo in cap. regula. dist. 17 dicitur. *Canonibus præcipientibus nec ullum unquam ratum est, aut erit unquam Concilium, quod Romani Pontificis non fuerit authoritate fulcitum.* Ideo S. Gelasius Papa hujus nominis primus, qui renuntiatus est Pontifex anno 492. & obiit an. 496. in tomo de vinculo anathematis, qui extat inter ejus Epistolas Decretales, & in Epistola ad Episcopos Dardaniæ latè probat, Concilia non approbata à Romano Pontifice nullā habere authoritatem. Ratio à priori desumitur ex Doctrina D. Thomæ 2.2. q. 1. ar. 10. quia *quæstio fidei exorta debet determinari per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia teneatur. Atqui Concilium generale,* ut

contradistinctum à Papa legitimo, & indubitato, non toti Ecclesiæ præest; ergò Concilium, ut contradistinctum à Papa sine ejus consensu, & multò minùs ipso contradicente, non potest quæstionem fidei determinare, & toti Ecclesiæ proponere, eámque obligare, ut ejus sententiam firmiter teneat.

CXCVII. Minor constat: quia in Concilio Florentino sess. 25. in litteris unionis definitum est, *Romanum Pontificem in Universum orbem tenere primatum, esse successorem B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem atque Doctorem.* Unde sicut Romanus Pontifex non desinit esse Papa, ex eo quòd Concilium generale sit congreatum, ita non desinit habere primatum in universum orbem, & esse totius Ecclesiæ caput, & doctor: ergò toti Ecclesiæ tunc præest: ergo ab ipso debet determinari quæstio fidei. Ergò est manifestus error, asserere, quòd sine consensu Romani Pontificis veri, & indubitati, & ipso repugnante, possit Concilium quæstionem fidei exortam determinare, & toti Ecclesiæ proponere, illam obligando ad ejus sententiam firmiter tenendam. Nam Concilium, ut contradistinctum à Papa, non est totius Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Pater, atque Doctor, sed repræsentat corpus, cui tanquam caput præest Romanus Pontifex, & non est Pastor, sed ovile Christi, nec Doctor, & Magister totius Ecclesiæ. Unde meritò Sanctus Thomas loco citato, ex eo quòd quæstio fidei debeat determinari ab eo, qui toti Ecclesiæ præest, intulit, hoc pertinere ad solam authoritatem summi Pontificis.

§. XIII.

Continuatur materia præcedens. Ubi exponitur, quomodo etiam in sententia Doctorum asserentium Concilium generale non posse, etiam ut distinctum à Papa, secundùm se totum errare, nihilominus sit necessaria confirmatio Pontificis, ut ejus decreta obligent totam Ecclesiam, & rem faciant de fide certam.

CXCVIII. ET ideo Concilia generalia omnibus retro sæculis habita, agnoscentia sua decreta non fore firma, certáque, nisi à Romano Pontifice confirmarentur, eorum confirmationem à summis Pontificibus petierunt, ut longa inductione fusissimè ostendit Cardinalis Turrecremata lib. 3. cap. 6. 8. 34. 35. 36. & 38. Quapropter authoritas infallibilis ad definiendas fidei, & morum controversias, & ad obligandam totam Ecclesiam potestativè, & authoritate superioris ad credendum veritates definitas, relicta est à Christo, tanquam in subjecto primario, in Romano Pontifice, quatenus Vicario suo, & totius Ecclesiæ visibili capite. In Conciliis autem generalibus, quamvis detur authoritas ad definiendas res fidei (quia in Conciliis generalibus Episcopi non sunt meri Consiliarij, sed etiam judices) authoritas tamen illa non est primaria, & subordinans sibi totam Ecclesiam, sed est secundaria, & subordinata Pontifici, tanquam totius Ecclesiæ capiti, & indi-

gens confirmatione Pontificis, ad hoc ut fidem infallibilem faciat, vel saltē, ut illa infallibilitas Ecclesiæ innotescat, vel ad hoc ut possit anathematis Vinculo Ecclesiam obligare ad suscipiendas veritates definitas; ac proinde licèt Episcopi sint judices in Conciliis, sunt judices subordinati Papæ, tanquam supremo Ecclesiæ judici, & Monarchæ; sicut in Senatibus Regiis Hispaniæ, & Galliæ Senatores sunt judices; eorum tamen judicium est subordinatum judicio Regis, nec potest eorum sententia cogere Regnum ad obediendum, nisi confirmetur à Principe. Potéstque Concilium generale legitimè congregatum, quatenus distinctum à Papa, errare in Decreto fidei, ut patet in Concilio Ephesino secundo: quia ut Concilium dicatur errare in fide, si sumatur seorsim à Papa, satis est, quòd erret major pars: potest autem penes majorem partem errare, ut docet communis, & vera sententia, quia infallibilitatem non promisit Deus majori parti, sed meliori, cui Vicarius Christi consentiat. Imò potest errare secundùm omnes Patres ut distinctos à Pontifice, ut docent cum multis Bellar. lib. 2. de Conc. c. 11. & Valentia t. 3. q. 1. pun. 7. § 45.

CXCIX. Et quamvis secundùm sententiam multorum gravium Theologorum ex iis, qui tanquam certum statuunt, Papam certum & indubitatum esse supra Concilium generale, definitio edita uniformi consensu suffragiorum à Patribus Concilij legitimè congregati, & manentis sub obedientia Pontificis, pro priori ad confirmationem Pontificis, & præscindendo ab illa sit infallibilis (quia contingere non potest, ut omnes Patres Concilij legitimi & manentis sub obedientia legitimi Pontificis conveniant in statuendo aliquo dogmate, tanquam veritate fidei Catholicæ, & quòd illud dogma sit falsum, solúsque Papa veritatem assequatur) tamen definitio illa nequit compellere fideles ad profitendam veritatem definitam, nisi confirmetur à Pontifice, & per ejus authoritatem intimetur Ecclesiæ. Authores, qui illud docent, multi sunt, & graves, nimirum eximius Doctor Suarez disp. 5. de fide sec. 2. Ferdinandus de Salazar in opere de concept. cap. 43. §. 5. pag. 452. Franciscus Amicus disp. 8. de fide n. 76. Joannes Martinon disp. 9. n. 27. M. Antonius Perez Benedictinus in Pentateucho fidei. trac. de Concil. dist. 7. cap. 6. & alij.

CC. Inter quos Andreas Duualius Doctor Sorbinicus in disputatione quadripartita de suprema Romani Pontificis in Ecclesiā potestate p. 4. q. 6. conclus. 4. asserit, *Concilium œcumenicum ante Pontificis confirmationem solùm habere vim directivam, non coactivam, id est, ostendere quidem veritatem infallibiliter amplectendam, cui obsistere, ac refragari nemini liceat sed eam toti Ecclesiæ non posse juridicè proponere, neque fideles ad exteriorem suæ definitionis professionem jure compellere, minúsque pœnis, & censuris in eos, qui contrarium senserint, sævire, adeò ut qui ab ipsis decretis nondum confirmatis dissentiret, etsi erraret, non propterea tamen hæreticus, & Ecclesiæ rebellis censeretur, nisi Pontifex fortè Legatos mittendo facultatem*

pub-

publicandi definitiones Concilij, non exspectata sua confirmatione, specialiter, & expresse concessisset. Ratio conclusionis manifesta est, quia cùm status Ecclesiæ sit Monarchicus, non autem Aristocraticus; aliunde coactio, seu positiva fidelium obligatio oriri non potest, quàm à supremo moderatore, ut in Regno non aliunde nascitur Legum servandarum obligatio, quàm à Rege; & hæc causa est, cur semper Oecumenica Concilia à summo Pontifice confirmationem expetierint, quia scilicet non ignorabant, sua decreta non posse aliter per Ecclesiam legitimè promulgari, & fidelibus obligationẽ positivam inducere, & contradicentes pœnis & censuris castigare, cap. Significasti, *de electione.* Omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem, & facta sunt, & robur acceperunt, *dist. 17. can. concilia, ubi de Provincialibus Concilijs à Pontifice non confirmatis scribitur*: quæ quia nõ habent præsentiam, id est confirmationem Pontificis, valetudinem perdiderunt.

CCI. Imò ex authoribus asserentibus, Concilium generale legitimè congregatum, & manens sub obedientia Pontificis non posse errare in Decreto fidei, etiam præscindendo à confirmatione Pontificis, ac proinde ejus definitionem editam à majori parte esse infallibilem pro priori ad talem confirmationem, P. Ferdinandus de Salazar tomo de conceptione pag 491. nihilominus constanter docet, illam definitionem editam à majore parte non facere rem certam de fide, nec obligare fideles ad credendum, ut dogma fidei veritatẽ definitam, independenter ab approbatione Pontificis. Redditque rationem, quia licèt approbatio summi Pontificis non requiratur, ut dans infallibilitatem definitioni Concilij, requiritur tamen ad declarandum, & demonstrandum, illam definitionem esse infallibilem. Quia Episcoporum suffragia (inquit) non aliter ad definitiones dogmatum ad fidem spectantium præstare possunt, nisi ritè, ac legitimè procedant, & directionem à summo Pontifice acceptam tenentes sub obedientia illius in omnibus, ac singulis maneant. Nam si aliter se gerant, non possunt loqui nomine totius Ecclesiæ, quæ nunquam non capiti suo subjecta, ac demissa est. Quapropter postquam omnes Episcopi, aut major ipsorum pars in aliquo dogmate concordes sententias dixerunt, antequàm id, quod ita suffragiis suis proferendum putârunt, pro certo & infallibili habeatur, de Legitimo procedendi modo, & de eorum obedientia constare debet. Hujus autem rei judicium ex natura rei ad solum Pontificem spectat: nam in causa ejus subjectionis, quam omnes fideles ipsi debent, ipse solus sententiam dicere potest.

CCII. Et hæc videtur esse sententia, quam secutus est Cardinalis Lotharingus in Concilio Tridentino, quando in eo disputatum est de authoritate Episcoporum Concilij, & Romani Pontificis: ut enim contra Petrum Suavem evincit Cardinalis Pallavicinus in historia Tridentini lib. 21. cap. 6. n. 20. Cardinalis

lis ille anno *1563*, palam dixit Legatis, opinionem suam esse hujusmodi: in Concilio *per Summum Pontificem legitimè convocato, & per ejus Legatorum directionem celebrato inesse immunem à falsitate Divinam custodiam in fidei dogmatibus; adeò ut ejus Sanctiones, etiam ante Pontificiam firmitatem, certæ sint, cunctosque Christianos obstringant, adeoque ipsum summum Pontificem ad fidem illis habendã. Posse duntaxat illũ, quippe supremum Ecclesiæ judicem, declarare, Concilium modo non rato processisse, eáque ratione prædictas definitiones irritas reddere: non ita contingere in morum decretis, in quibus Deus eam custodiam synodo non spopondit quâ non possit errare in edendis legibus parùm opportunis; adeoque illis vim non inesse, antequam à Pontifice Romano confirmentur, cui licet postea eas relaxare ad Ecclesiæ utilitatem. Hanc esse suam sententiam affirmavit Lotharingus.* Hactenus Cardinalis Historicus.

§. XIV.

Ex eo, quòd decreta Concilij sint infallibilia pro priori ad confirmationem Pontificis, minimè sequitur, hunc subjacere concilio, aut posse ipsius judicium ab illo reformari.

CCIII. NEc ex eo, quòd Decreta fidei edita à Concilio sint infallibilia pro priori ad confirmationem Pontificis, obligéntque omnes, adeoq; ipsum Pontificem, ad fidem illis habendam, sequitur, Concilium esse supra Papam in determinandis fidei controversijs: posséque proinde ejus judicium publicum in materia fidei reformari à Concilio, declarando fuisse falsam, & erroneam definitionem fidei factam à Pontifice: tum quia, ut hic fatetur Lotharingus, Pontifex est supremus Ecclesiæ Judex; sententia autem, seu Iudicium supremi Iudicis nequit ab alio Iudice in illa communitate, in qua ipse est supremus, reformari. Tum quia, quòd Pontifex teneatur illis Decretis fidem habere, non probat, illa edita esse à Concilio, ut superiori respectu Pontificis, sed ut adhærenti infallibiliter verbo Dei, seu ut organo Spiritus Sancti, sicut Petrus Apostolus tenebatur stare scriptis Pauli, & Christus scriptis Prophetarum, & Pontifex definitionibus prædecessorum suorum. Quare tunc in Pontifice esset obligatio in conscientia, non erga concilium ut sibi superius, & ut sibi præcipiens, sed erga DEUM, ut sibi Loquentem medio concilio; sicut Deus potest loqui Generali Religionis, media revelatione facta subdito ipsius.

CCIV. Quare ex eo, quòd concilium legitimè congregatum, & manens in obedientia Pontificis, sit infallibile in decretis fidei pro priori ad confirmationem Pontificis, non sequitur esse supremum controversiarum Iudicem, sed solùm sequitur, esse duplicem infallibilitatem, alteram in definitionibus Papæ, quando loquitur è Cathedra cum tota Ecclesia, ut Vicarius Christi, & supremus controversiarum Iudex, alteram in Concilio; inter quas hæc datur differentia, quòd defi-

definitio Pontificis obligat totam Ecclesiam independenter à consensu, vel confirmatione Concilij, quia provenit à supremo Iudice controversiarum: definitio verò Concilij, licèt sit infallibilis pro priori ad confirmationé Pontificis, hæc infallibitas non potest constare Ecclesiæ sufficienter ad obligandum, salterni quoad vim coactivã, nisi mediante confirmatione Pontificis, per quam innotescit, concilium illud legitimè processisse, & per quam accipit vim illa definitio concilij, cogendi ad sui obedientiam in foro externo, quia imiscetur præceptũ Pontificis habentis superioritatem respectu totius corporis Ecclesiæ, quam superioritatem non habet Concilium, ut distinctum à Papa, Unde in Sententia, asserente definitionem Concilij generalis esse infalibilem pro priori ad confirmationem Pontificis, definitio Concilij generalis confirmata à Pontifice, habet infallibilitatem duplici titulo: & quia est à Concilio, & quia est confirmata à supremo Iudice Ecclesiæ; ac proinde ejus infallibilitas est major extensivè, quàm definitio solius Pontificis edita extra concilium. Istius autẽ definitio, utpote orta à supremo Iudice Ecclesiæ, est omnino irreformabilis per Concilium, nec indiget concilij confirmatione, nec Ecclesiæ consensu, ut omnes obliget.

§. XV.

Ostenditur, non esse exspectandum Ecclesiæ consensum, ut definitio Pontificis Romani sit infallibilis.

CCV. QUapropter authoritas infallibilis ad definiendas fidei, & morum controversias per modum Iudicis supremi controversiarum fidei, est in capite totius Ecclesiæ; nec ut ejus definitio sit infallibilis, expectandus est Ecclesiæ consensus. Primò quia cùm Pontifex sit à Christo constitutus totius Ecclesiæ Doctor, & Magister, absurdum foret, firmitatem sententiæ Magistri pendere à consensu discipulorum. Secundò cùm sit summus Ecclesiæ Pastor, & reliqui omnes fideles comparentur ad illum, tanquam oves ad Pastorem, absurdum foret, Pastorem in designandis pascuis salutáribus, quibus pascantur oves, à judicio ipsarum ovium pendere. Tertiò cùm certum sit, Romanum Pontificem immediatè à Christo accipere suam potestatem definiendi, & determinandi veritates fidei, non minùs, quàm sacerdos immediatè accipit potestatem consecrandi, non minùs absurdum foret, definitionis Pontificiæ infallibilitatem pendere ab acceptatione fidelium, quàm valorem consecrationis pendere à consensu audientium Missæ Sacrificium.

CCVI. Quartò quia ut alibi latè ostendo, certum est, Christum non tradidisse immediatè claves communitati Ecclesiæ, ut Communitas est ut inde derivaretur in Prælatos, & in, summum Pontificem, sed immediatè tradidisse Petro, & Successoribus ejus pro bono Communitatis Ecclesiæ, cujus caput ipsum fecit, ac proinde certum est, subjectum immediatum summæ potestatis Ecclesiasticæ, quam Christus reliquit in Ecclesia, & quam explicamus nomine clavium, quarum

mentionem Christus fecit, dum dixit Petro: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, non esse ipsam communitatem Ecclesiæ, sed Petrum, ejúsque successorem Romanum Pontificem; sicut subjectum immediatum potestatis consecrandi, quam Christus reliquit in Ecclesia, non est communitas Ecclesiæ, sed sunt soli Sacerdotes, qui illam potestatem à Christo accipiunt. Hinc autem, ut fatetur Doctor Ludovicus Ellies Dupin Differt. 6. §. 1. pag. 379. necessariò infertur, Romanum Pontificem esse supra communitatem Ecclesiæ, & suprà Concilium generale, ut distinctum ab ipso Pontifice; & insuper infertur, ad infallibilitatem Pontificiæ definitionis non esse expectandum consensum communitatis Ecclesiæ, à qua sicut Papa suam potestatem non accipit, ita nec ejus definitio ab ejus consensu debet haurire suam infallibilitatem.

CCVII. Quintò quia eatenùs à consensu Ecclesiæ posset pendere infallibilitas Pontificiæ definitionis, quatenùs communitas Ecclesiæ incapax est errandi in fide; nam ab Ecclesia, ut capaci errandi nequit Pontificia definitio haurire infallibilitatem; Ecclesia autem capax est errandi in fide secundùm aliquam sui partem, & quidem secundùm magnam, ut erravit tempore Arrianorum, quando in Concilio Ariminensi, Valentis potissimùm, & Ursatij fraudibus, damnatio Nicænæ fidei conclamata est, *& ingemiscens orbis terrarum se Arrianum esse miratus est*, ut ait Hieronymus, & ex illo Ecclesia in lectionibus S. Damasi. Solùmque est omninò certum, Ecclesiam non posse secundùm se totam errare in fide, credendo aliquid falsum pro dogmate fidei. Ergò si infallibilitas Pontificiæ definitionis desumenda est ex consensu Ecclesiæ, desumenda erit ex consensu totius Ecclesiæ. Unde non poterit quis ex eo, quòd certò sciat aliquam veritatem definitam esse, ut articulum fidei à Romano Pontifice, moveri ad credendum fide divina veritatem definitam, quousque certificetur, totam Ecclesiæ communitatem consensisse in illam definitionem, amplectendo, ut articulum fidei veritatem definitam. Hanc autem certitudinem nemo potest acquirere seclusa revelatione. Unde enim scire quis potest, omnes fideles credidisse, ut veritatem infallibilem eam, quam Pontifex definivit, si Deus hoc ipsi non revelet? Ergò certum est, non esse expectandum Ecclesiæ consensum ad hoc, ut definitio Pontificia sit infallibilis: quia nec est expectandus consensus Ecclesiæ repræsentativè sumptæ, id est consensus Concilij generalis repræsentantis universam Ecclesiam; nec est expectandus consensus ipsius communitatis Ecclesiæ secundùm se totam, vel ferè totam, & in ea mensura, secundùmquam est incapax errandi in fide: quapropter non ideò definitio Pontificis est infallibilis, quia Ecclesia consentit, sed è contra ideo Ecclesia consentit, quia est infallibilis.

CCVIII. Et quidem quis non videat, nullum fidelium ad amplectendam fide firma veritatem definitam à Pontifice, exquirere, quid alij fideles fecerint, sed solùm esse solicitum, ut

omnino certificetur de eo, quòd Pontifex illam definierit? ergò solum requiritur, quòd certificetur de existentia definitionis, non autem quòd certificetur de eo, quòd tota Ecclesia illam acceptaverit. Quis non videat, Cardinales, qui assistunt Pontifici, quando novam definitionem proponit, & promulgat, statim posse credere veritatem definitam, quin ad credendum necesse illis sit explorare, quid extra Romam reliqui fideles faciant? ergò ut definitio Pontificis sit infallibilis, non est expectandus Ecclesiæ consensus.

CCIX. Et sanè juxta eam doctrinam nunquam eliceret verum actum fidei supernaturalis, qui primus crederet veritatem definitam à Pontifice, neque qui crederet secundus, neque qui crederet tertius, & sic de aliis, sed solùm eliceret verum actum fidei divinæ, qui crederet veritatem definitam, postquam sciret, illam fuisse creditam à tota Ecclesia; reliqui autem omnes elicuissent solùm actum fidei humanæ, utpotè non nitentem motivo absolutè infallibili.

CCX. Falsitas præterea illius Doctrinæ inde detegitur; quia si definitio edita in materia fidei à Romano Pontifice non est infallibilis, donec accedat Ecclesiæ consensus: Ergò ex se solùm est infallibilis conditionatè, nimirum sub conditione, quòd accedat totius Ecclesiæ consensus. Hoc autem habet etiam definitio cujuscumque Episcopi, & Doctoris particularis; nam quando est dubium inter Catholicos, an res aliqua sit revelata, & de fide; si unus Episcopus, vel Doctor particularis determinet partem affirmantem, & omnes deinde amplectantur illius sententiam, & credant rem ab illo definitam, & stabilitam tanquam veritatem à Deo revelatam, jam illa definitio erit infallibilis: quia implicat, ut sit falsa sententia affirmans aliquid esse revelatum, si tota Ecclesia illam sequitur, credendo rem illam, ut à Deo revelatam. Ergò illa Doctrina non majorem infallibilitatem in definiendo, & determinando res fidei, tribuit Romano Pontifici, quàm cuilibet Episcopo, vel Doctori particulari. Quis autem non videat, hoc esse planè absurdum?

CCXI. Hinc patet, quàm sit absurda doctrina Doctoris moderni, nimirum Illustrissimi Gilberti de Choyseul Duplessy Praslain Episcopi Tornacensis, qui fuit unus ex principalibus Authoribus declarationis de Potestate Ecclesiastica, quæ nomine Cleri Gallicani publicata est Parisijs mense Martio ann. 1682. & qui Epistolam de potestate Ecclesiastica in Defensionem illius declarationis scripsit: hic enim ad hoc ut constitutio Pontificis, quâ aliquam controversiam in materia fidei, vel morum è Cathedra Petri determinet, proponendo fidelibus, quid tenere debeant in illa controversia, rem faciat certam de fide, perinde ac si esset edita à Concilio generali, requirit pag. 31. illius Epistolæ pro conditione indispensabili, quòd illa constitutio Pontificia, *ab omnibus singillatim Ecclesiis recipiatur.* Sic enim expresè habet, *si eorum constitutiones ab omnibus singillatim Ecclesiis recipiantur, inconcussa* ac

ac perpetuæ authoritatis maneant, ac si *ab universali* Concilio *essent confirmatæ*. Patet, inquam, quàm sit absurda hujus Doctoris doctrina. Si enim ad infallibilitatem Pontificiæ constitutionis requiritur, *ut ab omnibus singillatim Ecclesiis recipiatur*: Ergò in potestate cujuslibet Ecclesiæ particularis erit, facere, ut definitio Pontificis edita extra Concilium Generale non sit infallibilis, nimirum si nolit recipere eam; siquidem juxta illum Doctorem illa Pontificia definitio *non est perpetuæ, ac inconcussæ authoritatis, nisi sub conditione, quòd ab omnibus singillatim Ecclesiis recipiatur.* Quid autem hoc aliud est, quàm Ecclesiam Gallicanam, & quamcumque aliam facere arbitram definitionum fidei, & morum, quæ à Romano Pontifice Romæ pro tota Ecclesia cuduntur, & promulgantur, ut nimirum si Ecclesia Gallicana nolit eas definitiones recipere, hoc ipso irritæ maneant? Quid hoc absurdius, quid aliud est, quàm caput subjicere membris, summum Pastorem ovibus, & summum Ecclesiæ Magistrum, communémque Doctorem fidelium subjicere discipulorum judicio? quid aliud, quàm Sedem Apostolicam, quam Christus posuit tanquam firmissimam fundamentalem petram, cui tota ædificii firmitas inniteretur, firmitatem suam accipere à lapidibus superpositis?

CCXII. Et sanè non esse expectandum Ecclesiæ consensum ad hoc, ut Pontificia definitio sit infallibilis, probatur ex principio apud omnes Catholicos certo apud Bellar. lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 2. versic. *deindè Catholici*, & Valentiam Tom. 3. col. 241. quòd scilicet, quoties Romanus Pontifex in quæstione controversa, & dubia inter Catholicos, quæ ad ipsum tanquam ad Christi Vicarium, & communem Ecclesiæ Magistrum resolvenda, & determinanda refertur, unam partem è Cathedra Petri determinat, & toti Ecclesiæ credendam proponit, declarans oppositam esse hæreticam, & pro tali habendam ab omnibus; omnes tenentur ei obedire, & judicium suum ejus judicio submittere, quia ad summum Pastorem attinet, ostendere ovibus suis pastum salutiferum, & in illum eas ducere, & venenosum vitare, & ab eo eas arcere, & ad supremum Ecclesiæ Magistrum, quem in dubiis fidei & morum, Ecclesiæ particulares & Episcopi inferiores consulere debent, attinet, dubia determinare & resolvere; omnésque proinde tenentur ipsius judicium sequi. Et ideò 24. q. 7. dicitur: *Quoties ratio fidei ventilatur, non nisi ad Petrum, id est ad sui nominis honorem, & authoritatem habentem recurrendum est*, & iterum: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim circa articulos fidei contingentes, ad Sedem Petri referendas intelligit, qui novit, pro eo Dominum orâsse, ne deficeret fides eius.*

CCXIII. Hoc pacto concilia Affricana consuluerunt S. Innocentium I. & S. Zosimum in dubijs fidei circa doctrinam Pelagij, & Celestij, & ad eorum instantiam Pontifices illi hæresim Pelagianam damnaverunt, ut testatur S. Augustinus lib. 2. retrac. cap. 50. his verbis: *Pelagiana hæresis simul cum suis authoribus ab Episcopis Ecclesiæ*

Ecclesia Romana, priùs Innocentio, deinde Zosimo cooperantibus, Conciliorum Affricanorum litteris convicta atquè damnata est. Et anno 1653. Illustrissimi Episcopi Galliæ numero 85. consuluerunt Innocentium X. circa doctrinam Jansenij, & in proœmio Epistolæ sic præfantur: *Maiores causas ad Sedem Apostolicam referri, solemnis mos est.* Et in decursu Epistolæ: *Precamur, sanctitas tua, quid hac in re tenendum sit, clarè & distinctè definiat.* Et ad ipsorum instantiam quinque illas celebres Jansenii propositiones, ut hæreticas damnavit, & in Bulla sua contra Jansenium, omnibus Christi fidelibus mandavit sub pænis contra hæreticos in Jure expressis, *ne de quinque propositionibus Jansenii aliter sentiant, quàm in Bulla continetur, ac proinde præcepit, ut pro* hæreticis habeant illas quinque propositiones, & judicium suum judicio summi Pontificis definientis subjiciant; quare qui post Bullam Innocentii judicaret, illas propositiones non esse hæreticas, contraveniret præcepto Pontificis obligantis ad non aliter sentiendum de illis propositionibus, quàm continetur in illa Bulla, in qua declarantur, ut hæreticæ. Unde meritò S. Thomas 2.2. q. 1. ar. 2. pronuntiavit. *Papâ determinante judicialiter, & definitivè, aliquid esse hæreticum, & ab Ecclesia pro hæresi habendum, constat, quòd omnes tenentur acceptare. Et hæreticus censeretur, quicumque de cætero teneret oppositum pertinacitèr.* Ex hoc principio necessariò infertur, Papam habere assistentiam infallibilem Spiritus sancti, ne erret, quando è Cathedra Petri dubia fidei, & morum resolvit, & toti Ecclesiæ unam partem credendam proponit, ut dogma Catholicum, & à Deo revelatum, & oppositum damnat, ut hæreticum, vel erroneum. Nam si Pontifex tunc erraret, omnes fideles possent, imò tenerentur errare in materia fidei, quia omnes tenentur in re dubia inter Catholicos se conformare judicio supremi Pastoris & Doctoris, dubium definientis, & determinantis. Hæc enim obedientia debetur Christi Vicario ratione Primatus sui in universa Ecclesia: Ut enim sapienter scribit P. Valentia Tom. 3. col. 199. *Non aliud nomine eius Primatus intelligimus, quàm talem authoritatem, cui omnes fideles in utroque foro, interno & externo, parere debent in iis, quæ spectant, vel ad mores, vel ad cultum, vel ad fidem, id est in salutis negotio.* Unde sicut inter omnes Catholicos est certum, Romanum Pontificem habere Primatum in Ecclesia Dei, ita certum debet esse inter ipsos, Romano Pontifici, determinanti fidei & morum controversias, & præcipienti, quænam pars tenenda sit, omnes obedire debere. Unde si ille erret in definiendo, omnes errabunt in credendo, quod ille credi præcipit. Cùm ergò impossibile sit, totam Ecclesiam errare in credendo, impossibile est, summum Pontificem errare in definiendis, & determinandis fidei, & morum controversijs.

§. XVI.

§. XVI.

Certum est, regimen à Christo institutum in Ecclesia sua esse Monarchicum: inde necessariò infertur, Romanum Pontificem, ut supremum Ecclesiæ Monarcham esse supremum controversiarum fidei Judicem, ejúsque proinde iudicium esse irreformabile à Concilio.

CCXIV. CHristum instituisse regimen absolutè Monarchicum, in quo suprema authoritas sit penes unum, ad quem majores causæ referantur, licèt aliquâ Aristocratia temperatum, est adeò commune, ut Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 5. & Andreas Duualius in tractatu de suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate part. 1. q. 2. pag. mihi 40. testentur, *in hoc asserendo* Authores *Catholicos convenire omnes*, & est adeò certum, ut eximius Doctor P. Franciscus Suarez Disp. 9. de fide sect. 6. numero 8. affirmet, id esse *de fide*, & ipse Joannes Gerson. in Tract. de statibus Ecclesiæ considerat. 1. *Schismaticum*, & *hæreticum* appellet *eum*, qui *negaret, statum Papalem institutum esse à Deo supernaturaliter, & immediatè, tanquam habentem Primatum Monarchicum, & regalem in Ecclesiastica Hierachia.* Idem docet in lib. de potest. Ecclesiæ considerat. 10. & in libro de auferibilitate Papæ considerat. 5. & Duvalius dicat, hoc ita *certum* esse, *ut à quopiam citra fidei jacturam negari non possit.* Ipsáque universitas Parisiensis censuravit ut hæreticam Doctrinam Marci Antonij de Dominis, quâ lib. 2. de Republica cap. 3. n. 3. asseruit, *Christum non instituisse in Ecclesia sua gubernationem Monarchicam, sed per multos ministros sine uno Monarcha mortali regere perfectè, & gubernare Ecclesiam*, ut refert M. Bail in summa Conciliorum tom. pag. 82. 83. & 84.

CCXV. Veritatem hanc de Monarchia spirituali Romani Pontificis non minùs neruosè, quàm eleganter probat Pius secundus Papa in Bulla retractationum. Nobis sufficiat rationem proponere, quâ id probat D. Thomas 4. contra gent. cap. 76. nu. 3. *Quia nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ regimen sit optimè ordinatum, utpote per eum dispositum, per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum; quod patet ex fine regiminis, qui est pax. Pax enim, & unitas subditorum est finis regentis: unitatis autem congruentior causa est unus, quàm multi. Manifestum est igitur, regimen Ecclesiæ sic esse dispositum, ut unus toti Ecclesiæ præsit. Et num. 4.* Ecclesia *militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur. Unde, & Joan. in Apocalypsi vidit Hierusalem descendentem de Cælo: & Moysi dictum est, quòd faceret omnia secundùm exemplar ei in monte monstratum. In triumphanti autem Ecclesia unus præsidet, qui etiam præsidet in toto universo, scilicet DEUS. Dicitur enim Apocalyp.* 21. Ipsi populus ejus erunt, & ipse cum eis erit eorum Deus: *Ergò & in Ecclesia militante unus est, qui præsidet universis.*

Hinc

CCXVI. Hinc apertè deducitur Romanum Pontificem ratione sui Primatus & Monarchiæ spiritualis esse supremum controversiarum fidei Judicem, à cujus sententia non fit appellatio ad Tribunal fidei superius. Evidens enim apparet, vel in Ecclesia Christi nō esse supremum aliquod tribunal fidei, seu supremum controversiarum fidei Judicem, vel hoc munus competere supremo Principi, & Monarchæ spirituali, qui toti Ecclesiæ præest; à sententia enim supremi Monarchæ non est appellatio ad alium Judicem in illa communitate, in qua ipse est supremus Princeps, & Monarcha. At certissimum est, dari in Ecclesia supremum controversiarum Judicem, ut probatum est, & à priori ostendit D. Thomas 4. cont. gent. cap. 76. n. 2. nam de fide est, Ecclesiam esse unam, ut constat ex Symbolo, *Credo in unam Sanctiam Ecclesiam. Jam ad unitatem Ecclesiæ, ait, requiritur, quòd omnes fideles in fide conveniant; circa ea verò, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergò ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quòd sit unus, qui toti Ecclesiæ præsit: manifestum est autem, quòd Christus Ecclesiæ in necessarijs non deficit, quam dilexit, & pro ea sanguinem suum fudit; cùm, & de Synagoga dicatur per Dominum Esaiæ 5.* Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? *Non ergò dubitandum est, quin ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiæ præsit.* Hæc ille. Nec item est dubitandum, quòd præsit cum authoritate infallibili, nam si hanc non haberet, non posset unitatem fidei conservare, sed potiùs foret causa, ut Ecclesia tota erraret: supremus enim Magistratus, cui in causa fidei omnes tenentur obedire, seu supremus Magister, quem è Cathedra loquentem omnes tenentur audire, si erret, causa est, ut omnes errent.

§. XVII.

Solvitur objectio contendens judicium Romani Pontificis in controversijs fidei posse reformari à Concilio generali, quamvis ille sit Monarcha Spiritualis.

CCXVII. At objicies, ex eo quòd gubernatio à Christo instituta in Romano Pontifice sit Monarchica, non sequi, quòd Papa sit supra Cōcilium Generale, sed satis esse, quòd sit supra singulos fideles, & supra omnes Prælatos divisivè. Nam ut probat P. Suarez tom. 4. de Religione tract. ultimo de Religione Societatis in particulari lib. 10. cap. 1. regimen Societatis est per modum Monarchiæ: idque constat ex Constitutione Gregorij XIV. *Ecclesiæ Catholicæ.* in qua sic sumus Pontifex loquitur. *Quoniā ratio ipsa docet, & Ignatius fundator prudenter animaduertit, ad hoc ut Societas benè gubernetur, valdè expedire, ut Generalis omnem habeat in ea authoritatem ad ædificationem, ex quâ præter cætera quamplurima, illud sequetur commodi, ut Universus ordo* ad monarchicam gubernationem *compositus, maximè*

mè serveturunitus, ipsiúsque membra per universum orbem dispersa per omnimodam hanc subordinationem suo capiti colligata, promtiùs atque faciliùs à summo Christi in terris Vicario, ad varias functiones juxta eorum peculiarem vocationem, ac speciale votum dirigi, ac moveri possint. Hæc Pontifex.

CCXVIII. Quare Generalis Societatis est in hac Religione Monarcha quidam Spiritualis quoad potestatem, & authoritatem distribuendi officia, & admittendi ad Professionem Religiosam, & multa alia: ex eo autem, quòd hanc Monarchiam habeat, solùm sequitur, quòd sit supra omnes Rectores, & Provinciales divisivè; non autem, quòd sit supra omnes collectivè, quando sunt coacti in Congregationem generalem, & per suffragia res religionis disponunt. Ergò pariter ex eo, quòd Papa sit monarcha spiritualis, solùm sequitur, quòd sit supra reliquos omnes Episcopos divisivè, quando non sunt convocati ad Concilium generale; non autem quòd sit supra illos collectivè sumptos, & quatenus res fidei, & morum definiunt, & statuunt per majorem partem suffragiorum. Ergò stat, Papam esse Monarcham spiritualem in tota Ecclesia, quin propterea sit supra totam Ecclesiam, dum est convocata in Concilium generale, ac proinde componitur cum Monarchia Spirituali, quòd sit infra concilium generale. Si autem sit infra Concilium, poterit ejus definitio in dubijs fidei reformari per definitionem concilij generalis.

CCXIX. Respondeo cum Patre Suarez eo lib. 10. cap. 1. num. 14. magnam esse differentiam inter Monarchiam Societatis, & Monarchiam Ecclesiæ. Nam regimen Ecclesiæ reducitur ad unum summum Prælatum, qui non solùm nulli alteri homini in terris, verùm qui nec alicui comunitati subjectus est, sed supra totá Ecclesiam, non solùm divisim quoad singulos, sed etiam collectivè quoad universitatem; quia Christus Petrum, ejúsque Successorem Romanum Pontificem suũ in terris Vicarium constituit, illúmque constituit in sui absentia corporali, & visibili caput visibile corporis militantis Ecclesiæ, summúmque Pastorem totius sui ovilis fecit; ut constat ex Evangelio Mat. 16. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum.* & Joann. 21. *Pasce oves meas*, & Luc. 22. *confirma fratres tuos.* Et cùm sint in Evangelio tam clari textus, ex quibus concilia, & Patres, atque Doctores statuunt, Papam esse supra totam communitatem Ecclesiæ, nullus est textus, ex quo probari possit, Concilium ut contradistinctum à Papa, esse supra illum. At Præpositus Generalis Societatis, non solùm habet superiorem personam, cui subjectus sit, scilicet Pontificem, quod ex generali ratione Religionis christianæ, & ex speciali status religiosi, & ex specialissimo Societatis Jesu necessarium est; sed etiam est subjectus

ctus ipsi Societati, à qua dirigi, & corrigi, & si necesse sit, puniri, & deponi potest, ut constat ex Constitutionibus Societatis, & ex Bullis Apostolicis; unde Part. 10. constit. §. 8. dicitur; *refert etiam magnopere, si Præpositi particulares in sibi subditos, & Generalis in particulares* (scilicet Præpositos) *& Societas in Generalē multum potestatis habeat, ita ut omnes ad bonum omnia possint, & si malè agerent, omnino subjecti sint.*

CCXX. Ratio autem differentiæ est clara. Quia Papa non ab Ecclesia, sed immediatè à Christo potestatem Papalem habet; quæ res est adeò certa, ut idem eximius Doctor Franciscus Suarez disp. 10. de fide sec. 3. n. 7. dicat, hanc conclusionem esse certam de fide. Quia de fide est, Christum in Petro instituisse dignitatem summi Pontificis, & Vicarij sui in terris; rursùs de fide est, Christum non fundâsse eam Dignitatem, ut in Petro finiretur, sed ut transiret ad Successores Petri. Ac proinde de fide est, Christum voluisse, ut aliquis Episcopus succederet Petro in munere summi Pontificis, & Vicarij Christi. Est autē certum omnino, & evidens evidentiâ facti, illum Episcopum, qui succedit Petro in sumō Pontificatu, non alium esse, quàm Episcopum Romanum. Unde certum omnino est, esse summum Pontificem, & Vicarium Christi illum hominem, de quo constat, esse legitimè electum in Episcopum Romanum: de quo videndus est Bellar. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 12.

CCXXI. Quare sicut Christus fundans Ecclesiam non dedit communitati, seu Collegio Apostolorum potestatem eligendi caput, qui vice ipsius Christi post ejus ascensum in cælum visibiliter gubernaret Ecclesiam; sed ipse Christus immediatè elegit Petrum in sui Vicarium, qui visibiliter gubernaret Ecclesiam post ascensionem suam: ita non dat nunc communitati Christianorum, vel Communitati Episcoporum, vel alicui alteri communitati authoritatem instituendi Pontificem, seu concedendi alicui homini Jurisdictionem Papalem, sed ipse per seipsum immediatè communicat potestatem Jurisdictionis Papalis illi personæ. quam Cardinales eligunt in Pontificem; sicut perseipsum communicat potestatem consecrandi Corpus suum illi viro, quem Episcopus ordinat in Sacerdotem.

CCXXII. Quare quando de novo creatur Papa, personæ eligentes non communicant ipsi potestatem, sed designant personam, cui à Deo immediatè communicatur ex vi primævæ institutionis factæ à Christo in persona Petri, ut latè explicat ipse P. Suarez lib. 3. adversùs regem Angliæ cap. 2. & idcirco nequit Ecclesia limitare potestatem Pontificis, nec unum constituere pro Oriente, alterum pro Occidente; quod certè posset, si semel potestatem Jurisdictionis ipsi communicaret, sicut Episcopi possunt Sacerdotibus limitare potestatem Jurisdictionis, quam ipsis communicant, non potestatem consecrandi, quam immediatè ipsis Christus tribuit. Unde licèt possint Sacerdotibus præcipere,

ne faciant sacrum, ipsósque excommunicare; sua tamen prohibitione nequeunt efficere, ne verè consecrent Corpus Christi, si verba consecrationis proferant supra legitimam materiam cum intentione consecrandi; quia potestatem consecrandi non accipiunt ab ipsis, sed immediatè à Christo.

CCXXIII. Nec in toto Evangelio reperietur textus, ex quo verisimiliter probari possit, Christum tribuisse Ecclesiæ authoritatem instituendi potestatem Papæ in Petro, vel in successoribus ejus. Et ratio à priori, cur Ecclesia hanc authoritatem non habeat, est, quia eam potestatem instituere propria authoritate, quâ aliquis utitur, ut Vicarius alicujus Domini, ad nullum alium pertinet, nisi ad illum Dominum, cujus ipse, qui tali potestate utitur, est Vicarius. At potestas Papalis, seu Jurisdictio, quam habet quatenùs Papa, est potestas, qua ipse Papa utitur, ut Vicarius Christi in terris, ergò potestatem istam instituere, & conferre, ad nullum alium pertinet, nisi ad Christum. Potestas ergò Papalis non est ex institutione humana, sed Divina, & immediatè à Christo communicatur illi personæ, quæ ritè eligitur in Episcopum Romanum.

CCXXIV. Pontifex ergò non ab Ecclesia, sed immediatè à Christo habet potestatem. At Præpositus Generalis habet suam potestatem à Societate juxta modum in ipsius constitutionibus præscriptum, & à summis pontificibus confirmatum. Unde Societas in certis casibus designatis in Constitutionibus part. 9. cap. 4 potest Generalem deponere; ac proinde non est mirum, quòd Societas, quando est coacta in Congregationem generalem, sit supra Præpositum Generalem, quamvis Ecclesia, quando est congregata in Concilio generali, sit subjecta Pontifici, sicut corpus suo capiti, & sicut ovile summo Pastori, quia Pontifex necessariò retinet munus Vicarij Christi, ac proinde semper sicut caput visibile habet superioritatem in reliquum Ecclesiæ corpus repræsentatum à Concilio. Licèt enim Christus existens in Cælo sit invisibile caput Ecclesiæ, in ipsam continuò influens per gratiam, caput tamen visibile Ecclesiæ, quod externè illam gubernat Vice Christi, est Romanus Pontifex. Est ergò evidens disparitas, quia constat manifestè ex Constitutionibus Societatis, & ex Bullis Pontificum, Generalem à Societate accipere immediatè potestatem, & Societati ut congregatæ esse subjectum: Et contrarium constat ex Evangelio, ex Patribus, & ipsis Concilijs, Papam non accipere potestatem ab Ecclesia, sed immediatè à Christo, nec subesse Concilio, sed illo superiorem esse; & Concilia ipsa hanc superioritatem agnovisse, dum ad valorem suorum decretorum recurrerunt ad confirmationem Pontificis. Cùm in Congregatione Generali satis sit, decreta condi à majori parte, ut totam Societatem ligent, nec opus sit confirmatione Generalis ad ipsorum valorem.

CCXXV. Nec fuit conveniens, ut Christus subjiceret Romanum Pontificem

tificem Concilio, sicut fuit conveniens, ut S. Ignatius in Constitutionibus, vel potiùs Sedes Apostolica eas confirmans, subjiceret Generalem Societati ad conventum generalem convocatæ. Nam (ut inquit P. Suarez) *Pontifex sicut singulari, & excellentiori modo habet à Deo potestatem, ita habet peculiarem Spiritus sancti assistentiam, quæ potest supplere cuiuscunque superioris directionem, vel coactionem. Alii verò inferiores Prælati, sicut ab hominibus eliguntur, ità convenienter toti communitati, seu congregationi generali subjiciuntur.* Quòd non fuerit conveniens, Christum Dominum Vicarium suum subjicere Concilio, probat factum ipsum, quia Christus illud fecit, quod melius, & convenientius erat Ecclesiæ suæ. Constat autem ex Evangelio, totum corpus Ecclesiæ subjecisse Romano Pontifici, ut capiti visibili Ecclesiæ.

CCXXVI. Idquè ratio evincit. Nam Papa Princeps est Ecclesiæ totius, utpote Vicarius Christi: Ergò in terris superiorem non habet. Probo consequentiam, nam quia summus Princeps est Ecclesiæ, non potest judicari ab ullo Ecclesiastico Judice. Rursus quia Respublica Ecclesiastica spiritualis est, ac proinde major, ac sublimior, quàm ulla Respublica temporalis, ad summum Principem Reipublicæ Ecclesiasticæ pertinet, dirigere & judicare summum Principem Reipublicæ temporalis, non autem ab ilio dirigi, & judicari. Alioqui rectus ordo, & ipsa natura rerum perturbaretur. Ergò Papa in terris superiorem potestatem non habet, à qua judicetur.

CAPVT OCTAVUM.

Quintum caput idem probandi, quia evidens est, evidentia facti, per singula sæcula floruisse in Ecclesia Romana viros, & fœminas sanctitate, & miraculis illustres: certum autem est, veram sanctitatem, & gloriam miraculorum solùm in Professoribus veræ fidei reperiri: nec Deum unquam tribuisse Hæresiarchis, & eorum sectatoribus potestatem patrandi vera miracula, quibus Authoritatem sibi conciliarent ad persuadenda sua prava dogmata.

CCXXVII. ID esse evidens evidentiâ facti, evincit Bellarminus Tom. 2. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 14. discurrens per singula Ecclesiæ sæcula. In *Primo sæculo habemus* (inquit) miracula Christi, & Apostolorum in Evangelijs, & Actis.

Secundo sæculo habemus miracula Christianorum militum in exercitu M. Antonij, de quo vide Tertull. in lib. ad Scapulam, & in Apolog. c. 5. Eu-

seb. lib. 5. Histor. c. 5. & Otos. lib. 7. Hist. cap. 15. & ipsam Epistolam Imperatoris ad Justini opera adjunctam.

Tertio sæculo habemus miracula Gregorij Thaumaturgi, de quibus vide Basilium libro de Spiritu sancto, cap. 29. Gregorium Nyssenum in vita ejus. Hieronymum de Viris Illustribus, & Eusebium ex versione Ruffini Lib. 7. cap. 25.

Quarto sæculo habemus miracula Antonij, Hilarionis, Martini, Nicolai, & aliorum, scripta ab Athanasio, Hieronymo, Sulpitio, & alijs.

Quinto sæculo habemus miracula plurima, quæ describit Augustinus facta suo tempore, lib. 22. de Civitate Dei cap. 8.

Sexto sæculo habemus miracula, quæ narrat Gregorius in Dialogis, ubi narrat duo facta à Romanis Pontificibus, Joanne, & Agapito lib. 3. cap. 2. & 3.

Septimo sæculo miracula facta in Anglia à S. Augustino, & Socijs, de quibus Gregorius lib. 9. Epist. 58. & Beda lib. 1. Hist. c. 13. Item ab Osvvaldo Rege per lignum crucis lib. 3. cap. 2.

Octavo sæculo miracula S. Cuthberti, & S. Joannis in Anglia, teste Beda lib. 4. & 5. Hist.

Nono sæculo miracula Tharasij, scripta ab Ignat. Nizæno. Item alia innumerabilia omnis generis facta in Civitate Suessionensi in translatione reliquiarum S. Sebastiani Martyris, quæ facta est anno Domini DCCC, XXVI. de qua vide annales Francorum, scriptos summa fide ab Auctore, qui illo ipso tempore floruit.

Decimo sæculo miracula S. Romualdi, scripta à B. Petro Damiani: Item Wenceslai Regis Boëmorum, S. Udalrici, & S. Dunstani, de quibus vide Surium.

Undecimo sæculo miracula S. Eduardi Regis, & Virginis, S. Anselmi, Gregorij Papæ VII. & aliorum. Post illa undecim sæcula.

CCXXVIII. *Duodecimo* sæculo claruerunt in Ecclesia Catholica miraculis B. Malachias, & B. Bernardus. De Malachia Episcopo Legato Pont. Rom. sic scribit Bernardus in vita ejus, posteaquam narravit multa ejus miracula: Quo, inquit, antiquorum genere miraculorum Malachias non claruit? si bene advertimus pauca ipsa, quæ dicta sunt, non Prophetia defuit illi, non revelatio, non gratia sanitatum, non mutatio mentium, non denique mortuorum suscitatio.

Beatus autem Bernardus Monachus, & Pater Monachorum, ac Romanis Pontificibus addictissimus pluribus miraculis claruit, quàm ullus sanctorum, quorum vitæ scriptæ exstant: nam una die in Constantiensi diœcesi constat eum illuminâsse cæcos undecim, curâsse Monachos decem, & claudos decem & octo, ut scribit Gotfridus, qui cum ipso vixit lib. 4. cap. 4. vitæ ejus, & præterea omnes quinque libri plenissimi sunt miraculis, ut difficile sit eorum numerum inire.

CCXXIX. *Decimo tertio* sæculo claruerunt in Ecclesia Catholica multi, sed præcipuè B. Franciscus; cujus vitam

tam miraculis pleniſſimam ſcribit B. Bonaventura: item B. Dominicus, cujus vita, etſi negligentiùs ſcripta fuit, tamen conſtat, eum tres mortuos excitâſſe: claruerunt eodem ſæculo miraculis B. Petrus Martyr, & B. Thomas ex ordine Prædicatorum, & B. Antonius, ac B. Bonaventura ex ordine Minorum, de quibus vide Antoninum 3. par. hiſt. tit. 23. & 24. & ad finem ejus ſæculi claruit miraculis plurimis S. Cæleſtinus V. Pontifex Romanus tam ante Pontificatum, quàm poſtea, ut ſcribit in ejus vita Petrus Cardinalis Cameracenſis.

Decimo quarto ſæculo claruerunt miraculis etiam multi, ſed præcipuè S. Bernardinus, S. Catharina Senenſis, S. Nicolaus Tolentinas, de quibus vide Antoninum, ubi ſuprà.

Decimo quinto ſæculo claruit S. Vincentius vivus, & mortuus miraculis plurimis, adeò, ut B. Antoninus 3. part. hiſt. tit. 23. dicat, conſtare de XXXVIII. mortuis per eum excitatis; idem B. Antoninus eodem ſæculo miraculis claruit, cujus vita exſtat apud Surium.

CCXXX. Denique hoc noſtro ſæculo claruit in primis S. Franciſcus de Paula plurimis miraculis, ut in Bulla exſtat apud Surium. Claruit etiam in Indijs omni genere miraculorum Beatus Pater Franciſcus Xaverius Societatis Jeſu Presbyter &c. Hucusque Bellarminus: ſed de miraculis S. Franciſci de Paula, & S. Franciſci Xaverij poſtea ſeorſim agendum. Scripſit autem hæc Bellarminus ann. *1583.* in quo ſecundus controverſiarum ejus tomus primò in lucem prodijt. In iſtis autem centum, & ampliùs annis, qui ab eo anno tranſierunt uſque ad tempus, in quo hæc ſcribo, multi alij floruerunt in Eccleſia Romana Sancti virtute, & miraculis inſignes, ut conſtabit cap. ſequenti.

CCXXXI. Quòd autem in ſolis Profeſſoribus veræ Religionis miracula vera reperiantur, conſtat: quia miracula vera à ſolo DEO fieri poſſunt, ut oſtendi lib. 1. cap. 2. & 3. Deus autem miracula non facit per profeſſores falſæ Religionis: quia vel facit miracula ad confirmandam veritatem doctrinæ, quam annuntiant Miniſtri ab eo miſſi ad introducendam, vel conſervandam veram fidem: vel ad illuſtrandam ſanctorum vitam. Neutro autem modo poteſt facere miracula per profeſſores falſæ religionis: non primò, quia ut demonſtravimus lib. 1. cap. 3. Deus non poteſt facere miracula in confirmationem doctrinæ falſæ, qualis eſt illa, quam hæretici, & alij Profeſſores falſarum ſectarum, diſſeminant. Non ſecundò, quia cùm miracula fiunt ad gloriam alicujus Sancti illuſtrandam, Deus per miracula illa oſtendit, hominem illum eſſe verè Sanctum. Nullus autem falſæ Religionis profeſſor poteſt eſſe verè Sanctus, dum falſam tenet Religionem, & caret verâ, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & juſtus ex fide vivit*, ut docet Apoſtolus. Unde ſine vera fide, & vera Religione impoſſibile eſt, ut detur vera juſtitia, & vera ſanctitas.

CCXXXII. Jam verò, quòd Deus nunquam tribuerit Hæreſiarchis ve

vel falsis Prophetis, & Sectatoribus falsarum Religionum, potestatem faciendi vera miracula, probat Bellar. eodem capite. Nam de Paganis certum est, illos vera miracula non fecisse, & certissimum, non potuisse facere in confirmationem suæ sectæ. Mirabilia autem quædam, quæ refert Valerius Maximus lib. 8. nimirum de statuis, & brutis loquentibus, & de Virgine Vestali aquam cribro hauriente, & quod refert Marcus Tullius lib. 1. de divinatione de augure, qui novaculâ cotem scidit, facillimè potuerunt fieri arte dæmonum, ut ostendunt D. August. lib. 10. de Civitate, cap. 16. & Tertullianus in Apolog. cap. 22. & 23. Deinde (ut ibi inquit August.) *hæc, atque alia hujusmodi nequaquam illis, quæ in Populo Dei facta legimus, virtute, ac magnitudine conferri possunt.*

CCXXXIII. In Synagoga dum fuit vera Dei Ecclesia, & veram Dei fidem habebat, constat, fuisse multa & magna miracula: at postquam Christus venit, & infelix ille Hebræus populus negando Messiam sibi promissum, & oculos claudendo luci clarissimæ, veram fidem amisit; non habuit ampliùs ullum miraculum, (& illud unum de piscina, quod adhuc durabat, quando Christus prædicabat, postea omnino cessavit: quia jam non est ampliùs Dei Populus, qui Deum in carne venientem, & tot miracula patrantem ad persuadendam suam divinitatem, suscipere noluit.

CCXXXIV. De Mahumeto vidébimus in secunda parte lib. 1. cap. 1. & lib. 5. cap. 39. nullo miraculo potuisse probare, se esse Prophetam; imò ad declinandam invidiam identidem dicere solitum, Christo, & Apostolis datam esse virtutem patrandi miracula ad exterminandam idololatriam, & unius veri Dei cultum introducendum; cæterùm quia tot editis miraculis id perficere non potuerunt, sibi datum esse gladium, ut illo, & non linguâ veram Dei legem introduceret: ad conciliandam tamen sibi authoritatem quædam narrabat à se facta miracula, sine testibus tamen, ut de falsitate convinci non posset. De falsis Prophetis (inquit Bellar.) & hæreticis non minùs est certum, eos sæpe miracula facere conatos, & semper spe sua esse frustratos; nota est historia Prophetarum Baal, qui ignem de Cælo deducere voluerunt per invocationem Baal, nec tamen potuerunt: quod tamen verus Propheta Helias per invocationem veri Dei nullo negocio effecit. vide lib. 3. Reg. cap. 18.

CCXXXV. Pari ratione delusum Simonem Magum scribit Egesippus lib. 3. de excidio Hierosol. c. 2. nam, & mortuum excitare, & per aërem volare tentavit, sed nihil ei successit. Manichæum frustra conatum, filio Regis ægrotanti sanitatem afferre, scribit Epiphanius hæresi 66. Cyrolam Patriarcham Arianorũ planè excæcâsse miserum quendam, qui se cæcum finxerat, & ab eo præsidium implorabat, scribit Gregorius Turon. lib. 2. hist. Francorum, cap. 3. Eunomianum quendam à S. Machario victum in contentione de suscitatione homi-

hominis mortui, scribit Joannes Cassianus collatione 15. cap. 3. Polychronium Monothelitam frustra sudâsse excitatione alterius cujusdam defuncti, testantur publica acta sextæ Synodi actio. 15.

CCXXXVI. De Donatistis, quòd contra se miracula fecerint, dum ampullam Chrismatis projecerunt in saxa, quæ Angelica manu sustentata frangi non potuit; & dum Eucharistiam canibus dare voluerunt, & ipsi ab ijsdem canibus discerpti sunt, scribit Optatus Lib. 2. contra Parmenianum.

De Timotheo Æluro Eutychiano scribit Theodorus lib. 1. collectaneorum, per multas noctes eum habitu nigro indutum per cellas Monachorum discurrisse, dicentem, se esse Angelum à Deo missum, ut illis significaret, ne Proterio (is erat vir Sanctus, & Catholicus Episcopus Alexandriæ) communicarent; sed ejus loco Timotheum Ælurum Episcopum designarent.

De quodam Iconomacho scribit Paulus Diaconus lib. ult. rerum Romanarum, eum in sepulchro quodam inclusum, inde Constantinum Iconomachum laudibus in Cælum vehere cæpisse, ut nimirum ita quasi mortuorum responsis hæresis confirmaretur.

De nostri seculi hæreticis idem omnino constat. Hactenus ibi Bellarminus, qui statim narrat, quo pacto Lutherus, & Calvinus conati sint, ad conciliandam sibi authoritatem facere, vel saltem apparere miracula, & nihil inde retulisse, nisi ignominiam, & confusionem, quod nos commodiùs postea narrabimus.



CAPUT NONUM.

Sextum caput id probandi, quia insignis Sanctitas & gloria miraculorum, quâ in Ecclesia Romana floruerunt multi viri, & fœminæ, postquam Lutherus, & Calvinus ab illa recessêre, cùm interim isti novæ Ecclesiæ reformatæ, vel potiùs deformatæ, authores nullis virtutibus, nullísque miraculis fuerint insignes, manifestè probat veritatem Ecclesiæ Romanæ, & falsitatem Sectæ Lutheranæ, & Calvinianæ.

§. I.

Eo tempore, quo Lutherus ab Ecclesia Romana, tanquam à Magistra errorum, & Synagoga sathanæ publicè discessit, Deus toti orbi Christiano per miracula S. Francisci de Paula, in ejus canonizatione publicata, manifestè ostendit, eam esse Ecclesiam suam Sanctam.

CCXXXVII. FLoruisse in Ecclesia Romana, postquam ab ea Lutherus secessit, viros & fæminas, Sanctitate & miraculis insignes, est evidens evidentiâ facti, & comprobatur tum ex Bullis Canonizationis, & Beatificationis, tum ex historia Ecclesiastica: sed antequam eos enumeremus, oportet notare, paulò antequam Lutherus ab Ecclesia Romana apostataret, in ea obijsse S. Franciscum de Paula Ordinis Minimorum conditorem, vitæ *sanctitudine illustrem, & miraculorum magnitudine, ac frequentia alterum Taumaturgum*, ut loquitur Spondanus ad ann. 1507. in quo Sanctus iste obijt ætatis suæ anno nonagesimo primo, qui proinde natus est anno 1416. cùm Martinus Lutherus natus fuerit anno 1483. & obîerit anno 1546. ætatis suæ 63. & cæperit contra indulgentias prædicare anno 1517. & damnata fuerit ejus doctrina anno 1520. à Leone X. qui in Sanctorum Catalogum retulerat S. Franciscum de Paula anno 1519. fuerúntque proinde contemporanei, & Lutherus vigesimum quartum agebat annum, quando S. Franciscus de Paula obiit; & tunc ab Ecclesia Romana discessit, quando summus Pontifex motus famâ, ac comprobatione ingentium miraculorum, quæ S. Franciscus tam in vita, quàm post mortem edidit, ipsum solemni ritu canonizavit.

CCXXXVIII. Unde quando Martinus Lutherus in Ecclesiam Romanam tanquam in Synagogam sathanæ, & adulteram Christi debachatus est, Deus ipse evidens testimonium dedit de veritate fidei Catholicæ Romanæ, quam S. Franciscus de Paula professus est, publico & irrefragabili argumennto condemnans vitam & dogmata Lutheri, vitam autem & doctri-

doctrinam Sancti Francisci comprobans. Lutherus tanquam salacissimus hircus in commentario, quem anno 1522. edidit, de vita conjugali docuit, verbum illud Dei, *crescite & multiplicamini, non præcepti modò vim habere, sed & fortius, & majus quiddam esse, adeóque DEI opus, quod impedire, vel exequi, prorsus non sit in potestate nostra, adeóq; necessariũ, quàm edere & bibere, excernere & eijcere, dormire, & vigilare: quapropter si quis contra hanc necessitatem aliquibus votis, & ferreis adeóque adamantinis votis se se obligârit, id frustra esse.* Idémq; prorsùs esse, ac si Vir non masculum, mulier non fæminam se esse voveat, ut refert Spondanus ad ann. 1522. n. 9. Et de se ipso testabatur, *se non magìs à muliere abstinere potuisse, quàm à cibo, & potu.* Ita habet in colloquio mensali fol. 400, & 526. At Sanctus Franciscus de Paula perpetuam Virginitatem servavit.

CCXXXIX. Lutherus in Libro de Libertate Christiana morem Ecclesiæ reprehendit, imperantis abstinentiam a carnibus certis temporibus, ut diebus Veneris, & in quadragesima, & requirentis ad jejunium abstinentiam à carnibus, & ab ovis, ac caseo, quia nimirum totus ventri deditus delitias carnis quærebat, & eos cibos magìs amabat, qui plus libidinem fovent. At S. Franciscus *abstinentiâ fuit admirabili: semel in die post solis occasum reficiebatur, & ad panem, & aquæ potum, vix aliquid ejusmodi obsonij adhibebat, quo vesci in quadragesima licet: quam consuetudinem, ut fratres sui toto anni tempore retinerent, quarto voto eos adstrinxit*, eo Spiritu ductus, quo mota est Ecclesia, ut certis temporibus abstinentiam à carnibus imperaret, præsertim tempore jejunij, siquidem jejunium indicitur ad cohibendam carnis concupiscentiam, quæ circa delectationes gulæ, luxuriæque versatur. Carnes autem terrestrium, & volatilium animantium magìs nutriunt, & delectant ex genere suo, quàm cæteri cibi, cùm sint humanæ carni similiores. Inde enim, & libentiùs appetuntur, & materiam generationis magìs augent; unde stimuli carnis acriores oriri solent. Atque eadem ferè ratio est ovorum, & lactis: nam ut Sanctus Hieronymus ex sententia veterum Ægyptiorum refert, libro secundo adversùs Jovinianum, *nihil esse videntur aliud ovum, & lac, nisi caro liquida, & sanguis albus.* Sanctissimus ergo Franciscus voluit suos Alumnos perpetuò à carnibus, & ovis abstinere, ut sic longiùs distarent à vitijs carnalibus gulæ, & luxuriæ.

CCXL. Lutherus fuit vir superbissimus, & ambitione plenus; at *Franciscus humilitatem sic coluit, ut se omnium minimum diceret, suósque alumnos minimos appellarî voluerit.* Lutherus convivia & corporis delitias avidè quærebat; at Franciscus *rudi amictu, nudis pedibus incedens, humi cubabat.*

Jam videamus, pro quo Deus sententiam tulerit, an pro Francisco, an pro Luthero; cujus Religionem, & fidem sibi gratam esse significaverit, Lutheri, an Francisci?

 loquan-

loquantur facta, *nam sicut humana conversatio verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur*, inquit Augustinus Epist. 49. factis ipsis mirabilibus Deus manifestè ostendit, vitam Francisci sibi fuisse gratissimam, ac proinde ejus fidem, & Religionem fuisse veram. Nam multis, & magnis miraculis servi sui sanctitatem testari voluit in vita, quorum illud imprimis celebre, *quòd à nautis rejectus Siciliæ fretum strato super fluctibus pallio cum socio transivit.* Et etiam post mortem: *siquidem corpus ejus dies undecim insepultum, ita incorruptum permansit, ut suavem etiam odorem efflaret*; ut dicit Ecclesia. Idque inter continua, quæ fiebant ad illud, sanationum miracula, ut inquit Spondanus ex Bulla Canonizationis. At econtra in Luthero nullum signum sanctitatis apparuit; sed contra iniquitatis consummatæ argumenta visa sunt; ut postmodum magìs constabit.

CCXLI. Quis hîc non agnoscat singularem Christi providentiam erga Ecclesiam suam? siquidem eodem tempore, quo Lutherus classicum incæpit canere contra illam, & scriptis, & verbo clamare, Ecclesiam Romanam esse Synagogam sathanæ, & non esse illam, quam Christus fundavit, sed aliam planè diversam, vera fide vacuam, & erroribus plenam; tunc per solemnem canonizationem S. Francisci de Paula, in qua stupenda ipsius miracula toti orbi Christiano manifestata sunt, apertè demonstravit, Ecclesiam Romanam, cujus fidem tenuerat vir iste sanctus, veram esse Christi Ecclesiam, sanctam, & immaculatam, utpote quæ nihil falsum credendum proponat, nihil injustum faciendum præcipiat, aut consulat; licèt multa supra rationem doceat.

§. II.

Conversio Sancti Ignatij eo ipso anno, quo Lutherus declaratus est hæreticus, & instituta ab eo Religio, manifestè probat veritatem Religionis Catholicæ Romanæ, in cujus subsidium Deus novam hanc militiam misit.

CCXLII. POstquam Lutherus ab Ecclesia discessit, floruerunt in Ecclesia Romana viri & fæminæ, sanctitate & miraculis in vita, & post mortem illustres. Et imprimis manifestè Deus ostendit providentiam suam erga Ecclesiam in fundatione Societatis JESU: Nam anno 1521. quando Lutherus hæreticus declaratus est à Leone X. & publicè cæpit venenum evomere contra fidem Catholicam, mirabiliter Deus convertit Ignatium de Loyola à militia temporali ad spiritualem, *ut Dux eorum foret, qui portarent ejus sanctissimum nomen coram gentibus, & populis, & Infideles ad veræ fidei cognitionem inducerent, ac rebelles hæreticos ad illius unitatem revocarent, suique in Terris Vicarij authoritatem defenderent*; ut loquitur Urbanus VIII. Pontifex Maximus in Bulla Canonizationis S. Ignatij. Siquidem in propugnatione Pampelonensi accepto vulnere cùm graviter Ignatius decumberet, ei apparuit

ruit S. Petrus, quem præcipua devotione colebat, & in præsenti opitulatus est discrimine, ut postea Ecclesiam sanctam, & Sedem suam Apostolicam defenderet per se, & socios; quod ita cumulatè præstitit, *ut constans fuerit omnium sensus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum, sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero, ejusdémque temporis hæreticis, Ignatium, & institutam ab eo Societatem objecisse.* In eo anno *1521.* Lutherus se recepit in Castrum Wittenbergense, ut contra Ecclesiam Catholicam scriberet, quem secessum incredibili audacia suam Pathmos appellat, & eodem anno in speluncam Manresæ se abdidit Ignatius pœnitentiam acturus: quo tempore *homo litterarum planè rudis admirabilem illum composuit exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ judicio, & omnium utilitate comprobatum:* qui in omnibus suis notis, & documentis est oppositus spiritui, & doctrinæ Lutheri, & qui fuit officina, & fornax, in qua tot gladij ad hæresim debellandam formati sunt, quot fuerunt Ignatij socij, & discipuli, qui ab his exercitijs ardentem charitatis flammam, & zelum animarum hauserunt; & quia Lutherus initium fecit suarum hæresum à pervicacia contra Sedem Apostolicam, ejúsque contemptu, & inobedientia, S. Ignatius, cùm impensè flagraret Christi amore, eámque ob rem gloriam ejus, & regnum omni ope toto orbe terrarum propagandum susciperet, *quasi cohortem colligendam sibi putavit, quam proprii sacramenti religione Apostolicæ Sedi subjiceret, tum ut per hunc nexum plenior à Capite Christo per Vicarium ejus vitalis succus ac vigor descenderet tùm ut quemadmodum pervertendarum animarum hæretici initium faciunt à pervicacia, abscindendísque ab hoc corpore membris; ita ipse convertendarum opus ab obedientia, & connexione, quàm intimâ auspicaretur;* ut inquit Historia Societatis parte 5. lib. 9. n. 8. & ideo Religionem Societatis JESU à se institutam ad tria consueta, quarto addito circa missiones specialis obedientiæ voto Sedi Apostolicæ arctiùs adstrinxit.

CCXLIII. Qui consideraverit Societatis JESU fundationem mediante milite, qui prima rudimenta grammaticæ inter pueros addiscere cæpit, cùm triginta trium esset annorum, ejúsque celerem per totum Orbem Christianum propagationem, cum tanta morum reformatione, manifestum habebit argumentum veritatis Religionis Catholicæ Romanæ, ad cujus defensionem & propagationem novum hunc ordinem mediante Ignatio instituit. Hanc singularem Dei providentiam erga Ecclesiam suam notârunt summi Pontifices Gregorius XV. & Urbanus VIII. & scriptores plurimi hujus seculi, quos citat P. Daniel Bartoli in vita S. Ignatij. Siquidem inter cætera S. Ignatij decora, singulare hoc ipsique proprium observârunt, quòd ex militia seculi ejus belli ductor cælitus lectus sit, quo ad præsidium, vexata; ad defensionem, laborans Dei Ecclesia, esset magnoperè usura. In calamitoso & vide-

videlicet Henrici per Anglium schismate, *in Lutheri desertione per Germaniam; in rebellione Calvini per Galliam; in extendendis per Castellæ, & Lusitaniæ Indias religionis veræ limitibus, quos per Europam hæresis impiè arctârat. Fuitque hoc Deo ab ortu Ecclesiæ solemne, ut effusis in campum hæresum ducibus, apostatis, tyrannis, propugnatores opponeret, nunc quidem singulos, nunc in turmas digestos, ad hoc peculiari providentia evocatas. Sic olim Athanasium Arrio; Basilium Eunomio, Juliano Gregorium cognomento Theologum; Nestorio Cyrillum; Hieronymum, & Augustinum Eluidio, & Pelagio; ante annos demùm quadringentos Albigensium furori, & grassantibus latè hominum vitiis, sanctissimorum Francisci, & Dominici Patriarcharum familias geminas. Et certè dignum observatione. Ignatij ortus, conversio ad Deum, & conscripta ab eo Societatis instructio, publicis Ecclesiæ necessitatibus quàm opportunè occurrerint: quo enim anno Ferdinandus Castellæ Rex cum Christophoro Columbo de navigatione decernebat, quam hic novum in orbem ab se primùm repertum instituit; eodem Ignatium Deus huic mundo dedit, ut barbararum tot gentium exuderatio, & in Christo cultus, ejus tum operæ pretium, tum filiorum labor foret. Sexto verò pòst anno orientem versùs Vasco Gama in detectas ab se Indias navigavit, quo item Xaverius nascitur, hoc est, 1497. Inde post quatuor, & viginti annos Martinus Lutherus Vormatiæ, effrontem coram Carolo Quinto apostasiam professus, & post desperatam emendationem Vasbergæ se abdidit, ubi novus Joannes, novæ Pathmos jactator ridiculus, præsentis veneni contra religiosa vota librum scripsit, qui pestifera sui lectitatione, brevì cœnobia in solitudinem mutavit; è contrario hunc ipsum in annum cecidit humanis ex rebus Ignatij fuga, votúmque Deo militandi, ex quo, receptis post curatū vulnus corporis viribus, Manresam secessit, ubi clara in luce æternæ veritatis libellum composuit spiritualium exercitiorum, cujus, ut dicetur, mirabili ductu & suam ipse sacram familiam collegit, & reliquas mirificè auxit. Unà Ignatius, & Calvinus Parisiis agebant; unà discipulos & sequaces, quàm diversi diversos! legebant. Illic Fabrum sibi finxit Ignatius,* qui vitæ & doctrinæ suæ malleo *(verba sunt Florimondi Raymondi)* hæresin fortiter obtrivit. *Ibidem Calvinus, ait idem author, alterum sibi Fabrum cudit, insignem oppidò suorum in fornacibus hæresum Cyclopum ministrum. Henricus denique octavus Angliæ Rex, qui valedicente mundanis Ignatio, Defensor fidei gloriosè fuerat appellatus, eodem primæ Societatis rudimenta Parisiis designante, devoventéque illam defensioni Ecclesiæ, Christíque Vicario, ab Ecclesia sese, eiúsque capite Rom. Pontifice penitus abscidit, anno 1534. & pœnâ capitis eradi Papæ nomen, & ne quibuscunque in libris, cartísque legeretur, edixit.*

§. III.

Catalogus Sanctorum, qui in Ecclesia Romana floruerunt, post apostasiam Lutheri.

CCXLIV. FLoruerunt autem, postquam Lutherus contra Ecclesiam rebellavit, viri & fœminæ sanctitate & miraculis illustres in vita & post obitum, ita ut Sanctorum Confessorum nullum forsan sæculum post tempora Ecclesiæ primitivæ feracius & fæcundius viderit. Loquor autem duntaxat de iis, quorum sanctitas ab Ecclesia est declarata, vel per canonizationem solemnem, vel saltem per beatificationem. Imprimis ab eo tempore floruerunt in Ecclesia Prælati zelo, charitate, misericordia, sapientia & rerum gestarum magnitudine insignes. S. Carolus Borromæus S. Ecclesiæ Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis, S. Thomas de Villanueva Archiepiscopus Valentinus ex S. Augustini familia. S. Franciscus Salesius Episcopus Genevensis, & Beatus Toribius Mogrobeso Archiepiscopus Limensis. Extra statum Episcopalem multi, magnique sancti floruerunt: ex sacra Prædicatorum familia S. Ludovicus Beltran. & sancta Rosa: ex sacra S. Francisci Religione. S. Petrus de Alcantara, Beatus Franciscus Solanus, & Beatus Felix de Cantalicio: ex ordine Carmelitano, S. Theresia de JESU, S. Maria Magdalena de Pazzis, & Beatus Joannes de la Cruz : ex ordine Clericorum Regularium Theatinorum S. Cajetanus, & B. Andreas Obelinus: ex Congregatione Oratorii ejus Fundator S. Philippus Nerius; ex hac minima Societate JESU S. Ignatius ejus Fundator, S. Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus, S. Franciscus de Borgia ex Duce Gandiæ tertius Societatis Generalis, Beatus Stanislaus Koska, & B. Aloysius Gonzaga, præter alios multos, de quorum Beatificatione apud Sedem Apostolicam agitur.

CCXLV. Horum sanctorum tam insignia sunt veræ charitatis, & sanctitatis argumenta, tam insignia opera, tam manifesta Spiritus sancti charismata, tam conspicua miracula, ut nullus homo veri Dei cognitionem habens, possit dubitare, hos homines fuisse Deo charos. Una Theresia de JESU, tam heroica sanctitatis admirandæ monumenta reliquit, ut stupidus sit, qui non videat, non potuisse debilem fœminam talia opera facere, nisi virtus & sapientia Dei in illa inhabitâsset.

§. IV.

Concluditur ex dictis, solam Ecclesiam Romanam, in qua semper fulget gloria miraculorum, esse veram Christi Ecclesiam.

CCXLVI. ILlatio est manifesta: quia cùm evidens sit, Deum summè bonum, & sapientem, velle, ut omnes homines rectè vivant, & ipsum colant eo modo, quo ipse vult coli: & certum omnino sit, Deum habere in mundo aliquam fidem & Religionem, in qua, & per quam homines salvari possint, & velle, ut

ut ad ipsam veniant, ut illum in ipsa colant, prout ipse vult coli: hæc non potest esse alia, quàm illa, in qua Deus tot miracula per singula secula patravit; per hæc enim miracula loquitur De9, & clama,tin illa Religione, & per illam se velle coli, in qua tot miracula operatur, nec fieri potest, ut ipse veram Religionem destituat omni miraculo, & falsam ornet tot, & tantis, quot, & quanta in Religione Catholica per singula sæcula operatus est. Miracula enim sunt quasi sigilla quædam, & testimonia, quibus vera Religio comprobatur: cùm enim hæc habeat misteria, quæ sunt supra captum mentis humanæ, nequit solis rationibus persuaderi, sed opus est quibusdam argumentis supernaturalibus, quibus mentes hominum convincantur; hæc autem sunt miracula. Ergò cùm hæc in sola Ecclesia Catholica, & non in ulla hæreticorum secta reperiantur, sequitur, solam Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, & non solùm fuisse veram Christi Ecclesiam in illis primis sæculis, in quibus ejus cultores & prædicatores tot miraculis claruerunt, sed etiam in ijs posterioribus, in quibus eadem gloria refulsit. Unde meritò Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 17. & libro contra Epistolam fundamenti cap. 4. dixit, se teneri in Ecclesia vinculis miraculorum, & Richardus de S. Victore lib. 1. de Trinit. cap. 2. audet dicere: *Domine, si error est, quod credimus, à te decepti sumus; ista enim in nobis ijs signis, & prodigiis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.* Unde sicut impossibile est, Deum homines decipere, ita impossibile est, esse falsam Religionem Catholicam Romanam, ad quam amplectendam Deus tot miraculis homines invitat.



CA-

CAPUT DECIMUM.

Septimum caput idem probandi, quia parallela comparatio inter Martinum Lutherum Ecclesiæ *reformatæ primum Anthorem, & Franciscum Xaverium Ecclesiæ Romanæ propagatorem, manifestè ostendit, Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, Ecclesiam verò Lutheranam, & Calvinianam, & alias inde ortas non esse nisi Synagogas sathanæ.*

CCXLVII. HAnc comparationem instituit Cardinalis Bellarminus lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 14. Postquam enim narravit miracula aliqua ex ijs, quæ postea authenticè comprobata sunt, & in Bulla Canonizationis ejus continentur, & referuntur per compendium in ipsius lectionibus, de paralyticis, surdis, mutis, & cæcis curatis, de mortuis resuscitatis, & de incorruptione corporis, *siquidem demortui cadaver viva calce per multos menses bis obrutum, sed penitus incorruptum, odore, & sanguine manavit, & ubi Malacam delatum est, pestem sævissimam confestim extinxit.* Postquam, inquam, hæc Bellarminus breviter insinuavit, statim subjungit: *conferantur ista* cum Lutheri vita, & morte: Lutherus deserit monasterium, ducit uxorem post votum continentiæ, bellum indicit Papæ; Franciscus ingreditur ordinem religiosum, servat diligentissimè votum continentiæ, obligat se Papæ voto obedientiæ peculiari, & ab eo missus in extremas mundi oras proficiscitur. Certè isti contrarijs itineribus incedunt, ut necesse sit, alterum eorum aberrare à recta via. Quis poterit melior esse Judex, quàm Deus, qui scrutatur renes & corda? Quomodo autem potuit Deus apertiùs sententiam suam explicare, quàm tribuendo uni donum singulare miraculorum, & conservando corpus ejus præter naturæ ordinem perpetuò incorruptum, cùm interim alter ne unam quidem muscam excitare potuerit, & corpus ejus præter naturæ etiam ordinem subitò putrescere cœperit, ídque hyeme, quando gelu omnia rigebant, & ita putrescere, ut intra arcam stanneam fætor contineri nequierit?

CCXLVIII. Itaq; quòd Lutherus, & Calvinus nullum potuerit edere miraculū in confirmationem doctrinæ novæ, quam contra inconcussam tot sæculorum Ecclesiæ Romanæ fidem invehebant; & Xaverius tanta ediderit in ejus confirmationem, est manifestum argumentum veritatis Ecclesiæ Romanæ.

§. I.

Qui à Deo immediatè missione extraordinaria mittitur ad prædicandum, debet miraculis probare, se missum à Deo.

CCXLIX. b CErtum est, neminem posse veram fidem, & Religionem introducere, nisi à Deo mittatur, ut ostendi suprà cap. 1. §. 4. versùs finem: *quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. & ut inquit Christus Joan. 7. *qui quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est.* Duplex autem est missio; altera ordinaria, quando nimirum Missionarij Evangelici mittuntur ad prædicandum Evangelium, vel immediatè à summo Pontifice, sicut missus est hortatu S. Ignatij à Paulo III. Pontifice summo S. Franciscus Xaverius ad Indias cum Apostolici Nuncij potestate, vel mediatè, quando mittuntur ab Episcopis constitutis à summo Pontifice. Alia extraordinaria, quando immediatè mittuntur à Deo, sicut missus est Moyses ad liberandum populum suum de captivitate Pharaonis: & missus est Christus Dominus ab æterno Patre ad redimendum genus humanum; & Apostoli missi sunt à Christo ad prædicandum Evangelium: sicut autem, qui mittuntur missione ordinaria, debent ostendere litteras patentes Prælatorum, quibus constet de legitima authoritate; ita qui mittuntur missione extraordinaria à solo Deo, debent ostendere sigillo Dei proprio, se ab ipso missos; sigillum autem Dei sunt miracula. Unde per miracula, & vitæ sanctitatem debent probare, se missos esse à Deo: non enim sufficit, quòd ipsi dicant, se missos esse à Deo; nam omnes seductores, & hæresiarchæ palàm hoc dicebant; sed debent ostendere litteras patentes, id est operibus miraculosis, & virtutibus insignibus probare, se missos esse à Deo. Unde cùm Deus Exod. 3. apparuisset Moysi, illíque intimâsset missionem, *mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israël de Ægypto*, & ille cap. 4. se excusans diceret: *Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi Dominus*: dedit ei Deus potestatem faciendi miracula, quibus probaret, se missum à Deo, *ut credant*, inquit, *quòd apparuerit tibi Dominus.* Et Christus mittens Apostolos suos ad prædicandum Math. 10. dixit: *Euntes prædicate, dicentes, appropinquavit regnum cælorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, Dæmonia ejicite.* Unde Marci ultimo dicitur: *Illi verò profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis*, & Hebræ. 2. *contestante Deo signis, & virtutibus.*

CCL. Ipséque Christus, ut probaret, se esse Filium Dei à Patre missum ad redimendum genus humanum, tanta, & tam manifesta edidit miracula, ut omnino inexcusabiles reddiderit Judæos, qui illum recipere noluerunt; Unde Joan. 15. v. 22. dixit: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum. Ut autem exponit ibi Toletus, propterea Christus dixit: *quæ nemo alius fecit*; quia nec tot, nec tanta ullus alius operatus est. Qui igitur ei non crediderunt (infert ille) infideliores fuerunt, graviúsque peccârunt, quàm qui Prophetis, & Moysi *ipsi* fidem non habuerunt, *nemo enim eorum tot, ac tanta operatus est.*

Unde Augustinus lib. 22. de Civitate cap. 8. dicit, *miracula fuisse necessaria, ut mundus crederet*; cujus dictum expendi lib. 1. cap. 8.

§. II.

Ex dictis infertur, Lutherum & Calvinum non fuisse missos à Deo ad prædicandum sua dogmata.

CCLI. Ex præmissa explicatione infertur. Lutherum & Calvinum, alió{s}que novatores, à seipsis venisse ad prædicanda sua dogmata; vel potiùs à diabolo fuisse missos, non autem à Deo; quia nec eorum missio fuit ordinaria, mediante mandato alicujus Ecclesiastici Prælati legitimi; siquidem ab Episcopis Catholicis misi non sunt, contra quorum fidem prædicabant, nec erant alij, à quibus mitti possent legitimè. Nec fuit extraordinaria, & immediatè à Deo, ut ipsi dicebant, passim vociferantes, se missos esse immediatè à Christo extraordinario modo, sicut missi sunt Prophetæ; opportebat namque signis & miraculis, insigni vitæ sanctitate, & mundi contemptu hoc probare, quod longè fuit ab istis novatoribus, qui superbia, ambitione, maledicentia, luxuria pleni fuêre: & ad tam peregrinam, & tam exoticam doctrinam, omnino contrariam ei, quam saltem per novem, vel decem sæcula ex ipsorum confessione totus orbis Christianus crediderat, opus erat miraculis, & magnis miraculis, alíisque supernaturalibus signis, quibus persuaderent, se non esse impostores. Ut enim ponderat optimè P. Lessius, cùm ex scripturis, Matt. 24. Marci 13. 1. ad Timot. 4. 2. ad Tim. 3. 2. Petri 3. constet, novissimis temporibus multos pseudoprophetas venturos, qui jactent, se à Deo missos, eósque Dominus attentè cavendos jusserit, nemo novus admittendus est, qui suæ missionis πληροφορίαν, & plenam fidem non fecerit, sed omnes suspecti habendi. Atqui non possunt ullo modo hanc πληροφορίαν facere, nisi divinis signis, ut sunt miracula, prædictio futurorum, revelatio absconditorum &c. Hæc enim cùm rerum creatarum vim superent, manifestum est, esse à Deo. Unde sunt veluti literæ patentes, Dei sigillo obsignatæ, quibus missio divina probatur.

CCLII. Hinc quotquot à Deo unquam immediatè missi sunt ad populum docendum, miraculis vel alijs supernaturalibus signis instructi venêre, quibus eorum missio populo est manifestata. Sic Moyses filios Israel

educturus ex Ægypto, eíque legem daturus, cum maxima miraculorum potestate venit, & innumera, vel ipse fecit, vel Deus circa ipsum, toties ei sub visibili specie apparendo, exhibuit. Sic omnes Prophetæ vel miraculis, vel occultorum revelatione suam missionem probârunt. Idem fecit ipse Dominus Prophetarum: qui etsi clarè ex scripturis couvincere posset, se Messiam esse, ídque etiam testimonio Joannis Baptistæ satìs posset constare, tamen plurimis miraculis statim initio prædicationis se à Patre missum ad hominum salutem ostendit, & Pharisæis odio ipsius credere nolentibus dixit, ut si ipsi propter se credere nollent, saltem operum magnitudine convicti crederent. Pari modo omnes Apostoli apud Judæos, & Ethnicos multis miraculis suam missionem probârunt. Denique idem fecêre variarum gentium primi Doctores, qui illos ex paganismo ad fidem nostram traduxêre. Quare cùm isti novi Prophetæ dicant, se missos immediatè à Deo, si id miraculis, & signis supernaturalibus non confirment, sicut omnes alij proximè à Deo misi fecêre, non sunt ullo modo audiendi.

§. III.

Lutherus, & Calvinus sibi per miratula authoritatem conciliare tentârunt, sed irrito conatu.

CCLIII. Constat autem manifestè, Lutherum, & Calvinum sæpè tentâsse miraculum facere, & nunquam ex hoc conatu aliud reportâsse, quàm ignominiam, & confusionem, ut latè ostendit Bellar. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 14. *Nam inprimis* (inquit) *Lutherus bis tentavit miraculum facere: voluit aliquando de quadam discipula sua diabolum ejicere, sed periculum fuit. ne ipse à dæmone occideretur. Vide Staphylum, qui interfuit, in absoluta responsione.*

Rursum (ut scribit Joannes Cochlæus in actis Lutheri anno MDXXIII.) Neseum in Albi miserè submersum, spe miraculi Lutherus vanis immurmurationibus frustra in vitam revocare tentavit. Sed quamvis viventi miracula non successerint, idem tamen post mortem miraculo insigni claruit: nam ejus cadaver cùm deferretur in media hyeme, quo tempore corpora mortua in multos dies conservari solent, & esset inclusum in arca stannea optimè clausa, ut Wittembergæ sepeliretur, tam terrum odorem spirare cæpit, ut nemo eum ferre potuerit: proinde coacti fuerunt corpus relinquere in itinere. Vide historiolam de morte Lutheri, quæ solet annecti libro Cochlæi de vita, & actis ejusdem Lutheri.

CCLIV. Aliud miraculum refert Felicianus Ninguarda in libro contra Annam Burgensem, & Lindanus in Dubitantio, & Alanus lib. 6. Dialogorum cujusdam Ministri, qui in finibus Poloniæ, & Hungariæ anno MDLVIII. excitare voluit hominem nomine Matthæum, quem ipse persuaserat, ut se mortuum fingeret, & reverâ mortuum effecit. Simile narratur de Calvino ab ijsdem, sed fusiùs ab Hieronymo Bolseco in vita Calvini

vini cap. 13. ex quo huc pauca insere-re placuit.

§. IV.

Machinatio Calvini, ut populo persuaderet, se mortuum suscitâsse: & quam confusionem inde tulerit.

CCLV. PRæterire, inquit, non debeo vafram ejus & subtilem machinationem, qua tum usus est, cùm quendam, cui Bruleo nomen, & Patria Ostunum, in vitam revocare cogitaret, moliretúrque, ut sancti atque gloriosi Dei Prophetæ, miraculorúmque patratoris nomen sibi, & famam pararet. Historia talis est: is, quem dixi, Bruleus Ostuno Genevam demigrârat, & cùm inops esset ipse, & uxor ejus, Calvini gratiam aucupabantur, ut ei commendati, peculij pauperum fierent participes. Eis Calvinus vitæ subsidia benignè pollicetur, si ipsi contrà suam operam sibi non negarent ad rem quandam, quam per eos fieri vellet: sed opus esse fide, & magna taciturnitate. Vicissim illi ad id, quod jubere vellet, promptos se offerunt, & quemadmodum à Calvino instructus fuerat, miser hic Bruleus morbum simulat. Ministri pro concione populo commendant, ut precibus juvarent, & eleemosynis paupertati succurrerent: non diu pòst personam mortui induit, & mortuum se simumulat. Hîc Calvinus clam admonitus, quasi cum omnium rerum ignarus deambulatum prodit, sed comitatus magnâ catervâ amicorum, postquam eô ventum esset, ubi clamores & ejulatus uxoris, quæ misellam, & desolatam egregiè exprimebant, exaudiret, quidnam hoc esset, sciscitatus, domum ingreditur, ubi in genua ipse, & reliqua caterva provoluitur, precibúsque alta voce profusis Deum obtestatur, potentiam suam ostendere, & mortuo huic vitam restituere, gloriámque suam sic universo populo declarare vellet, simúlque manifestum facere, se (Calvinum) peculiarem, sibíque gratum servum esse, & à se ad Evangelici sui ministerij, atque Ecclesiæ reformationem singulariter, & verè vocatum; post quas preces ad mortuum appropinquat, & miseri hominis manu apprehensa in Dei nomine imperat, ut se erigat: repetit iterum, sæpiúsque eosdem sermones voce etiam altiùs elevata. Quid fit? neque audit, neque loquitur, neque se commovet mortuus; justo enim Dei judicio, qui fucos, mendaciáque detestatur, is, qui se mortuum simulabat, verè esse mortuus repertus est. Et uxor, quidquid eum agitaret, quomodocumque impelleret, neque vocem extorquere, neque ut se commoveret, efficere potuit, sed totus frigebat, rigebat totus. Quo animadverso plorare, ululatus seriò edere, & ex animo cæpit uxor, & in Calvinum invecta, impostorem eum, sicarium, latronem, qui maritum interemisset, appellans, ex ordine rem, quo modo erat gesta,

clara, elatáque voce exposuit. Et infrà: *Negent hoc, qantum velint Calvini mancipia, exploratum, & cognitum satìs fuit, veritásque rei probata, imò per ipsammet uxorem confirmata.*

Possumus ergò his opponere, quod ait Tertullianus in libro de præscript. *Si alium Deum prædicant, cur ejusdem rebus, & litteris utuntur, contra quem prædicant? si eundem, quomodo aliter? alioqui probent se novos Apostolos: dicant Christum iterum descendisse, & dedisse eis virtutem eadem signa edendi. Volo igitur*, inquit, *virtutes eorum proferre, nisi quòd agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in perversum æmulantur: illi enim de mortuis suscitabant, isti de vivis mortuos faciunt.*

CCLVI. Comparemus hanc historiam cum veritate certissima de miraculis, à S. Francisco Xaverio in vita, & post mortem patratis, quæ sunt manifesta, ut non nisi per summam obstinationem negari possint. Nota sunt omnibus ea, quæ post exactissimam comprobationem posita sunt ab Ecclesia in ejus lectionibus 3. Decembris: constátque, hunc novum Indiarum Apostolum in dono linguarum, in miraculis, & peregrinationibus, & laboribus pro Christo toleratis, fuisse primis Apostolis simillimum: & ideò Ecclesia testatur in Breviario Romano, Gregorium XV. illum, *ubique terrarum novis maximisque fulgentem miraculis, Sanctis adscripsisse.* Et non solùm ante canonizationem solemniter celebratam anno *1622.* sed post illam maxima edidit miracula. Unum satìs celebre, quod totam Italiam, & Hispaniam, & totam Indiam habet testes, hîc referam eisdem verbis, quibus illud anno *1662.* scripsit Neapoli, ubi accidit, P. Michael de Elizalde nostræ Societatis, meus olim in Metaphysica Magister, in celebri illo suo libro *de forma vera religionis quærendæ, & inveniendæ* quæst. 27 à numero 478. ad 487.

§. V.

Celebre miraculum S. Francisci Xaverij, patratum cum venerabili P. Marcello Mastrilli anno 1634.

CCLVII. Unum hîc non subticebo (inquit citatus Author,) illúdque præclarum, editum à Xaverio miraculum: Neapoli illud scribo, ubi non pridem gestum fuit; ubi testes multi supersunt; ubi coargui, illudíque possim, si vera haud narrabo.

Anno Domini *1634.* Comite de Monte Rey Prorege in ipso ejus Palatio dies festus agebatur in honorem Conceptionis Deiparæ. Ex altaribus magnificè apparandis unius cura demandata est P. Marcello Mastrillo nostræ Societatis JESU Religioso, ex Mastrillorum Illustri familia orto, notóque satìs Neapoli, sed celebritatis planè finis mæstus; nam cùm quidam in alto parietis peripetasmata refigeret, bilibris ei malleus per incuriam manu elabitur, atque in Mar-

cessi caput cadens, eo illum ictu affligit, ut sensuum expers jacuerit mortuo simillimus. Sublatus mox inde manibus, curruíque impositus, ad Collegium Neapolitanum advehitur. Peritissimi quidam Medici, atque Chirurgi accersuntur, vulnus examinant, consultant, & communi suffragio lethale dicunt id vulnus, in quo curatio parùm proficiat; cælum hoc capiti tam esse noxium, ut leviora quoque sint curatu difficillima. Mox æger magna febri corripitur; os etiam nervorum relaxatione obstruitur. Ad extremum, alijs peractis Christianorum officijs, vigesimo secundo à vulnere die sacro oleo inungitur; anima, ut moris est, à Socijs Patribus Deo commendatur; ad crastinum expectatur funus.

CCLVIII. Hæc inter cùm hora esset quasi quarta noctis, diei Januarij tertij, Marcellus suo se nomine vocari sentit, stantem prope lectum videt Xaverium, veste quidem peregrinantium ad instar vulgari satis, sed vultu hilari, & venusto, quíque deceret cælitem. Rogatur, an mori, an ad Indiam ire præstaret? Quod mallet Deus, Marcellus respondit. Tunc verò Xaverius votum nuncupare incipit; verba præit, quæ Marcellus resumeret; Patriæ, amicis, consanguineis renuntiatum, renovata religiosa vota; additum aliud de suo ad Indiam profectu, promissúmque, se, si liceret, apud Barbaros mortem pro Christo subiturum. Adstantes quidem socij Marcellum audiebant loquentem, & de gravissimis rebus agere visum, sed in extremis vitæ angustijs delirare suspicabantur, & quid esset, mirabantur magis, quàm ut quidquam judicarent. Voto nuncupato, sanctissimi Ligni Crucis frustulum, quod apud se habebat, Xaverij jussu Marcellus reverenter osculatur, ac vulneri applicat. Tunc Xaverius eum bono animo esse jubet; valetudinem jam esse integram: & his dictis evanuit. Extemplo Marcellus in lecto erigitur; se sanum dicit: visa, factáque memorat, vestitur, è lecto exilit, cicatrix, pallor, imbecillitas abeunt, restituti capilli ad vulneris curationem erasi: ex numerosissimo Collegio accurrunt cuncti, tum Marcellus, tum cæteri humi strati Deo gratias habent: stupent devotione, lachrimísque perfusi: omnes Marcellus amplectitur, cibúmque pòst sumit, quo tamdiu ferme caruerat. Mox, à superiore jussus, omnia manu sua minutatim scribit, subscribítque, & sequenti die, quando funus expectabatur, coram magna frequentia (nam multi ad famam concurrerant) sacrum facit, cæteráque prosequitur integræ valetudinis officia. Vix in tam patenti miraculo opus informatione fuerat; tamen ea jussu Eminentissimi Archiepiscopi exactissimè facta, ac Medici, Chirurgi, testes, Patres, omnes jurati miraculum testantur, repugnat nemo, & quasi in meridiana luce cujuscumque indolis, vel affectionis homines conveniunt. Ad Indiam quantociùs profectus, post innumera alia brevì peracta facinora tandem anno 1638. octob

Octob. 18. in Japonia Nangasaquij pro fide torquetur, cruciatur, occiditur.

CCLIX. Eram quidem eo temporis ego in Hispania; ut verò fatear ingenuè, satis licèt hoc in genere incredulus, dubitare tamen de hoc miraculo nunquam potui, ijs momentis convictus planè, quæ prodere juvat. Videbam primùm nostros homines de eo ubique persuasissimos: at certè in hoc genere increduli magìs plerumque existimus, quàm faciles; quod quidem pro me satis mihi evidens facit rerum nostrarum diuturna experientia; alij advertere facilè possunt, vix apud nos, in nostrísque templis ullas miraculis celebres imagines extare; quod ego nec approbaverim hic, nec improbaverim: scio utrùmque extremum vitiosum, nimiæ, vel tardioris credulitatis; hanc ergò rem suo in loco relinquo alijs judicandam. Mihi tot hominum, non nimis utique facilium constans persuasio argumentum veritatis invictum est. Jam demum integro ferme triennio Neapoli dego, cum his hominibus tracto, quorum multi eo in Collegio tunc temporis erant; alius in cubiculo ipso aderat, vir quidem, ne de superstite nimjum dicam, probitatis haud vulgaris: audio, circumspicio, attendo, reflecto, &c, ut vera solent, omnia invenio uniformia, vicissim cohærentia, concordiáque. Nihil est, quòd Xaverius, Marcellúsque nostri sint; nam de eodem Xaverio permulta hoc ipso in Regno vulgata sunt, quæ creduntur ab alijs quidem, at ab alijs negantur passim, vel etiam spernuntur.

CCLX. Sed nostros nunc testes omittamus. Italiam, Hispaniámque totam compello. Inualuit quaquaversum veritatis vis ingens: Marcellus jam ad Indiam profectus singulari lætitia, cultúque non solito ubique excipitur: ut infinita hoc circa supprimam, illud reliquorum argumentum præclarum, quòd Rex noster inter tot illa alia pietatis officia, eâ illum formâ allocutus sit tam inusitatâ V. R. *me encomende à Dios*, ac rogatus de causa, sibi visum, respondit, non cum hominum aliquo, sed cum sancto agere. Nimirum tantus Rex à Ministris suis ex Italia exactè omnium certior factus erat: facilis porrò à Rege ad cæteros proceres, & Populos, Regnáque conjectura: quanta omnium frequentia? quanta ubique devotio? quæ lachrymæ? fælix ille habebatur, cui ex paupere supellectili aliquid contingeret: ac uno demùm verbo, sic fermè cum Marcello actum ubique, atque cum cælitum aliquo, qui nos revisurus venisset.

CCLXI. At his majus veritatis argumentum Marcellus ipse, adeò mutatus in alium, ut non tam sanatus à Xaverio, quàm versus in Xaverium videretur. Ex ea hora mutata cuncta: nihil visum in eo, nihil auditum deinceps, quod viri Apostolici non esset: flagrabat amore Dei, amore Xaverii, pro Japoniæ conversione ardebat; hic totus sermo, hæ curæ. Examinentur tot Regna, an in eo levius aliquid viderint, audierint? Ad

Orientalem Indiam soluit; demùm Macaum appellit, inde ad Philippinas tempestate jactatur: ibi dum moratur, ad Mindanai expugnationem ducitur: quippe pius Dux Corquera plus roboris in uno Marcello, quàm in exercitu universo se ducere ratus est; nec spes fefellit, nam toties frustrà tentata expugnatio, expedita feliciter. Inde ad Japoniam soluit: citò capitur: inauditis illis fossæ, & aquæ tormentis exponitur: prodit ex tormentis vegetior: beatum caput amputandum carnifici traditur: riget ille, frustrà tentat, atque à Marcello tandem ipso jussus crudeli officio fungitur, ac Marcellus, ut promiserat, felix Christo victima cadit. Infinita mari, terráque ab eo edita mirabilia historiæ produnt. Nihil pluribus opus, hæc Marcelli vita, hæc factorum series, hic curationis, mortísque consensus, totidem haud integro quatriennio peracta facinora, populorum hac illac sensus, regnorum ubique consensus, omnium concordia, tenórque, si quid hoc in genere firmum est, miraculi veritatem evidentissimam planè conficit. Hinc ut mirer denuo orthodoxos illos, tantoperè morali evidentiæ suprà à nobis assertæ repugnantes. Miraculi porrò instrumentum Sanctissimi ligni Crucis frustulum ex Philippinis reportatum nact⁹ Excell. Comes de Penneranda, noster nunc Prorex: quantâ verò in reverentia habitum, quanto cultum affectu!

CCLXII. Totam ad extremum quæstionem comprobemus ex sacræ Congregationis rituum more exactissimo; licèt enim nihil hoc ex loco profecturi simus apud sectarios, qui omnia Romæ gesta hoc solo improbant, ut vix, quæ eorum impudentia est, homines compotes mentis ibi degere concedant, tamen hæc temeritas est ipsorum extrema, ac deinde apud Orthodoxos saltem audiemur.

CCLXIII. Quidquid itaque miraculorum in universa Ecclesia approbatur, in hoc primùm integerrimo Tribunali discutitur: eò Theologi optimi evocantur: ibi Promotor fiscalis adest, qui magno studio, exquisita cognitione hinc inde exceptiones, tam in jure, quàm in facto quærat, opponat: hoc casu, hoc crisi, hoc dæmonis ope fieri potuisse disputat, historiæ rerum similium citantur, errores in eo genere committi soliti producuntur, collatio instituitur, Medicorum, Philosophorum sensa producuntur, testes eliduntur, circumstantiæ quæque expenduntur: nihil uno verbo omittitur, quod ab hominibus geri hoc in negotio valeat. Atque hoc, opinor, concederent, si ad miraculum aliquod probandum Romam venirent ipsi etiam procacissimi sectariorum: sic primùm discussa causa denuò coram ipso Romano Pontifice instituitur: & si omnia manifestissima non erunt, nihil factum. Qui Romæ adfuimus, satis sumus hujus veritatis conscij; novimus, quàm sit difficilis provinciæ, vel unius miraculi approbationem post diuturnam discussionem elicere

CCLXIV. Aliud est itaque, quòd simplices, & indocti de multis mirabilibus per nimiam qnamdam facilitatem, vel rerum ignorantiam sint persuasi, quæ interea ab alijs in nullo pretio habeantur; nec his nos, vel Ecclesia pro veritatis suæ confirmatione utitur, curántque de corrigendo errore Episcopi. Aliud sunt authentica, publica, examinata, approbata miracula. Hæc omnia nullus non extremè temerarius negaverit. Erraverit certè semel, vel iterum (de quo non disputo) Sacra Congregatio: at id calumniæ nulli opposueris humanissimo etiam Tribunali Legitimo, quòd numquam rectum judicaverit: at vel unum verum miraculum veritatem nostram concludit. Haud dicas, Romam in eo facilem: experti sunt innumeri, experiuntúrque quotidie, quanto labore, quanto examine, quámque diuturno constet negotium: ex magna miraculorum multitudine vix unum, ímò nullum probatur aliquando. Sectarij itaque considerent, nec satìs putent Genevæ oblatrare; possunt enim facilè rem hanc explorare, & Orthodoxi saltem, vel ex hoc uno loco fateamur veritatem nostram manifestissimam.

CCLXXV. Narrationem hujus miraculi scripsit ipse. VP. Marcellus, quæ prodijt Italicè & latinè Neapolian. 1634. Hispanicè Matriti eodem anno. Viennæ Austriæ anno 1639. Gallicè Lucemburgi anno 1635. Vitam hujus inclyti viri redegit in compendium P. Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Societatis.

§. VI.

Aliud celebre miraculum, quod S. Xaverius operatus est cum P. Alexandro Philippucci Societatis JESU anno 1656.

CCLVI. ALexander Philippuccius Maceratensis Societatis JESU, postquam Romæ diligentem operam dederat Philosophiæ, mense Decembri anni 1656. in gravem incidit infirmitatem, cujus principium fuit subtilis è capite stillatio ad pectus manans, sævissima tussi comitata, pectorísque ipsius doloribus acutissimis. Româ Maceratam missus est mense Junio, ubi paucis diebus habuit meliusculè, sed principio Julij recruduit malum, crevítque tussis usque adeò, ut multis continenter horis frequentia concussi pectoris imitaretur, imò superaret identidem pulsum arteriæ. Tussis hæc subinde degeneravit in exoticas vociferationes intrinsecas, impetu & celeritate tussi similes, sed duratione pertinaciores. Primis diebus cessabat hæc vociferatio eo brevi tempore, quo cibum capiebat, sed postea tam continua fuit, ut nullam daret quietem, nisi tempore somni, qui multis hebdomadis fuit admodum exiguus. Fatigavit illum hæc ructatio horrisona plusquam octo mensibus, quo tempore varias subijt mutationes: quodam temporis spatio mugitum tauri imitabatur: etiam longiori tempore referre videbatur sonitum illius cornu, quod assurgentis aquæ

impetu

Impetu inflat Centaurus, qui Tusculi visitur in villa Aldobrandina. Post hæc & prorupit in ululatus canis fuste verberati, aut voratâ spongiâ dirè cruciati. Hæc inter Juvenis miserabilis toto corpore tabescebat, cadaveri jam similior, quàm corpori spiranti. Industriam & artem consumpserant Medici, neque præter inanes conjecturas de causa mali tam insolentis & pertinacis erat, quid sperare ab illis liceret, ipsis fatentibus, & quodam ex illis certiùs conjectante, infirmitatem videri esse unam ex illis, quas Hippocrates appellat Divinas; ut nimirum Gloria Dei manifestaretur in illo, ad quod ipsum inter symptomata tam laboriosa, quæ duravêre ad Mensem usque Martium anni 1658. videtur illi Deus vitam conservâsse, cui placuit, non paucis mensibus ad gratiam sanitatis illum præparare, immissis in animum varij generis sanctis desiderijs, & affectibus piis minimè vulgaribus, sed inprimis quadam sui resignatione in voluntatem Divinam, extra hanc nihil desiderando; cui proposito accedebat desiderium magnũ, non recuperandi sanitatem industriâ aut arte humana, sed à sola Dei manu, quando huic placeret, ut sanus fieret; quem sensum animi superiori suo non semel aperuit. Denique mense Augusto Anni 1657. ipso festo Assumptionis ad honorem Beatissimæ Virginis, & Sancti Francisci Xaverij voto se obstrinxit, proficiscendi in Indias ad conversionem infidelium, quando Deo placeret, sanitatem ipsi restituere, idque etiam abrupto & valere jusso studiorum cursu, quando id bonâ superiorum veniâ ipsi liceret. Exinde sensit sibi modis insolitis accendi interiores affectus pietatis erga Sanctum Franciscum Xaverium, simúlque fiduciam, non aliâ viâ, quàm ejusdem patrocinio recuperandi sanitatem, quando Deo placeret eam sibi reddere. Audierat, Patrem Marcellum Mastrillum suasisse cuidam personæ cupienti quamdam à Deo obtinere gratiam, intercessione ejusdem Sancti Indiarum Apostoli, ut novem continenter diebus ante 12. Martij diem, quo canonizatus est, cultu ejusdem speciali varijs pietatis operibus demonstrando se exerceret; qui mox deinde latiùs manaverat, ac in primis Maceratæ vigebat. Exarsit igitur ad hanc pietatis suæ & fiduciæ demonstrationem, rogavítque superiorem, ut plures ad eamdem secum obeundam hortaretur. Illis igitur diebus novem effudit se in varia pietatis exercitia, cuique diei attributa ad honorem Sancti Francisci Xaverij: sic tamen ut diebus singulis pluries magno sensu recitaret, quam subdo orationem, à se conceptam hac forma.

CCLXVII. *Sanctissime Pater Francisce Xaveri, qui ex ore infantium & lactentium perficis laudes tuas; humillimè obsecro humanissimam charitatem tuam per Sanguinem JESV pretiosissimum, & per immaculatam Conceptionem Sanctissimæ Dominæ nostræ Mariæ, ut mihi ab infinita Dei bonitate (si me ex hoc morbo mori expedit) impetres, ut nunc per diversa sparsus colligar, & in uno æternitatis desi-*

desiderio componar, & relictis plurimis, erga quæ hucusque turbatus sum, hoc unum necessarium diligentissimè quæram, & perfectè assequar, nempe in ulnis Mariæ, in vulneribus JESU, & in osculo Domini, te præsente, & illorum auxilium pro me implorante, piè, religiosè, ac devotissima in pace in idipsum dormire, & requiescere. Sin me divina dispositio diutiùs vivere velit, Protector mi prodigiosissime, excita potentiam tuam, & veni, ut sanum me facias in manu forti, & in brachio excelso tuo, ut non medicinæ, vel naturæ viribus, sed tuis apud JESUM, & Mariam intercessionibus mihi redditam debeam sanitatem. Ecce Pater mi humanissime, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Amen.

CCLXVIII. Quid plura! die 12. Martij anniversario Canonizationis, & novendialis pietatis postremo, cùm se æger sentiret etiam pejus solito valere, ob intemperiem cæli, & acrius frigus, postquam Sacro Christi Corpore esset refectus, Deóque gratias egisset, etiam piè recitata oratione illa sua, quam descripsi, sensit novo quodam ac repentino erga S. Franciscum Xaverium affectu se commoveri, conversisque oculis ad imaginem ex oratorio pendentem, quâ Indiarum Apostolus perigrinantis habitu, qualis Patri Marcello Mastrillo apparuerat, expressus erat, prorupit in has ipsas voces, *O mi S. Francisce, si Dominus noster me vult sanum, & quando facies, ut sit finis hujus tussis?* Nec mora, ipso temporis momento cessavit exotica illa tussis. Stupuit æger ipse, & proripiens se è lecto in genua se conjecit ad sacram imaginem, accersitóque superiori renuntiavit gratiam sibi factam, rogavítque, ut allatis Reliquijs Sancti Francisci Xaverij, earum contactu plena fieret gratia, cùm sublata tussi remaneret voci languor & debilitas, pectori verò angustia & dolor. Stupens superior, neque dubitans de miraculo sacras Reliquias attulit, ægróque applicuit, atque è vestigio voci quidem pristinum robur redijt, pectori verò dolor omnis abstersus est, usque adeò, ut & prolixo tempore sine molestia genibus nixus Sancto Francisco Xaverio Thaumaturgo suo gratias egerit, & erectus inde in pedes, detractóque pectori panno, quo ad velamen usus erat, valida illud manu percutere potuerit sine ullo doloris sensu. Primum quidem accurrerunt ad spectaculum domestici, Patres fratrésque omnes, dato signo æris campani sonitu, & in complexum ruerunt amantissimi Patris, ut sibi à mortuis restituti, tum verò dissipatâ latiùs famâ eventus miraculosi, concursus ex civitate universa ad Collegium factus, multíque, ac inprimis Medici admissi ad conclave, in quo tam mira erant patrata, suis vix oculis credebant, neque lacrimis temperabant, Deum laudantes in opere suo per S. Franciscum Xaverium Indiarum Apostolum. Celebrata est solemniter Missa cum musica in gratiarum actionem cum Hymno Te Deum laudamus, assistentibus Illustrissimo Domino Marassani Gubernatore

natore de la Marca, & Excellentissimis Dominis Auditoribus Rotæ cum Illustrissimis Magistratibus Civitatis, inter quos numerabatur D. Baptista Philippuccius parens Patris Alexandri, qui indutus superpelliceo inservivit Sacro, & per integras quatuor & ampliùs horas adstitit coram omnibus concurrentibus ad novitatem miraculi, de quo exactissimam fecit informationem Illustrissimus Papirius Silvester Episcopus Maceratensis, quam Romam misit. Fuítque adeò celebre hoc miraculum, ut singulis annis celebretur festum in illa Civitate in ejus memoriam, cum Missa solemni, cum musica, & concione panegyrica de laudibus S. Francisci Xaverij.

Ipse autem P. Alexander Philippuccius, ut valetudinem, quam miraculosè à Deo acceperat, in salutem animarum impenderet, obtentâ licentiâ à P. Oliva Præposito tunc Generali, transivit ad Indias, ad Provinciam Japoniæ, & strenuè inpræsentiarum laborat in Provincia de Cantone, spectante ad Imperium Sinarum. In perpetuum autem gratitudinis monumentum proprium nomen relinquens, S. Francisci Xaverii nomen & cognomen assumpsit, & deinceps non alio nomine voluit designari, quàm *Francisci Xaverij Philippucci*, & sic subscribere solitus est, *Franciscus Xaverius Philippucci.*

§. VII.

Miraculum aliud, quod operatus est S. Xaverius cum Venerab: P. Ludovico Sanvitores, primo Marianarum Insularum Apostolo Anno 1659.

CCLXIX. Alia miracula operatus est S. Xaverius cum Venerabili P. Didaco Ludovico de Sanvitores nostræ Societatis, qui fidem Christi primus invexit in Insulas Marianas, & ibi in odium ejus à barbaris occisus est anno 1672. die 2. Aprilis, sabbatho ante Dominicam Passionis, quo eodem die viginti duobus retro annis cum Diaconatûs ordine susceperat potestatem prædicandi Evangelium, pro quo occisus est, ætatis suæ anno 48. Religionis 32. à sua in Indias navigatione anno 12. & quarto anno sui ingressus in Insulas Latronum, quibus *Insularum Marianarum* nomen imposuit, postquam tredecim ex illis Insulas lumine fidei illuminaverat, & in illis per se, & socios suos quinquaginta millia Insulanorum baptizaverat. Miracula ista narravit ipse Venerabilis vir in litteris, quas scripsit ad P. Gosvvinum *Nikel* Præpositum Generalem Societatis, Compluto 2. Julij anno 1659. vi quarum missionem Indicam impetravit, quas litteras adducit in ejus vita lib. 1. cap. XI. P. Franciscus Garcia, qui illam Hispano idiomate scripsit, & P Ambrosius Ortiz, qui anno 1686. eam in linguam Italicam vertit.

CCLXX. Postquam Deus per inter-

intercessionem S. Francisci Xaverij, & S. Francisci de Borgia hunc virum ab infirmitate prolixa, & molesta liberaverat, postquam ille votum Missionis Indicæ emiserat, & summo ardore illam desiderabat, quia superiores Provinciæ Toletanæ ægrè ferebant, Provinciam spoliari viro tantis talentis, & virtutibus prædito, & Pater ejus Ilustrissimus Dominus D. Hieronymus de Sanvitores huic profectioni sui Dilectissimi filij in Indias vehementer resistebat, Clementissimus Dominus ad vincendas omnes has difficultates disposuit, ut parens illum juberet venire Matritum ad invisendum alium filium suum, Ludovici fratrem uterinum, ægrotantem; dum autem ibi commoraretur Ludovicus, incidit in febrem malignam, quæ ipsum ad extremum vitæ periculum deduxit, & cùm medici de ipsius vita desperarent, & jussissent, ut ægroto administraretur Viaticum, tunc ille parentem suum, de ipsius periculo summè solicitum & anxium, allocutus, dixit, *si vestra Dominatio vitam mihi desiderat, eam totaliter consecret obsequio Dei, & saluti animarum, quacumque mundi parte Deus ipse medijs superioribus Societatis voluerit me eam impendere*: annuit parens, & promisit, se non restiturum ejus profectioni ad Indos, si id superiores Societatis expedire judicarent: hac promissione summam consolationem habuit ægrotans, & firmam concepit spem, se brevì sanandum ab illa infirmitate; hac spe plenus sacrosanctum suscepit viaticum, & renovavit summo ardore votum, quod jam dudum ediderat, missionis Indicæ.

CCLXXI. In his rerum circumstantijs singulari numinis Providentiâ adducta est infirmo una Syngrapha S. Xaverij, & altera Venerabilis Martyris Marcelli Mastrilli, simul cum voto missionis Indicæ, quod manu propria scripserat, dictante sancto Xaverio, quod cum summa consolatione coram se lectum audivit, & in corde suo similia Deo ipse promittebat. Post quatuor, vel quinque horas à suscepto viatico, illi supervenit dulcissimus somnus, in quo sibi visus est videre S. Franciscum Xaverium, & Patrem Marcellum, qui illi assistebant, & audivit vocem claram dicentem! *Jam sanus es*: ad sonitum hujus vocis à somno excitatus est, & proprium pulsum tangens, quasi experturus, an vox illa veritatem nuntiâsset, se omnino liberum à febri invenit, & copiosissimi sudoris quasi balneo madefactum. Frater infirmarius, qui infirmo cum alio Patre assistebat, audivit vocem illam, *Jam sanus es*, infirmus autem ab eo petivit, ut porrigeret ipsi indusium siccum, & madefactum deponeret. Venerunt mane medici, & invenerunt infirmum sine ullo vestigio febris, & sine ullis præcedentis infirmitatis reliquijs repente sanatum. Hac occasione tamquam è cælo delapsa utens Pater Sanvitores, à superioribus impetravit Missionem Indicam, in qua ea sanctitatis Apostolicæ argumenta reliquit, ob quæ sperare possumus, eam

aliquando ab Ecclesia sancta declarandam. Certè, qui hujus præclarissimi viri historiam legerit, vocationem ejus miraculosam ad Societatem, & ad Indiam, & virtutes Apostolicas ejus consideraverit, dubitare non poterit, ipsum fuisse vivam S. Xaverij effigiem, & forsan feret judicium, quòd Societas infra Xaverium non habuerit missionarium majorem. Cum hoc Apostolico viro magnam ego felici sorte mea contraxi amicitiam, & frequentem habui per litteras communicationem, & illi post Deum debeo, quòd dimissâ Salmanticensi Cathedrâ me consecraverim missionibus in Hispania obeundis.

§. VIII.

Concluditur ex his miraculis veritas Religionis Catholicæ Romanæ.

CCLXXII. Miracula ista patrata à S. Xaverio non solùm probant, illum esse sanctum, & cum Christo in gloria regnare, ac proinde veram esse fidem Catholicam Romanam, quam semper tenuit, & prædicavit, & in qua obijt, sed etiam evincunt directè, Lutherum, & Calvinum fuisse magistros errorum, & perniciosissimos Hæresiarchas; nam apud Bellarminum tom. 2. lib. 1. de sanctorum Beatitudine cap. 15. docent, inutile, & illicitum esse, invocare sanctos, sive Angelos, sive homines, ac petere, ut pro nobis orent: inutile quidem, quia non habent tam longas aures (ita enim Calvinus loquitur) ut preces nostras audire possint: illicitum autem, quia hinc obscuratur gloria Christi, qui est unicus mediator, & intercessor noster. Hæc autem assertio Lutheri, & Calvini est manifestus error: *nam sanctos rectè invocari, habetur ex consensu totius Ecclesiæ*, ut inquit Bellar. lib. 1. de Sanctor. Beatit. cap. 20. Quomodo autem sancti cognoscant preces eorum, qui illos invocant, explicant Theologi cum D. Thoma 2.2. q. 83. ar. 4. & 3. part. q. 10. ar. 2. de quo agit latè Bellarm. lib. 1. de Sanctorum Beatitudine cap. 20. & nostri instituti non est, in hoc immorari.

§. IX.

Quomodo argumentum, petitum à miraculis Catholicorum, & defectu miraculorum in aliis sectis, hæreticè eludere tentent: ubi exponitur, quàm procul sit ab idololatria cultus imaginum.

CCLXXIII. Cum hæretici, suas sectas esse veras, miraculis nequeant probare, toti sunt in excusando defectum miraculorum in suis sectis, & in accusando, & calumniando miracula patrata à Catholicis Romanis. Imprimis Calvinus in præfatione suarum institutionum, respondet, nos injuriam ipsis facere, quòd ab eis miracula exigamus, cùm ipsi doctrinam antiquam, & innumeris miraculis ab Apostolis, & Martyribus confirmatam prædicent. Sed respondemus, esse evidenter falsum quòd,

quòd illorum Religio sit illa, quam Apostoli prædicârunt. Ostendimus enim, eam, quam Apostoli prædicârunt, semper in mundo, in visibili hominum cætu, & Ecclesia, perseverâsse, nec hanc esse posse aliam, quàm Catholicam Romanam; nam Religio Calvini, & Lutheri novæ sunt, & cum ipsis inceperunt.

CCLXXIV. Deinde dicit, miracula nostrorum sanctorum, vel esse ficta, vel imaginaria, id est vel non ita contigisse, & falsò narrari ab historicis, vel si contigerunt, esse præstigias dæmonum. Fuisse autem dæmonum præstigias, ex eo confirmat, quòd vera miracula confirmant Evangelium Marci ultimo, ista autem evertunt Evangelium, & confirmant idololatriam, id est reliquiarum, & imaginum cultum &c. Respondeo, impudentissimè negari à Calvino, & alijs hæreticis miracula illa, quæ à sanctis Ecclesiæ Romanæ patrata sunt. *Stultum est enim* (inquit *Bellar.*) credere potiùs Calvino, & Illyrico de historijs antiquis, quibus non interfuerunt, quàm Bernardo, Bonaventuræ, Antonino, qui interfuerunt. Præterea, ut sanctus Augustinus respondit Paganis negantibus historias miraculorum nostrorum lib. 10. De Civit. Dei, cap. 10. Si licet absque ulla ratione negare facta olim miracula, peribit fides omnium librorum; & tolletur non solùm nostra, sed etiam omnis alia Religio; omnes enim, qui Dij habentur, operibus mirabilibus, à doctis viris conscriptis, divinitatem suam, sive veram, sive falsam, mundo persuaserunt.

CCLXXV. Dicere autem, quòd fuerunt miracula illa præstigiæ Dæmonum, non est solutio, sed calumnia vetus, sic enim scribæ, & *Pharisæi* loquebantur de miraculis Christi Matt. 12. & Pagani de miraculis Martyrum, quos magos, & necromanticos vocare solebant: & Arriani, Eunomiani, Vigilantiani de miraculis Catholicorum, ut testantur Ambrosius in Serm. de SS. Gervasio, & Prothasio, Hieronymus contra Vigilantium, & Victor. lib. de persequutione Wandalica. Deinde nullam habet probabilitatem, quòd SS. Martinus, Franciscus, & alij quidam, qui simplicissimi erant, magica arte uterentur.

CCLXXVI. Dum autem Calvinus respondet, miracula illa non posse esse vera, quia per illa confirmaretur idololatria, supponit id, quod ipsi probandum erat, nempe idololatriam esse, colere imagines Christi, & Sanctorum. Ut enim explicant Doctores Catholici, manifestum est, Catholicos non adorare statuas sanctorum tanquam Deos, aut cultu soli Deo debito, sicut ab Ethnicis coluntur idola, *nec eo modo*, ut cultus sistat in imaginibus, quasi illis aliquid excellentiæ insit, sed ita ut transeat ad prototypum, seu ad ipsos sanctos cum Christo regnantes; nam illa externa adorationis nota, quæ fit coram imagine, est veneratio prototypi, sicut erigere statuam Regi, vel

vel illi statuæ caput aperire, non est honor statuæ, nisi materialiter, sed est honor ipsius Regis.

CCLXXVII. Quòd autem honor iste, qui sanctis defertur, non sit cultus Latriæ, qui Deo proprius, perspicuum est; quia non colimus aliquem sanctum, ut supremum Dominum, & Auctorem rerum, sed solùm ut amicum ejus, qui supremus est Dominus. Tanti enim facimus Deum, ut etiam eos, quos ipse sublimes fecit, dignos aliquo honore putemus. Quod sanè non in injuriam, sed in honorem Dei cedit: sicut in honorem Regis cedit, quòd aulici ejus honorentur propter respectum, quem habent ad Regem, nimirum quia sunt ejus domestici, ejus Ministri, ejus amici &c. Hæc dixerim, quia hic multi simplices impingunt.

CCLXXVIII. Hanc doctrinam tradit Tridentinum Sess. 25. dicens, *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse aliqua in ijs divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines, quas osculamur & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ Synodi decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum.* Statímque explicat fructum magnum, quem fideles capiunt ex eo, quòd per picturas, & statuas repræsententur mysteria nostræ redemptionis, & vitæ sanctorum. *Illud vero diligenter* (inquit) *doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis, vel alijs similitudinibus expressas, erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assiduè recolendis, tum verò ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solùm quia admonetur populus beneficiorum, & munerum quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro ijs Deo gratias agant, ad sanctorúmque imitationem vitam, moresque suos componant, excitentúrque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam.*

CCLXXIX. Hinc patet, quo spiritu ducti sint Calvinus, ejúsque discipuli, dum sacras imagines execrantur: nam Theodorus Beza præcipuus Calvini discipulus, & individuus comes, in Colloquio Mospoliensi ausus est in hanc horribilem blasphemiam prorumpere: *fateor me ex animo Crucifixi imaginem detestari*; Et David Paræus in caput. 1. Epistolæ ad Romanos dub. 18. disertè scribere non timuit, *omnes esse idololatras*, qui ruentur imaginem *Crucifixi, non minùs quàm qui*

colunt imagines serpentium, & aliarum bestiarum. Quàm longè isti fuerunt à spiritu Pauli, qui dicebat 1. Corinth. 2. v. 2, *non judicavi, me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*; qui dicebat, *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*: &, *vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Quid evidentius, quàm homines inspicientes imaginem Crucifixi, & seriò cogitantes, quid pro nobis passus sit, inde concipere divini amoris flammam, & desiderium patiendi pro Christo, & cum Apostolo clamare, *Charitas Christi urget nos, & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Et propterea ajebat Petrus, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* 1. Pet. 2. v. 21. Quid potentius ad excitandam ardentem amoris flammam, quàm intueri Crucifixum & cum Apostolo dicere: *Qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.* Et propterea sponsa Christum crucifixum contemplata dicebat: *Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Quia Bernardus, quia Franciscus, quia alij sancti, hæc dies, noctésque meditabantur, ideo ad tantam sanctitatem pervenerunt. Pugnant ergo manifestè non solùm cum scriptura, & cum spiritu Ecclesiæ, sed cum manifesta ratione hæretici, exterminantes usum Imaginum, & propterea eorum templa potiùs sunt Meschitæ Mahumetanorum, & synagoga perfidorum Hebræorum, quàm templa Christianorum: sed hæc fusiùs prosequi nostri instituti non est. Satis sit dicere ad eorum confusionem, imaginem Christi non posse esse deterioris conditionis, quàm olim fuerunt in veteri testamento imagines Angelorum, & ænei serpentis: at hæ jussu Dei factæ sunt, & in *honore habita*, ut constat ex cap. 25. Exod. vers. 18. ubi Deus dixit Moysi: *Facies duos Cherubim aureos, & productiles ex utraque parte Oraculi: Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero.* Et ex cap. 21. num. 8. ubi dixit: *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, vivet.* Ergo à fortiori licet facere imagines Christi, & illas honorare. Satis sit ad æternum opprobrium hæreticorum, Bellarminum tom. 1. lib. 2. de reliquijs & imaginibus sanctorum cap. 6. clarè probare, *Authores Iconomachiæ fuisse omnes, aut Judæos, aut Mahumetanos, aut Magos, aut manifestè hæreticos, ita ut negare non possint, qui hoc tempore oppugnant imagines, avos, & majores suos fuisse impios.*

CCLXXX. Qui voluerit accendi zelo, defendendi cultum, & venerationem sacrarum Imaginum, legat præfationem Cardinalis Bellarmini ad 4. controversiam generalem, id est ad libros de Ecclesia triumphante, sive de gloria, & cultu sanctorum, ubi inter alia hæc habet: *multa sunt*, quibus à nobis hujus temporis hæretici dissident, multa illi in nostra Ecclesia, Templis, Monasterijs, Gymnasijs, dogmatibus,

gmatibus, ritibus, hominibus denique omnium ordinum reprehendunt, multa desiderant, multa carpunt, multa emendanda, & corrigenda esse clamitant: sed nihil est, quod exhorreant, execrentur magis, quàm invocationem sanctorum, reliquiarum cultum, imaginum venerationem. His enim tribus manifestam impietatem, & idololatriam contineri volunt. Hoc uno veluti pallio discessionem suam à nobis, hoc est, impiam ab Ecclesia Catholica separationem, & defectionem, honestissimè tegere se arbitrantur. Hoc solo nomine latrocinia sua, & sacrilegia in Ecclesias, templorum direptiones, imaginum confractiones, sacerdotum cædes, sacrorum omnium profanationem defendunt, quòd se bellum gerere contra idola pro pietate dicant. Hac ipsa de causa censuram æquissimam Ecclesiæ, & pastorales baculos Episcoporum, quibus interdum ipsorum furor reprimitur, vel retardatur, impiam persequutionem, quasi adversùs Deum pro idolis excitatam nominant: his denique vinculis, & compedibus provincias, & nationes à se deceptas, arctissimè irretitas, & constrictas tenent.

CCLXXXI. Sic enim populis illis persuasum est, nos pro Deo vivente mortuos homines, pro summo & sempiterno spiritu ossa & cineres, ligna & lapides colere: & tam altè mentes eorum perniciosa hæc persuasio penetravit, ut propterea injustâ quidem, sed tamen gravì diuturnâque apud eos laboremus infamiâ. Et licèt multa interdum de nostrorum, hoc est, Catholicorum hominum gravitate, sapientia, Justitia, benignitate, de studio precandi, de moderatione in rebus omnibus audiant, non queant tamen non continuò ab ejusmodi sermonibus aures removere, séque totos avertere, cùm ad memoriam revocant, de quibus tam eximiæ laudes prædicantur, eos nihilominùs idololatras esse, defunctorum manes, & cadavera, picturásque, & statuas adorare.

CCLXXXII. Hucusque ibi Bellarminus, qui ne aliquis ei opponeret, ipsum augendi gratia aliquid finxisse, testimonia adducit ex ipsorum hæreticorum libris: *referam*, inquit, *pauca de libris eorum. ut ipsos eosdem suæ impietatis præcones, ac testes habeamus.* Quibus relatis, concludit: *sed & nos*, si cives sanctorum sumus, si ullum habemus fidei zelum, excitemur, atque accendamur oportet, & religiosa, piáque indignatione vehementer commoti tam nefarijs hominibus acerrimè resistamus: imitentur Lutherani majores suos, Porphyrium, Julianum, Vigilantium, Wiclefum, & quotquot unquam cum cælestibus Divis impia bella gesserunt, &, ut fabulæ Poëtarum de gigantibus ferunt, de suis sedibus cælites deturbare, ac detrahere voluerunt. Nos verò majorum nostrorum, Athanasij, Ambrosij, Hieronymi, Paulini, Augustini, Gregorij vestigijs inhæreamus: qui quidem Apostolorum, & Martyrum gloriam religiosè æmulari, & res gestas contra detractores

pro viribus differendo tueri, & memoriam denique sermonibus alere, Basilicis honorare, carminibus celebrare, litteris propagare, & consecrare æternitati semper studuerunt. Ita enim fiet, ut & illi, quorum imitantur scelera, earundem cùm illis pœnarum societate jungantur: & nos, quos in hoc studio ad virtutem habuimus Duces, eosdem ad præmia, & coronas socios habeamus.

CAPUT UNDECIMUM.

Octavum caput idem probandi, quia incredibile, & monstruosum est, quòd Christus ad reformandam suam Ecclesiam elegerit Lutherum Monachum Apostatam, qui abjecta professione religiosa, Monialem Professam sibi matrimonio copulavit, & cum ea usque ad mortem vixit, & Joannem Calvinum Presbyterum ambitiosum, superbiâ, & maledicentiâ plenum, qui sacrilegas etiam nuptias contraxit, & de libidine præpostera accusatus, imò & sententiâ Judicis damnatus est.

§. I.

Qualis fuerit Lutherus.

CCLXXXIII. Qualis fuerit Lutherus, egregiè describit Cardinalis Bellar. tom. 1. lib. 3. de Roman. Pontifice cap, 23. & in oratione in scholis habita, quæ tanquam præfatio præfigitur tomo quarto, ubi pulchrè probat, Lutherum ejúsque doctrinam depictam fuisse à Joanne Apoc. c. 9. quando vidit, *stellam cecidisse de cælo, & datam ei esse clavem putei abyssi, & aperuisse puteum abyssi. Quid enim aliud est stellam de cælo cadere, nisi hominem cælesti vitæ addictum à terra longissimo intervallo remotum, sacri cælibatus, ac Monasticæ professionis splendore, & puritate micantem, subitò ad terrenas delicias, atque ad negocia hujus mundi delabi, mortali conjugio implicari, in carne & sanguine volutari? Lutherum autem quis tandem ignorat, cùm aliquando monasticam vitam, perfectam, pauperem, continentem, cælestem planè, ac divinam in clarissimo quodam Ordine profiteretur, repentino, atque horribili casu ex Sacerdote laicum, ex paupere divitem, ex continente maritum, ex Monacho politicum factum? Monasterium in palatium, pannosam vestem in sericam, victum sobrium, ac tenuem in opiparas cœnas, & prandia commutâsse? Denique qui propter Christum uxorem, liberos, agros, nummósque contempserat, iterum*

vum propter uxorem & liberos, propter agros & nummos Christum reliquisse? Quia verò Lutherus praecipuum studium suum in Apostolica Sede oppugnanda positurus erat, sêque Christi Vicario Antagonistam singularem professurus, pulchrè Joannes dicit, stella de Caelo cadenti clavem abyssi datam. Ita nimirum oportebat, ut sicut Christus Apostolo Petro, ejúsque successoribus claves regni Caelorum attribuit, ita etiam Satanas cum Apostolo suo primario clavem abyssi communicaret: Et sicut Petrus caelesti clave divina oracula reserabat, ac populis sibi creditis doctrinam salutarem de caelo adferebat: sic Lutherus abyssi clave infernalem puteum aperiret, ac tetros inde errores, antiquarum haeresum colluviem, dogmata perniciosa, tartareáque educeret.

CCLXXXIV. Praetermitto reliqua, quae sequuntur, in quibus describuntur horrendi effectus, qui ad casum Lutheri consecuti sunt. Qualis fuerit superbia Lutheri, constat ex ejus libro ad Ducem Georgium, in quo sic scribit apud Bellarminum lib. 3. de Roman. Pontific. cap. 23. *A tempore Apostolorum nullus Doctor, aut Scriptor, nullus Theologus, aut Juris Consultus, insigniter, & clarè conscientias saecularium statuum confirmavit, instruxit, ac consolatus est sicut ego feci; per singularem Dei gratiam hoc certò scio, quoniam nec Augustinus, neque Ambrosius, qui tamen in hac re optimi sunt, mihi in hoc aequales sunt.* Item in libro contra Regem Angliae ait: *Certus sum, quòd doctrinam meam de caelo habeam.* Item *certissimus sum, quòd doctrina mea non sit mea, sed Christi, & quòd doctrina mea non possit sibi esse contraria, cùm sit doctrina Christi.* Et in libro contra statum Ecclesiasticum dicit, *se ita esse certum, ut doctrinam suam à nemine, ne ab Angelis quidem judicari velit. Et neminem salvum esse posse, qui doctrinam ipsius non reciperet.* Qualis verò fuerit Lutheri modestia, constat ex ejus Epistola ad Amicum de voce SOLA: cùm enim in sui erroris de fide justificante confirmationem adduxisset illud Apostoli, Rom. 3. *Arbitramur hominem justificari per fidem*, addit, *solam. Cúmque rogaretur, cur id fecisset*, *respondit in haec verba: Si tuus Papista morosum, & difficilem se praebere volet de voce (sola) statim dic; Papista & asinus eadem res est: sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papistarum esse discipuli, sed praeceptores. Semel enim superbiendo gloriabimur adversùs hujusmodi asinos. Et infrà:* Rogo te, ne quid aliud hujusmodi stellis respondeas de voce (sola) sed tantùm dicas: Lutherus sic vult, Ille Doctor est omnium Doctorum im Papatu, &c. En modestiam hujus Prophetae in fraude illa excusanda.

CCLXXXV. Et notum est, initium ejus apostasiae fuisse superbiam. Promulgaverat Leo Pontifex (inquit Spondanus ad ann. 1517. nu. 4.) largissimas indulgentias bello Turcis inferendo, & templo Vaticano S. Petri construendo, ut quicumque aliquid in eos usus erogaret, veniam peccato-

peccatorum amplissimam consequeretur. Eique negotio in Germania præfecerat Albertum Archiepiscopum Moguntinum, qui ad prædicandas illas indulgentias Joannem Tetzelium delegit, Fratrem ordinis Dominicani, qui nuper simili occasione prædicationibus suis magnam pecuniam acquisierat militibus Teutonicis adversùs Moscovitas, & alios hostes. Ægrè admodum Lutherus tulit, hoc munus non sibi commendari, vel alteri sui Ordinis, si quidem à longo tempore Ordo ejus id muneris obire consueverat. Cæpit primùm contra abusum in evulgandis indulgentijs, & pecunijs colligendis ad populum declamare, postea autem Theses impressit, in quibus non solùm prædicatorum & collectorum abusus carpebat, *verùm etiam* communem ac receptum ab Ecclesia Indulgentiarum usum impugnabat, ac Romanorum Pontificum in ijs concedendis authoritatem in dubium revocabat, nec non quæ ad Sacramentum Pænitentiæ, & Purgatorium spectant, vellicabat, fidémque specialem adstruebat. Hæc fuit mali origo.

CCLXXXVI. Lutheri quoque audacia & temeritas, conjuncta cum superbia, constat ex ipsius verbis ar. 25. quibus audacissimè omnes ad pugnam argumentorum provocabat, dicens: *Adeste hùc* omnes Papistæ *in unum: conflate studia vestra in unum, si fortè possitis hoc vinculum dissolvere*, cùm tamen postea pro argumentis sola mendacia plerumque proferret. Sed magìs constat ex contemptu Conciliorum, Nam in libro de formula missandi sic habet: *si quod Concilium statueret, aut permitteret utramque speciem, nos nequaquam utrâque uti vellemus, sed in despectum Concilij, eiúsque statuti, aut unâ, aut neutrâ uti vellemus, maledicturi universos, qui ex statuto Concilii utrâque uterentur.*

CCLXXXVII. Fuit homo totus ventri, & carnis voluptatibus deditus; *& idcircò jeiunium vocabat traditionem humanam, quâ Deus frustra colatur; abstinentiam carnium superstitionem; vota monastica dicebat esse impia, irrita, & omnino non servanda; castitatem esse impossibilem, omnibus esse uxores ducendas, aiebátque, id esse tam necessarium, quàm edere, bibere, & dormire*, ut constat ex libro, quem scripsit de vita conjugali. Et in sermone de matrimonio dixit, *licitum esse uti ancillâ, si uxor debitum recusaret.* Fuitque ita luxuriæ servus, ut in colloquijs mensalibus fol. 415. de se ipso testetur, quòd sub initium sui Evangelij (antequam professam monialem sibi copulâsset) propter libidinis vehementiam, *& amorem mulierum ad insaniam penè redactus fuerit.* Et in capite 31. Proverbiorum hoc glossema apponit: *nihil amabilius, vel suavius est in terra, quàm amor mulierum, sicui is potest contingere.* Et in libro de vita conjugali colloq. mens. fol. 400. & 526. testatur, *se non magìs à muliere potuisse abstinere, quàm à cibo, & potu*, & opus conjugale esse opus *divinum, caleste, spirituale.* Quis unquam leno, vel adulter adeò fuit impurus, ut ita loqueretur? Et quis non stupeat

eorum hominum cæcitatem, qui hunc spurcissimum hominem, tanquam novum Apostolum susceperint, & ut novum Evangelistam suspexerint.

CCLXXXVIII. Idem Lutherus anno 1534. librum edidit de Missa privata, & unctione sacerdotum, in quo non erubuit confiteri, se à diabolo edoctum, & persuasum, Missam esse summam abominationem, idque non per somnum, & *quietem*, sed palam dum vigilaret, ut refert Bellar. tom. 3. lib. 1. de Missa cap. 6. Unde, ut ait Nicolaus Romæus in Joannis nova effigie pag. 543. dubitandum non est, diabolum Lutheri fuisse Magistrum. Nam de Missa cum illo disputavit anno Domini 1518. aut 1519. & antea non erat illi incognitus, postea familiarissimus. Id latiùs narrat Spondanus ad ann. 1521. num. 3. ubi postquam narravit, Federicum Electorem Saxonicum præcipuum Lutheri fautorem, ut eum subduceret à periculo, quod ipsi imminebat à Carolo V. Imperatore volente illum capere, ipsum duxisse ad quoddam Castrum Wartbergum prope oppidum Astaldium, ubi ferè decem menses secretò, sed lautè habitus est: quem ipse locum, Pathmum, & eremum suam nominavit: postquam hæc, inquam, narravit, addit, Lutherum nequioribus in dies furijs agitatum, inter multa, quæ ibi scripsit pessima, librum fuisse *de abroganda Missa privata*, quem librum composuit ex colloquio cum diabolo, qui illi subministravit argumenta contra Missam. Idque probat ex alio libro, quem typis mandavit anni 1533. cujus titulus est *Protocollum Colloquij cum dæmone*, qui historiam rei gestæ descriptam tenet. *Magnâ certè* (inquit Spondanus) *Dei providentiâ factum est, ut memorabilem colloquij hujus Historiam Lutherus ipsissimus conscripserit, & in publicum emiserit, libello de Missa angulari, & Sacerdotum consecratione: cui prolixè satis ipsius diaboli verba, tum rationes omnes, & argumenta, quibus ad persuadendam Missæ abrogationem usus est, ordine digestas inseruit. Horrendum facinus: quo tam se, quàm suos asseclas, diaboli discipulos profitetur: & quidem cum gloriatione, sicuti & frequens suum cum eodem diabolo commercium, multúmque sal cum eo comesum, sæpius commemorare gaudet. Unde quis mirari possit, si tot ac tantæ in ejus scriptis petulantiæ, convicia, maledicta, virulentiæ, calumniæ, spurcitiæ, blasphemiæ, in Deum, Sanctos, scripturam, Doctores, Ecclesiam, Sacramenta, Pontifices, Reges, totúmque Ordinem Ecclesiasticum & politicum, in scientiam Theologiæ, & Philosophiæ, denique in omne, quicquid boni fuit in cælo, terrâ, locísque inferis, reperiantur? Quid enim aliud diabolo plenus, quàm diabolica effutisse potuit? Nam quòd & nonnulla bona aliquando scripsit, annon & diabolo hoc in usu est, ut incautos fallat?*

CCLXXXIX. Memorant autem (inquit idem Spondanus ad ann. 1533. num. 13.) qui familiariter cum Luthero

Luthero vixerunt, eum hoc ipso anno per æstatem frequenter nocturnis terriculamentis infestatum fuisse, & horrendis somniis perturbatum, de fine mundi, & extremo judicio.

Hujus monstri mors vitæ respondit. Mortuus est autem, ut narrat idem Spondanus ann: 1546. num. 11. Islebij *Patriâ suâ, cùm à Mansfeldensibus Comitibus in quorum ditione oppidum erat, vocatus componendi causâ cujusdam dissidij, ad finem Januarij eò accessisset. eóque die hilariter de more, atque opiparè prandium, & noctè cœnam sumpsisset, doloribus pressus inter secundam, & tertiam horam post mediam noctem fœdum spiritum exhalavit, anno ætatis suæ sexagesimo tertio. In ejus funere omnia relata sunt ad vanam gloriam, & sæcularem pompam: funus splendidissimum fuit* (*subdit Spondanus*) *delato corpore intra stanneum loculum triumphali curru Wittembergam, comitante Catharina uxore, seu veriùs pellice, carpento vectâ, unâ cum tribus ex ea susceptis spurijs, Joanne, Martino, & Paulo, & longâ continuâque equestris pedestrísque suæ superstitionis turba deductione, & comploratione.*

CCXC. Scribit autem Jonas, Lutheri usque ad mortem amicus, in Epistola, quam de ejus obitu scripsit ad Electorem Saxoniæ, Lutherum eadem nocte, quâ extinctus est, dixisse ipsi Jonæ aliísque circumstantibus, *Doctor Jona, & tu Michaël* (erat is Prædicator in Mansfeldt) *orate pro Domino Deo nostro, & ejus Evangelio, ut ei bene succedat, quia Concilium Tridenti, & abominabilis Papa graviter ei adversantur.* Ita refert Spondanus ad anni 1546. num. 13. & Nicolaus Romæus in Calvini nova effigie pag. 754. citans Epistolam, quæ ponitur in calce Joannis Cochlæi de Actis, & scriptis Lutheri: qui tamen Author aliquantulum immutata refert illa verba, dicens fuisse hæc: *Doctor Jona, & tu Michaël orate pro Deo nostro, ut ei cum Ecclesiæ sacræ causa bene succedat.* Hanc blasphemiam, vel potiùs delirium (blasphemia enim, & delirium est dicere, quòd pro Deo orare possimus, quasi esset indigus, & habens superiorem, qui ei auxilium præstare posset) refert ille Jonas tanquam divinum quoddam scitum, dignus planè talis magistri discipulus.

CCXCI. Ex dictis constat, Lutherum non Dei Apostolum, & reformatorem Ecclesiæ, sed à vera Ecclesia Apostatam, & Ecclesiæ deformatorem fuisse, & hominem vitiosissimum, & jure ipso infamem, ob nuptias sacrilegas contractas cum moniali Professâ. Si enim jure Cæsareo infamis est, qui in adulterio deprehensus est; L. Palam. §. *Qui in adulterio. Tit. de ritu nuptiarum*: quanto magìs, qui nuptias bis, imò ter sacrilegas (nimirum quia contractas à Sacerdote, Monacho professo, cum Monacha professa) contrahit, & sacrilego concubitu assiduè utitur. Fœdius enim est, esse adulterum Christi, quàm uxoris, vel mariti.

§. II.

Qualis fuerit Calvinus.

CCXCII. Ejus ortnm, & primordia describit Spondanus ad ann. *1534.* à num. *9.* & num. 14. cum Luthero conferens, inquit: *Fuit autem ipse Luthero longè acumine præstantior, & ut doctrinâ in plerisque, ita & moribus dissimilis ei, quippe naturâ Melancholicus, & taciturnus, cibi, & potûs abstinens, ob ventriculi debilitatem, & hemicraniam, quibus laborabat; ideóque tenui, & macilento corpore, summam in gestibus affectans gravitatem: dissimulandi artifex eximius, non minùs consilio, quàm audaciâ promptus. Lutherus autem crasso corpore, genio indulgens per summam hilaritatem tempus transigebat; nec linguæ moderabatur, nihil ferè celabat, sed quæcunque animus suggerebat, evomebat: fuit Lutherus orator cùm disertus patriâ linguâ, tum vehemens: Calvinus nullâ actionis elegantiâ instructus tædium sæpe afferebat, latinè verò scribendi laude excelluit. Lutherus denique religionem crassiorem, & pinquiorem, Calvinus subtiliorem commentus est.*

CCXCIII. Qualis autem fuerit in moribus, describit Nicolaus Romæus in Calvini nova effigie, in tractatu, qui intitulatur, *Calvinus in equuleo*, seu *Calvini Confessio, ar.6.pag. 725. Calvinus* (inquit) *adolescens, post jacta Grammaticæ fundamenta, animum ad jurisprudentiam adjecit: Aureliam, ubi tum Petrus Stella, & Bituriges, ubi Andreas Alciatus magno studiosorum concursu jus profitebantur, profectus. Hic à Melchiore Volmario Germano, Græcarum litterarum Professore, sed occulto Lutherano, vel potiùs Melanchtoniano (patris morte domum revocatus, ut ipse scribit ad hunc Volmarium, præfatione Commentarij in Epist. 2. ad Corinthios, Genevæ, annno Domini 1546.) miserè deceptus, & multa animo meditans, Noviodunum reversus est, anno ætatis (ut videtur) 22. seculi autem decimi sexti, 31. Patris diligentiâ antea Sacellanus Ecclesiæ Cathedralis factus (non Canonicus) etiam curam Pastoralem in proximo pago adeptus est, cui nomen* Pons Episcopi *vulgò*, Pont l'Evesque lez Noyon. *Atque hoc anno currente, ea evenisse necessarium est, quæ de ipsius crimine, accusatione, condemnatione, stigmate, verissimè narrantur: nam præter Acta Cathedralis Ecclesiæ, & Bertelerij Secretarij Genevensis testimonium, quod Bolsecus se vidisse affirmat, vel illud satis sit, quòd Novioduno ætatis anno 23. Parisios reversus, ejusdem Flagitij, conquerentibus pueris, à Collegij Becodiani Rectore accusatus sit, in absentem & contumacem condemnationis latâ sententiâ. Vitium enim hoc, & quæ sunt ejusdem generis, inter secures etiam, & rogos erumpere, & liberè dominari solent, ùt insinuat S. Hieronym. Epist. ad Innocentium, de muliere septies icta. Hucusque Author.*

CCXCIV. Quod autem hic refert de libidine præpostera Calvini,

vini, priùs scripserat P. Leonardus Lessius in opusculo illo celebri, *quæ fides, & Religio sit capessenda*, in nona consideratione, in quinta ratione, ubi ex Hieronymo Bolseco in vita Calvini cap. 5. & Julio Brigecio pag. 59, inquit: *de infamia* Calvini constat ex actis judicialibus, Novioduni illum convictum, & per sententiam damnatum de nefando crimine, & publicè exurendum fuisse, nisi ad preces Episcopi pæna ignis fuisset commutata in supplicium virgarum, & ferri candentis in tergo ustulationem. Unde patet, illum quoque jure & facto fuisse infamem L. 1. π. De his qui notantur infamia, & L. Quid ergo. §. ex compromisso. π. De his qui notantur infamia.

§. III.

Ostenditur, Calvinum fuisse convictum Sodomiæ, & ob eam causam stigmate inustum.

CCXCV. HOc scripsit P. Lessius anno 1609. in prima editione illius opusculi: postea verò anno *1614*. in 2. editione ejusdem opusculi addidit appendicem disputationum in tria capita, seu tres quæstiones divisam; in 3. autem capite inquirit, *utrum Calvinus* fuerit convictus *Sodomiæ*, & eam *ob causam stigmate inustus*, & sub hoc titulo sic scribit: *Non ex aëre scripsi ea, quæ hac de re in Consultatione adduxi, neque ex meo cerebro, sed ex bonis auctoribus, & fama communi, quæ* 40. *& amplius annis viguit, non solùm apud Catholicos, sed etiam apud Lutheranos.* Plurimi scriptores hujus rei tanquam certæ, & notoriæ mentionem fecêre: ex quibus paucos adferam.

CCXCVI. Imprimis adfert Hieronymum Bolsecum Medicum Lugdunensem, conscium secretorum Calvini, utpote qui olim ejus discipulus fuerat, & postea ad fidem Catholicam conversus est, ut, testatur Spondanus ad an: 1564. num. 25. qui ann: 1590. vitam Calvini descripsit, & dedicavit Primati Franciæ Archiepiscopo Lugdunensi: ibi testatur, se vidisse Testimonium publicum apud quemdam *Bartelier* Senatus Genevensis Secretarium de vita, & moribus Calvini. *Quod ego testimonium (inquit) publicum apud hunc vidi, & in ipsiusmet manibus inspexi: & idcirco, ut rem verissimam commemorare possum. In quo quidem testimonio hoc quoque erat adjectum: Calvinum, cùm curatum illic beneficium, & aliud Sacelli cujusdam Sacerdotium obtineret, Sodomitici sceleris convictum in vitæ discrimen venisse, ut igni, quæ hujusmodi sceleris ordinaria, & legitima pœna est, cremaretur. Cæterùm Episcopi urbis commiseratione pœnam moderatam, ut cauterio candens ejus humero lilium inureretur. Quo probro confusus, neque talem ignominiam ferens, utrumque Ecclesiasticum beneficium in Pastorem Noviodunensem transtulit, & ab eo certâ pecuniæ summâ acceptâ in Germaniam, deinde in Italiam profectus*

est, fortunæ, si quam sibi propitiam invenire posset, se permittens.

CCXCVII. Nec Bolsecus solùm dicit, *se in manibus* illius Secretarii hoc testimonium vidisse, & inspexisse; sed etiam jurejurando affirmat: ita enim scribit in epistola dedicatoria ad Archiepiscopum Lugdunensem: *Jam hoc quoque eumdem testor Deum, nihil me hoc tractatu complexum, quod contra meam conscientiam scriptum esse mihi conscius sim; sed quæ scribo, omnia veritate niti, & vel ex tabulis, & testimonijs manu ipsius Calvini descriptis ea me desumpsisse, vel referentibus maximæ auctoritatis viris cognovisse, vel meis oculis conspexisse, manúque palpâsse.* Comprobat id ibidem Lessius Testimonio Julij Brigerij, Thomæ Stapletonij, Edmundi Campiani Martyris, Joannis Duræi, Surij ad ann: 1538. & Guilielmi Reginaldi. Quibus relatis subjungit: *En septem testes, omnes ἀξιόπιστοι, omnes omni exceptione majores: quibus accedat Octavus Conradus ipse Schlusselburgius Lutheranus, cujus verba jam ex Reginaldo retulimus. Longè plures adferre possem, sed hi abunde sufficiunt, non solùm ad me vindicandum à nota calumniæ, sed etiam ad faciendam fidem cuilibet æquo lectori. Quis enim in re historica plura, & graviora testimonia requirat?*

CCXCVIII. His accedunt multæ rationes, & indicia, quæ rem ostendunt esse valde credibilem. Primum. Quia historia de crimine illo consentanea est alijs Calvini gestis, quæ de ipso commemorantur. Scribit enim Bolsecus in vita Calvini cap. 11. cùm puer Calvini Minister quatuor Francorum millibus hero subtractis se in fugam dedisset, & amici vellent illum persequi, numquam Calvinum permittere voluisse; ne videlicet comprehensus puer arcana patefaceret. Quæ res ingentem suspicionem movit, ipsum puero abusum esse.

Aliud factum narrat Florimondus Præses Burdegalensis lib. 7. De ortu hæresis, cap. 9. Fertur, inquit, & complures scriptis evulgârunt, Rectorem Collegij de Boncourt accusâsse Calvinum nefandi criminis, & ex puerorum depositionibus, cùm non comparuisset, absentem fuisse condemnatum. Omitto alia impuritatis illius documenta, quæ à scriptoribus referunrur.

Secundum, quia historia illa est conformis vitæ, & moribus discipulorum Calvini, qui se omni genere libidinis inquinârunt.

§. IV.

Frustra Ludovicus Maimburgus conatur Calvinum ab hac infamia Liberare.

CCXCIX. Quamvis hæc, & alia fundamenra adducta à P. Lessio satìs valida sint ad persuadendum, Calvinum reum fuisse nefandi criminis, tamen Ludovicus Maimburgus lib. 4. historiæ Calvinismi ad ann: 1564. hoc hujus Hæresiarchæ scelus non vult credere, tum quia

quia nihil ejuſmodi reperitur in exactis informationibus Novioduni captis noſtris hiſce tempotibus, nec in regeſtis Eccleſiæ Cathedralis, quæ ſervata fuerunt ab incendio, quod anno 1552. acta publica, totámque pæne Civitatem Noviodunenſem conſumpſit. Tum quia veriſimile ſatìs eſt, quòd ſi talis atteſtatio, quæ incendium præceſſiſſet, veritatem haberet, nunquam Gebennenſes recepiſſent pro fundatore novæ Eccleſiæ, & Reformatore morum, diſciplinæ, atque doctrinæ infamem hominem, tam turpi nota inſignitum. Unde concludit, Bolſecum impoſtorem fuiſſe, ſeu calumniatorem, aut ſaltem deceptum fuiſſe per ſuum Bertelier. Ulteriùs addit, fieri potuiſſe, ut Joannes Calvinus, quem antea vocabant Cauvinum, ſumeretur pro ejus nepote Joanne Cauvino ejuſdem Eccleſiæ Capellano, qui ut notatur in regeſtis Capituli, cùm non emendaret incontinentiam, pro qua fuerat caſtigatus, fuit beneficio privatus, diu admodum poſtquam Calvinus exiret è regno. Has rationes proponit Maimburgus, quaſi datas à Proteſtantibus. Et tandem concludit. *Volo itaque, quandoquidem* ita placet Proteſtantibus noſtris, non præſtare fidem huic infamiæ vergenti in Authorem ipſorum ſectæ: Deus enim non indiget his probationibus, quæ repelli poſſunt, ut incertæ, & multò minùs falſitatibus hominum, ut inimicos ſuos debellet. Hæc Maimburgus.

CCC. Fateor, Deum non indigere mendacijs hominum. Fateor nec hæreticis poſſe affricari crimina, quæ ipſi non commiſerunt, nec ſine ſufficienti probatione poſſe ut infames notari. At quando efficaces ſunt probationes, oportet, ut eorum vitia omnibus pateant, ut ſic eorum ſectatores oculos aperiant, & non ſequantur tanquam Dei Apoſtolos, & Miniſtros, homines iniquos, vergit enim in dedecus, & ignominiam ſectæ, quòd ipſius primus author fuerit homo criminoſus, & infamis. Jam verò probationes, quibus ductus eſt P. Leſſius, efficaces ſunt, nec illis ſatisfacit Maimburgus, imò nec mentionem facit argumenti, quo potiſſimùm Leſſius probat, Bolſecum vera narrâſſe, vel quia non vidit, vel quia impar dandæ congruæ reſponſioni, maluit diſſimulare, quàm frigidè reſpondere; ſic autem arguit Leſſius: *ſi iſta* de crimine *Sodomitico*, & ſtigmate vera non erant, cur diſcipuli Calvini ea non refutârunt? Cur inſpectionem actorum publicorum, & Magiſtratuum teſtimonia non petiêrunt? facilè enim, ſi falſa erant, refutari tunc temporis potuiſſent. Primò teſtimonio Magiſtratûs Genevenſis, qui publico inſtrumento declarare potuiſſet, tale ſcriptum nunquam ad ſe perlatum, ſe nihil unquam de hujusmodi Calvini crimine inaudîſſe; non enim dubitandum, quin eo tempore, nimirum anno 1577. fuerint multi ſuperſtites, qui hujus rei poſſent meminiſſe, & fortaſſe ipſe Bartelier, in cujus manibus ſe hoc teſtimonium vidiſſe affirmat

Bolſecus,adhuc ſupererat. Secundò, Teſtimonio Magiſtratûs Noviodunenſis. Non enim eſt dubium,quin ex actis judiciarijs, quæ aſſervari diligenter ſolent, veritas cognoſci poſſet: verùm neutrum fecerunt fratres Evangelici. Quis credat, ſi ſolida aliqua ratione tanti ſceleris infamiam à ſuo Apoſtolo amoliri potuiſſent, & adverſarium ſuæ Religionis Hieronymum Bolſecum calumniæ convincere, & apud omnes hoc modo infamem reddere, eos id fuiſſe prætermiſſuros? ſic enim effeciſſent, ut nec in cæteris, quæ Bolſecus de Calvini varijs criminibus, & peſſimis artibus, ac machinationibus ſcribit, ei fides adhiberetur. Itaque cùm nihil fecerint eo tempore, quo maximè oportebat (nimirum cùm libellum ſuum Bolſecus evulgavit) ut iſta ſolidè confutarent, nemini prudenter rem expendenti dubium eſſe poteſt, quin rationis inopiâ, & criminis conſcientiâ id omiſerint, alioquin injurij in ſuum Apoſtolum, & ſacrilegi in ſuam Religionem extitiſſent.

CCCI. Deinde efficaciter id probat Leſſius, nam cùm præclarus Martyr Edmundus Campianus in fidei demonſtratione, ratione 3. anno 1580. Calvinum *ſtigmaticum, transfugam vocâſſet*, Wittakerus Calviniſta in ſua reſponſione pag. 50. hoc tantùm reſpondet. *Si ſtigmaticus fuit Calvinus, fuit etiam Paulus, fuerunt alij.* Quibus verbis non obſcurè Wittakerus ſtigmata Calvini videtur fateri, ſed aliorum exemplo excuſare. Unde Joannes Duræus hanc Wittakeri reſponſionem his verbis confutat: *Quòd Calvini ſtigma humeris inuſtum, cum Pauli ſtigmatibus conferre non dubitas, facis id quidem pro tua modeſtia, & ſummo in præceptorem amore humaniter: niſi quòd meminiſſe debueras, Chriſti ſtigmata in corpore ſuo Paulum portâſſe; Calvinum verò ſtigmata liliorum, quibus non niſi nefarij homines ob immania crimina ad perpetuam inuri memoriam ſolent. Ad hæc Wittakerus nihil amplius quod reſponderet, habuit. Unde etſi in ſua reſponſione contra Duræum ad cætera, quæ hoc loco Duræus adfert, reſpondere conetur, ut patet pag. 280. hoc tamen de ſtigmate prorſus diſſimulat. Hæc ex libro Anglico, cui titulus* Apologia Proteſtantium pro Romana Eccleſia. *Quid cauſæ fuiſſe putabimus homini alioquin loquaciſſimo, & importuniſſimo, hujus ſilentij, niſi quòd famâ publicâ, & conſcientiâ propriâ convictus, nullo colore rem tegere, & honeſtare potuerit?*

CCCII. Poſtquam P. Leſſius hæc, & alia teſtimonia expendit: ſubjungit: *En ſeptem teſtes, omnes ἀξιόπιστοι, omnes omni exceptione majores: quibus accedat Octavus Conradus ipſe Schluſſelburgius Lutheranus, cujus verba jam ex Reginaldo retulimus. Longè plures adferre poſſem; ſed hi abunde ſufficiunt, non ſolùm ad me vindicandum à nota calumniæ, ſed etiam ad faciendam fidem cuilibet æquo lectori. Quis enim in re hiſtorica plura, & graviora teſtimonia requirat?*

CCCIII. Nec fundamenta adducta à Maimburgo ad vindicandum

Calvinum ab hac infamia, efficacia sunt: nam quòd in informationibus Noviodumi captis hisce temporibus, id est centum, & ampliùs annis post obitum Calvini, reperiri non potuerit instrumentum. quo comprobaretur illud Calvini delictum, nec in regestis Ecclesiæ Noviodunensis ab incendio liberatis inventa sit ulla illius memoria, est argumentum merè negativum, quod nihil concludit. Cùm necesse non fuerit, ut insereretur Actis illius capituli memoria hujus infamiæ: vel quamvis fuerit inserta, facile fuerit, inde avelli ab aliquo Calvini, vel discipulo, vel consanguineo, vel studioso. Deinde quia Bolsecus, sub juramento testatus est, se vidisse hujus rei testimonium authenticum in manu *Bartelier* Senatus Genevensis Secretarij, qui missus fuit Noviodunum hujus rei gratiâ, ut in vitam, atque mores Calvini inquireret, & qualis adolescens fuisset, exploraret, & inde retulit Testimonium, quod de Calvino præcipui aliquot Cives Noviodunenses interrogati perhibuerunt, Notariúsque legalis in publicas tabulas retulit. Hoc autem testimonium non oportuit servari in Archivo, vel Ecclesiæ, vel Civitatis Noviodunensis, quia suâ ipsorum non intererat, habere hoc Instrumentum de infamia sui Civis, vel sui Capellani, aut Canonici, sed adduci Genevam, unde exposcebatur. Ex tabulario autem Genevensi promptum fuit Discipulis Calvini, Magistri & Apostoli sui ignominiam auferre. Nec Bolsecus ausus fuisset hæc scribere, si falsa essent, aut non satis ipsi explorata. Nec tunc quando memoria erat recens, dissimulâssent Calvinistæ, Bolsecum de calumnia, vel de falsitate convincere, nisi res fuisset adeò nota, ut celari non posset tunc. Postquam autem sæculum transivit, & testibus comprobari non potest delictum Calvini, Protestantes illud negant, & illis potiùs Maimburgus vult credere, quàm scriptoribus tot, & tam gravibus, qui hoc testati sunt, & de falsitate non sunt accusati, tunc quando de falsitate poterant convinci, si falsa narrâssent.

CCCIV. Estque valde levis illa conjectura de æquivocatione nepotis Calvini cum ipso Calvino, cùm nepos ille Calvini non fuerit de crimine nefando accusatus, nec quidquam scribatur de lilio candente ejus humero inusto, sicut scribitur de Calvino.

Nec vim habet illud aliud fundamentum, quòd scilicet Genevenses non recepissent pro fundatore novæ Ecclesiæ, hominem infamem. Quid enim mirum, quòd hominem infamem acceperint pro Magistro, & reformatore, qui credunt, *nullam esse nostri arbitrij libertatem, sed omnia inevitabili necessitate evenire, & Deum non minùs esse authorem, & impulsorem operum malorum, quàm bonorum?* si imbuti sunt in Calvini doctrina palam docentis, Deum ab æterno omnia opera scelerata hominum, & dæmonum decreto suo statuisse, & præordinâsse, & suis temporibus ad ea excitare, movere, & impellere, quid mirùm, quòd non repudient Calvinum ex eo, quòd se-

cutus impulsum Dei ipsum incitantis, & moventis ad committendum peccatum nefandum, illam infamiam subire voluerit, ne Deo resisteret? quid mirum, quòd pro reformatore susceperint hominem de hoc vitio convictum, qui pro Apostolo venerantur hominem blasphemum in Christũ, utpote qui libro 2. Instit. cap. 16. apertè docuit, Christum Dominum *cruciatus gehennæ cum damnatis, ac reprobis spiritibus aliquando pertulisse.* Quid mirum, quòd hominem infamem susceperint pro reformatore, si tanquam Dei Evangelistam, & novum Apostolum susceperunt hominem, qui l. 3. institutionum c. 12. §. 4. expresè dixit: *omnia opera hominum, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta, & sordes esse, nec ullum à sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur justam opprobrij mercedem.* Quid mirum, quòd hominem infamem susceperint pro reformatore, si sibi persuaserint, à Deo missum esse ad reformandam suam Ecclesiam hominem, qui post solemne votum castitatis in susceptione Ordinis sacerdotalis susceptum, publicè sacrilegas nuptias contraxit? Ut enim scribit Spondanus ad ann: 1538. num. 12. Calvinus eo anno ex Civitate Genevensi, in quam se intruserat ann: 1536. in exilium pulsus, se recepit Argentoratum, ubi dogma Zvvinglij vigebat: *Et ibi ut iucundiùs exilium suum ferret, viduam cuiusdam Anabaptistæ nomine Ideletam Buriam matrimonio sibi iunxit, & multis annis cum ea vixit, nullis tamen susceptis liberis, quamvis illa ex priori matrimonio nonnullos haberet.* Verba sunt Spondani.

CCCV. Quid mirum, quòd hominem de peccato nefando convictum, ut Ecclesiæ reformatorem admiserint, qui credere potuerunt, à Deo missum fuisse ad prædicandum novum Evangelium hominem, de quo ipsis notum fuit, voluisse per fictionem, & artificium persuadere suis auditoribus, se mortuum suscitâsse in confirmationem suæ doctrinæ, cùm tamen non verè mortuum suscitaverit, sed vivum, & sanum, mortuum reddiderit, Deo vindictam sumente de tam sacrilega fictione, ut narrat Spondanus ad ann: 1553. num. 15. tanquam rem exploratam, & nos suprà retulimus.

CCCVI. Quid mirum, quòd Calvini discipuli hoc sui magistri crimen nihili fecerint, quandoquidem, ut refert Guillelmus Reginaldus lib. 4. pag. 1020. quidam Calvinistæ in Anglia *ex illa de justificatione fidei Calvini sententia, inter cæteras has deducunt & tuentur conclusiones. 1. omnes illi errant, qui putant se salvandos, cùm multa bona opera fecerint. 2. Non est necesse laborare, quò bonis operibus vitam consequamur æternam, jam nunc enim eam tenemus. 3. Est hic unus ex præcipuis erroribus, qui versantur in orbe Christiano, arbitrari, quòd bona opera quidquam prosint ad salutem 4. Peccata nostra nihil minuunt de gloria Dei, totum damnum peccati positum est in scandalo proximi. 5. Christus suo sanguine redemit, & liberavit nos ab omnibus*

omnibus peccatis, & legibus, ut deinceps nulla lex nos obliget in conscientia. Hic apertè liberamur à Decalogo, & ab omnibus præceptis Sacramentorum. 6. Nihil debes Deo, nisi fidem, ut confitearis Christum Jesum, & credas eum surrexisse à mortuis, sic enim salvus eris, in rel quis omnibus Deus liberum tibi facit, ut sequaris voluntatem tuam. Omnia enim facere potes absque scrupulo conscientiæ. Neque enim perire, vel damnari potes, quidquid externè vel feceris vel infectum reliqueris. Hæc omnia illi deducunt (& quidem rectissimè) ex illo de justificatione per fidem specialem fundamento à Luthero, & Calvino posito: in quorum etiam scriptis pænè hæc omnia expresiè habentur. Quis majorem licentiam optare, vel fingere possit ad omne flagitium?

CCCVII. Quid mirum, quòd tanquam reformatorem acceperint virum de tali crimine notatum, qui sibi persuadent, spiritum Dei habuisse hominem adeò superbum, qui passim Patres, & Consilia contemnit, & judicium suum judicio totius Ecclesiæ, per mille, & ampliùs annos constanter, etiam ex sententia ipsius Calvini, retento, impudenter præfert? Superbia Calvini ex ejus libris est satis conspicua, nimirum ex lib. 2. Instit. cap. 14. §. 3. lib. 3. cap. 4. §. 38. & cap. 5. §. 10. lib. 4. cap. 12. §. 20. & alibi: contemnit enim passim (inquit Lessius) omnes veteres & sanctos Patres, & audacter erroris accusat: sæpe pro concione in has voces erumpebat: *Ego Propheta sum, Ego Dei Spiritum habeo: ego si erro, tu es Deus, qui me propter peccata populi in errorem mittis, & decipis.* Qui hominem ejusmodi Spiritum Dei habuisse credunt, & ex illo scripsisse, quæ scripsit, non mirum, quòd illum susceperint, ut reformatorem Ecclesiæ, quamvis aliunde scirent, fuisse ob Sodomiam lilio candenti sigillatum. Nullum ergo adducit Maimburgus fundamentum, quo satis à Calvino eliminet notam infamiæ.

CCCVIII. Fateor Henricum Spondanum ad ann. 1534. num. 11. non affirmare hanc infamiam Calvini: solùm enim ibi hæc scribit: *Quòd verò traditur vulgò, eum in turpe crimen Sodomiæ incidisse, ac propterea in vitæ discrimen, nisi pænæ moderationem Episcopus impetrasset, Lilij candentis ad humerum inustionem, & exilium à patria: hoc Massonus tacet*, solámque abeundi *in exilium causam hæresim fuisse ait.* Dixerat num. 9. se vidisse tres, vel quatuor vitas Calvini, unam Theodori Bezæ ejus Discipuli, dubiæ prorsus fidei, utpote in ejus tantummodò, & hæresis laudem fabricatam: alteram Hieronymi Bolseci Medici Lugdunensis latinam, aliámque Gallicam Jacobi Lainger Scoti Doctoris Sorbonici, *acerbiorem, quàm ut in pluribus accepta sit omnibus*, & ultimam *Papirij Massoni Parisiensis causidici, viri doctissimi, notæque moderationis, cui tutiùs in ijs, quæ refert, fidem adhibeas.* Spondanus secutus est Massonum, & quia hic Author tacet Sodomiam Calvini, etiam ipse noluit hoc affirmare.

Et quamvis approbet, quæ ille refert tanquam vera, non tamen reprobat ea, quæ tacet. Hinc autem nullum potest argumentum desumi in favorem innocentiæ Calvini ab illo crimine. Massonus enim non defendit Calvinum, ut facit Maimburgus; nec enim positivè negat, illud crimen fuisse à Calvino commissum, sed solùm tacet, & ab utroque abstrahit, nec illum condemnans, nec illum absolvens. Bolsecus autem, & Langeus palam, & disertè affirmant, ídque coram discipulis Calvini, quando recens erat memoria facinoris, & poterant manifestè convinci, si falsa narrâssent: quare cùm tunc temporis, quando vivebant Cives Noviodunenses, qui rei veritatem possent deponere, nemo hos scriptores impugnavit, signum clarum est, illos vera dixisse. At verò ex eo, quòd Massonus sit vir moderatus, & fidem mereatur in ijs, quæ refert, non sequitur, quòd debeant reputari falsa ea, quæ ipse tacet; potuit enim tacere ex motivo Politico, non offendendi hæreticos Calvinistas tunc in Gallia potentes: nam si positivè affirmaret, Calvinum non fuisse accusatum de crimine illo, sicut Bolsecus affirmat, fuisse accusatum, posset rem facere dubiam, sed cùm nihil dicat, & ab hoc abstrahat, non facit dubiam historiam narratam à Bolseco, imò ipsa taciturnitas Massoni probat, ipsum non habuisse fundamentum ad negandum, vel saltem ad revocandum in dubium id, quod tam asseveranter affirmavit Bolsecus: quia si habuisset, non dissimulâsset.

CCCIX. Concluditur ergo ex dictis, Calvinum hominem jure infamem fuisse, tum ob nuptias sacrilegè contractas post sacerdotium habens annexum solemne votum castitatis, tum ob Sodomiam. Ut patet ex l. 1. tit. de his qui notantur infamia. & l. *Quid ergo* §. ex *compromisso*. Tit. de ijs, qui notantur infamia.

Ejus mores describit citatus Papirius Massonus, quem Spondanus ad ann: 1564. num. 25. appellat moderatissimum, & temperatissimum in omnibus suis scriptis, nec nisi, quæ optimè nosset, scribere scium. Hic Author in vita Calvini testatur apud Spondanum ibi. Calvinum iracundum adeò fuisse, *ut Bucerus, etsi amicus, familiari Epistolâ eum castigaturus canem rabidum vocârit, & scriptorem maledicendi studio infectum: judicare eum de hominibus, prout amaret, vel odisset, prout liberet: Melancthon præfractam ejus, ut loquebatur, morositatem vituperaverit: Genevenses inter jocos dicerent, malle se apud inferos esse cum Beza, (qui videlicèt suis scurrilitatibus, & festivis jocis eos in mediis flammis exhilarâsset) quàm apud superos cum Calvino. Vindictæ appetentem, & sanguinarium fuisse: mordacem in scribendo, & dicendo: ad omnem simplicis animi figuram compositum, texisse intus latentem superbiam, & philautiam. Itaque non immeritò Balduinum (qui silentium ei imposuit seni, immenso ipsius dolore) dixisse, collegas eius conqueri solitos, de ipsius intolerabili arrogantiâ, & incredibili fastu. Nemini*

imparem, aut secundum haberi voluisse: nec verò parem ferre potuisse nec imparem, nisi obsequentem, pati. Demúmque ita vitam ejus claudit, ut asserat, eum qui Calvinum labem, ac perniciem hominum dixerit, nihil mentiturum esse. Tantum enim malorum intulisse in patriam, ut cunabula ejus meritò detestari atque odisse omnes debeant. Idémque in vitis Pontificum Romanorum, viperam eum, & scorpium appellans, ait, pudere se fateri, hoc monstrum in Galliâ natum; multúmque debere Galliam anno 1564: quo portentum illud extinctum est.

CCCX. Huic vitæ respondit mors, quam ex Bolseco in vita Calvini cap. 22. describit Nicolaus Romæus in Calvini nova effigie pag. 763. *Gravissimos* (inquiens) *dolores, & asperrimos cruciatus, quibus Dei in illum severâ gravissimâque manu ingruente excruciabatur, non ferens, dæmonibus invocatis, jurans, execrans, & blasphemans, miser expiravit. Cujus illi testimonium perhibuêre, qui decumbenti ad extremum usque halitum ministrârunt. Diem atque horam detestatus est, & execratus, quam unquam studijs impenderat, cùm ex ulceribus totóque corpore gravissimi fætores emanarent, ob quorum graveolentiam, & sibi ipsi gravis, & quæ eum circumstabat, familiæ erat.*

Phthiriasi quoque gravissimè afflictus fuit: quo morbi genere crudeles quique tyranni, & impietate insignes, in scelerum detestationem à Deo puniti fuerunt: Antiochus Epiphanes. 2. Machab. c. 9. L. Cornelius Sylla, Herodes, Maximianus Imper. Honorius 2. Wandalorum Rex, Arnulphus Imper. Caroli Successor, & similes, quorum præ cæteris nobilitata fuit impietas. Vide Claudium de Sainctes in Respons. ad Apologiam Bezæ pag. 11. a.

§. V.

Concluditur, ex moribus Lutheri, & Calvini manifestè demonstrari, eos non fuisse Ecclesiæ reformatores, sed deformatores, & manifestos Hæresiarchas.

CCCXI. POstquam P. Lessius vitam, & morum conditionem Lutheri & Calvini breviter depinxit, meritò concludit. *Quis nunc istis perpensis in animum inducat, Deum hujusmodi hominibus, qui & omni jure, & orbis judicio erant infames, quorum vita turpissima, lingua effrænis, & maledica, animus tumidus, ambitiosus, iracundus, & invidiâ plenus, ad reformationem Ecclesiæ suæ uti voluisse? Quis unquam hujusmodi mores, vel in Apostolis, vel Prophetis notavit? Erant quidem Apostoli plerique conditione humiles, nulli tamen ob flagitia infames. Et quamvis essent indocti, & simplices, repentè tamen facti sunt sapientiâ, vitæ sanctitate, & miraculorum gloriâ admirabiles. Mira in illis animi demissio, mira mansuetudo, mirus gloriæ, rerum terrenarum, & voluptatum hujus vitæ contemptus, mira in proximum charitas, mira in verbis modestia, & circumspectio. Similes*

mores cernimus in omnibus, quibus Deus usus est, vel ad Gentium conversionem, vel ad morum populi Christiani reformationem. v. g. in S. Augustino Anglorum Apostolo, in S. Bonifacio Germanorum, in SS. Adelberto, Othone, Willebrordo, Eligio, & in alijs aliarum gentium: in S. Benedicto, Bernardo, Romualdo, Dominico, Francisco, & aliis, quorum exemplo, & doctrinâ plurimi ad contemptum terrenorum, & amorem cælestium sunt excitati.

CCCXII. *Si ad alicujus provinciæ conversionem, si ad morum nonnullam in populo correctionem, Deus talibus viris, quorum vita mundo erat admirabilis, usus est, qui tamen non immediatè à Deo, sed à summo Pontifice suam missionem accepêre, quales, obsecro, par erat esse eos, qui mittebantur immediatè à Deo, idque ad reformationem præcipuorum capitum Religionis, imò ad totius Ecclesiæ, & Regni Christi collapsi instaurationem? etiamsi tota sanctitas, & excellentia, omnes virtutes, & omnia dona spiritualia, quæ fuerunt in S. Joanne Baptista & in omnibus Apostolis, simul in unum conflata ipsis infusa fuissent, hoc tamen totum haud satis fuisset, ad sufficientem illis auctoritatem tantæ molitionis conciliandam. Et nos tam fungi erimus, ut credamus, divinam sapientiam ad rem adeò stupendam usam fuisse hominibus, non solùm nulla vitæ sanctitate commendatis, sed etiam infamibus, impuris, ambitiosis, vindictæ cupidis, & maledicis? Quid enim hoc aliud erat, quàm omnibus micam prudentiæ habentibus justam dare occasionem, eos non admittendi sed ut impostores aversandi? Nam qui per infamiam non possunt admitti ad ullam dignitatem, ad ullum officium, sive Ecclesiasticum, sive sæculare, imò nec ad accusandum, nec ad postulandum: quomodo admittentur, ut reformatores Religionis, ut Architecti Ecclesiæ, ut Judices Episcoporum, Pontificum, & Conciliorum Oecumenicorum?*

CCCXIII. Unde patet, quàm frivola sit responsio hæreticorum, qui quando eis describuntur mores Lutheri, & Calvini, dicunt, se nihil curare, quales illi fuerint, sed solùm attendere ad ipsorum doctrinam, quæ bona est: nequit enim dici, esse bonam doctrinam hominum iniquorum, quæ opponitur communi Ecclesiæ sensui, sanctorum Patrum doctrinæ, & Conciliorum definitionibus. Prorsúsque est monstrosum dicere, quòd Deus Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, Basilio, Athanasio, Nazianzeno, Chrysostomo, Thomæ, Bonaventuræ, & alijs sanctissimis Doctoribus negaverit lucem ad veram intelligentiam scripturarum, & quòd eam communicaverit hominibus superbiâ, ambitione, maledicentiâ, & luxuriâ plenis.

CAPUT DUODECIMUM.

Nonum caput idem probandi, quia evidens est evidentiâ facti, Lutherum, & Calvinum, & alios sectarios, qui ab Ecclesia Romana in sexto sæculo recesserunt, renovâsse hæreses antiquas à vera Christi Ecclesia damnatas, nimirum ab Ecclesia Romana intra quinque priora Secula, quando etiam ex confessione adversariorum vera erat Christi Ecclesia.

CCCXIV. ECclesiam Romanam fuisse veram Christi Ecclesiam prioribus illis sæculis, fatentur adversarij, ut vidimus cap. 2. certissimum autem est, esse verè hæreticas illas doctrinas, quas vera Christi Ecclesia hæreticas esse declaravit, & ut tales damnavit: quia cùm sit *columna, & firmamentum veritatis*, nequit errare in articulis, quos credit, & credendos proponit, ac proinde certum est, esse verè hæreticos, qui pertinaciter defendunt propositiones à vera Christi Ecclesia damnatas, ut hæreticas. Si ergo probaverimus, Lutherum, & Calvinum pertinaciter tradidisse propositiones damnatas ab Ecclesia Romana in illis primis sæculis, quando etiam ex confessione adversariorum erat vera Christi Ecclesia, evincemus, illos esse verè, & indubitanter hæreticos. Quòd autem res ita se habeat, evincit Bellar. tom. 2. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 9. & cum eo Lessius, rectè probans, religionem Lutheranam, & Calvinisticam nihil aliud esse, quàm diversarum hæresum à diversis Hæresiarchis diversis sæculis traditarum, & olim per Ecclesiam Catholicam proscriptarum colluviem, idque multiplici exemplo probat.

CCCXV. 1. *Uterque, nimirum Lutherus, & Calvinus, docet, nullam esse arbitrij libertatem. Et Lutherus art. 36. affirmat, hoc esse præcipuum suæ Religionis fundamentum. At illa fuit olim hæresis Simonis Magi, & Valentini, teste Augustino, hæresi 11. & Manichæorum, & Wiclefi, &c.*

2. *Uterque docet, Deum esse impulsorem omnium scelerum, & omnia mala fieri ex vi decreti divini. At olim fuit ista hæresis Simonis Magi, & Florini.*

3. *Uterque docet, non esse necessaria ad salutem bona opera, sed sufficere fidem. At hæc fuit olim hæresis Simonis Magi, & Eunomianorum circa annum Domini 360.*

4. *Uterque docet, habenti fidem nihil obesse peccata quantumlibet multa, & magna; horum enim malitiam non imputari credenti. Quæ olim etiam fuit hæresis Eunomianorum, & Basilidis,*

silidis, & Carpocratis, teste Irenæo l.1.c.23. & 24.

5. Calvinus negat præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia. At hæc olim fuit hæresis Berengarij circa Annum Domini 1051. Ubi notandum primò, etsi aliqui privatim ante Berengarium ea de re dubitaverint, & quæstionem moverint, neminem tamen fuisse ausum, hoc publicè profiteri, ut testantur Hugo Lingonensis, & Adelmannus Brixiensis in Epistolis suis ad Berengarium, & Paschasius lib. de verbis instit. hujus Sacramenti. Itaque fuit hæc constans Ecclesiæ doctrina, omnibus hæresiarchis intacta usque ad tempora Bèrengarij. Secundò, sententiam Berengarij ipso vivo fuisse in quinque Conciliis damnatam, & ipsum Berengarium ter suam sententiam abjurâsse, & tandem in fide Catholica cum magna pænitentia mortuum. Quo mortuo extincta fuit illa hæresis ferè per ducentos annos usque ad Lollardos, qui eam renovârunt, ut colligitur ex Trithemio in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1315. Eamdem postea tenuit Wiclef, ut patet ex art. ejus 3. Quo mortuo rursùs extincta fuit per centum circiter annos, usque dum Zvvinglius eam restituit, quem Calvinus, & aliquot alij sunt secuti. Ex quo manifestè apparet, hanc sententiam semper in Ecclesia pro manifesta hæresi habitam. Itaque, vel Ecclesia semper in primario fidei articulo erravit, & sic numquam Ecclesia Christi fuit, vel sententia illa, quæ realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistia abrogat revera hæresis est.

6. Uterque tollit omnes traditiones, & solis scripturis omnia vult contineri. Eadem fuit hæresis Arrianorum, ut constat ex D. Augustino: item Nestorii, Dioscori, & Eutychetis: ut habetur in septima Synodo Act. 1.

7. Uterque negat Sacramentum Pænitentiæ, & Confirmationis. Eamdem hæresim olim docuêre Novatiani, teste Cypriano, & Theodoreto.

8. Uterque docet, Ecclesiam solis bonis constare; & Ecclesiam olim visibilem à multis sæculis perijsse: hoc verò tempore in suo tantùm cætu existere. Similis fuit hæresis Donatistarum, ut testatur D. August. lib. de unitate Ecclesiæ cap. 12.

9. Uterque docet, non esse orandum pro defunctis: non esse servandum jejunium quadragesimæ, aut alia stata jejunia, sed cùm cuique visum fuerit, jejunandum. Idem olim docuêre Aëriani, teste Epiphanio hæresi 75. & Augustino lib. de hæresib. cap. 53.

10. Uterque negat venerationem sacrarum Reliquiarum, Imaginum Christi, ac sanctorum, & vocat idololatriam. Idem olim fecit Vigilantius, teste Hieronymo: fecêre & Iconomachi, teste Zonarâ, Cedreno, Nicephoro de Iconomachis.

Ex his luce meridiana clarius est præcipua dogmata, quibus Lutherana, & Calvinistica Religiones constant, esse hæreses antiquas, olim ab Ecclesia damnatas, eáque semper pro hæresibus in Ecclesia habita fuisse. Idem facilè de ceteris ostendi potest. Unde sequitur, has Religiones nihil esse aliud, quàm veterum, & jam olim profligatarum hæresum colluviem.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Decimum caput idem probandi, quia omnes sectarij, qui sub specioso titulo reformationis, *fidem Ecclesiæ Romanæ impugnârunt, in manifestos, & crassissimos errores prolapsi sunt, quos eleganter describit Bellarminus. Ubi specialiter ponderatur error de fide speciali justificante.*

§. I.

CCCXVI. *Alienati sunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa,* ajebat David Ps. 57. quæ verba exponens S. Augustinus ita verissimè scripsit in illum locum: *In ventre Ecclesiæ*, inquit, *veritas manet: quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est, ut falsa loquatur.* Et mox repetens dicta; *necesse est*, subjungit, *ut falsa loquatur, qui aut concipi noluit in ventre Ecclesiæ, aut quem conceptum mater excussit*, sicut excussit Lutherum, & Calvinum sola Ecclesia Catholica Romana, quæ est columna, & firmamentum veritatis, & quæ supra solidam *Petram* fundata est, nihil contra rationem tradere potest, licèt multa supra rationem credenda proponat, nihil turpe præcipere, ac proinde illi soli convenit illa nota veræ Ecclesiæ, quæ exprimitur illis verbis, *Credo sanctam Ecclesiam: constat enim Ecclesiam sanctam dici, quia ejus Professio sancta est*, nihil continens falsum quoad fidei doctrinam, nihil *injustum quoad* doctrinam *morum*, ut inquit Bellar. lib. 4. de notis Ecclesiæ notâ octavâ.

CCCXVII. Quàm verè dixerit Augustinus, *necesse esse, ut falsa loquatur*, qui à ventre Ecclesiæ separatus est, evidentissimè patet ex densissimis, & palpabilibus tenebris, quæ offusæ sunt supra mentes hæreticorum hujus sæculi, *qui cùm sapientissimi omnium hominum videri velint, tamen ea dicunt interdum, ea proferunt in medium, ea pro Evangelio venditant, quæ somnia ac deliramenta esse, pueri quoque, ac anus etiam decrepitæ, intelligerent*, ut inquit Bellarminus in Præfatione ad primum suum controversiarum tomum, & inductione eleganter probat. *Quid magis impium* (inquit) *ac stultum fingi potest, quàm Deum, qui fons est bonitatis, & justitiæ, auctorem omnium scelerum, & flagitiorum facere? At hoc facit Petrus Martyr in commentario libri secundi Regum, nec non Joannes Calvinus in lib. Instit.* 1. *cap.* 18. §.4.

CCCXVIII. *Quid magis puerile, & ineptum, quam dicere, Deum in lapide, verè & propriè esse lapidem, in ferro ferrum, in trunco truncum, in stipite stipitem, in rebus omnibus res omnes? at hoc docet Michaël Servetus in Epistola sexta ad Calvinum. Quid*

magis absurdum, & contra omnem non solùm rationem, sed etiam sensum, quàm palam asserere, infantes dum baptizantur, exemplo S. Joannis Baptistæ divinas quasdam motiones internis sensibus percipere, promissiones Evangelicas audire, & promittenti Deo fidem habere? At hoc palam asserit Martinus Lutherus in Commentario tertij capitis Epistolæ ad Galatas, & qui eum secuti sunt Centuriatores, centuriâ 2. cap. 4. nec saltem reverentur S. Augustinum, qui in Epistola ad Dardanum, quæst. 2. scriptum reliquit: si propter unum Joannem credibile est, infantes omnes ante ætatem consilio, & ratione uti, & propter Asinam Balaam, quæ sapienter aliquando loquuta est, admonendos esse homines, in deliberationibus suis Asinina expectare consilia.

CCCXIX. *Deinde, quis non obstupescat, potuisse homines reperiri, qui sibi persuaderent, nihil aliud ad justificationem impiorum requiri, quàm ut certò statuant, se esse justos, & sibi remissa esse peccata, ut jam non opinio à veritate rei, sed è contrario, rei veritas ab opinione dependeat? & tamen hoc ipsum incredibile paradoxum, est articulus quartus illius celeberrimæ Augustanæ confessionis, quæ pro Evangelio est maximæ parti nostri temporis hæreticorum.*

CCCXX. *Quid jam de Joanne Wiclefo dicemus, cujus hic est articulus sextus, in Concilio Constantiensi damnatus Sess. 8.* Deus debet obedire diabolo? *quid de Joanne Calvino, qui in Libro Institution. 2. cap. 16. tam seriò, tam ex proposito docet, Dominum nostrum Jesum Christum, quod certè piæ aures audire recusant, cruciatus gehennæ cum damnatis, ac reprobis spiritibus aliquando pertulisse? Unde etiam exstiterunt postea, qui dicerent, Christum in Cruce desperâsse, atque adeò ad inferos esse damnatum. Quam tetrâ, putas, caligine tenebatur animus ille, qui tantam impietatem cogitare potuit?*

Sed quo in loco ponemus Martini Lutheri verba illa, quæ is in libro de Concilijs scripta reliquit: Mihi paulò antè negotium fuit cum Nestorianis, qui pertinacissimè contra me disputabant, quòd Divinitas Christi non possit pati.

En tibi, Christiane Lector, quibus non tam erroribus laborant, quàm furoribus agitantur, quibus tenebris involvuntur, in quæ præcipitia ruunt, qui semel circa fidem naufragium fecerunt.

CCCXXI. Hactenus ibi Bellarm. qui id fusiùs probat lib. de notis Ecclesiæ cap. 11. Quid potest magìs absurdum excogitari, quàm id, quod scripsit Lutherus libro de captivitate Babilonica cap. de Baptism. *Vides, quàm dives sit homo Christianus, sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam, quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata possunt eum damnare, nisi sola incredulitas: cætera omnia, si redeat, vel stet fides in promissionem divinam, in momento absorbentur per eandem fidem.* Quid absurdius eo, quod Calvinus statuit lib. 3. Institut. cap. 2. §. 11. & 12. *fidem Calvinistarum non posse amitti, eámque efficere, ut nullum peccatum Calvinistis imputetur,*

&

& quod eodem cap. 2. §. 38. tanquam veritatem certissimam ponit, videlicet, *omnes Calvinistas esse electos ante omnem operum prævisionem: neque solùm esse electos, sed etiam hoc ipsum debere firmissimè credere, adeò ut si quis ea de re aliquo modo dubitet, horrendè sit sacrilegus, miserrimè cæcus, Spiritui sancto injurius, & prima pietatis tyrocinia ignoret.* De fide hac hæreticorum nostri sæculi meritò dixit noster Maldonatus in cap. 9. Matt. *fides, quam isti nuper invenerunt, figmentum est, somnium est, portentum est, chimara est.* Unde Academia Lovaniensis in articulis adversùs Lutheranos art. 9. sic habet. *Fides, quâquis firmiter credit, & certò statuit, per Christum sibi esse remissa peccata, séque possessurum vitam æternam, nullum habet in scripturis Testimonium: imò eisdem adversatur.* Neque componitur cum eorum primo principio, nimirum nihil posse fide divina credi, nisi id, quod à Deo in Scripturis est revelatum; quæro enim, in quo loco sit à Deo revelatum, eum verè coram Deo esse justum, qui firmiter credit, se esse electum, & non posse perire, sibíque peccata omnia esse dimissa? Quomodo hoc componitur cum illa sententia D. Petri, *cum timore, & tremore vestram salutem operamini?* Quomodo cum illo Prov. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Quomodo cum illo Ecclesiast. 9. *nescit homo utrum odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta.* Unde meritò Tridentinum Sess. 6. cap. 9. sic statuit: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, déque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suámque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest. Cùm nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.* Et cap. 16. *& quia in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam & bonitatem, ita severitatem & judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judicare, quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda, & judicanda est, sed Dei.*

§. II.

Ex sententia Calvini, & Lutheri de fide speciali justificante, sequitur, damnatos fuisse omnes Catholicos, qui à tempore Apostolorum extiterunt in Ecclesia usque ad Lutherum.

CCCXXII. DEinde quia ut arguunt Bellar. lib. de notis Ecclesiæ cap. XI. & Lessius ratione 12. *si vera foret hac doctrina Lutheri & Calvini de fide justificante, sequeretur, omnes Catholicos, qui à temporibus Apostolorum hactenus extiterunt, damnatos esse, & æternis ignibus addictos: quia juxta hujus Religionis primarium dogma caruerunt fide justifi-*

justificante, ac proinde justitiâ coram Deo. Unde permanserunt in peccatis suis, & in illis sunt mortui. Fides enim necessaria ad justificationem, ut hæc Religio tradit, est illa, quâ homo firmiter credit se esse justum coram Deo propter Christi satisfactionem, quæ ipsi per hanc fidem applicetur, & imputetur.

Hanc autem fidem constat orbi ignotam usque ad Lutheri tempora fuisse. Neque ipse diffitetur, sed potiùs gloriatur, quòd veram rationem justificationis à veteribus obscuratam, mundo patefecerit. Idem constat ex omnium veterum scriptis, tum quia præter fidem Christi requirunt internam voluntatis mutationem, & propositum servandi totam legem: tum quia damnant illam securitatem salutis, & volunt, hominem cum timore, & tremore salutem suam operari, & semper esse sollicitum. Unde fidem illam specialem, quâ quis certò credat se esse justum, omnes reiiciunt, ut meram præsumptionem. Etsi enim credendum sit, Christum ex parte sua pro nobis plenissimè satisfecisse, non tamen constat nobis, utrum nos fecerimus ea omnia, quæ ex parte nostra sunt necessaria, ut huius satisfactionis simus participes, & utrùm eâ aliquando non excidemus.

Perspicuum igitur est, omnes veteres hac fide caruisse. Damnati sunt igitur tot sancti Patres, tot Martyres, tot Virgines. Quis autem non videat, hæc esse absurda incredibilia, & blasphema?

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Ultimum caput probandi solam Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, quia illi soli conveniunt notæ veræ Ecclesiæ, nempe quòd sit visibilis, & conspicua, *quòd sit* Una, Sancta, Catholica, & Apostolica.

§. I.

Ostenditur, illam solam esse verè visibilem.

CCCXXIII. Omnes has proprietates debere convenire Ecclesiæ à Christo supra Petrum fundatæ, constat ex scripturis. Imprimis, quòd debeat esse visibilis, & conspicua, ostendimus cap. 1. §. 2. & ostendunt omnes Controversistæ contra hæreticos hujus temporis, asserentes Ecclesiam esse invisibilem, & soli Deo cognitam. Et sanè quòd vera Christi Ecclesia sit visibilis, probatur ex scripturis omnibus, ubicumque invenitur nomen *Ecclesiæ.* Nam ut inquit Bellar. lib. de notis Ecclesiæ cap. 12. semper nomine Ecclesiæ, visibilis congregatio significa-

gnificatur, nec unum saltem *locum Calvinus proferre potuit*, nec protulit, ubi hoc nomen tribueretur congregationi *invisibili*, quod latè ibi ostendit. Et probatur ex definitione Ecclesiæ, quam rejectis hæreticorum sententijs, statuit Bellarminus tom. 2. lib. 3. de Ecclesia militante: nam Ecclesia est congregatio hominum utentium Sacramentis eisdem, & fidem Christi profitentibus sub regimine legitimorum pastorum: ergo est visibilis, idque ipsum nomen, & ratio Ecclesiæ persuadet. Ecclesia enim est societas quædam, non Angelorum, nec animarum, sed hominum; non potest autem dici societas hominum, nisi in externis, & visibilibus signis consistat; ut enim inquit Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. *in nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio alligentur.* Ratio est, quia non est societas, nisi se cognoscant ij, qui dicuntur socij; non possunt autem homines se agnoscere, nisi societatis vincula sint externa, & visibilia.

CCXXIV. Et sanè cùm extra Ecclesiam veram Christi nemo possit salvari, ut suprà ostendimus, & Deus velit omnes homines salvos fieri, vult, ut omnes veniant ad Ecclesiam veram Christi, & in illa perseverent, & ad id omnes obligat sub pœna æterna mortis: hoc autem fieri non posset, nisi Ecclesia vera Christi esset visibilis; quomodo enim obligare posset homines ad intrandum in Ecclesiam invisibilem? ergo debet esse visibilis vera Christi Ecclesia. Nec solùm debet esse visibilis, sed ita conspicua, ut sit veluti Civitas supra montem posita, & veluti tabernaculum in sole, id est talibus notis, prærogativis, & excellentijs ornata, ut quicumque seriò, & ex animo quærunt suam salutem, possint cognoscere, quænam sit vera Christi Ecclesia, in qua sola potest salus obtineri. Quæ prærogativa nulli hæreticorum sectæ, sed soli Ecclesiæ Catholicæ Romanæ convenit; illa sola habet evidentia signa credibilitatis, quæ ostendunt, ipsam habere Deum Authorem, & esse illam eandem, quam Christus supra Petrum fundavit, ut evincunt argumenta, quæ in hoc tractatu confecimus. Ergo sola Ecclesia Catholica est visibilis ea visibilitate, quæ est propria veræ Ecclesiæ Christi, ita scilicet, ut omnes teneantur illi se adjungere, & in illa perseverare, id est, Capiti ejus obedire, & cæteris ejus membris communicare, ut docent Cyprianus in libro de simplicitate Prælatorum, Hieronymus in Epistola ad Damasum de nomine hypostasis, & Augustinus lib. 4. de Baptismo cap. 1.

§. II.

Ostenditur, illam solam esse verè unam.

CCCXXV. Rursus sola Ecclesia Catholica est *una*, unitate requisita ad constituendam veram Ecclesiam Christi. Dicitur

citur enim Ecclesia *una* propter unionem, & consensum eorum, qui in Ecclesia sunt; omnes enim unam eandémque fidem profitentur, juxta illud Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Ut autem præclarè notat P. Valentia, *Ecclesia Christi non ob eam rem solùm ab unitate fidei, & doctrinæ, una esse dicitur, quoniam omnes, qui sunt ejus membra, in eadem fide, atque doctrina, quamdiu sunt ejus membra, consentiunt actu, sed quoniam modum, atque rationem ipsa tenet accommodatissimam ad consensionem fidei tuendam. Ratio est perspicua, quia si Ecclesiæ unitatem in actuali tantùm doctrinæ fidei consensione, & non præcipuè in ratione ad consensum accommodatissima poneremus, nil omnino magnum Ecclesiæ Christi tribueremus, nec posset Ecclesia Catholica per eam notam ab hæreticorum conventiculis ullo modo discerni. Quis enim unquam fuit hæreticorum cætus tam exiguus, in quo qui ad eum pertinuerunt, quamdiu pertinuerunt, non fuerint actu de doctrina consentientes? cùm enim primùm aliquis prudens ac sciens ab aliis dissentit, censetur ad eum cætum non pertinere.*

Præcipua ergo ratio, ob quam ab unitate doctrinæ Ecclesia Catholica dicitur Una, est, quia ipsa unum Pastorem rectissimè agnoscit, cujus judicio in fidei controversiis acquiescit vel quia, ut Cyprianus Epist. 9. Ecclesiam definit, ipsa est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. *Atque adeò quàm facile est in Ecclesia cognoscere, quid summus Pontifex in fidei quæstionibus è Cathedra; id est universam obligando Ecclesiam, decernat, tam est Ecclesiæ facile, retinere in doctrina fidei consensum: è contra verò hæreticorum omnium conventicula, dum scripturarum, atque adeò fidei explicationem alicui certæ authoritati, tanquam divinâ assistentiâ infallibili non committunt, sed unicuique scripturam solam, ut unicam, ac sufficientem fidei magistram, designant, necesse est, ut in tot sententias de fide diversas distrahantur, quot sunt fere capita. Ergo ideo Christi Ecclesia una est unitate doctrinæ, quia omnia membra capiti in credendo adhærere debent, & ideo Cyprianus aiebat,* exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur, *& Hieronymus,* propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.

CCCXXVI. Quare sola Ecclesia Catholica est verè una: quia in illa sola datur regula visibilis infallibilis ad decidendas fidei, & morum controversias, & proponendum fidelibus cum infallibilitate, quid credere debeant, nempe Romanus Pontifex, vel cum Concilio generali, vel sine illo, dum è Cathedra Petri totam Ecclesiam instruit de iis, quæ credere debet. Ut enim inquit D. Thomas 4. contra gentes cap. 76. *ad unitatem Ecclesiæ* requiritur, *quòd omnes fideles in fide conveniant: circa ea verò, quæ fidei sunt,* contingit *quæstiones moveri;* per diversitatem *autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per sententiam unius conservaretur.*

Sententia autem unius, nempe Romani Pontificis semper est necessaria ad conservandam unitatem fidei; quamvis enim res fidei determinentur in Concilio Generali, est necessaria sententia Romani Pontificis, intimantis toti Ecclesiæ decreta Concilij, & obligantis per modum superioris ad illa suscipienda; ut ostendimus cap. 7. §. XII.

CCCXXVII. Quare ad Unitatem fidei conservandam debent omnia Ecclesiæ membra esse unita cum capite, nempe cum Romano Pontifice, eámque fidei doctrinam amplecti, quam Ecclesia Romana, quæ matrix est omnium Ecclesiarum, tenet, & Cathedra Petri credendam proponit. Idque ab experientia constat: ut enim observat Cardinalis Bellarmin: videmus, *omnes Ecclesias, quæ ab isto capite se diviserunt, tanquam ramos præcisos à radice, continuò aruisse. Certè Ecclesia Asiatica, & Africana, quæ quondam ita florebant, ut numerosissima Concilia celebrarent, & semper haberent multos homines, vel doctrinâ, vel sanctitate, vel utroque Dei munere clarissimos, ab eo tempore, quo à Romana Ecclesia schisma fecerunt, nulla Concilia celebrârunt, nullos habuerunt homines, famâ sanctitatis, aut doctrina toti orbi notos, & nunc in summa ignoratione versantur.*

CCCXXVIII. Ex hac unione membrorum cum capite oritur concordia membrorum inter se, & conspiratio in doctrina fidei, ut eadem dogmata ubique terrarum credant omnes Catholici: propterea concordia ista est signum Regni Dei, quod debet stare in æternum, sicut è contra discordia est signum Regni diaboli, quod corruere debet; nam ut inquit Christus Matt. 12. *omne Regnum in seipsum divisum desolabitur,* & ut ait Apostolus 1. Corinth. 14. *non est Deus divisionis, sed pacis,* & idcirco diabolus, ut Ecclesiam everteret, introduxit hæreses; ut enim dicit Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 52. diabolus cupiens per hæreticos efficere, ut in Ecclesia Christi essent liberæ dissensiones, sicut erant in Academijs Philosophorum, ut sicut illæ per multas divisiones tandem intereunt, & ab invicem consumuntur, ita fieret in Ecclesia.

CCCXXIX. Et hinc desumit Bellarminus clarissimum argumentum ad convincendum, solam Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Christi Ecclesiam: *siquidem in illa imprimis omnes scriptores sacri mirificè inter se consentiunt, licét fuerint homines diversi & in locis, temporibus, ac linguis diversis scripserint, quod pro re planè divina B. August. observat lib. 18. de Civit. Dei c. 41. deinde omnia legitimorum conciliorum, & Pontificum decreta etiam in omnibus dogmatibus inter se conveniunt, licèt edita sint à diversis hominibus, diversis locis, temporibus occasionibus, & contra diversissimas, imò sæpe contrarias hæreses: quod est apertum signum unius, & ejusdem Spiritûs sancti, hanc Ecclesiam gubernantis. Hoc autem esse verum, ostendit diligentia hæreticorum, qui licèt omnia diligenter evoluerint, tamen non invenerunt*

quidquam

quidquam ullius momenti, quod reprehendere possent, ut in disputatione de Concilijs ostendimus.

Denique, nunc omnes Catholici toto orbe dispersi de omnibus dogmatibus fidei sentiunt idem, nec possunt aliter sentire, cùm omnes subjiciant sensum suum sensui unius, & ejusdem summi Pastoris, ex Cathedra Petri cum consilio aliorum Pastorum Ecclesiam dirigentis.

§. III.

Sicut Ecclesiæ Romanæ unitas probat ejus veritatem, ita innumeræ sectæ subortæ ex hæresi Lutherana, & Calvina, & contradictiones suorum Authorum, probant earum falsitatem.

CCCXXX. E contra verò constat, nullam unquam fuisse sectam hæreticorum, quæ unitatem in doctrina suæ fidei diu conservaverit, & quæ intra paucum tempus non sit divisa in alias plures, quod longa inductione probat Bellar. lib. de notis Ecclesiæ cap. X. Nobis sufficiat enarrare, quod hæreticis nostri temporis accidit. Constat namque ex Federico Staphilo in libello de concordia discipulorum Lutheri, Lutheranos vix dum natos, dividi cæpisse in Anabaptistas, Confessionistas, & Sacramentarios, & rursùs singulas sectas in alias & alias usque ad 34. & hoc quidem tempore Staphili. *Nunc autem* (aiebat Bellarminus anno 1583. in quo primò prodijt in lucem secundus controversiarum tomus) *numerantur ferè centum diversissima secta ab uno Luthero prodeuntes.* Ipsa confessio Augustana, quæ medullam Lutheranismi continet, ita intra paucos annos immutata est, ut nesciant ipsi, quænam sit vera Confessio Augustana: ut enim ait Fabritius Leodius in sua Harmonia, qui contulit unam editionem illius factam anno 1530. cum alia facta anno 1540. una est duplo major aliâ. Ex eadem Provincia Saxonicâ (inquit Bellar.) intra *decem annos prodierunt contradictoria sententia publico nomine edita, de re omnium gravissima. Nam in Synodo Dresdensi anno MDLXXI. celebratâ communi consensu exploserunt sententiam Brentij, Illyrici, & aliorum de persona Christi, & tamen illam ipsam sententiam à se damnatam, anno MDLXXX. in libro concordia publicè receperunt, & tam Synodus, quàm Concordia Wittemberga impressa sunt, & ejusdem Principis auctoritatem præseferunt.*

CCCXXXI. Et hoc quidem magnâ Dei providentiâ fit, ut hæretici consistentiam non habeant in suis doctrinis, nam hoc pacto hæreses se ipsas consumunt; divisio enim earum non est mathematica, quæ procedat in infinitum; unde Isai. 19. dicitur: *concurrere faciam Ægyptios adversùs Ægyptios.* Et propterea Hilarius 7. de Trinitate meritò dixit. *Bellum hæreticorum pax Ecclesiæ est.* Ipse Lutherus, qui de se dicebat, *certus sum, quòd doctrinam meam de cælo habeam: certissimus sum, quòd doctrina mea non sit mea, sed Christi,*

Christi, sibi ipsi ita contrarius fuit, ut de sola communione Eucharistiæ ex ipsius operibus ipso vivo notatæ sint 36. contradictiones à Gaspare Querhamer Laico Saxone, & in lucem editæ in libello, cui titulus, *tabula contradictionum Lutheri*, cum maxima confusione Lutheri, & authoritatis ipsius imminutione: de communione sub utraque specie notatæ sunt à Doctore Gochleo contradictiones septem, librúmque hic Doctor composuit, cui titulus *Lutherus septiceps*, qui nihil aliud continet, quàm Lutheri contradictiones, & contrarias de omnibus penè controversis articulis sententias suis verbis expressas. Ex quo evidenter deprehenditur, Lutherum seductorem fuisse.

CCCXXXII. Contradictiones Calvini palam detexit Nicolaus Romæus in Calvini nova effigie, spectaculo 9. §. 4. pag. 565. ubi sic loquitur: *Porrò quàm turpiter secum ipse subinde pugnet, nimis prolixum esset referre. Longè prolixius est, Calvine, tuas tecum pugnas referre: nam ut de aliis tuis libris nihil dicam, tota tua institutio est cento contradictionum, ut artis sit invenire locum, non ubi sint, sed ubi non sint, ut non tanta nobiscum, quanta tecum tibi sit contentio: ut à nullo possit Calvinus, quàm à Calvino vehementiùs refutari. Nam ut in tua doctrina nihil certi te habere ostendas, instar arundinis modò huc, modò illuc, imaginationis tuæ vento agitaris. Itaque non tantùm in una hac institutione fœdissimè tecum pugnas, sed in uno libro, in uno capite, in una sectione, in una & eadem periodo, seu Oratione.*

CCCXXXIII. Hactenus ille, qui hujus rei statim probationes subjungit. Hinc Richardus Arsdekin Author modernus tom. 1. Theologiæ tripartitæ tract. 3. in proœmio articuli primi agens de sectis modernis, *proferimus* (inquit) *discordias, ac pugnas novatorum, ac imprimis Lutheri, non tantùm cum vera Ecclesia, sed etiam cum sacris litteris impiè depravatis, cum se ipso sibi contrario, & cum suis Asseclis per sectas innumeras ab ipso dissidentibus, dum confusione plusquam Babylonicâ idem ipse destruit & ædificat, affirmat, & negat, neque secum ipse consentit, dum tamen toties Ecclesiæ consensui se opponit, quod manifestum est erroris, ac spiritus sathanici indicium. Ut hinc tandem videant moderni sectarij, quàm devios sibi duces in via salutis elegerint, & desertis tandem erroribus ad rectam Ecclesiæ semitam tempestivè regrediantur.*

CCCXXXIV. Hactenus ille, qui postquam descripsit innumeras sectarum differentias inter se diffidentes, quæ ex Hæresi Lutheri, & Calvini in Germania, in Anglia, & Hollandia prodiêre, ut meritò dici possit, *quot capita, tot sententiæ*, articulo 3. sic concludit. *Et erit etiamnum aliquis adeò fatuus, & excors, ut seriò in animum inducat suum, infinitam Dei sapientiam reformandæ suæ Ecclesiæ hanc hæresum inter se mutuò dissectarum, atque armatarum colluviem in orbem immisisse. Quæ cùm antiquam Ecclesiam evertat,*

evertat, neque per se novam, nisi merè Babylonicam constituat, quid aliud restat, quàm ut omnem Christi Ecclesiam è mundo eliminet. Quis igitur erit, nisi rationis penitus expers, qui sibi sinat persuaderi, huic portentosæ tot capitum Hydræ spiritum inesse divinum, qui audiri debeat, contra authoritatem, & vocem totius Ecclesiæ Romanæ, quæ constanti sedecim sæculorum decursu suam fidem, cælestibus signis comprobatam, summo animorum, dogmatúmque consensu, per orbem penè universum propagavit.

§. IV.

Ostenditur, solam Ecclesiam Romanam esse sanctam.

CCCXXXV. Sicut Ecclesia vera Christi debet esse una, ita debet esse *sancta*, ut constat ex symbolo Constantipolitano, *credo in unam sanctam Ecclesiam*, imò ex symbolo Apostolorum, *credo in sanctam Ecclesiam.* Dicitur autem Ecclesia sancta ex multiplici capite, 1. quia nullus potest in illam ingredi, nisi per Baptismum habentem vim sanctificandi animam. Unde dicebat Apostolus 1. Corinth. 6. 11. *Hæc quidem fuistis, sed abluti, & sanctificati estis.* 2. Quia extra illam vera sanctitas esse non potest, cùm vera sanctitas sine vera fide reperiri non valeat, nec vera fides extra illam inveniri possit, ut suprà ostendimus. 3. Omnia ipsius Sacramenta, & cæremoniæ, & ritus ad sanctitatem ordinantur; eò enim spectant, ut vel sancti efficiamur, vel in sanctitate crescamus, & confirmemur. 4. Quia Christus, qui est ejus sponsus, & caput primarium, est Sanctus Sanctorum. Denique Ecclesia sancta dicitur ob professionem, & doctrinam, ut enim inquit Bellarminus lib. de notis Ecclesiæ cap. XI. *Constat, sanctam dici Ecclesiam quia professio ejus est sancta, nihil continens falsum quoad fidei doctrinam, nihil injustum, quoad doctrinam morum. Unde Psal. 18. appellatur lex Domini immaculata, testimonium Domini fidele, præceptum Domini lucidum.* Unde meritò Augustinus lib. 2. de Civitate cap. 18. dixit: *Nihil in Christianis Ecclesiis turpe, & flagitiosum spectandum, imitandúmque proponitur, ubi veri Dei, aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur*, & lib. 22. cap. 7. *Persuadebatur veritas, nova consuetudini, sed non contraria rationi.* Religio namque Christiana, hoc ipso quòd veram doctrinam de Deo revelatam contineat, cõtinet multa mysteria supernaturalia, quæ sunt supra rationem, & per rationẽ probari non possunt, ut mysterium Trinitatis, & Incarnationis, & præsentia realis Christi in Eucharistia; licèt autem sint supra rationem, & non possint rectè intelligi, nisi priùs credantur, non sunt tamen contraria rationi.

CCCXXXVI. *Ex hac nota* (subdit ubi suprà Bellar.) *evidenter ostenditur, nullam esse veram Ecclesiam, nisi nostram: nulla enim est secta, vel Pagano-*

Paganorum, vel Turcarum, vel hæreticorum, quæ non contineat aliquos exploratos errores, & rectæ rationi manifestè contrarios. Quod ibi longa inductione probat, & nos contra Mahumetanos in altera hujus manuductionis parte ostendemus. De sectis autem hæreticorum nostri temporis demonstravimus paulò suprà, nimirum cap. 13. huius libri. Ergo manifestum est, inter Religiones solam Christianam, & inter Christianas solam Catholicam Romanam esse veram.

§. V.

Ostenditur, solam Ecclesiam Romanam esse Catholicam, ac proinde solam illam esse veram Christi Ecclesiam.

CCCXXXVII. Ex hoc etiam capite validè probatur, solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, quia illa religio censenda est vera Christi Religio, quæ semper *habita* & dicta fuit Catholica, juxta illud Symboli, *Credo sanctam Ecclesiam* Catholicam. Atqui sola Ecclesia Romana dicta semper est *Catholica*, ejúsque cultores *Catholici*. Ergo sola Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia. Minor probatur, quia quamvis Hæretici suis sectis conati sint arrogare nomen Ecclesiæ Catholicæ, & *Catholici* audire curaverint, nunquam id obtinere potuerunt, sed ipsi hæretici vel inviti nomine *Catholicorum* intelligunt eos, qui sunt sub obedientia Romani Pontificis, & fidem Ecclesiæ Romanæ tenent, credendo ea, quæ Sedes Petri credenda proponit, & quæ Ecclesia particularis Romana, quæ reliquarum Ecclesiam mater est, credit, & tenet, collectióque omnium Ecclesiarum, quæ cum Ecclesia Romana in fide communicant, & Episcopo Romano, ut Vicario Christi obediunt, intelligitur nomine Ecclesiæ Romanæ universalis. Ita observavit Augustinus lib. contra Epistolam fundamenti cap. 4. ubi dicit, quòd *etiamsi omnis hæresis velit videri, & dici Catholica Ecclesia, tamen cùm interrogantur hæretici à Paganis, ubi ad Catholicam conveniatur? nemo audet domum suam ostendere.* Idem docet Cyrillus Catech. 18. ijs verbis: *si iveris in aliquam urbem, non petas, ubi sit Ecclesia. vel Domus Dei, nam etiam hæretici dicunt, se habere Domum Dei, & Ecclesiam, sed petas, ubi sit Catholica Ecclesiam; id enim est nomen proprium hujus sanctæ Ecclesiæ matris omnium nostrûm, quasi dicat, si hoc petas, nullus hæreticus suam Ecclesiam ostendet.*

CCCXXXVIII. Unde S. Pacianus Episcopus Barcinonensis, qui obijt ann: 380. in Epistola ad Symphionianum, quæ est de nomine *Catholico*, in hoc agnoscit divinam providentiam, quæ nunquam permisit, ut nomine Ecclesiæ Catholicæ aliud unquam intelligeretur, quàm Ecclesia Romana supra Petrum fundata, quæ Successores Petri, ut Christi Vicarios reveretur, & cum Sede Petri in fide communicat: quod argumen-

tum majorem vim habet nunc, quando post sexdecim sæcula nunquam Deus permisit, ut Ecclesia Romana à possessione nominis *Catholicæ* deturbaretur. Id enim argumentum est, hoc nomen non ab hominibus, sed à Deo ipso impositum Ecclesiæ Romanæ, quia illa sola, & non ulla hæreticorum secta, est vera Christi Ecclesia. *At certè* (inquit Pacianus) *non est ab homine mutuatum, quod per sæcula tanta non cecidit: Catholicum istud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat* (addamus nos, nec Lutherum, nec Calvinum &c.) *nec hæreticos sumit Authores.* Et infrà: *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen, illud me nuncupat, istud ostendit.* Et ibidem comparat veram Christi Ecclesiam arbori pulcherrimæ, quia ramos suos in omnem partem diffundit; hæreses verò comparat ramis, quæ varijs temporibus à trunco hujus arboris separantur, quin propterea arbor mutetur, sed semper eadem manet. Nomen ergo *Catholicæ* convenit huic arboris trunco, qui semper manet idem, quamvis rami inutiles ab illo separentur, & sicut illi duntaxat rami vivunt, qui conjuncti sunt, & uniti cum trunco, ita illi duntaxat Christiani vivunt verâ vitâ fidei, & charitatis, qui sunt uniti per fidem cum Sede Petri, eosdem tenentes articulos, quos tenet Sedes Petri, & qui per obedientiam Romano Pontifici sunt subjecti: qui autem per hæresim separantur à Sede Petri, sunt veluti rami aridi à trunco arboris præcisi, qui nomen Catholicorum non participant, quia jam non sunt pars hujus arboris.

CCCXXXIX. Hæreticorum sectæ denominantur à suis Authoribus, à Marcione Marcionistæ, ab Ario Ariani, à Macedonio Macedoniani, à Nestorio Nestoriani, ab Eutichete Eutichiani, à Pelagio Pelagiani, à Luthero Lutherani, à Calvino Calvinistæ &c. soli Catholici denominantur à vera Christi fide Christiani *Catholici*, & denominantur Catholici Romani, quia sunt uniti cum Matrice omnium Ecclesiarum, nempe cum Romana, & Pontifici Romano, possidenti Sedem Petri, tanquam Christi Vicario obediunt. Hinc arguit Lactantius lib. 4 cap. 30. hæreticos non esse verè Christianos, quia licèt verum Christianismi Characterem in Baptismo susceperint, tamen carent verâ Christi fide, quia illam per hæresim amiserunt. *Cùm Marcionistæ* (inquit) *aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt, quia Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt. Et propterea* Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos in fine dixit. *Sicubì audieris, eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino Jesu Christo sed à quoquam alio nuncupari, ut Marcionistas, Valentinianos, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.* Et Chrysostomus hom. 33. in Acta Apostolorum, *illi* (inquit) *habent quosdam, à quibus appellantur, prout enim H resiarchæ nomen, ita & secta vocatur; nobis autem nullus vir nomen dedit, sed fides ipsa.* Siquidem à vera Christi

fide Catholica denominamur Catholici, & quia illa vera fides non alia est, quàm fides Sedis Romanæ, denominamur Catholici Romani.

CCCXL. Nec solùm nomine Ecclesia Romana Catholica dicitur, sed re ipsâ nomine significatâ, quia Catholicum idem est, ac universale, latissimè patens, & ad omnia se extendens. *Unde Ecclesia dicitur* Catholica *seu universalis tribus de causis.* 1. ratione loci, *quia per universum orbem diffusa est, Marci* 16. 15. Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. 2. *Ratione temporis, quia semper durabit. Dan.* 2. 44. Suscitabit Dominus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur. 3. *Ratione hominum salvandorum, quia quotquot salvantur, in visibili Ecclesia salvantur, & nullus extra eam salvari potest. Hinc patet discrimen inter Ecclesiam Christi, & Synagogam Judæorum. Hæc enim nullo istorum modorum fuit Catholica, seu universalis. Non primo, quia non fuit diffusa per totum orbem, sed per solam Palæstinam. Nec secundo, quia non duravit, nisi certo tempore, nempè usque ad mortem Christi. Nec tertio, quia poterant salvari homines extra Synagogum, ut Ninivitæ, & alij.* Hæc autem Religio Catholica, & universalis est solùm Religio Romana, quia (ut scribebat Lessius ann: 1609.) *per totum orbem diffusa extendit se ad omnes gentes, & ad omnia regna. Nullum enim est regnum, nulla gens nobis cognita, quæ hanc Religionem, vel non habeat adhuc, vel aliquando non habuerit, vel modò non incipiat habere. Imò hoc tempore penè apud omnes gentes est publica Religionis nostræ professio. Nimirum, apud Japones, Chinas, Indos, Persas, Tartaros, Turcas, Afros, Brasilios, Peruanos, Mexicanos &c. Omnibus enim his locis reperiuntur Catholici, reperiuntur templa, altaria, imagines Christi, & sanctorum: celebratur Missa, administrantur nostra Sacramenta, servantur festa, & jejunia, denique servatur publicè Religio Romana. Cui dubium esse possit, eam esse veram Religionem, & veram salutis viam, quam Dominus omnibus regnis proponit, & prædicari voluit, quam in omnibus regnis tempore congruo crescere, & fructificare fecit, & quam etiamnum ubique aliquo modo conservat, efficiens, ut Catholici per totum orbem sint dispersi, ut infideles per illos ad veræ Religionis notitiam pervenire possint.*

Extendit etiam se ad omnia tempora, quæ quidem ab Apostolorum ævo fluxêre. *Nulla enim ætas, nullum sæculum ab eo tempore assignari potest, quo hæc Religio non fuerit. Omnibus sæculis celebrata Missa pro vivis, & defunctis, celebrata festa, servata jejunia, frequentata vota Monastica, invocati sancti, honoratæ sanctorum reliquiæ, & alia nostræ Religioni propria in usu fuêre, ut ex omnium ætatum scriptoribus constat, Extendit se etiam ad omnes homines, quia ut suprà ostendimus, nullus homo extra Ecclesiam Catholicam salvari potest.*

§. VI.

§. VI.

Ostenditur, solam Ecclesiam Romanam esse Apostolicam, ac proinde illam solam esse veram Christi Ecclesiam.

CCCXLI. Ecclesia dicitur Apostolica, 1. quia ab Apostolis initium habuit, & ab illis fundata est, & per orbem terrarum propagata. Nam ut inquit Apostolus Rom. 8. *in omnem terram exivit sonus eorum.* Dicitur etiam *Apostolica*, quia per continuatam seriem Episcoporum ab Apostolis descendit, & originem trahit. Demùm dicitur *Apostolica*, quia conservat fidem, & doctrinam ab Apostolis traditam.

Manifestum autem est, solam Ecclesiam Romanam has prærogativas habere: non autem Ecclesiam Lutheranam, vel Calvinianam, vel ullam aliam hæreticorum sectam, ut constat ex dictis cap. 1. §. 4. Manifestum etiam est, Ecclesiam Universalem, quæ Romanum Pontificem, ut Christi Vicarium veneratur, & illi subjecta est, denominari Romanam, à præcipua sui parte, nimirum ab Ecclesia particulari Romana, quam Apostoli Petrus, & Paulus fundârunt, & in qua Petrus fuit primus Episcopus, quæ est reliquarum Ecclesiam Mater, & Magistra. Unde tam certum est, Ecclesiam universalem esse Apostolicam, quàm certum est, esse Apostolicam Ecclesiam Romanam, in qua modò sedet Alexander VIII. At certissimum est, Ecclesiam Romanam esse Apostolicam, quia ab Apostolis fundata est, & ab Apostolo Petro numerat Pastorum suorum successionem, quia evidenter evidentiâ facti probatur, Alexandrum VIII. successisse Innocentio XI. Innocentiũ XI. successisse Clementi X. Clementem X. Clementi Nono: Clementem Nonum Alexandro VII. Alexandrum VII. Innocentio X. & Innocentium X. Urbano VIII. & sic ascendendo perveniemus ad Petrum: Ergo evidenter evidentiâ facti probatur, Ecclesiam Romanam fundatam esse ab Apostolo Petro, & Pontificem Romanum esse ejus successorem; ac proinde esse Ecclesiam Apostolicam.

CCCXLII. Deinde suprà cap. 2. demonstravimus, nunquam Ecclesiam Romanam amisisse eam fidem, quam ab Apostolis acceperat. Unde quod Augustinus scripsit Epist. 126. *In Romana Ecclesia semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus*, etiam modò, & omni sæculo verificatur. Et ideo totum Concilium generale Chalcedonense ex 630. Patribus Latinis, & Græcis compositum, *Petrum* appellavit *Petram*, *& crepidinem Ecclesiæ Catholicæ*, Actione 3. Cùm ergo omnes Ecclesiæ particulares Catholicæ, quæ Romanum Pontificem agnoscunt, ut Vicarium Christi, ipsique obediunt, communicent in fide cum Ecclesia particulari Romana, & eam fidem teneant, quam Sedes Petri docet, sequitur manifestè, Ecclesiam Romanam universalem, prout est collectio Ecclesiarum obedientium Romano Ponti-

fici, esse Apostolicam, quoad fidem quam tenet, & quoad successionem suorum Pastorum: quamvis enim maxima pars Episcopatuum, & sedium Episcopalium de novo erectæ sint post mortem Apostolorum, ac proinde paucæ sint, in quibus Apostoli sederunt, ut Episcopi: tamen primi illarum Civitatum Episcopi, vel ab Apostolis instituti sunt, vel à Romano Pontifice Successore Apostolorum, & ordinem Episcopalem vel imediatè ab Apostolis acceperunt, vel mediatè, nempè mediantibus alijs Episcopis, qui tandem ab Apostolis originem traxerunt.

Sectæ autem hæreticorum nec successionem suorum Episcoporum habent ab Apostolis, cùm sint novæ, nec earum doctrina esse potest Apostolica, cùm sit opposita doctrinæ, quam Ecclesia Romana ab Apostolis accepit, ut abunde probatum est, cap. 1. & 2.

CAPUT ULTIMUM.

Concluditur liber, proponitúrque eius usus, & utilitas ad disputandum cum hæreticis.

CCCXLIII. EX disputatis in toto libro, satìs constat, supposita fide in Christum & veritate scripturarum, evidenter demonstrari, solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam. Ut autem monuimus lib. 2. cap, 1. § 6. Missionarius Evangelicus ut utiliter de rebus religionis disputet cum hæreticis, debet prætermittere controversias particulares, & adversatios reducere ad unam generalem, quæ omnes complectitur, nimirum ad controversiam *de Ecclesia*: assumat principium, in quo hæretici omnes conveniunt cum Catholicis, nempe articulum symboli *de Ecclesia* sancta: Omnes enim, qui articulos contentos in Symbolo Apostolorum credunt, tenentur credere, dari in Mundo *Ecclesiam sanctam*, & juxta Symbolum Constantinopolitani Concilij, seu secundæ Synodi Generalis, tenentur credere *in unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Deinde cùm illi admittant Evangelia, & fateantur à Christo dicta esse illa verba. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; nisi Christum, vel mendacem, vel insipientem in promittendo facere velint, debent necessariò concedere, Christum supra Petrum fundâsse Ecclesiam suam, & illam, ex quo ab ipso fundata est, semper in mundo extitisse, & usque in finem mundi permansuram. Ergo necessariò fateri debent, dari nunc in mundo aliquam veram Christi Ecclesiam. Deinde

inde cùm Apostolus affirmet, *Ecclesiam Dei esse columnam, & firmamentum veritatis*, necessariò fateri debent, vera esse omnia dogmata, quæ illa tanquam articulos, & veritates fidei credit, & credenda proponit, ut constat ex dictis cap. 1. §. 3. Si enim vel unam falsitatem, seu errorem unum tanquam dogma fidei juberet credi, non esset columna, & firmamentum veritatis, sed Magistra errorum. Ergò hæretici utrumque necessariò admittere debent, nempe, & existere in mundo aliquam veram Christi Ecclesiam, & vera esse omnia dogmata, quæ illa vera Christi Ecclesia credenda proponit.

CCCXLIV. Admissis his duobus principijs, promptum erit evincere, vera esse omnia dogmata, quæ credenda proponit Ecclesia Catholica Romana, v.g. septem esse Sacramenta, Christum esse physicè præsentem sub speciebus panis, & vini, & nihil de substantia panis, & vini sub illis manere post consecrationem; dari purgatorium: imagines Christi, & sanctorum esse colendas &c. sic enim arguet Doctor Catholicus. *Ea omnia*, quæ vera Christi Ecclesia tanquam dogmata fidei credit, & credenda proponit, vera sunt. Atqui sola Ecclesia Catholica Romana est vera Christi Ecclesia, & illa tanquam dogmata fidei credit, & credenda proponit talia & talia dogmata. Ergò hæc vera sunt.

CCCXLV. In hoc discursu major concedetur ab hæretico, quia expressè revelatum est, Ecclesiam Christi esse columnam, & firmamentum veritatis, ac proinde non posse esse Magistram errorum: Minor quoad secundam partem est evidens evidentiâ facti, quia evidenter constat, illa omnia esse dogmata fidei in Ecclesia Romana. Tota ergo disputatio reducetur ad probandam primam partem minoris, nempè quòd sola Ecclesia Catholica Romana sit vera Christi Ecclesia. Ad hanc autem propositionem probandam habemus argumenta evidentia, qualia sunt ea, quæ in hoc libro ponderavimus: evidenter enim demonstratur, inter Religiones Christianas, nec Lutheranam, nec Calvinianam, nec ullam aliam hæreticorum sectam, sed solam Religionem Catholicam Romanam esse veram Christi Religionem, & Ecclesiam, & in illa sola posse homines salvari. Unde Missionarius attentè ruminetur capita probandi illam propositionem, à nobis expensa in hoc tractatu, & ex illis argumenta depromere poterit efficacia ad convincendos adversarios.

CCCXLVI. Utinam Deus eorum oculos illuminet, *ne obdormiant in morte*, sed emittat *lucem suam, & veritatem suam*, ut veniant ad veram Ecclesiam, quod absdubio faciet, si ipsi lucem ab ipso enixè petant, & de hac re seriò deliberent; quod facere non poterunt, nisi priùs exuant anticipatam quandam opinionem, quâ tenentur de idololatria, superstitionibus, & abusibus Ecclesiæ Catholicæ. Primùm ergo monendi sunt, ut se disponant ad lucem divinam, & donum

num veræ fidei à Deo suscipiendum, deinde ipsis inculcandum, non posse ipsos ad recipiendam lucem divinam se disponere, nisi seponant parumper illud præjudicium de idololatria, & superstitionibus Catholicorum, & seriò cogitent, se in illa sua persuasione falli posse. Incredibile enim est, tot Doctores, & Viros sanctissimos, & sapientissimos, quos Ecclesia Catholica semper habuit, & tot Concilia, quot in Ecclesia Catholica sunt celebrata, ad quæ ex omni mundi parte confluxêre viri, sapientiâ & virtute præstantes, qui erant veluti Christianitatis flos, hanc idololatriam non vidisse, vel visam non solùm non abjecisse, sed sedulò retinuisse, & coluisse. Postulandum deinde est ab ipsis, ut seriò considerent ea, quæ circa hoc punctum diximus cap. 10. §. 8. & ut reflectant, hanc antiquam esse Mahumetanorum, & Iconomachorum calumniam, & nullam unquam fuisse hæreticorum sectam, quæ errores graves Ecclesiæ non imposuerit, & quæ non quæsierit similes prætextus ad tegendam defectionem suam, ut jure videretur ab Ecclesia recessisse. Si hæc faciant, Pater misericordiarum, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ipsos trahet ad veram Christi Filij sui Ecclesiam, ut in æternum cum ipso in cælo regnent.



INDEX

INDEX PRIMÆ PARTIS. MANUDUCTIONIS AD CONVERSIONEM MAHUMETANORUM.

PARS PRIMA.

In qua veritas Religionis Christianæ Catholicæ Romanæ manifestis argumentis demonstratur.

LIBER PRIMUS.

IN quo sensibilibus argumentis Divinitas Christi Domini evidenter demonstratur, & evidens credibilitas Religionis Christianæ proponitur.

LIBER SECUNDUS.

IN quo ostenditur, Religionem Christianam non solùm esse evidenter credibilem, sed evidenter veram evidentiâ in attestante, quatenus evidenter demonstratur, Deum esse Authorem illius, Ubi natura nostræ fidei latè exponitur, & ostenditur, ad credendum Fide Divinâ, & obscurâ mysteria nostræ fidei, non debere priùs fide obscura credi authoritatem Dei loquentis, & existentiam revelationis, sed posse fide obscurâ, & liberâ credi mysterium ab homine evidenter cognoscente, Deum illud revelâsse. Ubi etiam pro dignitate explicatur ultima fidei nostræ resolutio sine circulo, & mutuâ prioritate.

LIBER TERTIUS.

IN quo evidenter demonstratur, inter Christianas Religiones solam Catholicam Romanam esse veram Christi Religionem, atque Ecclesiam, & in illa sola inveniri salutem.

Omnia ad Maiorem Dei Gloriam.

MANUDUCTIO
AD CONVERSIONEM
MAHUMETANORUM,
PARS SECUNDA.

In qua

FALSITAS MAHUMETANÆ SECTÆ CONVINCITUR.

AUTHORE

Adm. R. P. THYRSO GONZALEZ DE SANTALLA, è SOC. JESU, IN SALmanticensi Academia SS. Theologiæ Professore Primario Antecessore Emerito,

Nunc verò

UNIVERSÆ SOCIETATIS JESU PRÆPOSITO GENERALI.



DILINGÆ,

Typis & Sumpt. JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ Acad.

Per DANIELEM KNAB.

ANNO M. DC. LXXXIX.

PARS SECUNDA
MANUDUCTIONIS AD CONVERSIONEM MAHUMETANORUM.

IN QUA FALSITAS MAHUMETANÆ sectæ convincitur, paritérque veritas Religionis Christianæ, quæ prima parte demonstrata est, novis iterum argumentis stabilitur.

PROOEMIUM.

Quamvis, quæ prima parte hujus operis diximus de Christi Divinitate, & veritate Religionis Christianæ, evidenter sectam Mahumetanam de falsitate convincant, specialiter in hac secunda parte placuit proponere argumenta illa, quibus sæpe usus sum ad expugnandam Mahumetanorum perfidiam, cùm ad illos publicè conciones haberem in pluribus Hispaniæ Civitatibus, nimirum Malagâ, Velez-Malagâ, Marvellâ, Gibraltar, Xerez de la Frontera, Puerto de Sancta Maria, Cadiz, San Lucar de Barrameda, Hispali, Rondâ, Arcos, & in Curia Matritensi. Nam his argumentis, gratiâ adspirante divinâ, in his locis ducenti permoti sunt ad abjurandum Mahumetismum, & Christianam fidem suscipiendam.

LIBER PRIMUS.

EXHIBENS BREVEM NOTITIAM DE *Mahumeti vita & moribus, de Alcorani erroribus, & de artibus, quibus secta hæc introducta est.*

CAPUT PRIMUM.

Brevis notitia de Mahumetanorum erroribus, & qua arte Mahumetus suam sectam invexerit.

I. LEGEM Mahumeti graphicè describit Card. Bellarm. serm. 5. de Fide, his verbis: *Nihil aliud est lex Mahumeti, ut ex lib. S. Joann. Damasc. de centum Hæresibus cognosci potest, quàm monstrum quoddam horrendum, informe, ingens, ex multis hæresibus, & superstitionibus conflatum. A Judæis habet horrorem carnis suillæ, multitudinem uxorum, libellum repudij, Circumcisionem, creberrima baptismata. Ab hæreticis Arrianis habet, Verbum non esse DEI Filium, neque Patri consubstantiale, sed creatum, & servum. A Nestorianis habet, Christum Dominum de Virgine quidem natum, sed solùm esse hominem, non etiam Deum. A Manichæis habet, Christum, nec passum, nec mortuum esse; & à vino perpetuò abstinendum. Ab Aristippo, & Epicuro habet, summam beatitudinem in hortorum amænitate, & uxorum multitudine, cibo & potu, aliisque corporis voluptatibus positam esse. Porrò jejunium religiosè colunt Mahumetani, sed ab ortu Solis usque ad occasum; noctu verò, quando periculum non est, ne saltem à sole videantur, liberum esse putant, comedere & bibere usque ad satietatem. Postremò, quod maximæ stultitiæ signum est, cum Lege Moysis & Evangelio pugnat, & tamen Christum & Moysen, tanquam Prophetas sanctissimos, & veracissimos veneratur. Itaque Mahumeti propositum non fuit aliud, quàm difficultatem omnem profligare, quam Christiani homines in credendo, & operando patiuntur. Quia difficile est, una uxore contentum esse, & eam non posse dimittere, adhæsit Judæis. Quia difficile erat, credere, unam Essentiam in tribus Personis subsistere, adhæsit Arrianis. Quia difficile erat, unam Personã esse in duabus Naturis, adhæsit Nestorianis. Quia difficile erat, credere, DEUM Christum pati, & mori voluisse, adhæsit Manichæis. Quia difficile erat, propter spiritualia & futura, contemnere corporalia & præsentia, quæ videntur, adhæsit Epicuræis. Quia difficile erat postremò, Christum & Moysem tam perspicuè Sanctos, & DEI amicos, non recipere, & non minùs difficile erat, cum Lege Moysis & Evangelio Christi suam Legem conjungere, Christum & Moysem recepit, sed Legem & Evangelium repudiavit.*

II. Doct.

II. Doct. Martinus de Vivaldo Author illius operis moralis, quod inscribitur, *Candelabrum aureum*, glossans librum, cui titulus, *Zelus Christi adversùs Judæos, & Sarracenos: compositum à Doct. D. Petro de Cavelleria*, fol. 131. n. 448. Catalogum contexuit errorum Mahumetanorum sub hac forma.

1. *Negant Trinitatem cum Sabellio, & Hebræis.*
2. *Christum creaturam esse affirmant cum Hebræis, Arrio, & Eunomio.*
3. *Christum non esse DEUM, sed Prophetam Sanctum, cum Cartoprace.*
4. *DEUM habere Filium, fatetur esse impossibile, quia uxore caret, cum Cerdone.*
5. *Quòd Christus non fuerit crucifixus, sed alius sibi similis, cum Manichæis.*
6. *Negant Christi mysteria, quæ à Christi Passione habent vim, cum Donatistis.*
7. *Dæmones in fine esse salvandos, cum Origene dicunt.*
8. *DEUM habere corpus, affirmant cum Antropomorphitis.*
9. *Felicitatem in voluptate collocant cum Cherinto.*
10. *Circumcisionem admittunt cum Ebionitis.*
11. *Vinum prohibent cum Tacianis.*

III. Eundem Catalogum contexuit Prateolus lib. 10. verb. *Mahumetes*, pag. 304. citátque Authores agentes de erroribus Mahumetanorum, videlicet Ricoldum Ordinis Prædicatorum in libro, quem inscribit, *Confutatio legis Mahumeticæ*: Joannem Turrecrematam; Pium II. Papam in Epist. ad Mahumetem Turcarum Principem; Bartholomæum Hungarum; Guilielmum Postellum in libris de Sarracenorum, & Turcarum origine. Agit præterea contra Mahumetanorũ errores Euthimius Monachus in sua Panoplia orthodoxæ Fidei, part. 2. tit. 24. ubi enumerat centum, & tredecim fabulas, quas Mahumetus in Alcoranum congessit. Alios Authores, qui contra Mahumetanorum errores scripserunt, invenies apud P. Possevin. tom. 1. Bibliot. select. lib. 9. cap. 8. Copiosiùs verò contra Mahumet. scribit S. Petrus Pasch. Martyr, Gienensis Episcopus, è Sacra Familia B. Mariæ de Mercede Redempt. Capt. in speciali tractatu, quem scripsit Granatæ ann. 1300. incarceratus cùm esset pro Christo, & in vinculis ferreis constitutus; qui tractatus cum alijs S. Martyris operibus denuo excusus est Matriti anno 1676.

IV. Duos ego tractatus evolvi, qui mihi maximo usui fuerunt ad conversionem Mahumetanorum. Primus conscriptus est à Mossen Joanne Andrea lingua vulgari, & typis mandatus Valent. ann. 1515. duodecímque duntaxat continet capita, ejúsque titulus est, *Confusio, seu confutatio Mahumetanæ sectæ*, quem è Bibliot. D. Marchionis de Estepa eductum, Granatæ legi, & in compendium redegi ann. 1669. Fuit hic Author priùs Mahumetanus, & Mahumetanorum Alphaquinus, seu Sacerdos in Urbe Xativa: postea autem ad fidem nostram conversus, & prædicator Christi effectus multos in Valentiæ Regno ab impuro Mahumeto ad Christi Vexilla tra-

traduxit. Pervenit hujus ferventis viri fama ad Reges Catholicos, illúmque Granatam adduxerunt, ut suæ gentis homines à tenebris Alcorani ad Evangelij lucem transveheret; & ut majori authoritate Verbum DEI prædicaret, illum Ecclesiæ Granatensis Canonicum effecerunt: & jussu Regum librum illum edidit ad confutanda Mahumeti mendacia. Secundus tractatus, quo usus sum ad conversionem Maurorum, editus est in lucem ann. 1553. à Lup. de Obregon Abulensi Presbytero, & Parochiæ S. Vincentij Parocho, quē dicavit Illustr. D. D. Didaco de Alava, & Esquivel Abulensis Eccl. Episcop. & Supremi Senatus Granatensis Præsidi, fuítque approbatus à S. Inquisitionis Tribunali. In hoc tractatu diligenter depingit Mahumeti vitam, mores, & prædicationem, & Alcorani fabulas detegit, secretiores notitias Mahumetanæ sectæ à Joann. Andrea mutuatus. Hujus tractatus copiam manuscriptam habet Excellentissimus Marchio del Carpio in sua Bibliot. quam ego vidi Matriti anno 1670. & ex illa selectiora quæque in meos codices retuli. Et hi duo Authores præ cæteris vitam Mahumeti diligentiùs scribunt, notitias haurientes ex ipsorum Mahumetanorum libris, quæ proinde apud Mahumetanos majorem fidem faciunt.

V. Mahumeti vitam describit Card. Baron. tom. 8. Annal. ad ann. 630. ex Annalibus Cedreni, & aliorum, & explicat, quo pacto nefanda hæresis excreverit; *Nimirum, quòd primùm ad eum concurrerunt Judæi, existimantes ipsum esse, quem expectarent, Messiam, decémque ex ijs ipsum sectabantur, quòd eum Circumcisionem amplecti scivissent: verùm cùm eundem immunda comedere cognovissent, nempe cameli carnem, à sententia recessêre: sed non cessârunt commovere eum in Christianos. Excogitavit autem ad sectam propagandam versutus nebulo illecebras ex voluptatibus carnalibus comparatas, fœminarum multitudinem suis concedens in hac vita, & in futura iisdem compositum Paradysum, in quo ipsis omnia ad cibum & potum lautè, abundéque suppeterent, & ad coitum pariter adfore pulcherrimarum multitudinem fœminarum; his verò potissimùm potituros fore, qui vel hostem occiderent, vel occiderentur ab hostibus; ista satis astutè proponens, quò suos in bello fortes efficeret.*

VI. *Ut igitur populos omnes alliceret, ex cunctis ferme aliqua miscuit, nempe ex Judæis Circumcisionem, DEI unius cultum, abstinentiam à carne suilla; ex Christianis Christi nomen, ita tamen ut eū sicuti Arriani, sive Nestoriani coleret. Rursum verò ut omnes fæces ejectas ad suā sectam alliceret, & sibi conjungeret, ex Manichæis etiam de Christo illud accepit, ut nequaquam Cruci affixum Christum diceret, sed umbram Christi, Crucem penitus abominatus. De eodem Christo insuper blasphemus ista confinxit, quæ his verbis recitat Damascenus; Christum autem, dicit, Verbum esse DEI, & ejus Filium, sed creatum, atque servum, eúmque fatetur ex Maria sine semine generatum. Ait enim, Verbum, ac Spiritum DEI, cùm in Mariam introiisset, genuisse Filium, qui DEI Propheta, & servus est: Judæos autem contra legem eum*

eum in Crucem agere voluisse, & cùm eum tenuissent, ejus quidem umbram egisse in Crucem, Christum autem, nec in Crucem actum fuisse, nec mortuum; DEUM enim ad se transtulisse in Cœlum, quòd ei esset charissimus. Hoc etiam commemorat, Christum, cùm in Cœlum pervenisset, à DEO interrogatum fuisse, an DEI Filium se esse dixisset? Eúmque facit hoc modo respondentem: in me, Domine, sis placato animo; scis, hanc meam orationem non fuisse, méque tuam non fastidire servitutem. Homines sunt isti, qui contra legem hoc me dixisse arguerunt, falsóque me circumvenerunt crimine, & vehementer errârunt. Tum DEUM hæc ei respondisse: Scio hanc tuam non fuisse orationem. Aliáque multa monstra similia in eo narrat Commentario, quæ ridicula sunt. Hæc Damascenus.

VII. *Ad hæc præterea alias circulator adjecit ineptias, nempe sibi, ut veritatis cultori fideli, tradendas claves Paradisi in die judicij. Fatum insuper asseruit, & sive ad bonum, sive ad malum homines destinari. Cultum præterea astri, quod* Cubar *dicunt, nempe Luciferi, sive Lunæ, commiscuisse tradunt, ne Gentilitiæ sectæ exors existeret. Hanc autem de cultu Luciferi fuisse Sarracenorum antiquam superstitionem, testatur S. Hieronym. in Hilarione. Ista itaque, & alia pudenda infarciens, ad omnium conservationem vafrum illud excogitavit; quòd enim satis intelligeret, cuncta, quæ miscuisset, perfacilè solvenda fore, si ad exactæ disquisitionis revocarentur examen, de traditis à se institutis vetuit disputari. Sícque miseros, quos decipiebat, conjecit in foveam, eosdémque, ne inde emergerent, excæcavit.* Hactenus Baronius.

VIII. Ut autem refert Guilielm. Totani in Fortalitio Fidei fol. 244. callidus iste impostor, ut faciliùs Judæos atque Christianos deciperet, dicebat, se esse Prophetam ad eorum salutem divinitus destinatum, ut legem Judæis ac Christianis datam, quia nimis rigida & severa erat, mitiorum præceptorum promulgatione temperaret. Quia verò Judæi palam obmurmurabant, Mahumetum non esse Prophetam à DEO missum, siquidem nulla edebat miracula in confirmationem suæ legationis, sicut ediderunt Moyses, & alij Prophetæ, finxit revelationem, quæ postea inserta est Alcorano lib. 2. Zorà, seu cap. 9. quæ ita habet: *Tu miracula non edas coram incredulis, quia ea ut rem otiosam explodent.* Dicebátque, quòd, petere miracula, erat DEUM tentare. Et cùm Judæi non cessarent, illum coram populo ut seductorem traducere, ne à suis parvi penderetur, aliam confinxit revelationem ibidem insertam, quæ ita habet: *Increduli, quamvis videant miracula, non tibi credent, nisi vi cogantur; semper enim opponent, te illa virtute diabolica conficere.*

IX. Unde suis persuadebat, se à DEO missum ad exterminandam idololatriam, & unius veri DEI cultum introducendum, quia DEUS alios Prophetas miserat, qui multis editis miraculis id præstare non poterant; & ideo à se gladio, & non linguâ, veram DEI legem introducendam, & propterea inseruit in Alcorano lib. 2. cap. quodam sub hoc titulo, *De ense, seu gladio:* in quo

quo ſic jubet: *Occidite omnes incredulos.* Quæ verba exponens liber *Zunæ*, vel *Sunæ*, in quo dicta, vel facta Mahumeti continentur, & qui apud Mauros eſt paris authoritatis cum Alcorano, ad ipſúmque comparatur, ſicut inter Chriſtianos comparantur Acta Apoſtolorum ad Evangelia, inquit, *Omnes occidite, donec Mahumetani fiant.* Cùm primùm autem armorum vi Almedinam, & Mecham occupavit, Rex juramento inauguratus eſt, edictúmque promulgavit, in quo ſeverè præcipiebat, ut omnes Gentiles, omnes Judæi, & omnes Chriſtiani in illis urbibus commorantes eum ut Prophetam DEI acciperent, & legem ab eo promulgatam amplecterentur, ſub pœna capitis, & confiſcationis bonorum, & ita armorum vi ſectam ſuam invexit.

X. Magna eſt diſſenſio inter Authores circa annos vitæ, & mortis Mahumeti. Bellarminus tom. 1. contr. lib. 3. de Romano Pontifice cap. 3. affirmat, Mahumetum natum ann. Chriſti 597. cæpiſſe autem ſe Prophetam appellare ann. 623. obijſſe verò anno 637. Chronicum Math. Palmer. ſecutus; poſtea verò cap. 10. ait, ſecundùm Joannem Baſeum in Chronico Hiſpaniæ mortuum eſſe anno 628. & ſecundùm Cedrenum in compendio Hiſtoriæ ann. 630. & in eodem ponit ejus mortem Baron. tom. 8. ad annum 630. Lupus de Obregon affirmat, Mahumetum natum anno 568. mortuum verò anno 631. ac proinde vixiſſe 63. annos, & idem affirmat Vir magnæ authoritatis, qui circa tempora Mahumeti vixit, ut teſtatur Dionyſius Carthuſianus in ſuo opere contra Alcoranum lib. 2. art. 1. in fine: *Vixit autem* (inquit Author ille) *ſexaginta tribus annis, quorum viginti tres in ſua prophetia expendit.* Georgius Almacinus celebris hiſtoriæ Sarracenicæ Scriptor Arabs, & profeſſione Mahumetanus, de quo infrà mentionem faciemus, affirmat, vixiſſe 63. annos, & ſecundùm alios 65. mortuúmque eſſe anno undecimo Egyræ die duodecimo menſis Rabij prioris; id eſt anno Chriſti 632. die 16. Julij, ut exponit Thomas Erpenius in notis marginalibus ad hiſtoriam illam (quam ex Arabico Latinam fecit) pag. 5. & pag. 11. Petavius definire non audet, quot annos vixerit Mahum. ſolùm refert opinionem Theophanis affirmantis, decem annis occultam hæreſim illum habuiſſe, ac novemdecim poſtea vi ferróque propagatam aſſeruiſſe: conſtanter tamen affirmat, obijſſe anno 631. Archiepiſcopus Rodericus in hiſtoria Arabum cap. 6. obijſſe annis decem expletis, ex quo apud Damaſcum Regni ſui ceperat Principatum: Ærâ DC. ſexageſimâ ſextâ, anno Heraclij XVII. & Scentillæ Regis Gothorum VII. id eſt anno Chriſti 628. Vitam alij duo ſupra quadraginta annos duxiſſe atteſtantur, quos inter eminet R. P. M. Petrus Abarca, qui in Salmantina Academia Primarius Theologiæ Anteceſſor nobis præluxit, ac modò in Regio noſtro Collegio rei litterariæ præeſt, in ſuis Arragoniæ Annalibus, ubi miram rerum copiam ad ſeverioris hiſtoriæ fidem exactam eleganti adeo ſermonis brevitate circumſcribit, ut verbis energiam videatur addidiſſe, ne rerum dignitati derogaret. Sanctus Petrus Paſchaſius affirmat,

firmat, eo anno, quo ipse scribebat Granatæ tractatum suum contra Alcoranum, nempe anno Christi 1300. Mahumetanos in Hispania existentes communiter asserere, quòd tunc esset annus 699. ab inceptione prædicationis Mahumeti: *Mauri* (inquit) *hac mea tempestate dicunt, quòd nunc sit annus sexcentesimus nonagesimus nonus ab inceptione prædicationis Mahumeti.* Ita habet pag. 47. num. 56. & secundùm hunc computum putat incepisse suam prædicationem anno Christi 600. paulò plus minúsve. Paulò autem antea, nempe pag. 44. num. 50. inquit: *Mauri dicunt, quòd Mahumetus, quando mortuus fuit, habebat septuaginta tres ætatis annos; & quòd vix in illius capite & barba viginti reperiebantur cani.*

CAPUT SECUNDUM.

Quo pacto Mahumetana secta introducta sit?

XI. SEd meritò quis scire desiderabit, quo dolo, quáve astutia Mahumetus se ut Prophetam inceperit venditare, aut quomodo aliquibus persuaserit tam insigne mendacium. Cedrenus apud Baronium sic rem accidisse narrat: *Cùm enim* (inquit) *à Dæmone exagitaretur Mahumetus, & comitiali morbo laboraret, uxorem suam, quæ gravem ex eo capiebat dolorem, quòd nobilis ipsa egeno homini, & vexationibus obnoxio nupsisset, ita demulsit, quòd diceret, se ad conspectum Angeli Gabrielis sibi apparentis concidere. Erat amicus ei mulieri Monachus quidam, qui ob falsam fidem ibi relegatus vivebat. Huic mulier totam rem aperit, Angeli etiam nomine propalato. Hic autem Monachus, ut opinionem eam prorsus in animo mulieris confirmaret, verum Mahumetum Prophetam dicere, ait; eum enim Angelum ad quemvis vatem mitti. Mulier verbis impostoris illius Monachi fidem habens, aliis suis gentilibus mulieribus fabulam enarravit, ab ipsis porrò ad viros alios dimanavit. Ubi verò semel innotuisse scivit, & creditum, se esse Prophetam, sibi ipsi per imaginem quadam effinxit, eadémque, ut divinitus accepta, curioso atque simplici populo facilè persuasit, ac volumen vanis figmentis plenum conscripsit, quod è Cœlo acceptum effinxit, suísque tradidit sectatoribus observandum: sícque factum est, ut ita error vanè conceptus, non miraculorum virtute, sed vi armorum, magis, magísque apud posteros atque etiam exteros invalesceret.*

XII. Sed rem hanc diligentiùs narrat Lupus de Obregon ex Joanne Andrea, & aliis Arabibus rem deducens, & historiam Mahumeti contexens. Ait enim, illum natum fuisse in Urbe Mecha in Arabia fœlice, ex patre gentili, & matre Judæa, ejúsque patrem nomine *Abdalab Motalib*, virum fuisse nobilem, & in ea Civitate Prætorem, seu Iudicem ordinarium, seu Merinum, ut loquuntur Arabes; exsibilátque eos, qui dicunt, Mahumetum fuisse servum, vel infimæ conditionis hominem; constat enim ex libro *Azear*, in quo vitæ Al-

califarum, ſeu Regum narrantur, & ex libro *Suna*, imò ex ipſo Alcorano, Mahumetum, ejúſque fratres fuiſſe nobiles, & ex illuſtri inter ſuos ſtirpe: ejus mater, nomine *Imina*, illum peperit, mortuo jam Abdala, illúmque nutriendum tradidit Halimæ, cujuſdam agricolæ ſeu paſtoris uxori: poſt duos annos mortua eſt Imina ejus mater, ipséque in domo manſit ſuæ nutricis uſque ad decimum ſextum ætatis annum. Tunc verò domum nutricis deſerens, ſuam operam locavit cuidam prædiviti mercatori, nomine Abdemonaphi, qui uxorem habebat *Hadixam* Mahumeti conſobrinam, in ejúſque domum ut famulus admiſſus eſt, & mercium copiam in Cayrum, Perſiam, & Syriam connexã Camelorum ſerie tranſportavit ſimul cum domino ſuo, cui inſerviebat, vel loco illius, novem annorum ſpatio. Poſt hoc tempus mortuus eſt ejus herus, & ipſe matrimonium contraxit cum vidua Hadixa, illúdque agaſonis, ſeu camelionis officium alijs tredecim annis exercuit. Cùm jam verò trigeſimum ſextum ætatis annum ageret, & ſe valde divitem videret, ab illo laborioſo officio abſtinuit, & camelorum gregem famulo ſuo Zeydin cõmendavit, & per illum mercaturam exercuit. Ipſe verò vitam otioſam degens, in urbe commorabatur; & cùm eſſet ingenij curioſi, & novitatum amans, maximè delectabatur rebus novis audiendis, ut eas ſuæ gentis hominibus narraret. Libérque Azear, & Alcorani Gloſſatores narrant, hoc tempore familiariter egiſſe, ſermonéſque habuiſſe creberrimos cum duobus Chriſtianis, gladiorum conflatoribus, qui ei exprobrabant idololatriam, & unius DEI cultum perſuadebant: ille verò cùm eſſet acuto ingenio, ex Chriſtianorum ſermonibus facilè cognovit, unum duntaxat DEUM eſſe adorandum, & idolorum cultum certam eſſe ad æternam perditionem viam, & decrevit, non ampliùs ingredi famoſum illius urbis fanum, in quo incolæ adorabant idolum quoddam, quod *Hallete Haluza* vocabatur, & zelo veritatis incenſus, uxorem ſuam, & fratres, & conſanguineos ab idololatria avertere ſatagebat, & identidem ingeminabat, in unum DEUM Creatorem Cœli, & terræ eſſe credendum; cultum verò idolorum eſſe cultum dæmonum. Mirificè autem delectabatur converſatione Chriſtianorum, qui illi notitiam myſterij Incarnationis ingeſſerunt, & miracula, & opera mirabilia Chriſti Domini expoſuerunt. Ille verò à Chriſtianis inſtructus, quidquid ab illis audîerat, uxori & vicinis ſuis narrabat. Referebat ipſis hiſtoriam creationis primorum parentum, & ipſorum lapſum in peccatum, captivitatem generis humani ſub ſtatu peccati: & quomodo DEUS miſit *Verbum ſuum ad Mariam Virginem*, & quo pacto poſt ſalutationem Archangeli Gabrielis conceptus eſt in ejus utero Chriſtus Dominus ſine ſemine viri, operatione miraculoſa Spiritus Sancti, quæ audientes idololatræ ipſum irridebant. Et ſanè Mahumetus initio rectè de Chriſto videtur ſenſiſſe, ut docet Lupus de Obregon, ex Joanne Andrea; ut enim inquit P. Molina 1. part. quæſt. 26. art. 1. diſp. 1. inter alia hæc ſcribit in Alcorano: *Chriſtus JESUS Filius eſt Mariæ,*

Mariæ, & Apostolus DEI, & Verbum DEI, quod in ea posuit per Spiritum Sanctum. Rursus inducit DEVM dicentem: *Dedimus JESVM Christum Filium Mariæ, ut faceret prodigia, & miracula manifesta, & perfecimus eum per Spiritum Sanctum sanctificatum, & non communi operatione, sed virtute DEI conceptum ex Maria Virgine Sanctissima & super omnes mulieres mundâ procreatum.* Et id quidem docet in Alcorano lib. 1. cap. 3.

XIII. Ut testantur Joannes Andreas, & Lupus de Obregon, & S. Petrus Paschasius pag. 65. num. 83. alias laudes Beatæ Virginis habet in Alcorano, inter quas illa celebris, quòd illam immunem facit à peccato originali, dicens: *Solam inter filios Adam Mariam non tetigit Satan.* Legatur Sanderus lib. 7. de visib. Monarch. Eccles. Hæresi 125. & Canisius lib. 3. de Deipara cap. 20. Quamquam verò initio de Christo vera prædicaverit, postea verò à Sergio Pseudo-Monacho hæretico Arriano deceptus, disertè docuit, Christum esse purum hominem.

XIV. Sed quidquid de hoc sit, ut ad historiam redeamus, Mahumetus non cessabat suis prædicare, DEUM Creatorem Cœli & terræ adorandum, & Christum Dominum Verbum esse DEI ex Virgine sine opera viri procreatum: & ut eos ad credendum flecteret, pœnas inferni eis minabatur, referens supplicia, quæ DEUS intulit Ægyptijs, & Sodomitis, aliásque historias veteris Testamenti referens, quas à Christianis audîerat. Cùm verò animadverteret, Mechæ incolas suis verbis fidem non dare, nec suam uxorem ipsi credere velle, depositis pretiosis vestibus, & paupere habitu indutus, urbe discedens secessit in montem vicinum, vitam solitariam acturus, ubi diu, noctúque animo versabat, quo pacto posset uxorem suam, suósque concives in cognitionem veri DEI adducere. Et hinc narrant Mahumetanorum libri, apparuisse Mahumeto Angelum Gabrielem, illíque annuntiâsse, ipsum à DEO electum in Prophetam, ut idololatriam destrueret. Ut autem verè refert Obregon, Diabolus animadvertens Mahumeti ambitionem, & ardens desiderium comparandi sibi nomen, authoritatem, atque in alios dominatum, illi persuasit, ut se Prophetam DEI proclamaret, promittens ipsi auxilium ad introducendam novam legem, qua populum illum, aliásque gentes suo subjugaret imperio, veríque DEI cognitionem inveheret, nihil curans, quòd Mahumetus hanc veritatem doceret, dummodo illam doceret conjunctam cum multis mendacijs, quæ homines certissimè ducerent in æternam perditionem, & illos abduceret à Christiana professione, in qua unicè est salus. Ut enim optimè observat Guilielmus Parisiensis lib. de legibus cap. 18. *In hac Mahumeti lege, & mendaciis multa vera inserta sunt, & malis bona commixta, malignitate fallendi; ut scilicet falsis propter vera crederetur, & mala propter bona reciperentur.* Si enim nullum bonum præciperet, nec ullum verum doceret, fidem non inveniret, sed dolus manifestè innotesceret. Igitur Mahumetus à solitudine & spelunca sua ad civitatem crebrò revertens, uxori

uæ narrabat, ſibi apparuiſſe Angelum Gabrielem, & jactabat ſe Dei Prophetam eſſe, & ab ipſo miſſum, ad exterminandam idololatriam. Illa verò hæc cum riſu excipiebat, & ſeriò ei dicebat, illas eſſe diabolicas illuſiones, vel Mahumeti ſomnia. Dicunt autem authentici Mahumetanorum libri, nempe liber inſcriptus, *Azear*, & alius inſcriptus, *Aſſifa*, Mahumetum hanc ſuæ uxoris reprehenſionem, & deriſionem tam acerbè tuliſſe, ut quadam die exiſtens in ſua ſolitudine ſe voluerit ex alta rupe præcipitare, eligens potiùs mori, quàm ex dilectiſſimæ uxoris ſuæ gratiâ deciſiſſe: tunc verò ei apparuiſſe Angelum Gabrielem, & ſic illum allocutum: *Lætare, ô Mahumete, & gaudio exulta, quia Deus te amiciſſimè ſalutat*, & *ſcito, te ab ipſo electum in ſuum Legatum, Nuncium, & Prophetam, & jubet, ut legas.* Et cùm Mahumetus reſpondiſſet, ſe legere non poſſe, quia legere nunquam didiciſſet, nec litterarum caracteres cognoſceret: Angelum repoſuiſſe, nihil hoc obſtare: *Quia Deus ipſe* (inquit) *tuus erit Magiſter, & ipſo Præceptore calamum ſumens pulcherrimos efformabis caracteres, & deinceps legere, & ſcribere ſcies.* Hoc fabulantur Mahumetani, & hæc fuit prima revelatio, quam Mahumetus confinxit. Occaſionem autem illam confingendi ſumpſit ex contumeliis, quibus eum impetebat Hadixa, ſeu *Adiſſa* ejus uxor, ſæpe ingeminans, Mahumetum ſomnia ſua pro revelationibus venditare; ſe verò nunquam adducendam eſſe, ut crederet, Angelum illi loqui, niſi revelationem ab Angelo ſcriptam inſpiceret. Tunc verò callidus impoſtor, ut uxorem deciperet, elegit in ſuum Secretarium juvenem Judæum, nomine Abdala Serralle, ex matre ſibi cognatum, dicens, Angelum Gabrielẽ, ſibi familiariter ſæpe apparentem, hoc ita præcepiſſe, illíque ſuggerebat, quæ ſecretò ab illis duobus Chriſtianis audîerat, illáſque ſententias eleganti ſtylo in Arabicum converſas, tanquam Dei revelationem, ſuo Secretario dictabat ſcribendas in quadam ſchedula: illámque ſecum deferens, uxori oſtendebat, & coram illa recitans verba illa, quæ in ſchedula erant ſcripta, ſimulabat, ſe legere id, quod memoriæ tradiderat, & ſchedulas illas, tanquam è Cœlo delapſas, cuſtodiebat in arca, quam *legationis arcam nuncupavit.* Tunc ſimplex fœmina credidit, maritum ſuum miraculosè à Deo edoctum ſcribere, & legere, illúmque ut Prophetam venerari cæpit; & quoties à dæmone arripiebatur, vel morbo comitiali correptus in terram cadebat, exiſtimabat, ei Angelum apparuiſſe, quia callidus impoſtor dicebat, tunc temporis ſe ſecreta Cœleſtia divinitus haurire, & notitiam myſteriorum accipere, quæ ipſis prædicabat.

XV. Primus Mahumeto credidit Zeidin, ejus ſervus, eum ut Prophetam veneratus, propter quod ipſum libertate donavit, & legem promulgavit, quòd à ſervitute liberarentur, quotquot ejus legem ſuſciperent, ut hac arte plures ſibi aggregaret. Poſt Zeidin credidit Hadixa ejus uxor, & horum exemplum ſecuti ſunt viri alii primæ nobilitatis, nimirum Anza, & Alabez, Mahumeti patrui, vel avunculi, Vbequar, Ho-

Homar, Hozmen, Haly, & alii ex primaria nobilitate, quorum præsidio, & societate roboratus palam contra idololatriam prædicabat, & veritatem hanc, lumine naturæ evidentissimam, facilè persuadebat: revelationes verò fingebat, prout tempus postulabat, & prout expediebat ad devinciendos sibi eorum animos. Idololatræ verò ægrè ferentes cultum deorum prædicatione Mahumeti in dies minui, illum persequebantur; Judæi verò, quia magnas de Christo laudes publicabat, ignem accendebant. Interim Abdala Serrale, qui ei erat à secretis, ex Christianis gladiariis cognovit, quæcumque ipsi Mahumetus, ut revelata, dictabat, ab eis accepisse, & fraude detecta à Mahumeto discessit, & ipse Sergium Pseudo-Monachum hæreticum Nestorianum ejus loco substituit, qui ei suos errores circa Christi Divinitatem facilè persuasit. Abdala verò, postquam à Mahumeto abscessit, ejus patruis, & avunculis, *Coraxistas*, *& Haximistas* vocabant, & aliis viris primariis, qui ei vinculo sanguinis, vel amicitiæ conjuncti erant, apertè dixit, se Mahumetum deseruisse, quia clarè cognovit, eum non esse prophetam, sed impostorem, & ipsis narrabat, se apertè deprehendisse, Mahumetum, ut revelationem Dei, sibi scribendum dictâsse, quod de Christo audîerat à duobus Christianis, cum quibus familiariter agebat: addebátque, ad fraudem detegendam, sæpe se substantiam eorum, quæ dicebantur, mutâsse, & hoc Mahumetum non animadvertisse, vel non curâsse, dummodo enim in schedula servaretur metrum, & versuum consonantia, de cætero nihil curâsse. Et hoc referunt authentici Mahumetanorum libri *Azear*, *& Assifa*, tanquam persecutionem magnam sui Prophetæ, asserentes, Abdala Serrale hanc persecutionem commovisse præ invidia, quia, cùm Judæus esset, ferre non poterat laudes Christi, quas Mahumetus prædicabat.

XVI. His accessit, quòd, cùm Mahumetus, à Sergio novo suo Secretar. seductus, cæpisset hæreses contra Christi Divinitatem prædicare, Christiani, cum quibus familiariter egerat, & à quibus acceperat ea, quæ tanquam Divinitus sibi revelata prædicabat, in Mahumetum invecti, palam publicabant, eum non esse Dei Prophetam, sed nunc contraria docere iis, quæ priùs docuerat. Hæc nova lex, quam nomine Dei promulgavit (quæ postea inserta est in Alcorano lib. 1. cap. 1.) quòd videlicet quilibet vir posset sibi legitimo matrimonio duas, tres, vel etiam quatuor fœminas copulare, si eas alere posset, contra id, quod idololatræ ipsi in ea urbe observabant, apud quos unus unam duntaxat fœminam, ut uxorem habebat, totam Civitatem valde commovit; quia bene noverant, hanc legem promulgâsse Mahumetum, quia unâ fœminâ contentus non erat, & probrosum erat, scorta & meretrices quærere, ei, qui se Dei Prophetam, & Dei nuntium proclamabat, ac proinde dicebant, eum sub honesto matrimonii titulo velle suam luxuriam obtendere; crevítque procella, cùm Mahumetus, non contentus quatuor uxoribus, alias octo sibi copulavit, fingens secum Deum dispensâsse, ut plu-

res uxores habere posset, quàm aliquis alius, quia Dei Apostolus, & Nuntius erat; & hanc dispensationem, tanquam de cœlo delapsam, publicavit, & Alcorano inseruit lib. 3. cap. 17. His & aliis Mahumeti criminibus graviter offensi Mechæ cives, præsertim suorum idolorum destructione, & jam Mahumeti astutias timentes, arma parabant, ut illum vi comprehenderent, & capite plecterent. Cœterùm Mahumetus & sui, cognito eorum consilio, in celeres insilientes equos, fugâ noctu se subduxerunt, & in Almedinam à Mecha octo dierum itinere distantem se receperunt. Hanc fugam Mahumetus adornavit quadragesimo sexto suæ ætatis anno, ut refert Lupus de Obregon, decem annis postquam suas fictas revelationes vulgare cœperat. Degebant ea in urbe quinque Judæorum tribus, & inter eos non pauci gentiles idololatræ: prædives habitabat ea in urbe Ubequar Mahumeti Socer, & ex præcipuis ejus confœderatis, qui eum verum Dei Prophetam credebat; & hæc præcipua fuit causa, cur Almedinam confugerit.

XVII. Ibi, astutiâ & scientiâ Sergii adjutus, suam sectam extendere conabatur. Obsistebant Judæi, palámque dicebant, Mahumetum non esse Prophetam, quia nulla edebat miracula; ipse verò, ne apud suos notam incurreret, finxit revelationem, qua Deus præcipiebat, ne ederet miracula, quia increduli illa non erant accepturi, ut miracula, sed ut præstigias Dæmonum, finxítque, se à Deo missum, ut gladio cultum veri Dei inveheret, quandoquidem alii Prophetæ parùm profecerant editis miraculis; ut constat ex Alcorano lib. 2. cap. 9. cujus verba suprà dedimus. Ut autem Judæos sibi conciliaret, laudabat Moysem, & legem ab eo datam, & jussit, ut discipuli sui, dum orarent, faciem verterent versùs Hierusalem, ubi erat Dei Templum: præcepit, ut sui jejunarent more Judæorum, & ne porcinam carnem comederent, & ut Judæis placeret, circuncisionem ab illis sumpsit, aliáque multa, dicebátque, se id solùm in votis habere, ad quod exequendum fuerat ab ipso Deo sociatim deputatus, ut scilicet armorum vi idololatriæ vim repelleret. Judæi tamen palam obmurmurantes, Mahumeti famam minuere non cessabant. Ille verò ardenti odio illos aversabatur, & vindictam cogitabat, & ut æstimationem apud suos sibi adscisceret, finxit, se per scalam quandam in cœlum ascendisse, ducente Angelo Gabriele, & suis prædicavit fabulosum illum paradisum, quem Deus promittebat eis, qui eum adjuvarent in hoc magno negotio, quod moliebatur: & ut incredulos terreret, finxit se ab Angelo ductum in infernum, ut oculis suis inspiceret pœnas, quas Deus idololatris, & criminosis hominibus erat inflicturus, & sæpe inferni pœnas minabatur eis, qui unum Deum non adorarent. Hac arte novos sibi in Almedina discipulos adjunxit, & ut majorem sibi conciliaret authoritatem, hos secum extra urbem eduxit, &, ut constat ex Alcorano lib. 4. cap. 13. sub arbore quadam longum sermonem ad illos habuit, eis persuadens, voluntatem Dei esse, ut

gladio idololatriam profligarent, & ut incredulos, qui legem sanctam Dei nollent recipere, interficerent, eorúmque bona diriperent: ut autem ad prælian-dum moveret, eis Dei nomine victorias promittebat, & ingentia hostium spolia, & commentitium illum paradisum post hanc vitam; dicebat, adeo dulcem fore mortem eorum, qui in hoc sancto bello occumberent, ut ii, qui morte naturali obiissent, quamvis in Paradiso constituti, desiderarent in hanc vitam regredi, ut tam suavem mortem oppetere possent, &, ut refert Joannes Andreas cap. 12. sui operis contra Mahumetanam sectam: *Dicebat suis militibus, eos, qui in eo sancto bello occumberent, statim ad Paradisum evolare:* eis promisit Orbis imperium, eximiámque in hac & in alia vita felicitatem: facile esse, vi capere Almedinam, & Judæos sibi infensos jugulare, eorúmque divitias inter se dividere; vi Mecham occupare, & gentes sibi in dies aggregare, quibus veri Dei cultum per Orbem terrarum diffunderent. Hac oratione permoti, Mahumetum Regem renunciârunt, juramento se obstringentes, illi fidem servandi. Ille verò ex eis in Duces suos elegit Ubequar & Homar soceros suos, Hozmen & Haly suos generos (quorum tres primi suo ordine ei in imperio successêre) & alios septem, vel octo ex nobilioribus, dicens, eos à Deo electos, ut nomen suum per Orbem portarent, idololatriam exterminando. Consilium cum suis ducibus secretò iniit de subjuganda Almedina, & Judæis jugulandis; & ne Judæi conjurationem hanc subodorari possent, suos milites per pagos & villas regionis illius montanæ divisit; bonam autem occasionem nactus, eos congregans, civitatem illam omnino imparatam, & nihil tale cogitantem armorum vi expugnavit, & plerosque Judæorum sibi infensos jugulavit, spoliáque illius opulentæ urbis inter milites divisit, quò avidiùs similia aggrederentur facinora.

XVIII. Citò fama hujus victoriæ à Mahumeto obtentæ Mechã pervenit; cursorem enim illuc statim miserunt aliqui ex Mahumeti hostibus, qui moneret, ut celerrimè exercitum compararent, quo Mahumetum opprimerent, nî vellent eandem aleam cum Almedinensibus subire: exhorruerunt ad hoc nuntium Mechanenses, & Mahumeti iram timentes, citò citiùs quingentorum equitum turmam Almedinam mittunt, qui longis itineribus viam conficientes, Mahumetum inopinatò aggrederentur. Sed non defuit patriæ proditor, qui illum de exercitu citò contra ipsum venturo admoneret. Hac notitia instructus Mahumetus prope urbem in silvis suos milites abstrusit, quà erãt hostes transituri. Ad eum locum, in quo Mahumetus insidias paraverat, pervenerunt Mechanenses equites primâ noctis vigiliâ, omnino ex via fatigati, & ut vires reficerent, ex equis desiliêrunt & stationem ea nocte fixerunt, ut diluculo urbem invaderent: observabant omnia diligenter Mahumeti speculatores, & cùm eos somno sopitos viderent, ex insidiis prodeuntes Mahumeti milites, omnes jugulârunt, quin vel unus superstes maneret, qui Mecham funestum hoc nuntium

tium

tium deferret. Mahumetus quingentos hosce equos, quos ab hostibus ceperant, suos milites conscendere jubet, & incredibili celeritate exercitum movet in Mecham, eámque expugnat, & se Alcalifam, seu Regem coronat die seq. anno Christi 612. die Veneris, quem idcirco Mahumetani colunt, sicut nos diem Dominicam, & quia Almedinæ etiam primò Rex appellatus est die Veneris. Post Mecham captam, edictum promulgavit Mahumetus, ut intra octo dies omnes in ea urbe habitantes, sive Christiani, sive Judæi, sive Idololatræ, ipsum ut Prophetam Dei, & promulgatam ab ipso legem sub pœna capitis, & confiscationis bonorum susciperent; ut constat ex Alcorano lib. 2. cap. 3. & quia aliqui ex consanguineis ejus id detrectârunt, crudeliter occisi sunt. Captâ Mechâ, ad famam tantæ victoriæ, & liberalitatis, qua militibus spolia hostium largiebatur, novæ militum turmæ ipsi adhæserunt, exercitúmque formavit, decem millibus peditum, & totidem millibus equitum constantem, quo Arabiam subjugavit, & deinceps majora aggressus est. Quare, ut ait Clenardus apud Possevinum tom. 1. Bibliothecæ selectæ lib. 9. cap. 8. *Mahumetus primò novas leges, quas stupidis ea tempestate Arabibus imposuit, ad Gabrielem Angelum referebat, quo monitore se omnia mentiebatur gerere. Deinde postquam fraus in suspicionem venit, præsertim ob Judæos circa Mecham incolentes, quibus odorandi nasus non deerat, robur induit Tullanum, vim omnem in armis ponens, & quos arte capere non poterat, viribus in novum dogma subjugavit, atque ita deinceps propagata est hæresis, jacto quidem dolis fundamento, gladiis tamen postea sic prolato imperio, ut victoriis ingentem mundi partem occupârit.*

§. I.

Qualiter Arabum historici sui Prophetæ vitam & gesta narrent?

XIX. Georgius Almacinus, professione Mahumetanus, celebris Historiæ Sarracenicæ Scriptor, in compendiũ redegit Historiam Arabum concinnatã à Mahumete Abugjafuri, quem ipse virum Clarissimum, & Doctissimum appellat, & in meliorem formam redactam à Kemaluddino Armunæo, & ex omnibus Mahumetanorum Historiis suam breviter, & dilucidè composuit, in qua vitas, & gesta quadraginta novem Chalifarum, seu Regum, per tres libros narrat, incipiens à Mahumete sectæ Mahumetanæ institutore, & finem imponens in Atimedo Abulabaso Mustadiro Billa, qui floruit ad annum Christi 1118. & Chalifatum finivit anno solari ab Hegira Arabum 511. & ab orbe condito 6669. secundùm Chronologiam hujus Authoris, quam ponit ad finem suæ Historiæ, pag. 369. Hegiram appellant Arabes fugam Mahumetis à Mecha in Almedinam, quæ accidit, die decimo sexto Julii anno Christi 622.

XX. Hanc Historiam, antea Christianis Europæis incognitam, in Bibliotheca Serenissimi Ducis Bavariæ asservatam,

Latinam reddidit Thomas Erpenius, linguæ Arabicæ peritissimus, & typis mandata est Lugduni Batavorum in Typographia Erpiniana anno Christi 1625. simul cum Historia Arabum Archiepiscopi Roderici Ximenez. In hac Historia (quæ in magno pretio habetur ab omnibus hujus ætatis hominibus, qui Historica & Chronologica eruditione eminent) quem nos Hispanicè vocamus Mahomam, Latinè Mahumetum, vel Mahumetem, ipse appellat Muhammed. Et ita loquuntur Arabes: nam cùm ego Malacæ Mahumetanis prædicavi, anno 1670. nobilis vir, qui in urbe Oran diu commoratus fuerat, mihi narravit, Mahumetanos, qui me concionantem audiebant, contra me obmurmurare, quia eorum Prophetam *Mahomam* appellabam, existimantes id à me dici in ludibrium, & irrisionem sui Legislatoris, quem ipsi Muhammed accentu brevi nominant, & ita deinceps ego nominavi, ut benevolentiam illorum captarem. Mahumetanam verò sectam appellat *Islamismum. Religionem* (inquit) *Islamismi primus manifestavit, & observavit Muhammed Abulcasimus, Filius Abdallæ: nomen matris ejus erat Emina, quæ Filia erat Vuahebi.*

XXI. Affirmat hic Author, natum fuisse in valle Lapidosa urbis Meccæ, circa aurotam diei Lunæ, qui octavus erat mensis Rabii prioris (ita appellant Julium, Augustum verò Rabium posteriorem) anno 882. Alexandri Magni.

XXII. Asserit, obiisse patrē ejus duobus mensibus, antequam Muhammed nasceretur: matrem verò, cùm sex annorum esset. Eúmque educâsse avum suum Abdulmutalib, donec annum attigit octavum: post mortem verò avi educatum bene fuisse à patruo suo Abutalib.

XXIII. Ut autē annos implevit 40. vocatū fuisse ad munus Propheticum (nimirum, quia tunc incæpit suas fictas revelationes vulgare) die Lunæ, qui erat secundus mensis Rabii prioris, anno 922. Alexandri Magni, qui erat vigesimus Regni Cosroæ Filii Hormisdæ (Alexander autem Magnus secundùm supputationem Claudii Clementis in tabulis Chronologicis, natus est ante Christum 361. annis.) Primam in prophetiam ejus credidisse Chadigjam filiam patrui ejus; deinde ejus servum Zeidum: deinde Alìm, postea Abubecrum (Ubequar appellant nostri Historici, Rodericus verò Archiepiscopus Toletanus appellat *Abubacar*) cum aliis quinque, videlicet *Otsmam*, Zubeiro, Abdurrhamam, Suado, & Obeidalla: *Atque ii novem* (inquit) *praiverunt ad Islamismum.* Anno autem 44. manifestâsse vocationem (id est fictionem) antea enim clanculum tantùm invitabat ad Islamismum: *Publicata autem vocatione* (inquit Elmacinus) *jussit credere in solum Deum, eúmque colere, & adorare, destruxítque Idolorum cultum; pracepit circumcisionem; sancivit jejunium mensis Ramadani; quinque orationes; munditiem; peregrinationem ad Templum Meccanum, & ne comederetur sanguis, morticinum, aut caro porcina. Atque eos, qui hæc non observabant, bello vexabat, & oppugnabat.*

gnabat. Jussit quoque credere veritatem Prophetarum, & Apostolorum, quique ad eos demissi sunt, librorum. Item Christum Filium Mariæ Spiritum Dei esse, & Verbum ejus, atque Apostolorum: approbavítque Evangelium, & Legem Mosaicam.

XXIV. Præterea ait, Coraisitas fortiter Muhammedi obstitisse, atque inimicitias adversùs eum denuntiâsse: patruum autem ejus Abutalib ipsum ab eorum insidiis liberâsse. Et refert, anno quinto credidisse Omarem, fidéque sua reliquos Muslismos (id est Muhammedis sectatores) confirmâsse: fuisséque quadragesimum, qui Religionem Islamismi suscepit, quia ante illum crediderant 39. Anno decimo vitâ defunctum esse Abutalib Muhamedis patruum in Religione majorū, id est, in idololatria, & bene crevisse Coraisitarum impetum contra Muhammedem, & spem illum vincendi: accessisse hoc tempore ad Prophetam aliquos, tum ex Christianis, tum ex Judæis, tum ex Paganis, accepto priùs securitatis symbolo, & fidem ejus accepisse, & juramentum fidelitatis ei præstitisse; ea tamen lege, ut tributum ei solverent. Anno autem decimo Muhammedem, ut insidias Coraisitarum evaderet, Meccâ fugisse, & Medinam, seu Almedinam, ingressum esse die duodecimo mensis Rabii prioris. Notat autem Thomas Espernius traductor hujus historiæ in notis marginalibus, incidisse Hegiram, seu fugam Muhammedis in diem 16. Julii æræ Christianæ 622. in quo parùm differt à Chronologia Patris Marianæ, qui in suo opusculo de annis Arabum affirmat, annos Arabum, qui computantur ab hac Hegira seu fuga, incepisse die decima quinta Julii Feriâ 5. Almacinus asserit, accidisse die Lunæ, & secundùm alios die Jovis. Paulò aliter supputat Petavius Rationarii temporum partis primæ lib. 7. pag. 485. sic enim habet: *Illud constat, anno Christi 622. Iulii die 16. Feria 6. fugam eum arripuisse, cùm ob erroris novitatem de vita periclitaretur. Ab hac fuga, quam Hegiram vocant Arabes, idest persecutionem, nova illorum epocha proficiscitur.*

XXV. Refert deinde Almacinus varia Muhammedis prælia, & victorias, aítque, eum cepisse Mecham anno octavo Egyræ (Christi 629.) mortuum verò esse anno undecimo Egyræ (Christi 632.) *Obiit autem* (inquit) *die Lunæ, qui duodecimus erat mensis Rabii prioris, cùm natus esset annos sexaginta tres, aut secundùm alios sexaginta quinque.* Postmodum verò annos lunares ad solares reducens, Chronologiam instituit ab Adamo usque ad Muhamedem iis verbis: *Traditur itaque Muhammed obiisse, completis annis solaribus 6123. mensibus novem, & quatuordecim diebus; elapsis temporis Hegiræ annis lunaribus decem, & diebus septuaginta: id est annis solaribus novem, & undecim mensibus minùs uno die; primus enim Hegiræ dies fuit Jovis, & ultimus vitæ ejus, Lunæ.*

XXVI. Nullum hic Author de suo Propheta miraculum scriptis suis prodit; solùm eum appellat virum gloriosæ memoriæ: ejus autem virtutes his verbis describit: *Erat optimæ indolis, voce suavi, visitans & excipiens suos,*

suos, ut ipsum visitabant & excipiebant, pauperes munerans, Magnates laudans, conversans cum infimatibus, & petentem à se aliquid non repellens sine eo, aut sermone facili. Ex quibus verbis constat, Muhammedem solùm habuisse virtutes quasdam politicas, quæ utiles erant ad devinciendos sibi animos, & benevolentiam captandam, quò faciliùs imperium acquireret, & conservaret: tradit autem idem, Muhamedem in ultimo suo morbo dixisse: *Ne duæ in Arabia sint Religiones*: & propterea Omarem, qui fuit tertius Achalifa, Judæos inde ejecisse.

XXVII. Varios enumerat Almecinus Muhamedis scribas, & inter eos Abdallam, de quo ait: *Qui ab Islamismo deficiens Infidelibus se adjunxit: sed impunitatem tempore victoriæ ei petiit Otsman: quam & ei concessit Muhammed, postquam ejus sanguinem fundere decreverat. De Sergio mentionem non facit. De morte autem ejus & ægritudine hæc tantùm dicit: Cùm à peregrinatione Meccana rediisset, & Medinæ substitisset ad diem 28. mensis Safari, ægrotare cæpit, & præcepit Abubecro, ut cum populo oraret, ac orârunt omnes orationes septemdecim: obiit autem die Lunæ*, &c. Et hæc adnotâsse sufficiat, ut Christi minister, qui Mahumetanorum conversioni intenderit, his notitiis instructus faciliùs possit cum illis de Religione agere.

§. II.

Aliæ notitiæ de Mahumeti vita, & moribus.

XXVIII. Nicolaus de Cusa Card. qui obiit A. 1464. vir doctus & pius, in suo opere contra Alcoranum, quod inscribitur, *Cribratio Alcorani*; in Prologo narrat, se exquisitam adhibuisse diligentiam, ut intelligeret librum legis Arabum, seu Alcoranum: & Basileæ invenisse translationem ejus factam à Venerabili Petro Cluniacensi, & disputationem duorum nobilium Arabum, quorum alter Mahumetanus, alter Christianus erat: Mahumetanus namque volens pertrahere Christianum ad Mahumetismum rationes pro sua Religione exposuit; eis verò Christianus, qui doctior erat, scripto satisfecit, clarè demonstrans falsitatem Mahumetanæ sectæ. Addit præterea citatus Cardinalis, se Constantinopolim perrexisse, ut pleniorem legis Mahumetanorum notitiam assequeretur, ibique apud Patres Franciscanos Alcoranum invenisse, & ipsis exponentibus, aliqua puncta adnotâsse; & Dionysio Carthusiano persuasisse, ut contra Alcoranum scriberet, idque abunde præstitisse, opúsque suum misisse Nicolao Pontifici. Addítque, se postea Romæ vidisse libellum Fratris Ricoldi, Ordinis Prædicatorum, qui Arabicis litteris in Baldach operam dedit, & istum præ cæteris sibi placuisse.

XXIX. Et in secundo Prologo Cribrationis Alcorani, citans Ricoldum, & nobilem illum Arabem, qui cum Mahume-

humetano disputavit, & Dionysius Carthusianus lib. 2. in sectam Mahumetanam ar. 2. narrant, Sergium Monachum de Monasterio suo ejectum, Mecham applicuisse, ibíque duos populos reperisse, Idololatras, & Judæos, prædicâsséque ibi fidem Christianam, prout Nestorius illam tenuit, ut Fratres suos Monachos, qui Nestoriani erant, placaret ad gratiam, si Idololatras ad fidem Nestorianam converteret: ídque præstitisse, & inter alios Idololatras Mahumetum convertisse, & baptizâsse, & Nestoriana hæresi imbuisse. Tres autem astutissimos Judæos se Mahumeto adjunxisse, & illi multos errores persuasisse. Mortuo autem Mahumeto, omnes ejus Sectatores ad proprias sectas redîisse; Judæos autem illos Haly filio Habitalib, cui Mahumetus testamento legaverat suas collectiones (id est suas schedulas, suósve codices, fictas revelationes continentes) persuasisse, ut se Prophetam Dei appellaret, & obtinuisse: & à scriptis Mahumeti detraxisse, quod ipsis placuit, vel addidisse.

XXX. Post hæc narrata, subnectit Cardinalis hæc verba: *Videtur igitur, quòd Muhammed ab initio fundatus fuit per Sergium, ut esset Christianus, & legem illam servaret. Ab illa via non potuerunt Judæi ipsum amovere: sed, ut quantum possent, retraherent, addiderunt illa, per quæ videretur propriæ sectæ Propheta, & Veteri Testamento non minùs quàm Evangelio fidem dare.*

XXXI. Addit idem Author, capitula collectionis legis Arabum non continuari, vel connecti invicem, sed quodlibet per se integrum existere, & proprium esse rithmum, seu carmen plenè mensuratum: *In hoc enim* (inquit) *summum studium adhibuit compilator, ut blanditiis dictaminis (id est elocutionis) omnes alliceret, & in stuporem verteret, sicque dictata faceret divina videri.* Itaque certum est, Alcoranum scriptum esse stilo elegantissimo linguæ Arabicæ, & non oratione soluta, sed versibus constare.

XXXII. Dionysius Carthusianus in suo opere contra Mahumetanam sectam l. 2. art. 1. affirmat, inter historias à se lectas de vita, & gestis Mahumeti crediblorem sibi visam fuisse narrationem, quam invenit in Epistola cujusdam perfecti Christiani; & est ea, de qua nuper mentionem fecit Cusanus, in qua continetur disputatio inter duos Doctores Arabes, alterum Christianum, alterum Mahumetanum, qui inter se erant amicissimi, & erant primi in Palatio Regis cujusdam Sarracenorum, cui ut famuli inserviebant: Mahumetanus Doctor scripsit Epistolam, invitans Christianum ad suam sectam, cui Doctor Christianus doctissimè & plenissimè respondit. Has duas Epistolas, seu disputationem in illis contentam apud se habuit Carthusianus, aítque, Epistolam Mahumetani quinque constare foliis in eo libro, quo ipse usus est; Epistolam verò Christiani foliis viginti.

XXXIII. In hac disputatione seu Epistola Doctor Christianus, qui (ut conjectatur Carthusianus) prope tempora Mahumeti vixit, Mahumeti vitam & facta narrat, ut rem apud Mahumetanos

tanos notam, ut inde convincat, eum non fuisse Prophetam, sed seductorem. In summa autem dicit, Mahumetum pupillum fuisse, in sinu patrui sui educatum; *cultorémque Idolorum in Mecha cum omni domo, & generatione sua; sícque vixisse, quousque pervenit ad servitium camelorum Hadigiæ, seu Chadigiæ, cujus mercenarius factus fuit: solitúmque cum camelis proficisci in Syriam aliásque regiones, donec duxit illam uxorem. Postquam verò dives factus est opibus uxoris, conatum fuisse, super gentem & patriam suam arripere Principatum: & cùm hoc ad exitum perducere non potuisset, cùm paucos adhuc haberet fautores, arte & ingenio usum fuisse, & quia se Regem facere non poterat, se Dei Prophetam, & Nuntium simulâsse. Et cùm hoc nomen Prophetæ usurpâsset, ingressum fuisse ad homines, qui tantò faciliùs qualibet astutiæ machinatione decipi poterant, quantò longiùs ab omni sapientia, & vitæ civilis honestate distantes, per agros & villulas sequestrati, quid Dei Propheta, & Nuntius esset, & in quo dignosci deberet, penitus ignorabant: ad hos autem decipiendos cujusdam Astrologi ope atque consilio non mediocriter adjutum; homines pestiferos, & viarum insidiatores, & homicidas sibi aggregâsse, quos ad devia silvarum, ad cacumina montium, & ad proxima fontibus loca mittebat, ut ex insidiis prodeuntes, mercatores & viatores interficerent, eorúmque camelos & merces diriperent; si qui autem ei contradicerent, aut palam obmurmurarent, cùm primùm per se, vel per suos capere poterat, eos crudeliter interfecisse.* Postquam hæc, & alia Doctor Christianus narravit, quæ Mahumetanus negare non poterat, statim ipsum alloquens subjungit: *Ego autem mirari non sufficio, quo pacto tibi persuasum est, Dei esse Nuntium, aut Prophetam hominem, cujus (ut breviter vitam facinorosam demonstrem) nulla fuit alia operatio, aut meditatio, quàm homines interficere, aliena diripere, incæstus & adulteria perpetrare, qui etiam tale dedecus, inscriptum prophetiæ suæ, sibi facere non erubuit, ut diceret, datum renibus suis à Deo, quadraginta viros potentissimos in coitu fortitudine libidinis adæquare. Ubi etiam rebus odoriferis, & mulieribus super omnia delectari se dicit. Præterea uxores ejus ingenuæ fuerunt quindecim, & duæ ancillæ. O quàm longè est ab ista impura, & turbulenta doctrina Mahumeti Christianæ disciplinæ sancta & pia Religio, quæ per gloriosum Apostolum Paulum ad Dei amorem, & sanctam castimoniam homines invitans, dicit: Qui habet uxorem, cogitat, quæ sunt mundi: si ergo una sola uxor à Dei amore impedit hominem, quomodo qui tantas habuit, & totus in earum libidine versabatur, quíque prædas, latrocinia, & alia scelera exercebat, Dei Propheta esse potuit? Præterea in ultima sua infirmitate positus Mahumet, suis præcepit, ne eum mortuum sepelirent, eò quòd tertio die assumendus esset in Cœlum: ipsíque observantes præceptum, cum magnis desideriis exitum expectârunt à Feria secunda, in qua obiit, usque ad vesperam quartæ Feriæ; & tam longa expectatione fatigati, cùm nihil aliud in eo nisi magnitudinem fœtoris* *crescen-*

crescentem cernerent, tandem sicut retulit Gumbram, nudum eum projecerunt; Gumbram tamen filius Elusam dixit, quòd lotus, & tribus vestibus indutus sepultus sit. Fuit autem per quatuordecim dies infirmus, & fertur, quòd per septem dies morbo pleuritico ægrotavit, amisítque sensum, quem septimo die recuperavit. Et iratus est Haly filius Abi talib, eò quòd perdiderit sensum. Aliâ verò septima die mortuus est, & intumuit venter ejus, & retro curvatus est. Quo mortuo omnes ab eo decepti reversi sunt statim unusquisque ad suam, quam antea tenuerat, sectam seu idololatriam, præter paucos suæ cognationis, qui expectabant, se successuros in Regno. Verumtamen successor Mahumet omni ingenio atque astutia illos ad pristinas sectas reversos ad legem Mahumet revocavit. Vixit autem sexaginta tribus annis, quorum 23. in sua prophetia expendit. Hactenus Christianus ille Arabs apud Carthusianum.

XXXIV. Lupus de Obregon cap. undecimo sui operis contra Mahumetanos Mahumeti mortem in hunc modum narrat: Cùm Mahumet sexagesimum annum implevisset, Mecham recessit, ubi tribus annis, sine ullo bello transactis, extremum diem allaturus morbus illum oppressit, sexagesimum tertium annum attingentem, & cùm ultimum diem sibi imminere novisset, nobiliores duces ad se coëgit, illísque commendavit, ut legem ab ipso traditam servarent, addítque, ut pro comperto haberent, plurimas provincias à se debellandas, si placuisset illis, ipsas debellare: & ut ejus morti adessent rogavit: nam, adjiciebat, tertio die Archangelum Gabrielem restituturum illius corpori animum, & ita ornatum animo & corpore se in Cœlos ascensurum, ubi unicuique eorum sedem paraturus erat. Quod quidem ab illis facilè creditum. Invaluit morbus, insaniénsque Mahumet septem diebus elinguis permansit; eò vesania ejus pervenerat, ut brachia, manúsque suas insano furore discerperet; omnes ejus horribiles motus præsentibus metum ingerebant, energumeni instar frendebat, immanitérque dentibus stridebat; intumuit guttur, subindéque corpus universum. Die decimaquarta, postquam decubuerat, usu linguæ sibi reddito, adstantibus ejus uxore Haja, & nonnullis ex Mauris, ferociter vociferans diem extremum clausit: ita referunt testata apud ipsos monumenta Suna, & Alcoranus lib. 3. Azorâ 6.

XXXV. Mortuo, vigilias egêre Mauri, & præcipui Centuriones, ut eum suscitatum inspicerent; & trium dierum, & horarum exacto numero, cùm ne signa quidem resurrectionis viderent, abiêrunt Mauri, & ipsi quoque soceri, cùm fœtorem ex corpore exilientem ferre non possent: itaque duobus aliis diebus ita desertus ab omnibus jacuit, donec Haja duobus mancipiis præcepisset, ut illum in area subdiali sepelirent. At servi, cùm præ nimio fœtore efferre corpus non possent, illud in terram projecêre: sed gener ejus Haly servos compulit, ut illud humarent in area subdiali, ubi ipsum condiderunt. Pudore statim omnes ejus asseclæ Mauri suffusi sunt, cùm jam, aut mendacium

eium Mahumeti, aut illusio clarè patesceret. Obiit Mahumet Feriâ secundâ duodecima die mensis (juxta Mauros) Rabeæ: anno Christi 631. *Et ab orbe condito* 5331.

XXXVI. In Regnum ejus suffectus est Ubequar ejus socer, Hajæ parens, qui duobus annis elapsis morbo lethali, non violento, interiit. Huic alter Mahumeti socer successit Homar. Hic plures Provincias Imperio suo adjunxit, Damascum & magnam partem Ægypti subjugavit, Hierosolymam rebellem subegit, qui magìs Christi, quàm Maurorum legibus obstrictus vixit, quippe qui Christianis Presbyteris Templa restitui præcepit; Salomonis Templum denuo excitavit, dudum devastatum à Tito & Vespasiano Imperatoribus; plurimos census Templo donavit ad alendos Christi Sacerdotes: & postquam Christianis Hierosolymam reddidit, Mecham recessit, ubi mortuus est, & ex collo demortui Crux, Christíque Imago suspensa reperta est; ea propter infensus semper Mauris est, vel extinctus. Illud de Templo Hierosolymitano, ædificato ab Homar, habet etiam Baronius ad ann. 643. num. 2.

XXXVII. Exempto rebus humanis Homar, ad Regiam dignitatem evectus est Hozmen gener Mahometi, qui cùm in legis Mahumetanæ observatione divisos Mauros animadverteret, domum Hajæ viduæ pergit, tanto malo adhibiturus remedium: quâ invitâ arcam reseravit, quam Mahumet arcam *legationis* appellaverat, in qua recondiderat præcipua dogmata, & capita, quæ Mauris tanquam è Cœlo immissa legerat (quæ nec ex theca educere Mahumet, nec in unum scripta voluerat congregari, ne sibi adversantia scripta patescerent) ex theca schedulas extraxit, & in domum suam relatas transcribi jussit: & ex omnibus librum compegit in quatuor partes distributum, & suis capitibus distinctum; sed hoc fecit absque ullo ordine, quin quod primò dictum fuerat, primum locum obtineret, posuítque sub eadem capitis inscriptione res inter se longè diversas, minimè capitis titulo congruentes. In quavis schedula diversa carmina legebantur, metrum Davidis Psalmorum imitantia. Singula autem capita appellantur Arabicè *Zuar*, vel *Zohara*, ut loquitur Archiepiscopus Rodericus in historia Arabum cap. 6. vel Zorâ, ut loquitur Doctor Petrus de Cavalleria, vel Azorâ, ut loquitur Cardinalis Cusa. Totum autem volumen his capitibus compactum appellatur *Alcoràn*, vel *Alcoranus*: quod teste Joanne Andrea perinde est, ac *Congregatio Capitulorum*, seu Azorarum, vel Congregatio Psalmorum. Quod etiam affirmat Cardinalis Cusanus lib. 1. cap. 1. *Liber legis Arabum* (inquit) *Alcoràn*, ob præceptorum collectionem, atque *Alfurkan ob discretam capitum separationem nominatur.* Lupus de Obregon, ait, *Alcoràn*, idem apud Arabes esse, ac revelationem, titulúmque libri significare, quidquid in lege Arabum continetur, fuisse Mahumeto revelatum à Deo per Angelum Gabrielem.

XXXVIII.

XXXVIII. Dicunt autem quidam observatores hujus libri, (inquit Cusanus ibidem) illum aliter in Oriente, aliter in Hesperiis partibus distingui. Occidentales enim post orationem, quæ præmittitur, & mater libri nominatur, ajunt, totum librum Azoras, seu capita habere 123. Orientales verò dicunt primam Azoram durare usque ad *Soretamaran*, quod est quintum caput in libro Hispaniarum. Alcoràn, ut illo utebantur in Hispania Mauri, teste Joanne Andrea, constat quatuor libris, quorum primus quinque; secundus duodecim; tertius novendecim; quartus tandem 175. capita complectitur, ac proinde totum constat 211. capitibus secundùm hunc Authorem. At secundùm Lupum de Obregon quartus Alcorani liber complectitur 160. capita, ac proinde totum volumen constat 196. *Capitibus.* Ut mihi autem narravit Matriti anno 1670. Christianus Arabs, qui sua sponte è Tuneto in Italiam fugit, ut Christianus fieret, & ab Eminentissimo Cardinali D. Paschasio de Aragon inter domesticos admissus est ad obsequia familiaria, Tunetani Alcoranum habent in quatuor libros divisum; Turcæ autem Constantinopolitani eo utuntur sine distinctione librorum, ut suprà notavi.

XXXIX. Agit autem Alcoranus, inquit Joannes Andreas, de his, quæ Mauri debent credere; de his, quæ debent in alia vita sperare, nimirum de gloria bonis conferenda, & de pœna malis infligenda; de iis, quæ debent agere, & de his, quæ ut illicita debent fugere, vel ut licita possunt facere: agit de creatione mundi, de peccato Angelorum, de expulsione primorum parentum è Paradiso, de missione Moysis in Ægyptum, & de miraculis, & prodigiis, quæ ibi operatus est: de Virgine Maria, & Jesu Christo, aliísque historiis Veteris & Novi Testamenti, quibus mille fabulas admiscet.

XL. Placuit dictis adjicere, quæ scribit in suo Apologetico Sanctus Eulogius Martyr, Episcopus electus Toletanæ Ecclesiæ, qui vixit tempore persecutionis Sarracenorum, qui Cordubæ Sedem Regni fixerant, & floruit ad annum 850. & Martyr occubuit anno Domini 859. *In illo igitur Apologetico exordia Mahumeti describens, inquit: Cùm esset pupillus, factus est cujusdam viduæ subditus: cúmque in negotiis discurreret, cæpit Christianorum conventiculis quotidie interesse, &, ut erat astutior, tenebræ filius cæpit nonnullas collationes Christianorum memoriæ commendare, & inter suos brutos Arabes cunctis sapientior esse. Libidinis verò suæ succensus fomite, cum patrona sua jure barbarico in ira congressus est (id est illa resistente, & ob injuriam indignante) móxque erroris spiritus in specie vulturis ei apparens, & os aureum sibi ostendens, Angelum Gabrielem esse se dixit, & ut Propheta appareret, imperavit.*

XLI. Cúmque repletus esset tumore superbiæ, cæpit inaudita brutis animalibus prædicare, & quasi ratione quadam, ut ab Idolorum cultu recederent, & Deum incorporeum in Cœlis adorarent, insinuavit. Arma sibi credentes assumere jubet, & qui novo fidei zelo adversarios gladio trucidarent,

darent, instituit. Occulto quoque Deus judicio (qui olim per Prophetam Habacuc cap. 1. dixerat: *Ecce ego suscitabo super vos Chaldæos, gentem amaram, & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua, cujus equi velociores lupis vespertinis, & facies eorum, ut ventus urens, ad arguendos fideles, & terram in solitudinem redigendam*) nocere eos permisit. Primùm namque fratrem Imperatoris, qui illius terræ ditionem tenebat, interimunt, & ovantes de triumpho victoriæ gloriosi effecti, apud Damascum Syriæ Urbem Regni principium fundârunt. Psalmos denique idem Pseudo-Propheta in ore insensibilium animalium composuit, vitulæ scilicet rubræ memoriam faciens. Araneæ quoque muscæque ad capiendas muscas historiam texuit. Upupæ præterea, & ranæ cantus quosdam composuit, ut fœtor unius ex ejus ore eructaret, garrulitas verò alterius in ejus labiis non desineret.

XLII. Alios quoque ad condimentum sui erroris, in honorem Joseph, Zachariæ, & genitricis D. Mariæ stylo suo digessit. Cúmque in tanto vaticinii sui errore duraret, uxorem vicini sui nomine Zeidi concupivit, & suæ libidini subjugavit. Quod scelus maritus ejus sentiens exhorruit, eámque Prophetæ suo, cui contradicere non valebat, permisit. Ille verò, quasi ex voce Dominica, in lege sua illud annotavit, dicens: cúmque mulier illa displicuisset in oculis Zeidi, & eam repudiâsset, sociavimus eam Prophetæ nostro in conjugium: quod cæteris in exemplum, & posteris fidelibus id agere cupientibus, non sit in peccatum. Post cujus tanti sceleris factum mors animæ, & corporis illius simul appropinquavit. At ille interitum sibimet imminere præsentiens, quia propria virtute se nullo modo resurrecturum sciebat, per Angelum Gabrielem, qui ei in specie vulturis apparere, ut ipse ajebat, solitus erat, resuscitandum se tertia die prædixit.

XLIII. Cúmque animam inferis tradidisset, solliciti de miraculo, quod eis pollicitus fuerat, arduâ vigiliâ cadaver ejus custodiri jusserunt. Quem cùm tertia die fœtentem vidissent, & resurgentem nullo modo cernerent, Angelos ideo non adesse dixerunt, quia præsentiâ suorum terrerentur. Invento igitur salubri, ut putabant, consilio sine custodia cadaver ejus reliquerunt: statímque vice Angelorum ad ejus fætorem canes ingressi, latus ejus devoraverunt. Quod reperientes factum, residuum cadaveris ejus humo dederunt, & ob ejus vindicandam injuriam, annis singulis canes occidere decreverunt, ut meritò cum eo haberent illi participium, qui pro eo dignum meruerunt subire martyrium. Dignè ei quidem accidit, ut canum ventres tantus ac talis Propheta repleret, qui non solùm suam, sed multorum animas inferis tradidisset. Multa quidem, & alia scelera operatus est, quæ non sunt scripta in libro hoc: hoc tantùm scriptum est, ut legentes, quantus hic fuerit, agnoscant. Hactenus Divus Eulogius apud Baronium tom. 8. ad annum Christi 630.

XLIV. His relatis ſubdit Baronius: porrò hæc, & alia plura in deteſtationem ſectæ nefandæ publicis ſcriptis ab eodem Authore vulgata, in oculis ipſorum Sarracenorum tunc graſſantium in Hiſpanias liquet: ut planè non contemnenda ea ſint ſcripta, quæ in opprobrium ipſorum Sarracenorum, de tali impoſtore, veluti Prophetâ, gloriantium, coràm ipſis objecta fuêre.

XLV. Venerabilis quoque Abbas Petrus Cluniacenſis, qui D. Bernardo Coætaneus fuit, & floruit ad annum Chriſti 1130. cùm viſitaret ſui Ordinis Monaſteria in Hiſpaniæ Regnis, legem, vitam, atque doctrinam Mahumeti de Arabico in Latinum transferri curavit, ut teſtatur Carthuſianus lib. 2. art. 3. & inter alia ſcribit: *Mahumetum paulatim creſcendo, contiguóſque inſidiis, rapinis, incurſionibus frequenter infeſtando, quos poterat furtim, quos poterat publicè occidendo, terrorem ſui auxiſſe, ac tandem ad Regnum gentis ſuæ aſpirare cæpiſſe: cúmque univerſis reſiſtentibus, videret hac via non poſſe ſe conſequi, quod ſperabat; Religionis velamine, ac divini Prophetæ nomine Regem fieri attentâſſe: interim conjunctum ei Sergium Monachum Neſtorianum, qui Scripturas Sacras ſecundùm Neſtorii intellectum ei exponens Chriſtianum Neſtorianum effecit.* Atque ut tota iniquitatis plenitudo in Mahumetum conflueret, adjunctos illi fuiſſe Judæos, qui, ne verè Chriſtianus fieret, doloſè præcaventes, homini rebus novis inhianti, non Scripturarum veritatem, ſed fabulas ſuas, quibus nunc uſque abundant, inſibilârunt: ſícque ab his Doctoribus Judæis, & Hæreticis inſtructum, Alcoranum ſuum condidiſſe, & tam ex Judaicis fabùlis, quàm Hæreticorum figmentis confectam Scripturam barbaro ſuo modo contexuiſſe, *eámque ſibi à Gabriele Angelo per partes allatam mentitum, gentem ignorantem lethali hauſtu infeciſſe, tandémque in Regem ab eis, ut concupiêrat, ſublimatum eſſe: & langueſcente, immò penè deficiente Romano Imperio, permittente eo, per quem Reges regnant, Principatum Arabum, ſeu Sarracenorum hac peſte infectorum ſurrexiſſe, víque armata maximas Aſiæ partes cum tota Africa, ac parte Hiſpaniæ paulatim occupando, in ſubjectos, ſicut Imperium, ſic & errorem transfudiſſe: denique Mahumetum in virtute gladii ſe miſſum perhibuiſſe; cùm enim ipſe legem ſuam prædicans perpaucos ſibi attraxiſſet, idcircò tam ipſum, quàm ſibi adhærentes concorditer ſtatuiſſe, legem ſuam vi armorum inferre,*

quoniam enſis timor ſæpe plus,
quàm rationis efficit amor.

Hæc ille.



CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Mores, & instituta Mahumetanorum.

XLVI. UT Christi minister planè instructus notitiâ morum, & Religionis Maurorum, possit illorum conversionem faciliùs procurare, & avidiùs desiderare, utile mihi visum est, hîc describere modum, & formam vivendi, quam Turcæ Mahumetani tenent. Et totum hoc extraxi ex Prologo cujusdam Authoris Galli, Constantinopolim ad Turcam Regii Christianissimi legati, quem Prologum facit ad Alcoranum, Gallicè ex Arabico ab ipso versum: quod volumen mihi ostendit Excellent. Dominus Comes de Oropesa, & ipse ex Gallico Idiomate in Hispanum versa dogmata, & mores mihi dedit: & ita se habent.

XLVII. Turcæ in unum Deum credunt, sed unam tantùm personam, Creatorem Cœli & terræ, bonorum remuneratorem, punitorémque malorum, qui Paradisum condidit ad munerandos bonos, infernum ad ultimam & extremam punitionem delictorum.

XLVIII. Firmissimè credunt, Mahumetum esse maximum Dei Prophetam à Deo in orbem delegatum, ut homines viam salutis doceret: illi verò suo Idiomate seipsos vocant *Musulmanos*, quod idem est, ac in Deo resignati, aut salvati.

XLIX. Credunt Moysis Decalogum, & illum observare tenentur. Dies Veneris illis festus, sicut dies Dominicus Christianis: & hac die in Templum conveniunt ad habendum orationes suas, & preces. Tenentur quinquies in die orare, manè, meridie, vesperi, Occidente Sole, & unâ horâ post Occasum Solis.

L. In Mense, aut Lunâ, apud ipsos Ramazam, jejunium servant: & hoc tempore totum diem jejuni agunt, nec cibum, nec potum libant, usque dum Sol occidat; tunc verò ex omnibus comedunt, & cibis cunctis, & potatione multiplici se onerant, excepta tamen porcina carne, & vino: quæ res omni tempore illis interdictæ sunt. Hoc jejunio peracto celebrant festum Magni Bairam, sicut Christiani Pascha celebrant.

LI. Expendunt plurimum in ædificatione Templorum, & Xenodochiorum, obligantúrque pauperibus in eleemosynas decimam partem lucri anno præcedente facti, prima die anni elargiri.

LII. Persuadent sibi, post lotionem corporis, factam dicendo aliquam orationem huic ritui accommodatam, omnem maculam peccatúmque animi abstergi: quapropter sæpissimè lavantur, & præsertim antequam orationes suas recitent.

LIII. Præter circumcisionem alia Sacramenta non habent: dant operam, ut filii septimum annum, aut octavum agentes circumcidantur, & hoc statim ac proferre possunt hæc verba; *La illa illa Alha Mehemet Rasulalha*: id est: *Unus Deus tantùm est: Mahumet est ejus Propheta, & Apostolus.* Hæc est eorum fidei protestatio. Attamen in toto Alcorano de circuncisione non fit mentio; sed dicunt, se illam observare, imitantes Abrahamum, cujus legem venerando approbat Mahumet.

LIV. Credunt, Alcoranum missum fuisse è Cœlo per Angelum Gabrielem in diversis temporis intervallis Mahumeto, Mecham & Medinam habitanti: nam Judæi, & Christiani sacras litteras, & legem Dei corruperant.

LV. Permittitur illis simul quatuor uxores habere, & tot filios, & ancillas, quot alere possunt.

LVI. Uxores dimittere, ubi placuerit, possunt, soluta earum dote, & iterum alias ducere, prout illis libuerit; verumtamen fœminæ expectare tenentur, donec clarè constet, grossiores factas fuisse, quàm ante nuptias.

LVII. Mariti tenentur alimenta filiis præstare, & illorum curam agere.

LVIII. Filii ex ancillis suscepti ejus conditionis sunt, ac ex uxoribus suscepti, & omnes legitimi reputantur.

LIX. Habent Templa, & Xenodochia longo censu it structa. Habent Religiosorum cœnobia, qui austerè, & in exemplum aliorum vivunt; obediunt superioribus suis; ad fistularum, & aliorum musicorum instrumentorum sonitum saliunt, suas preces & orationes dicunt.

LX. Sunt apud ipsos alii Religiosi per orbem vagantes: hi sæpius nudi vagantur; utuntur interdum veste vesanorum illius plagæ; pellem in frusta dissecant; ut sancti coluntur; stipe collecta vivunt, quæ nunquam illis deficit. Utrique Religiosi *Drenis* vocantur, & noti sunt ob peculiarem vestem; tamen possunt religionem deserere, & uxorem ducere, ubi libuerit.

LXI. Nec credunt, Christum esse Filium Dei, nec credunt in Trinitatem. Ajunt, Christum esse magnum Prophetam, & natum fuisse ex Virgine Maria, illæsa ejus virginitate, ante & post partum, conceptúmque fuisse inspiratione, aut inflatione Divina sine Patre, sicuti Adamus creatus fuit sine Matre, Christúmque non fuisse crucifixum, sed assumptum à Deo in Cœlum, iterúmque venturum ad terras ante exitium mundi, ad confirmandam legem Mahometi: & asserunt, Judæos, arbitrantes, se Christum crucifigere, crucifixisse alium illi similem.

LXII. Preces pro mortuis fundunt: Sanctos suos invocant, quorum longam historiam habent; at Purgatorium esse minimè credunt: plurimi illorum sibi persuadent, animos & corpora simul in sepulchris condita jacere usque ad diem Judicii.

LXIII. Mecham, & Medinam Villas Arabiæ maximè venerantur; nam Mechæ Mahumet natus est, Medinæ Coronam Regni accepit. Frequentes peregrinationes factitant ad has civitates apud ipsos Sanctas: Hierosolyma quoque

quoque illis venerationi est, nam ibi orti, & commorati sunt plurimi Prophetæ.

LXIV. Campanarum usus apud ipsos non est: ad horam orationis in summum fastigium turris ascendunt Sacerdotes, quæ semper ad latus Templi porrigitur; hinc elata voce populum ad orationem congregant, precem aliquam fundendo in hunc finem dispositam. Hucusque Author Gallus.

LXV. Qui plura desideraverit de Mahumetanorum moribus, legat R. P. Fr. Antonium del Castillo, Ordinis S. Francisci in suo *Devoto peregrino, & itinerario Terræ Sanctæ*, lib. 3. cap. 6. ubi describit vitam eorum, quos Mauri Santones vocant; eámque coram Mahumetanis referre, sufficit ad confusionem magnam ipsorum; nemo enim rationis particeps, & in regione politica educatus est, qui non erubescat, & pudore suffundatur, cùm audit, ut Sanctos à Mauris haberi eos, qui talia agunt: & incredibile videretur, nisi à Viro Religiosissimo, & teste oculari eorum, quæ narrat, referrentur. Quid enim absurdius, quàm homines rationis compotes magnæ felicitati sibi tribuere, quòd Santones illi domos eorum ingrediantur, & cum ipsorum uxoribus congrediantur, vel eorum filias corrumpant; & de tanto dedecore gratulationes ab amicis, & à concivibus excipere, sibíque persuadere, uxores suas, & filias ex hoc pudendo congressu sanctificatas manere? Et tamen ita revera est, ut refert Religiosissimus Author, qui multas Turcarum Civitates peragravit. Certè Mahumetani in Hispania, his auditis, ita erubescunt, ut dicere cogantur, illa ita non se habere, sed à Christianis confingi in opprobrium Turcarum. Sed hæc hîc scribere, nec vacat, nec libet: tu apud hunc Authorem lege.




LIBER SECUNDUS

IN QVO CONTINENTUR APERTÆ aliquæ demonstrationes contra hanc sectam, quæ confirmantur ex mirabilibus quorundam Mahumetanorum conversionibus: specialiter verò falsitas Alcorani convincitur ex eo, quòd ponat ultimam felicitatem hominis in delectationibus corporis.

CAPUT PRIMUM.

Prima Demonstratio.

Inde petita, quòd ante Mahumeti adventum per sexcentos & ampliùs annos, homines in Christiana Religione salvari poterant: ex quo evidenter infertur, illam esse veram, & sectam Mahumetanam ipsi oppositam esse falsam.

I. ANC Demonstrationem ex dictis in tota disputatione circa Christi Divinitatem, sic conficio. Evidens est, Deum existere, & habere providentiam circa hominum salutem; neque eos creâsse ad comedendum, & bibendum, & quærendas delectationes corporeas, sicut quærunt bruta: sed ad hoc, ut ipsum tanquam Creatorem in hac vita colerent, & super omnia diligerent, & aliquam veram felicitatem in alia vita obtinerent: ergo evidens est, Deum tradidisse hominibus legem, per cujus observationem ipsum colerent, & æternam felicitatem obtinerent. Unde sicut evidens est, Deum semper fuisse, ita evidens est, post conditum universum semper habuisse in mundo aliquam veram Religionem, & legem, in qua homines salvari possent: cùm enim evidens sit, in omni tempore verè procurâsse hominum salutem, evidens quoque est, omni tempore providisse hominibus legem, & Religionem, per cujus observationem tenderent in felicitatem ultimam, ad quam sunt creati: nec enim Deus seriò potest desiderare, ut homines perveniant ad terminum, nisi præstituendo viam, per quam ambulando pervenire possint ad ipsum: nec potest seriò procurare finem, quin provideat mediũ necessariũ ad ejus consecutioné.

II. Ma-


II. Manifestum deinde est, ante adventum Mahumeti non fuisse legem à Mahumeto promulgatam: ergo cùm manifestum quoque sit, sexcentis annis ante adventum Mahumeti fidem Christi fuisse per totum orbem promulgatam: vel dicendum est, illis sexcentis annis nullum hominem salutem æternam obtinuisse, immò nec obtinere potuisse, vel dicendum est, illam obtinuisse, vel obtinere potuisse, fidem Christi amplectendo, & ejus legem Evangelicam observando.

III. Probatur assumptum, quia si nulla erat tunc in mundo vera fides, veráque Religio à Deo data, nullus tunc salvabatur; quia sine vera fide impossibile est placere Deo, & sine observatione legis à Deo provenientis, impossibile est, veram felicitatem, ultimúmque finem consequi: unde tunc Deus creâsset homines dumtaxat ad comedendum, & bibendum in hac vita, sicut bestias, quod est per se falsum, & Deo indignum. Si autem erat tunc aliqua vera fides, veráque Religio, nulla alia esse poterat, quàm Christiana. Nam ante adventum Mahumeti solùm erant in mundo tres Religiones, leges, vel fides: nempe Religio & fides Gentilium, qui idola colebant: Religio & fides Judæorum, qui Messiam expectabant: fides & Religio Christianorum, qui Deum Unum, & Trinum colebant, & Christum tanquam verum Deum & hominem adorabant: ex iis autem tribus fides gentilium erat manifestus error; nam Mahumetus ipse in Alcorano sæpe dicit, se esse Prophetam à Deo missum ad exterminandam idololatriam. Fides autem Judæorum erat etiam post adventum Christi omnino vana, & inutilis ad salutem: nam Mahumetus in Alcorano sæpe repetit, Christum esse Messiam in lege, & Prophetis promissum, & fuisse insignem Prophetam, Virúmque sanctissimum; Judæi verò illum ut Impostorem, & blasphemum execrabantur, ac proinde erant certò extra viam salutis: quare, vel dicendum est, nullum hominem illis sexcentis annis fuisse salvatum, vel dicendum est, solùm in Religione Christiana fuisse salutem: cùm ergo primum sit manifeste absurdum, & Deo indignum, debet necessariò dici secundum: ergo tunc Religio Christiana erat apta ad salutem: ergo erat vera. Patet conseq. quia lex falsa non est à Deo, neque descendit de Cœlo; lex autem, quæ non est à Deo, neque è Cœlo descendit, non potest ad Deum ducere, neque ad Cœlum evehere. Unde evidens est, fidem, in qua homines salvantur, esse veram, & esse à Deo. Ergo vera erant dogmata, quæ lex Christiana tunc profitebatur, nempe Deum esse Trinum & Unum, & Christum esse Hominem & Deum simul. Nam si hæc dogmata essent falsa, fides ipsa Christiana falsa & erronea esset, ac proinde non esset à Deo, sed à diabolo, neque ad Cœlum duceret, sed ad infernum.

IV. Quodsi illis sexcentis annis verum erat, Deum esse Trinum & Unum, & Christum esse Deum & Hominem, evidens quoque est, Deum post adventum Mahumeti esse Trinum & Unum, & Christum esse Deum & Hominem: ergo Alcoranus disertè hoc negans,

negans, non eſt lex vera, ſed manifeſtè erronea, neque Deum habet Authorem, ſed diabolum; & Mahumetus non fuit Propheta, ſed impoſtor, & deceptor. Sequela eſt evidens: quia, cùm Deum eſſe Trinum, non ſit accidens, ſed ſubſtantia, ſi Deus aliquando fuit Trinus, ſemper neceſſariò eſt Trinus, & cùm propoſitio aliquid affirmans de præterito, ſi ſemel vera eſt, ſemper permaneat vera; ſanè ſi illis ſexcentis annis verum erat affirmare, Deum factum fuiſſe hominem, ſanè id etiam modò verum eſt, ſempérque erit verum. Et cùm Chriſtus, qui tunc exiſtebat in Cœlo, idem ſit, qui modò exiſtit ibidem, ſanè ſi tunc erat Deus, etiam modò eſt Deus.

V. Hoc argumentum primum Deus mihi ſuggeſſit, cùm in Urbe Malaga è noſtro Collegio tenderem ad Theatrum Comædiarum ad concionandum Mahumetanis: hic enim locus conſultò electus fuerat ad eas conciones habendas, in eúmque confluebat tota Civitatis nobilitas, tam Eccleſiaſtica, quàm ſæcularis. Venerat ad concionem invitus quidam Mahumetanus cum ſua uxore, & timens, ne illa peteret Baptiſmũ, mortem ei minatus eſt, & dum me concionantem audiebat, oculis torvis minas repetebat. Sed cùm hanc demonſtrationem audivit, divinâ gratiâ repentè illuminatus; & filium parvulum, quem inter brachia complectebatur, dimittens, à ſede proſilit, & in tabulatum aſcendit, alta voce Baptiſmum petens, cum ingenti Chriſtianorum plauſu, & maximâ uxoris mæſtitiâ. Poſteáque ſeipſum explicans dicebat: tres dumtaxat ſunt domus, nempe domus Moyſis, domus Chriſti, & domus Mahumeti: domus Moyſis aliquando fuit domus Dei, ſed poſtquam Chriſtus venit, jam domus illa corruit, & jam non eſt domus Dei: domus Chriſti eſt planè domus Dei: domus autem Mahumeti poſtea ſuperveniens nequit eſſe domus Dei, quia eſt domus contraria domui Chriſti, & Deus nequit ſibi ipſi contrarius eſſe. Et hunc alióſque triginta duos infideles ad veram Chriſti fidem converſos, ſacriſque myſteriis imbutos die Evangeliſtæ Joanni Sacrâ è Collegii noſtri Eccleſia in Cathedralem ingenti comitatu ductos ſacro fonte luſtravit Illuſt. ac RR. D. D. Ildephonſus à S. Thoma è Sacro Prædicatorum Ordine, Epiſcop. Malacenſis, quem dum memoro, gratum denuo animum pulſat effuſiſſima illa humanitas, quâ tenuitatem noſtram excepit, & de victu, veſtitúque indulgentiſſima nobis largitate providit. Quæ cùm mente nequaquam exciderint, nec calamum ſubterfugere potuerunt, quin eorum rurſus memoriam jucundiſſimè refricaret, figerétque monumentum noſtræ adverſùs tantum Virum obſervantiſſimæ gratitudinis.



CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Secunda Demonstratio.

Petita ex eo, quòd Mahumetus prohibuerit suis omnem de Religione disputationem, & voluerit legem suam gladio potiùs, quàm rationibus persuaderi.

VI. ALIA deinde conficitur ratio ex dictis in tota disputatione, quâ falsitatis convincatur Mahumetana secta: nam cùm unus sit Deus, una tantùm debet esse vera fides, veráque Religio, in qua homines salventur, & omnes sectæ, oppositæ veræ Religioni, debent esse falsæ. Ergo cùm Deus velit omnes homines salvos fieri, vult omnes homines venire ad profitendam veram fidem, verámque Religionem amplecti. Ergo vera Religio, veráque fides debet habere signa & notas, quibus possit ab omnibus dignosci; & ideo dicitur Deus posuisse in sole Tabernaculum suum, quia nimirum veram Religionem, veram Ecclesiam, in qua homines salvari possint, ita conspicuam reddit, ut possit ab omnibus videri, si illam verè quærant. Unde P. Valentia 2. 2. disp. 1. q. 1. punct. 7. omnium Theologorum nomine sic sapienter pronuntiat: *Ab orthodoxis Doctoribus secundùm certissima, & clarissima Sanctæ Scripturæ testimonia Ecclesia visibilis dicitur, id est, sic in luce hominum, & in conspectu posita, ut quovis sæculo evidenter internosci, & quasi digito demonstrari queat congregatio illa, quam Ecclesiam veram determinatè credere possis, ac debeas.* Quare de vera Religione, veráque Dei Ecclesia, intra quam possunt homines salvari, debet verificari illud, quod dicitur Sap. 6. *Clara est sapientia, & quæ nunquam marcescit, & facilè videtur ab iis, qui quærunt eam.* Debet ergo vera Religio, veráque Dei Ecclesia habere argumenta evidentia credibilitatis, seu argumenta, quibus possint homines induci, & obligari ad credendum, illam esse veram Religionem, & à Deo datam. Si enim hæc argumenta non haberet, non esset civitas supra montem posita, nec esset Tabernaculum Dei in Sole, id est in clara luce positum, nec daretur obligatio illam suscipiendi, nec homines possent dignoscere, illam potiùs, quàm sectam ipsi oppositam, esse veram, ut eam amplecterentur: quod planè est absurdum, & impossibile; implicat enim, Deum velle, ut homines amplectantur veram Religionem, & non dare illis media, quibus dignoscere possint, quænam sit vera Religio, seu quænam sit à Deo. Ex hoc principio deducitur, Mahumetanam sectam, prohibentem disputationes in materia Religionis, & præcipientem, ne ratione persuadeantur homines illam amplecti, sed gladio, & vi cogantur, non esse legem à Deo latam, & Mahumetanos temere illam profiteri. Nam vel habent rationes, & fun-

fundamenta, quibus sibi persuadeant, & aliis persuadere possint, Mahumetanam professionem Deum habere Authorem, vel non? Si non habent: ergo temere illam amplectuntur, nam magna est temeritas, aliquam Religionem seu professionem, ut divinam & à Deo datam, amplecti, quin præcedat prudens fundamentum, quo inducaris ad credendum, illam esse à Deo, & possis alios inducere. Si habet: ergo injustè prohibet ea fundamenta proferri. Sanè qui habet nummum aureum, non adulterinum, sed legitimum, & justi ponderis, illius examen non metuit, nec oculos refugit aurificis, qui explorandis ponderibus præfectus est. Si ergo Mahumetana Religio examen sapientium timet, & prohibet examinare, an à Deo fuerit data, non est lex à Deo data, sed à Pseudo-Propheta dolosè composita, ad subjugandos populos, & illos in propriam ditionem trahendos. Astutè prohibuit hic impostor suis, etiam sapientissimis, & in Alcorano peritissimis, cum Christianis vel Judæis disputare de veritate suæ sectæ, quia probè noverat, illius falsitatem vi disputationis manifestè detegendam, nec posse vi prædicationis persuaderi, Mahumetum fuisse verum Dei Prophetam; ab ipso missum ad promulgandam novam legem, cùm nec vitæ sanctitas, nec morum probitas, nec prophetiæ, nec miracula illi testimonium perhiberent: non vitæ sanctitas, cùm fuerit Mahumetus luxuriosissimus, adulter, & perjurus, & sceleratissimus regnorum deprædator: non prophetiæ, cùm nec in lege veteri, nec in Christi Evangelio fuerit promissus, licèt in Apocalipsi fuerit sub nomine Anti-Christi adumbratus, nec ullum miraculum fecerit ad probandum, se fuisse à Deo missum; quamvis enim in Alcorano aliqua miracula à se patrata narret, ea tamen narrat, quæ à nullo visa sunt, ne posset palam de falsitate redargui.

CAPUT TERTIUM.

Tertia Demonstratio.

Inde petita, quòd Alcoranus docet, unumquemque posse in sua lege salvari, Christianum in Christiana, Mahumetanum in Mahumetana, & Judæum in Judaica.

VII. Cardinalis Bellarminus tom. I. Controversiarum lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 12. inter notas veræ Ecclesiæ Dei ponit sanctitatem doctrinæ, quæ in eo consistit, quòd nihil contineat falsum, quoad fidei doctrinam; nihil injustum, quoad doctrinam morum: unde in Psalm. 18. appellatur: *Lex Domini immaculata, testimonium fidele, præceptum Domini lucidum.* Atque, ex hac nota evidenter ostendi, nullam esse veram Ecclesiam, nisi nostram,

ſtram, nempe Eccleſiam Chriſtianam Catholicam Romanam: *Nulla eſt enim* (inquit) *ſecta, vel Paganorum, vel Philoſophorum, vel Judæorum, vel Turcarum, vel Hæreticorum, quæ non contineat aliquos exploratos errores, & rectæ rationi manifeſtè contrarios.* Et enumeratis erroribus Paganorum & Philoſophorum, ſubjungit: de Mahumetanis idem patet ex Alcorano: nam capite ſecundo docet, omnes ſalvari in ſuis legibus, ſi eas ſervent, Judæos, Chriſtianos, Turcas: cap. 5. 28. 47. 48. & alibi paſſim docet, beatitudinem futuræ vitæ conſiſtere in cibo, & potu, & uxorum multitudine, nec unquam in toto Alcorano mentio fit actionum ſpiritualium, viſionis, vel amoris Dei: & capite quadrageſimo tertio dicit, Deum & Angelos orare pro Mahumeto. Hîc adverto, Alcoranum apud Turcas haberi ſine diſtinctione partium, vel librorum, ut conſtat ex Alcorano, quem in linguam Gallicam tranſtulit Legatus Regis Chriſtianiſſimi Conſtantinopoli degens, quem è Gallico in Hiſpanicum idioma convertit Excellent. Comes de Oropeſa ann. 1672. ut Miſſionariis uſui eſſe poſſet, & ego codices manuſcriptos vidi, & in illis notavi, apponi titulos capitum, non exprimentes, quæ in capitibus continentur; & ſeriem capitum continuari ab initio uſque ad finem ſine diſtinctione librorum. Nam caput primum inſcribitur, *De bove ſeu juvencâ*: *ſecundum, de ſtirpe Joachim: tertium, de Mulieribus*, & ſic de aliis.

VIII. At apud Mahumetanos, qui olim Hiſpaniam occupârunt, Alcoranus legebatur cum diſtinctione librorum, totúſque Alcoranus dividebatur in quatuor libros, quorum primus quinque capita habebat: ſecundus duodecim: tertius novemdecim: quartus, centum, & ſeptuaginta quinque; atque adeo integrum Alcorani volumen continebat undecim ſupra ducenta capita. Ita tamen libri illi ſunt diſpoſiti, ut primus tantam faciat molem, quantam ſecundus; ſecundus verò tantam, quantam tertius & quartus. Hoc conſtat ex Moſſem Joanne Andrea priùs Mahumetano, qui in Prologo ſui libri teſtatur, Alcoranum in quatuor dividi libros, & idem teſtatur Lupus de Obregon ſuprà citatus. Hæc adnotare libuit, quia magna eſt varietas in citandis Alcorani capitibus, ſeu *Zoris*, & Cardinalis Bellarminus Alcoranum citat, ſecundùm quod eo utuntur Turcæ ſine diſtinctione librorum: fideliſſima tamen eſt ejus citatio. Nam Joannes Andreas refert Alcoranum lib. 1. cap. 2. aſſerentem: *Evangelia Jeſu Chriſti, & Pentateuchum Moyſis à Deo eſſe data hominibus, & in Cœlum ducere eos, qui doctrinam eam obſervant.* Idémque dicit de ſuo Alcorano, & cap. 4. iterum ait: *Toram Moyſis*, id eſt *Pentateuchum, & Evangelium Jeſu Chriſti eſſe legem, & viam ſalutis.* Idémque teſtatur S. Petrus Paſchaſius in ſuo tractatu contra Mahumetanos (cujus ſuprà §. 1. mentionem fecimus) pag. 30. num. 26. ubi hæc habet: *Multis in locis Mahumetus in Alcorano affirmat, Chriſtianos optimam habere, & colere legem, eſſéque in ſtatu ſalvationis, unde ſic ait: Certum eſt, quòd illi, qui in Deum credidère, & Judæorum legem* cuſto-

custodièrint, & sapientes, & Christiani, qui in Deum crediderint, & ultimum esse diem confessi fuerint, benéque fecerint, & operati fuerint, mercedẽ à Deo, & præmium accipient; error non erit super illos, neque formido, doloréque carebunt.

IX. Hinc evidens conficitur ratio, ad convincendum, Alcoranum non descendisse de Cœlo, neque ejus doctrinam esse à Deo traditam. Nam evidens est, doctrinam falsam non habere Deum Authorem, & evidens est, esse falsam hanc doctrinam, quæ asserit, utramque legem, tam Christianam, quàm Mahumetanam, esse aptam, ut in ea homines salventur. Nam evidens est, ex duabus doctrinis contradictoriè oppositis non posse esse utramque veram, sed alteram necessariò esse falsam: at doctrina Evangelii, & doctrina Alcorani sunt contradictoriè oppositæ, quod attinet ad mysteria Fidei: nam Evangelium docet, Deum habere tres Personas realiter inter se distinctas, Alcoranus hoc negat, unam dumtaxat Personam in Deo constituens: Evangelium docet, Christum Dominum esse Deum & Hominem, Alcoranus hoc negat, asserens esse purum Hominem: ergo vel est falsa doctrina Evangelii, vel doctrina Alcorani: ergo non est utraque à Deo: ergo Alcoranus, affirmans, esse utramque doctrinam à Deo, & utramque de Cœlo descendisse, mentitur, & manifestum continet errorem. Ergo lex in Alcorano contenta non descendit de Cœlo: ergo lex illa nequit in Cœlum ducere suos observatores: nam lex, quæ de Cælo non descendit, in Cœlum ducere nequit: ergo manifestè mentitus est Mahumetus, dum dixit, Christianum salvari in sua lege, si illam observet, nimirum credendo, quæ præcipit credi, & opere exequendō, quæ præcipit fieri: & simul salvari Mahumetanum in sua lege, si illam observet. Nam si uterque observet suam legem, uterque credit, quod lex ut articulum Fidei proponit: & cùm leges istæ articulos è diametro oppositos proponant, vel Christianus, vel Mahumetanus credit aliquid falsum, ac proinde falsam habet fidem. Qui autem falsam habet fidem, in ea salvari non potest, quia falsa fides non est Fides divina, siquidem fides est credere Deo loquenti: sine fide autem impossibile est placere Deo; est enim fides salutis fundamentum, & impossibile est, ut sine fundamento consistat salutis ædificium.

CAPUT QUARTUM.

Quarta Demonstratio

Inde petita, quòd salvatio in lege Christi sit certa ex dictis Alcorani, in Mahumetana autem sit dubia.

X. Hinc manifestè cõvincitur, Mahumetanos ex ipsa doctrina Alcorani compelli ad deserendũ Mahumetismum, & amplectendam Domini nostri

ſtri Jeſu Chriſti Fidem. Sic enim arguo: Alcoranus veſter, veſtráque lex palá fatetur, poſſe homines in Chriſtiana profeſſione ſalvari: econtra verò omnes Chriſtiani ut infallibilem Fidei articulum credimus, extra Chriſti Eccleſiam homines ſalvari non poſſe: quia ſicut unus duntaxat eſt Deus, ita unica duntaxat in mundo debet eſſe Religio vera, in qua homines ſuam ſalutem operari poſſint: reliquæ autem ſectæ, & profeſſiones illi contrariæ, neceſſariò ſunt falſæ, quia, quod veritati opponitur, falſitatem continet. Hanc autem Religionem unicam dicimus eſſe Religionem Chriſtianam; quia, hanc eſſe à Deo, evidentia convincunt argumenta, ut patet ex tota hac diſputatione. Vos probè nôſtis, Deum habere in mundo aliquam Religionem, ſeu profeſſionem, vel fidem, in qua homines ſalvari poſſint: probè item nôſtis, legem Moſaicam poſt adventum Chriſti jam non eſſe utilem ad ſalutem; quia ut articulum Fidei in Alcorano habetis, Chriſtum eſſe Meſſiam in lege promiſſum; perfidi autem Hebræi, qui modò legem Moyſis obſervant, hoc negant, & Meſſiam adhuc expectant: illi ergo meridiana in luce caligant, & omnes infallibiliter peribunt, niſi Chriſtum agnoſcant eſſe verum Meſſiam; ut ipſis palam dixit ipſe Chriſtus: *Si non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Joan. 8. 24. Rurſus etiam nôſtis, profeſſionem Gentilium, qui verum Deum non agnoſcunt, eſſe certiſſimam ad æternam perditionem viam. Ergo palam fatemini, ad ſalutem æternam obtinendam neceſſarium eſſe, vel Religionem Chriſtianam, vel Mahumetanam profiteri. Inde verò ego evidenter concludo, vos eſſe ſtultos, & imprudentes, ſi Religionem Chriſtianam non amplectamini: quia ſtultum eſt, ex duabus viis, quæ in opinione hominum ducunt ad aliquem terminum, illam deſerere, de qua apud omnes convenit eſſe rectam, & ad terminum ducere; & illam capere, de qua dubium eſt, an ducat ad illum terminum, an ad ingens præcipitium. De Religione Mahumetana vos ſoli, ô Mahumetani, dicitis eſſe viam rectam ad æternam ſalutem: nos verò Chriſtiani omnes ut Fidei articulum credimus oppoſitum, & certiſſimum judicamus, illam non eſſe ſemitam ad cœleſtem Hieruſalem, ſed viam latam ad infernalem Babiloniam, neque ad optatum terminum ducere, ſed ad inferni præcipitium. De Religione Chriſtiana, & vos, & nos cenſemus, eſſe rectam viam ad ſalutem: ergo Religio Chriſtiana eſt via certa ad ſalutem; Religio verò Mahumetana eſt via ſaltem dubia. Quis autem non videat, ſtultiſſimum eſſe, quando de ſummo omnium negotio agitur, viam certam dimittere, per quam certiſſimè poſſumus ad ſalutis portum pervenire; & viam capere dubiam, quæ forſan pro portu ducit ad naufragium æternæ damnationis.

XI. Ut Barbari Mahumetani vim hujus rationis penetrent, eis exponenda eſt aliquo ſimili. Huc adeſto Haly, Amete, vel ſi aliud tibi nomen eſt: Si tuâ maximi intereſſet, Matritum pervenire, & ignorans viam, dubius hæreres in bivio, anceps, an tibi pergendum

esset per semitam, quæ est à dextris, an per illam, quæ est à sinistris, & tunc casu duo viri graves tibi occurrerent, ab eisque sciscitareris, quænam ex illis viis duceret Matritum ? Et alter tibi diceret ; amice, hanc, quæ à dextris est, elige, quia illam calcans certissimè Matritum pervenies ; si autem sinistram elegeris, longè aberrabis, & præcipitium atque mortem invenies : alter verò tibi diceret, Amice, utraque via, tam dextra, quàm sinistra Matritum ducit ; dextra tamen planior, & facilior est : elige, quam malueris. Quid tunc, quæso, faceres ? Abs dubio, inquies, dextram eligerem : quia illa ex confessione, & consensione utriusque est certa, & secura ; sinistra verò foret dubia, & illi me committens, præsentissimo periculo me exponerem errandi, & operam perdendi, immò & vitam. Rectè respondisti : sed nunc ex ore tuo te judico. Via Christianorum est via certissima ad salutem ; quia tam Christiani, quàm Mahumetani credunt, eum, qui per illam incedit, perventurum ad Cœlestem Patriam. Via autem Mahumetanorum saltem est dubia : quia Christiani omnes credimus, certissimè ducere ad infernum, & soli Mahumetani creditis, ducere ad Cœlum. Tene ergo certum, & dimitte incertum, & noli te exponere manifesto periculo amittendi salvationem, & incidendi in æternam damnationem. Hoc argumento multi Mahumetani convicti sunt ad abjurandum Mahumetismum.

XII. Simili argumento permotus est inclytus ille Galliarum Rex, & strenuus Dux Henricus Quartus, ut Hæresim Calvinianam abjuraret, & fidem Romanam amplecteretur. Quæsivit enim à Magistris Religionis reformatæ, an in Ecclesia Romana esset salus ? Et affirmârunt. Quæsivit à Magistris Parisiensis Academiæ, qui omnes erant Romanæ Ecclesiæ filii, an in Ecclesia reformata esset salus ? Et omnes constantissimè responderunt, certissimum esse, neminem posse extra navim D. Petri, seu extra fidem Ecclesiæ Romanæ, naufragium æternæ damnationis effugere. Tunc prudentissimus Princeps conclusit : Ergo salus est certa in Ecclesia Romana, siquis firmiter credat, quæ credenda proponit, & opere exequatur, quæ facienda præcipit : in Ecclesia autem reformata, est dubia, quamvis quis, & credat, & operetur secundùm ejus præscriptum. Relinquamus ergo viam dubiam, & arripiamus certam.

CAPUT QUINTUM.

Quinta Demonstratio.

Petita ex eo, quòd ex confessione Alcorani Christus est Messias in lege Antiqua promissus, & Sanctissimus Propheta.

XIII. MAhumetani credunt, Christum Dominum esse Messiam in lege antiqua promissum, & esse Prophetam Sanctissimum ; nam, ut inquit

inquit Sanctus Petrus Paschasius pag. 65. num. 83. *Mahumetus dixit, ac in suo Alcorano scribi fecit: quòd JESUS Christus Verbum fuit Dei, & Spiritus Dei.* Et ut testatur Joan. Andreas in sua confutatione sectæ Mahumetanæ, quam per tot annos professus est, cap. 11. Alcoranus lib. 1. cap. 3. vocat JESUM Christum: *Quali metu Allah, id est, Verbum Dei.* Item vocat illum, *Spiritum Sanctum Dei*, & in eodem capite inquit: *Non est aliud Messias JESUS Christus Filius Mariæ, nisi Verbum Dei missum Mariæ, & Spiritus illius Dei, & nuntius ipsius.* Et in eodem lib. cap. 2. dicit Alcoranus: *JESUM Christum cum corpore & anima ad Cœlos ascendisse.* Et lib. 1. Alcorani cap. 1. inquit: *Nos, Deus, dedimus Evangelia JESU Christo Filio Mariæ, & adjuvimus eum Spiritu Sancto.* Id testatur quoque Lupus de Obregon suprà citatus, & liber *Zunæ*, seu *Sunæ*, qui magnæ est authoritatis apud Mahumetanos, & continet dicta & facta Mahumeti, affirmat, *JESUM Christum venturum, ut Judicem verum ad judicandum hunc mundum.*

XIV. Hoc supposito, sic argumentor: Christus Dominus fuit per vos Messias in lege promissus, ac proinde *Doctor justitiæ, & veritatis*, ut eum Hieremias cap. 23. appellat. Ipséque Mahumetus in Alcorano Zorâ 44. quæ intitulatur Zora Mariæ, vocat Dominum JESUM Verbum veritatis, ut testatur Doctor Petrus de Cavalleria in Zelo Christi. Fuit Propheta Sanctissimus, & à DEO missus, qui veritatem suæ doctrinæ innumeris confirmavit miraculis: ergo vera est doctrina, quam prædicavit. Atqui ipse dixit, se esse verum, & naturalem DEI Filium, verúmque DEUM, ut constat ex dictis in tota disputatione præcedenti; & dixit, in DEO esse tres Personas: ergo vera est hæc doctrina: ergo falsa est doctrina Alcorani, illi ex diametro opposita. Rursus Christus dixit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum DEUM, & quem misisti JESUM Christum*, id est, hac sola via obtinenda est vita æterna, Fide Divinitatis, & mysterij Incarnationis, ut explicavimus disp. præced. sect. 2. Ergo nemo potest salutem æternam consequi, nisi cognoscat JESUM Christum esse verum DEI Filium. Ulteriùs: ergo nemo potest salutem æternam consequi, nisi Baptismum Christi suscipiat, nam ipse Christus dixit Joan. 35. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI.*

XV. Quodsi Mahumetani responderint, hæc Christum non dixisse, sed ejus Discipulos hæc falsò scripsisse, & mundo prædicâsse: contrà manifestè est; quia vel id malitiosè fecerunt, & scientes illum fuisse purum hominem, mundum deceperunt, prædicantes esse verum DEUM, & falsò testificantes, de seipso hoc affirmâsse JESUM Christum: vel hoc fecerunt ex ignorantia, & quia non bene perceperunt Christi verba? Primum dicere non possunt Mahumetani, qui credunt cum Alcorano, Apostolos Viros fuisse Sanctissimos, ut testatur S. Petrus Paschasius pag. 19. suorum operum num. 17. & testatur Joannes Andreas in sua confutatione sectæ Mahumetanæ cap. 11. ubi ait Alcoranum lib. 1. cap. 2. lib. 3. cap. 18. multa referre miracula

racula Apostolorum, eósque vocare *Haguariyn*, id est mundos, & Sanctos, auri & argenti contemptores. Deinde penitus incredibile est, Apostolos malitiosè prædicâsse, ut Filium Dei, Magistrum suum, si scirent hoc esse falsum, & nunquam ab ipso assertum: quia hoc ipso sine ullo lucro, vel emolumento temporali enorme committerent crimen, dignúmque damnatione æterna, stultéque desudarent in persuadendo tam insigni mendacio, quod Judæis apparebat scandalum, Gentibus verò stultitia, nempe hominem crucifixum esse verum Deum. Multóque faciliùs potuissent mundo persuadere veritatem, nimirum JESUM Nazarenum esse Messiam promissum in lege, insignémque Sanctum, & injustè fuisse à Judæis occisum; cæterùm fuisse, & esse purum hominem, si scirent, hanc esse veritatem & mendacium esse, quòd Christus sit Deus: stultè ergo tam insigne mendacium prædicarent, frustráque tot peregrinationes & labores aggrederentur. Quid enim ex hoc lucrarentur? Sanè nihil aliud, quàm persecutiones & tormenta, ipsámque mortem in hac vita, & æternam damnationem in alia: ergo incredibile est, Apostolos tantâ constantiâ prædicâsse Christi Divinitatem, si scirent, hoc esse falsum, & voluisse tantum imponere crimen suo Magistro, si scirent, Christum nunquam dixisse, se esse Filium Dei. Ergo certum est, hæc non prædicâsse, vel scripsisse malitiosè. Deinde dici non potest, hoc ignoranter fecisse, quia Evangelista Joannes disertè narrat, Christum dixisse, se esse Filium naturalem Dei, & propterea Judæos contra eum lapides sustulisse, & ideo illum crucifixisse, quia hoc de se dicebat: si autem hoc de se Christus non dixit; non ignoranter, sed malitiosè Evangelista scripsit. Deinde incredibile est, Deum permisisse, ut Apostoli per ignorantiam totum mundum deciperent, & quòd miraculis veris falsam fidem invexerint.

XVI. Quod ulteriùs urgetur: quia si Apostoli mundum deceperunt, falsa fuit fides, quâ ante Mahumetum mundus credidit, Christum esse verum Deum: ergo nullus mortalium in illis sexcentis annis ante adventum Mahumeti salvationem obtinuit: quia nec illam obtinuerunt, qui Moysis legem illis sexcentis annis observârunt, quia post adventum Messiæ jam lex Mosaica abrogata est, & qui illam profitentur, non habent veram fidem, siquidem credunt, Messiam nondum venisse: nec item Gentiles, ut patet; nec Christiani, quia falsam habuerunt fidem, credentes esse verũ Deum Jesum Christũ, si verus Deus non est: falsa autem fides nequit esse fundamentum salutis, quia sine vera fide impossibile est placere Deo. Est autem evidenter falsum, mundum caruisse vera fide sexcentis annis, & nullum hominem salutem tunc obtinuisse. Deinde si Christus non est Deus, nec unquam de seipso hoc affirmavit: ergo fuit planè mentitus, *cùm dixit* Petro: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*: prævaluissent enim, si Apostoli falsam fidem in mundum invexêre, nam Ecclesia vera nequit esse fundata supra fidem falsam.

Quodsi Mahumetani respondeant (ut

(ut respondere solent, ne palam convincantur) Apostolos quidem sincerè, & juxta veritatem scripsisse Evangelia; Christianos tamen postea adulterâsse, & corrupisse illa, addentes ea, quæ de Christi Divinitate, & Trinitate personarum habentur in Evangeliis, & Apostolorum libris: postea latè hoc deliramentum impugnabimus, manifestè demonstrantes, non alia esse Evangelia, quæ modò habet Ecclesia, quàm illa, quæ Apostoli scripserunt, éaque pura, & incorrupta existere.

CAPUT SEXTUM.

Sexta Demonstratio.

Quòd vera Religio est illa, quam homines ad moriendum eligunt; sectam autem Mahumetanam nullus unquam Christianus ad moriendum prælegit; cùm interim passim Mahumetani eligant ad moriendum Religionem Christianam, quam ad vivendum nunquam suscipere voluerunt. Ubi narrantur mirabiles conversiones Maurorum in hora mortis.

XVII. ARgumentor sextò: quia illa est vera Fides, veráque Religio, quam homines, in periculo mortis constituti, post sinceram orationem ad Deum fusam, ut eos viam veritatis doceat, ad moriendum eligunt sua sponte, & quin ab alijs cogantur: illa falsa, quam homines ob lucrum, vel commodum temporale, vel ob consuetudinem majorum eligunt ad vivendum, & à qua in hora mortis rem attentè considerantes recedunt. Cùm enim Deus sit summè bonus, & misericors, *& velit omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ut ait Apostolus 1. ad Timoth. 2. v. 4. credi non potest de tanta pietate, quòd hominem, qui bene moraliter in vita se gessit, & honestè vixit, & in morte ad eum fidenter orat, ut viam veritatis ipsi aperiat, in morte deserat, & permittat, ut diabolus contra illum prævaleat, & in falsa secta finiat vitam, & damnetur. At quotidianâ experientiâ discimus, multos Mahumetanos, qui moraliter bene vixerunt in sua secta, in illáque per multos annos perseverârunt, quia eam quasi jure hæreditario à parentibus, avis & proavis acceperant, postea vel ante mortem, vel in mortis articulo, post preces Deo fusas ad inveniendam salutis viam, sectam illam deseruisse, & Christianæ Religioni nomen dedisse, unicè ob desiderium æternæ salutis, & quin ad ullum temporale emolumentum, vel lucrum intenti essent. Econtra verò à sæculo non est auditum, quòd aliquis legem Christi fideliter servaverit, & vitam bonam & honestam secutus sit; & quòd iste sua sponte, dum morti propinquus est, Christianam Religio-

ligionem deserat, & in secta Mahumeti velit mori. Ergo manifestum signum est, Religionem Christianam esse sanctam, & Deum habere Authorem, & esse rectam, & securam ad Cœlum viam eis, qui Christiana præcepta observant. Et econtra Mahumetanam sectam non esse sanctam, nec Deum habere Authorem, neque ad Cœlum, sed ad infernum ducere eos, qui illam observant. In Africa & alijs Regionibus à Mahumetanis occupatis sæpe contingit, ut Christiani captivi à fide deficientes Mahumetanam sectam profiteantur; id verò ideo evenit, quia gravibus peccatis irretiti, & à diabolo in captivitatem redacti, facilè à corruptione morum ad infidelitatem transeunt; abyssus enim abyssum invocat, & peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, in nova trahit peccata; hæc verò multiplicata mentem occæcant, & animam disponunt, ut radicem omnis sanctitatis, nempe fidem, amittat. Cùm enim peccata fidem quasi captivam teneant, nec sinant, ut in opera sancta prodeat, Deum provocant, ut permittat, illam radicem è corde evelli à diabolo. Sic multi propter nimiam avaritiam, & cupiditatem rerum temporalium erraverunt à fide, ut docet Apostolus 1. ad Timoth. 6. v. 10. *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes, erravérunt à fide.* Et ideo Apostolus Petrus Epist. 1. cap. 2. v. 6. testatur de quibusdam, quòd ob malam vitam amiserunt fidem, *derelinquentes rectam viam, erraverunt sequentes viam Balaam.* Et Paulus ad Timotheum scribens Epist. 1. cap. 1. v. 19. testatur, aliquos propter malam conscientiam naufragâsse in fide, *habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt: ex quibus est Hymenæus & Alexander.* Et de quibusdam peccatoribus narrat, quia eis defuit charitas, Deum permisisse, ut crederent mendacijs contrarijs fidei 2. ad Thessalon. 2. v. 10. *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent: ideo mittet illos Deus in operationem erroris, ut credant mendacio.*

XVIII. Deinde ob commoda temporalia mali Christiani sæpe apud Mauros ad sectam Mahumeti transeunt, quia frequens est apud illos, ut, qui Mahumetani fiunt, libertate donentur. Deinde lege sancitum est inter Mauros, ut servus, qui ex Christiano factus est Mahumetanus, unà cum filijs defuncti domini sui hæreditatem adeat, posśitque cum vidua matrimonium contrahere. Ita mihi narravit in Portu Sanctæ Mariæ anno 1671. Dominus *D.* Augustinus de la Cerda, antea Muley Larbe Gerife nuncupatus, Regis Tafileti in Africa ex fratre nepos, & legitimus illius Regni successor, qui à Deo ad Christi fidem vocatus, solemniter baptizatus est in ea Civitate, me præsente, ejúsque in Baptismo Patrinus fuit Excellentissimus Dominus Dux de Medinacœli. Ejus patruus Rex Tafilete tyrannus erat: quia cùm esset spurius, fratrem suum legitimum Regem per insidias occidit, & Regnum occupavit, quod jure sanguinis spectabat ad Muley Larbe, utpote primogenitum germani fratris è patre & matre Regis occisi; ejus námque parens, antequam Rex occideretur, vitâ functus erat morte naturali, ac proinde ipse legitimus

gitimus erat Regni successor. Tyrannus verò timens, ne Muley Regnum invaderet, ei necem parabat; quam ut effugeret, ad arcem Christianam de Alarache confugit; cujus Gubernator, timens, ne per vim Rex Tafilete vellet arcem adoriri, ut fugitivum Principem caperet, eum in Hispaniam transmisit: & in custodia Portûs Sanctæ Mariæ servabatur, cùm ad Fidem à Deo vocatus est ex conversatione cum Religioso Augustiniano; & quia, ut ipse narrabat, ei apparuit D. Augustinus, qui Baptismum petere jussit. Inde eductus traditus est Religiosis Sancti Augustini in mysteriis Fidei instruendus, & in eorum Cœnobio commorabatur, cùm P. Joannes Gabriel Guillen, & ego è Gadibus ad Portum transfretavimus, vocati ab Excellentissima Ducissa ad Missionem habendam in ea Civitate; & ex ejus præscripto in sacro illo Cœnobio hospitio excepti sumus, & à Religiosissimis illis Patribus benignissimè & liberalissimè accepti. Princeps iste non modico nobis adjumento fuit ad conversionem Mahumetanorum, qui eum ut legitimum Regni successorem colebant, & antequam Fidem Christi susciperet, ei necessaria ad victum, & vestitum suppeditabant. Hujus conversionis conscia Regina Marianna Austriaca, quæ Hispaniæ Regna pro minoritate Caroli Regis filij sui gubernabat, regia liberalitate eum beneficiis cumulavit, & jussit, ut in Mediolanensi ditione Ducem cum duplici equitum turma ageret. Ab hoc igitur principe eam notitiam hausi.

XIX. His ergo de causis sæpe accidit, ut Christiani in Africa Fidem Christi deserant, & sectam Mahumetanam, exteriùs saltem, profiteantur. Nunquam tamen in Africa hoc monstrum visum est, quòd aliquis captivus Christianè inter Mauros vixerit, legem Christi fideliter servans, & in ea constanter perseverans, quin nec minis, nec promissis ab ea divelli potuerit; & tamen quòd morti propinquus sectam Mahumetanam sponte amplexus sit. Imò omnino nullus inter Mahumetanos unquam Christianus versatus est, qui Christianam & honestam vitam agens, ex desiderio suæ æternæ salutis, & non ex cupiditate temporalis lucri, & meliorem experiendi fortunam in hac vita, sua sponte circumcisionem Mahumetanorum subîerit, & Mahumetanam sectam susceperit. E-contra verò quotidie in Hispania invenire est Mahumetanos, qui, si à Christianis invitentur ad nostram Sanctam Fidem, obstinatè sic respondeant: *Pater meus Maurus, avus meus Maurus, & proavus meus Maurus extitit, & in Fide Maurorum mortuus est; & ego quoque Maurus ero usq; ad mortem.* Sic in Bætica sæpissimè mihi responsum est à Mahumetanis, quos in familiari conversatione ad Christum pertrahere tentabam. Et tamen ij ipsi, cùm mortem appropinquantem vident, Baptismum petunt, & Christiani fiunt. Hujus rei aliqua exempla subijciam.

XX. Postquam Malacæ Mauris concionatus sum, & solemniter una die triginta tres baptizati sunt ab Illustrissimo Episcopo, præter alios, qui privatim sacro fonte lustrati fuerant, invaluit apud Mahumetanos perfidos fama, & per finitimas urbes, & oppida vulgata est, Sacerdo-

cerdotem Christianorum (Papacem ipsi vocant) fascinis infecisse Mahumetanos in Malaca degentes, & veneficiis eos ad Fidem Christi traxisse: caveréntque proinde reliqui, ne ab hoc insigni Mago, & venefico deciperentur, & amuletum pararent ad amovenda veneficia. Post Missionem Malacensem, & alias per finitima oppida peractas, Illustrissimus Episcopus à Marchione de Assentar Ceutæ gubernatore per litteras rogatus, nos in eam urbem misit cum tribus alijs Sacerdotibus sæcularibus, ut in ea de more Missioni incumberemus. Ea verò Missione peracta, P. Joannes Guillen amantissimus meus socius (quem per sex continuos annos in Missionibus comitatus sum, viri zelum, conscientiæ puritatem, & acrem animi contentionem ad indefessè laborandum in vinea Domini, illustrésque alias virtutes admiratus, ob quas meruit gratiam Baptismalem Cœlo inferre, ut testatus est Sacerdos nostræ Societatis, qui ejus confessionem generalem in nostro tyrocinio Matritensi, ubi Rectorem agebat, à Missionibus avulsus, ad extremum vitæ excepit: obijt Matriti 19. Januarij anni 1675. ætatis 48.) cum uno Sacerdote sæculari Esteponam profectus est: ego verò cum reliquis duobus Maruccam perveni: & vix illuc adventâram, cùm Mahumetanus quidam, inter suos magnæ authoritatis, & qui omnium sapientissimus habebatur, qui in illis maritimis oris captivi tenebantur (utpote qui in Fez Mauritaniæ urbe in Collegio quodam alumnus, & collega fuerat, & in Mahumetana lege peritus erat, totúmque Alcoranum memoriâ tenebat) Mahumetanos omnes ibi commorantes congregavit, illísque persuasit, me præstigiatorem, & veneficum esse; attendite, inquiens, hunc Papacem è pulpito prædicantem, & animadvertetis, eum brachia, & manus identidem movere, ut fascina & veneficia diffundat, & audientes seducat: gestus ipsos, & oratorias actiones præstigias interpretatus. Unde quoties movebam brachia, vel manus ad exprimendos mentis affectus, toties, dicebat, me virulentas incantationes spargere. Et quò illos faciliùs deciperet, convivium eis paravit, à singulis sponsionem, vel jusjurandum exprimens, non petendi baptismum: &, ne attenderent, &, quæ dicebantur, intelligerent, ante concionem ipsos inebriabat. Et ita obturaverunt aures suas, & nullus eorum ad Fidem Maruccæ conversus est, quamvis fortiùs ibi, quàm alibi prædicaverim.

XXI. Interim Esteponæ P. Joannes Gabriel Guillen, qui nunquam Mahumetanis prædicaverat, quadam die, dum ad Christianos de morte concionem haberet, in qua defuncti cranium populo ostendens, & hominem mortuum, qui ad vivos verba faceret, introducens, audientium animos vehementer commovebat: ad finem concionis pauca, sed ardentia ad Mahumetanos verba locutus, quinque, qui soli in eo oppido detinebantur, & concionem audiebant, ad Christum traxit, & Baptismum petere persuasit.

Sed

Sed ô divinæ misericordiæ abyssum! Illum eundem Mahumetanum, qui suos Africanos à Christo averterat, Clementissimus Dominus ad se convertit: post aliquot menses illum affixit lecto, gravem corpori ægritudinem immittens, ut animum sanaret: agnovit ille mortem jam appropinquantem, & in illo periculo constitutus, mentis oculos aperiens, Deum rogat, ut, si Mahumetana secta non sit bona ad salutem via, cor ejus commoveat ad Christi Fidem amplectendam. Hoc ego sæpe in concionibus, quas coram ipso habui, ingeminaveram, ut scilicet Deum Cœli, & terræ creatorem enixè rogarent, ut, si verum sit, quod Christiani dicunt, Christi Fidem esse unicam ad æternam salutem viam, & Mahumetanam Religionem ad infernum certissimè ducere, cor eorum inclinaret ad Religionem Christianam, sin verò Mahumetana Religio sancta, & è Cœlo delapsa sit, ut ipsi credunt, ab ipsis averteret cogitationem omnem petendi Baptismum. Audivit Clementissimus Dominus orationem illam; & ut, ubi abundavit delictum, abundaret & gratia, illuminavit hujus Mahumetani tenbras *ille, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Igitur sua sponte, & solo Deo internè prædicante, Baptismum petiit, & magnâ sui spiritus consolatione cœlestis lavacri aquâ lustratus paulò pòst moritur. Illustrissimus Malacensis Episcopus, qui obstinationem hujus hominis audîerat, &, quanto fuerat impedimento ad aliorum conversionem, noverat, pro sua in me benevolentia & benignitate, me de hac conversione per litteras certiorem fecit, sciens, faustum hoc nuntium mihi fore gratissimum. Quis non agnoscat hanc mutationem à Deo fuisse? certè hîc adimpletum est, quod ipse promisit Matth. 7. & Luc. 11. *Petite, & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate, & aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur.* Quis de summa Dei bonitate credere possit, quòd hominem, ex toto corde ad se clamantem pro animæ suæ æterna salute, sinat à diabolo seduci, ut veram Religionem, in qua salvetur, deserat, & eam, in qua damnetur, eligat? Ut enim inquit veritas ipsa Luc. 11. *Si vos, cùm sitis mali, nôstis, bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* ergo Religio Christiana, quam Mahumetani ipsi ad moriendum eligunt, postquam rem Deo impensè commendârunt, vera est, & à Deo. Quòd autem in vita Mahumetani sectam suam obstinatè sectentur, non probat, illam esse à Deo, sed probat, illam esse carni, & sanguini conformem; probat, connaturale esse, ut homines ægrè, & difficulter sua sponte deserant Religionem, in qua educati sunt, & quam à majoribus acceperunt. At quòd homines in secta aliqua blanda, & molli, atque concupiscentias carnis foventi educati, illam deserant, & Religionem amplectantur strictam, & quæ concupiscentias carnis cohibere, & crucem mortificationis amplecti jubet, & ea solùm exequi, quæ rationi consona sunt; hoc profectò probat, illam Religionem

Deum habere Authorem, & Deum ad illam capeſſendam internè movere.

XXII. Huic exemplo alia ſubjungam, quæ manibus contrectavi: dum Malacæ operam Miſſioni navarem, accidit, ut ægrotaret ad mortem Mahumetana fæmina, nomine Fatima. Erat nobilis, & pii Eccleſiaſtici ancilla, qui ejus converſionem ſæpe tentaverat, ſed incaſſum; erat enim obſtinatiſſima, nec exemplo duorum fratrum ſuorum, qui ſimul cum illa in captivitatem redacti, Chriſti Fidem ſuſceperant, quidquam mota eſt, nec de converſione ad Fidem Chriſtianam verbum audire volebat. In reliquo vitam agebat honeſtam, & moraliter bonam, & fideliter domino ſuo inſerviebat. Intimè dolebat bonus Sacerdos, ancillam ſuam in æternum perire; fratres ejus Chriſtianos admonet, ut eam inviſant, &, ut Baptiſmum petat, ſuadeant: & cùm illi nihil profeciſſent, ne aliquid intentatum relinqueret, me vocat, ut eam alloquerer. Adivi, Chriſtiano more ſalutavi, & Chriſtiana viſcera ei oſtendens, dixi: Soror Fatima, huc me duxit Chriſti charitas, & tuæ æternæ ſalutis deſiderium, quia Sacroſancta Jeſu Chriſti Fides, quam profitemur, jubet, ut proximorum noſtrorum ſalvationem ſicut noſtram optemus, & illam pro viribus procuremus: ego autem à Deo vocatus ad procurandam æternam animarum ſalutem, tuam ut propriam exopto, & ejus deſiderium huc me lubentem adduxit. Nihil temporale quæro: tu ſcis, quot ſermones in hac Civitate fecerim, & quantum laboraverim, ut Chriſtianos peccatores à vitiis ad virtutem avocarem: pro his curis, & laboribus nullam ego mercedem in hac vita requiro, ſed unicè Dei gloriam, & proximorum ſalutem inſpicio. Tu, quamvis Mahumetana, ad imaginem Dei facta es, ſicut Chriſtiani, & Chriſtus pro te paſſus eſt, non minùs quàm pro nobis. Tuam proinde ſalvationem ardenter deſidero, & paratus ſum quoſcumque labores temporales pro illa obtinenda ſubire. His præmiſſis adjeci: Tu Deum creatorem Cœli, & terræ adoras; tu ſcis, illum, quantum eſt ex ſe, velle, ut omnes homines ſalvi fiant, ac proinde non ignoras, Deum hominibus providiſſe legem aliquam, & Religionem, in qua ſalvari poſſint; cùm enim deſideret, ut homines perveniant ad terminum, nempe ad gloriam Paradiſi, debuit eis præſtituere viam, quâ ad illum terminum perveniant: via autem ad gloriam eſt lex, & vera Religio; aliquam ergo habet Deus in mundo Religionem, in qua homines ſalvari poſſint. Hoc unum ergo maximi noſtrâ intereſt, ſcire, quænam lex, & Religio vera, & à Deo deſcendens; lex enim falſa, & quæ à Deo non deſcendit, non poteſt ad Deum, & cœlum ducere. Et hoc omni animi contentione debemus ſedulò quærere, & enixè à Deo poſtulare, ut nos illuminet ad cognoſcendum, quænam ſit hæc vera lex, in qua ipſe vult coli, & per quam vult homines ad ſe ducere. Quatuor tantùm ſunt in mundo leges; lex Gentilium, lex Judæorum, lex Chriſtianorum, & lex Mahumetanorum: Tu benè ſcis ex tuo Alcorano, legem Gentilium nunquam fuiſſe ad

Cœlum viam. Etiam scis, legem Judæorum, postquam Christus in mundum venit, jam non esse viam ad Cœlum. Hoc breviter, & dilucidè exposui. Restat ergo, ut vera sit, vel lex Christianorum, vel lex Maurorum. Christiani omnes firmissimè credimus, legem Maurorum esse falsam, & à Mahumeto confictam ad parandum sibi Regnum & imperium, sub honesto & specioso Religionis titulo: certissimè scimus, & persuasi sumus, eum non fuisse Prophetam Dei, sed seductorem. Ac proinde ut quid indubitatum credimus, in sola Religione Christiana posse homines salvari. Vos Mahumetani creditis, Mahumetum esse Dei Prophetam, & vera esse omnia, quæ in Alcorano docet: in Alcorano dicit, in Deo non dari tres Personas, sed unam duntaxat; Christum fuisse quidem Prophetam sanctissimum, sed non esse Deum, nec pro hominibus fuisse crucifixum, nec tertia die surrexisse à mortuis; ac proinde vos creditis, rem ita se habere. Christiani omnes oppositum constanter credimus, quia ita scripserunt Apostoli, & Evangelistæ, qui cum Christo conversati sunt, & ab ejus ore audiêrunt, dari in Deo tres Personas, & ipsum esse Deum: & qui eum viderunt in Monte Calvario crucifixum, & post tertium diem redivivum. Necesse est, ut ex his duabus legibus altera sit vera, & altera falsa; quia impossibile est, ut utrumque sit verum, & quod docet lex Maurorum, & quod docet lex Christianorum. Si lex nostra est falsa, omnes Christiani damnamur: si vestra lex est falsa, omnes Mauri ad infernum tenditis. Ego tibi in Dei nomine annuntio, quòd in æternum peribis, si Christiana non fias. Si mihi non credis, hoc unum à te enixè rogo, ut Deum super hoc negotio consulas, & ex toto corde ab illo postules, ut, si vera sunt, quæ tibi dico, tibi inspiret efficaciter voluntatem, & desiderium suscipiendi Baptismum, & moriendi in lege Christi: sin autem sunt falsa, talem tibi cogitationem non injiciat. Bonus sermo, respondit Fatima, optimè dicis, Pater; ego rem Deo commendabo, & lucem ab ipso petam ad veritatem cognoscendam, & cras tibi responsum dabo.

Præstitit, quod promisit; rem impensè Deo commendavit, enixè lucem petivit, & ad januas divinæ misericordiæ pulsavit, & primo mane divinitus tacta, clamat, se velle esse Christianam, & Baptismum ardenter petit: admonitus de hac subita mutatione illuc advolavi, mysteria ad salutem necessaria docui; quid Baptismus conferret, exposui, & quâ esset dispositione suscipiendus; & post sufficientem instructionem baptizata est ingenti cum gaudio spiritus sui. Attuli Imagines Christi, & Beatæ Virginis, & eas devotissimè osculabatur, & pectori admovebat: petivit à me, ut ejus confessionem exciperem: ipsam docui, peccata ante Baptismum commissa, non esse materiam confessionis, ipsique exposui, peccata venialia, in quæ homines incidunt post Baptismum, esse sufficientem materiam confessionis, exposuique, quænam sint peccata venialia; & rogavi, ut conscientiam discuteret, an post Baptismum

occasione dolorum in aliquam impatientiam incidisset, an verbum aliquod amarum protulisset, vel alicui malæ cogitationi consensum dedisset. Et postquam conscientiam discussit, post varias interrogationes altera die post Baptismum susceptum, materiam, quam potui, absolutionis eliciens, absolutionem Sacramentalem impertivi: paulò pòst magna cum devotione Sacram Eucharistiam accepit; & denique Sacramento Extremæ unctionis munita ad Cœlum evolavit felix illa anima. Accidit casus iste ad extremum anni 1669.

XXIII. Huic exemplo aliud adjicio. Anno 1672. cùm Hispalim vocati sumus ab Illustrissimo Archiepiscopo D. D. Ambrosio Ignatio de Espinola & Guzman ad iterum faciendam Missionem in illa urbe, & toto Archiepiscopatu (nam primam habueramus ann. 1669. tempore Illustrissimi D. D. Antonii Payno) monitus sum à viro nobili, & illius urbis in Consilio sæculari Senatore, esse in Parochia Magdalenæ Mahumetanum octogenarium gravi morbo oppressum, & in periculo mortis constitutum: illum visitavi frequenter, & de rebus Religionis cum eo collocutus, & confectis argumentis pro illius captu opportunioribus, tandem persuasi, ut enixè à Deo postularet lucem ad vitam finiendam in Religione vera, & à Deo hominibus datâ, eisdem ferme rationibus, quibus idipsum Malacæ persuaseram Fatimæ. Oravit, &, quod quærebat, invenit, & subitò mutatus est in alium virum, & toto corde cæpit abominari sectam Mahumetanam, & deplorare cæcitatem, in qua per tot annos vixerat: nam quadraginta integros Hispali egerat in Alcorani tenebris, & octogesimum primum ætatis jam agebat annum. Rogatus autem, quænam illa fuisset tam subitæ mutationis causa; respondit, se post preces ad Deum fusas, ut ipsum doceret viam bonam, in qua esset salus, in somniis vidisse in amænissimo horto duos Religiosos, pulcherrima colligentes poma, & ab eis postulâsse, ut sibi aliquod donarent; illos verò respondisse, poma illa esse Christianis reservata, & non posse Mahumetanis concedi: hinc verò cor suum inflammari cæpisse Baptismi desiderio, & hoc desiderium crevisse, quia post somnum, dum jam esset expergefactus, vidit prope lectulum suum imaginem magnam Christi è Cruce pendentis, & cùm ipse ad illam adorandam ad Christi pedes se abjecisset, eisque oscula magnâ cum devotione infixisset, Christus pedes retraxit, & subitò disparuit, quasi eum repelleret, quia Christianus non erat: ita narrabat ipse; & eam non fuisse imaginationis delusionem probavit eventus, quia ingenti cum gaudio Baptismum suscepit, & ingravescente postea morbo Sacram Communionem, quæ ipsi solemni cum pompa administrata est, certatim contendentibus primæ nobilitatis viris munia daduchorum, seu ceriferorum, & æditui obire, & accepta Extrema unctione, elicitis ferventibus Fidei, Spei, Charitatis, & contritionis actibus, animam Deo reddidit, cum ingenti totius Civitatis consolatione, & spirituali lætitia, anno 1672. mitantibus omnibus divi-

divinæ misericordiæ abyssum, quæ tot annos expectavit hunc felicem peccatorem, qui in Baptismo voluit Joannes Baptista appellari.

XXIV. His duobus exemplis recentibus addo aliud antiquius, quod narrat P. Ignatius de las Casas nostræ Societatis Sacerdos, qui ob peritiam linguæ Arabicæ missus est à Gregorio XIII. Summo Pontifice ad reducendum in unionem cum Ecclesia Romana Patriarcham Græcorum, aliósque Prælatos Schismaticos, de quorum conversione spes affulserat, plurimásque Provincias peragravit, & propria manu itinerarium scripsit, in quo fidelissimè narrat ea, quæ in tam longo itinere acciderunt; & data occasione interserit aliqua exempla conversionis Mahumetanorum, quæ ipse vidit. Hunc librum manuscriptum habet R. P. Petrus Hieronymus de Cordoua, secundò Provincialis Societatis Jesu in Provincia Castellana, dum hæc scribo, nempe mense Januario, anni Domini 1680. & cùm illum librum legerem, hoc & alia exempla ex illo manuscripto excerpsi. Ut autem constat ex illo itinerario, conversio referenda accidit post annum 1562. & ante annum 1570. nec enim ex manuscripto annum certum eruere potui. Rem narrabo verbis Authoris ex Hispano in Latinum conversis.

XXV. Canonicus quidam S. Corduvensis Ecclesiæ Africanum servum habebat, qui ei à viginti annis magnâ curâ & diligentiâ inserviebat. Apparebant in eo tot virtutum moralium signa, ut mihi dominus ejus seriò testatus sit, se nunquam in servo suo quidquam vidisse, quod gravem culpam redoleret. Propter has virtutes herus servum amabat, ejúsque æternam salutem enixè exoptabat. Ille verò sectam Mahumetanam tam constanter servabat, ut, quamvis bis aut ter quotidie dominum suum in templum euntem comitaretur, numquam iste ab illo impetrare potuerit, ut intra sacra limina ingrederetur, ne eo quidem titulo, quòd olim templum illud celebris fuerat Mahumetanorum Mezquita. Erat jam longævus, &, uti ajebant Mauri in ea Civitate commorantes, fuerat inter suos Alphaquinus, seu Sacerdos. Incidit in gravem morbum, & ejus herus de æterna servi salute sollicitus, Collegium Societatis adit, & superiorem rogat, ut mittat aliquem ex Patribus, qui illum Christo associet. Assignati sumus Pater Baena, & ego, ut ejus interpretem agerem. Illuc statim convolavimus, & quantum potuimus, laboravimus pro ejus conversione: sed frustra; quia ille non tantùm benignas aures præbere nolebat, sed amaris verbis, & indignatione plenis nos repellebat. *Ego verò ejus obstinationem videns: Non à te (inquam) postulo, ut sectam tuam deseras, vel quidquam contra illam agas, sed tantùm ut eam orationem ad Deum fundas, quam in Alcorano Mauri habetis, & ita habet: doce nos Domine viam rectam, & bonam:* siquidem probè nôsti, omnes Christianos inconcussè asserere, Mahumetanos in æternum damnandos, si in sua secta vitam finiant. Roga ergo Deum, ut, si à vera Religione aberras, veram tibi ostendat salutis viam, & ad illam capes-

capessendam cor tuum moveat. Annuit ille, & manus, & oculos ad Cœlum attollens, *Duc me Domine* (inquit) *per salutis viam.* Hoc audito, discessimus, quia spes non erat aliquid aliud ab eo eliciendi.

Sed cùm Dei proprium sit, cujus vult, misereri, vel quem vult, obdurare, die sequenti accitus sum, ut festinanter in domum ægrotantis Mauri descenderem. Cùm primùm cubiculum jacentis ingredior, illum conspicio, devotè Christum crucifixum amplexantem, & osculantem; & causam felicis hujus mutationis sciscitatus, ab ejus ore hoc responsum accepi. Petivi, inquit, juxta præceptum tuum à Deo, ut è Cœlo mihi lucem immitteret ad cognoscendam certam salvationis meæ viam; audivit benignissimus Dominus orationem meam; historiámque suæ conversionis texens, narravit, sibi vigilanti apparuisse duodecim feroces Æthiopes, ipsum circundantes, & è lecto rapere gestientes; tunc se expavisse, & interpellâsse Christianum, qui jussu heri sui illi assistebat, & Christianum facere satagebat. Accessit Christianus, & rogavit à Mauro, quid illud novi esset, quídve ipsum defatigaret? respondit ægrotus: Nonne vides hos duodecim Æthiopes, qui me è lecto eripere, & discerpere tentant? At verò Christianus (qui tamen nihil horum videbat) Crucifixum apprehendit, illúmque ante oculos ægrotantis objiciens, opem, inquit, posce à Christo, & à sanctissima ejus Matre Maria, qui ab hoc agmine Æthiopum, qui cacodæmones abs dubio sunt, te liberabunt. Tùnc sublatis in Cœlum oculis infirmus (uti narravit Christianus) stupenti similis hæsit, obfirmato obtutu prospiciens. Visibilem se illi ostenderat Deipara, & benigno vultu sic illum allocuta est Arabico idiomate: *Cave ab his Æthiopibus: Et scito, quòd, nisi Christianus fias, & credas, Jesum Christum Filium meum esse Deum, te violenter rapient dœmones isti.* Ille verò in se reversus, & ad Christianum conversus: citò, inquit, Sanctum Crucifixum mihi porrige, quia ego firmissimè credo, Jesum Christum esse verum Deum, qui pro me passus est: volo Christianus esse, & baptizari desidero. Testatúsque mihi est Maurus, Virginem sibi manifestâsse omnia, quæ credenda sunt ad salutem æternam obtinendam. Ego verò illum, quâ potui diligentiâ, in rebus fidei nihilominus instruxi, prout tempus, & morbus exigebant. Enixè ab hero postulavit, ut Baptismus ipsi, non in lecto, sed in Ecclesia, in quam nunquam intrare volebat, administraretur. Illi annuit herus, & candida serica veste indutus in sella gestatoria ad Ecclesiam Cathedralem vectus est; & coram Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, magnâ animi sui lætitiâ, & circunstantium gaudio, salutari lavacro tinctus est à suo hero, & in Baptismo appellari voluit Joannes Maria de Jesu. Et cùm morbus invalesceret, statim in domum reduxerunt illum: in via autem cùm liquato cibo eum reficere vellent, vix illum gustaverat, cùm cibum dimittens, & Crucifixum amplectens, & dulcissimum Jesu nomen invocans, spiritum illi tradidit in eadem sella, in qua Baptismum susceperat; lachrimantibus præ spiri-

ſpirituali gaudio eis, qui ſellam circunſtabant; nondum enim herus cum reliquo comitatu ſupervenerat. Ut autem felicitatem Mauri in Cœlum jam admiſſi cognovêre, in divinas laudes effuſi ſunt. Hucuſque P. Caſas.

XXVI. Hæc exempla cùm propoſuiſſem anno 1679. menſe Aprili, cùm in Miſſione Hiſpalenſi per ſex continuos dies ad Mahumetanos publicè concionatus ſum, eis auditis ſtatim me inviſit Illuſtris Dominus D. Alphonſus Verdugo Albornoz & Sotomayor, Alcantarenſis Militiæ Eques, & nunc Comes de Torrepalma, Vir nulli Hiſpalenſium Equitum ingenii acumine, judiciíque maturitate cedens, & pietate non minùs, quàm nobilitate clarus; & ut in ſimilibus concionibus poſſem Mahumetanos uberiùs confundere, ſingulare exemplum mihi narravit, quod totam Hiſpalim haberet in teſtem; ab ipſóque poſtulavi, ut ſcripto rem ad unguem traderet, ut palam poſſem illud exemplum Mahumetanis poſtea proponere: id quod diligenter præſtitit, hiſtoriam ſequentem tranſcribens ex libro funerali Parochiæ S. Andreæ, in quo memoria hujus mirabilis converſionis conſervatur: & ita ad verbum habet.

XXVII. Die vigeſima quarta Maii anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo Hiſpali evenit, quod referam. Vivebat in prædicta Civitate Maurus Almanzor nomine, ſervus D.D. Alphonſi Fernand. Marmolexo, qui cùm Mahumetanæ legis obſervator acerrimus eſſet, acriter inſectabatur, perſequebatúrque omnes, qui, perfida Alcorani fide relicta, ad noſtram, veram & Catholicam convertebantur: accidit quadam die, ut propè portam Domus Profeſſæ Societatis Jeſu in quemdam Neophitum Tingitanum offenderet, ſervum D. Marchionis de Algava, & cùm Neophitum incepiſſet contumeliis onerare, & conviciis, quòd avitam legem Mahumeti deſeruiſſet, ulteriùs veſanus proceſſit, manúſque injecit, quin ab iſto incepto precibus repetitis Neophitus eũ amovere potuiſſet; at cùm Chriſtianus Tingitanus effugere violentiam aliter non potuiſſet, pugionem extraxit, extractúmque in Almanzoris alvum illum percutientis adegit: tunc Almanzor humi ſternitur, viſceribúſque per vulnus emiſſis, mira res! vix ceciderat, cùm ſacram aquam Baptiſmi popoſcit, dictitans, ſe velle Franciſcum appellari: accurrunt undequaque prætereuntes, inter quos Presbyter Benedictus de las Heras acceſſit, Capellanus Didaci de Payva, qui juxta ipſiuſmet limina Baptiſmũ Sanctũ Almanzori miniſtravit. Hinc percuſſus Maurus, jam Chriſtianus, in domum ſui Domini D. Alphonſi Marmolexo curandus defertur. Habitabat tunc prædictus Dominus D. Alphonſus in ædibus Domini Comitis de Pennaflor, quæ ædes pertinent ad Parochiam S. Andreæ, cujus Parochus erat D. D. Laurentius de Maldonado (qui nunc inter vivos agit) qui cùm rectè noviſſet ab ipſo baptizato, & prædicto Presbytero Benedicto rem totam, & cùm animadvertiſſet actus fidei ferventes, quos eliciebat Franciſcus Andreas paulò antea baptizatus, pergit ad conſulendum Illuſtriſſimum Dominum D. Frat. Petrum de Tapia, an vulnerato, & recèns Chri-

Christiano posset Sacram Eucharistiam, & Sanctam Unctionem ministrare: responsum illi fuit ab Illustrissimo Tapia, tunc Archiepiscopo Hispalensi, licere, & expedire, tam Sancta Sacramenta morienti Francisco Andreæ præstare: & eadem nocte Sacro Viatico, & Extrema Unctione munivit jacentem. At vulneratus magna devotione, tantíque beneficii Cœlestis conscius, ea Sacramenta excepit. Res quidem mira! Adeo ferventi spiritu, lachrimarúmque copiâ ignovit aggressori, & homicidæ, ut adstantes omnes stuperent, videri in recèns Christiano tot signa pietatis. Spiritum emisit inter hospios, & ferventes divini amoris singultus. Adfuimus (inquit Perillustris Dominus Comes de Terrapalma) ejus funeri, omnes majoris notæ hujus Civitatis: quod quidem juramento firmabimus, quot quot nunc vivimus.

CAPUT SEPTIMUM.

Septima Demonstratio.

Ubi miræ vocationes Mahumetanorum ad fidem Christi enarrantur.

XXVIII. Hoc argumentum præcedenti affine est, sumitúrque ex alia experientia notissima: constat, nunquam aliquem Principem Christianum, immò nec ullum Virum nobilem, vel plebeium, patriam, uxorem, filios, divitias, & temporalia commoda deservisse, & in Africam trajecisse, ex desiderio salutis æternæ, ut ibi Mahumetanus fieret, & in secta Mahumetana moreretur. Econtra verò certissimum est, non paucos Mahumetanos reliquisse patriam, parentes, divitias, immò & regna, & ad terras Christianorum transfugisse, ex desiderio salvationis, & ut Christiani fierent, & in Religione Christiana vitam finirent; vel in captivitatem à Christianis redactos, postea noluisse reverti ad patriam, ad patentes, ad filios, ad uxores, ad divitias, cùm facile possent illuc remeare. Hoc autem signum clarum est vocationis divinæ, intus moventis ad quærendam viam salutis: ergo in Religione Christiana unicè est salus; in Mahumetana verò certissima est æterna perditio. Hoc argumentum Christi prædicator facilè amplificare poterit.

XXIX. Ego hìc aliqua tantùm subjiciam exempla, quæ ad movendos Mahumetanorum animos non parùm momenti habent. Novi ego Matriti Christianum novum Africanum, qui inserviebat Eminent. Cardin. & Archiepiscopo Tolet. D. Paschasio de Aragon, & curam habebat argenteæ supellectilis illius principis; virum verè pium, & devo-

devotum, qui quotidie per duas horas vacabat orationi mentali, & singulis hebdomadis bis vel ter ad Sacram Eucharistiam accedebat ex consilio Patris Spiritualis. Hic Tunetanus erat, & à Deo illuminatus ex conversatione cum captivo Christiano, fugam ad terras Christianorum diu meditatus est, & cùm modum non inveniret, vota sua adimplendi, Deum ex intimo cordis rogabat, ut eum duceret in eorum terras: & ut à Christianis capi posset, voluntariè aggregatus est Mauris, qui in eorum terras navigabant ad captivandos Christianos, sperans fore, ut sic posset inter illos remanere. Ut tamen posset aliquo argumento comprobare, se non coactè, sed voluntariè illuc advenisse, in quadam insula maris Mediterranei, in qua extabat sacellum, seu ædicula sacra, reliquit syngrapham, seu schedulam propria manu exaratam, in qua nomen suum, patriam & desiderium suscipiendi Baptismum exponebat: reliquit autem sub pedibus Sanctæ Imaginis, cui sacellum illud dicatum erat. Deus vota ejus exaudivit; & in mari cum socijs à triremibus Christianorum captus est, & Neapolim ductus, Cardinalem Aragonium tunc Proregem adit, votum suum exponit; & ne existimaret, se narrationem confingere, ut libertate donaretur, affirmat, se in tali Insula reliquisse schedulam, ex qua veritas constare posset. Non fuit difficile rem explorare; compertum est, vera esse, quæ ille narrabat, & sic declaratum, eum non esse servum, sed liberum manere: & Eminentissimus Cardinalis illum solemniter baptizatum in suam familiam admisit, & postea secum in Hispaniam transvexit: & dum ego Matriti anno 1670. Missionem feci, cum illo familiariter egi, & illius operâ usus sum ad conversionem Mahumetanorum, quos ille ferventer adhortabatur ad Baptismum petendum, & vocationem suam ad Christianismum eis narrabat, quò illos faciliùs ad Christum traheret.

XXX. Aliud exemplum in suo Itinerario adducit P. Ignatius de las Casas cujusdam nobilis adolescentis Turcæ, qui cum parente suo, & alijs inter Turcas primariæ nobilitatis Viris à Christianis in navali prælio captus, Romam delatus est, ubi cor ejus B. Virgo ad Christi fidem ambiendam mirabiliter accendit. Rem sic narrat citatus Author.

Turca quidam duodecimum, aut decimumtertiũ annum agens Romã delatus est, ubi unà cum parente, & alijs patricijs Turcis in Palatio nobili, non longè à Basilica S. Petri hospitatus est. Turcæ in custodiam traditi sunt Germanicis Prætorianis Papæ, qui adolescenti juveni inscio patre papiraceam imaginem B. Virginis Dominæ nostræ dedêre. Turca puerili genio ductus illam sæpius intueri gaudens, in pectore ipsam recondiderat, ne, si aliquis ex Turcis videret, raperet. Aliquibus diebus eam retinuerat, cùm Mater misericordiarũ gratiam illi majorem fecit: apparuit enim illi per quietem, eodem habitu, quo in imagine visebatur, Virgo venustè ornata, Cœlesti stipata comitatu, & divinis splendoribus micans veniebat; inde adolescentem accessit blandè, benignéque illum aspiciens Turcico idiomate illi locuta est, docuítque ipsum, aliam salutis viam non esse quàm Baptismi Sacri. Ita edoctus

à Virgine fuit, ut illucesente die ex fenestra transeuntibus, ut rectiùs poterat, diceret, se Christianum esse velle: nec semel, sed iterum, atque iterum pater illum à fenestra removit, sed nec minis, nec blanditijs à proposito juvenem removere potuit; quin immò sæpius è fenestra vocitabat, clamitabátque, se Christianum esse velle. Pater eapropter asperè filium tractabat, donec re à Prætorianorum Germanorum Duce cognitâ, Dux causam originémque illius supplicij exquisivit, & tandem è manibus parentis, filium suffocare nitentis, abripuit adolescentem, clamantem *Christianus, Christianus.* Dux per interpretem ab adolescente, quid intenderet? rogavit. Turca, quod retuli, respondit: Dux Pontifici totum renunciavit, qui misit Cardinalem Guastavilanum ejus nepotem, ut veritatem rei inquireret; quâ compertâ Cardinalis eum in Palatium suum detulit, ubi, postquam rebus fidei satìs instructus fuit, insigni pompa Baptismum suscepit, noménque sortitus D. Joannes Guastavilani. Et postquam idiomate Italico loqui, & scribere didicit, ad Seminarium Romanum delatus est: sed magìs ad arma, quàm ad litteras propensus evasit. (Ego familiariter cũ illo egi, & quæ narravi, ipsemet mihi retulit.) At ubi Turcæ patricij & nobiles redempti fuêre, pater adolescentis inter ipsos maximè nobiles in patriam suam reditu-rus enixè Pontificem summum rogavit, ut cum filio loqui sibi liceret, dictitans, filium puerorum instar deceptum fuisse, & ut hoc clarum fieret, sinerent cum eo loqui, nam statim ac Patrem videret, omnia relicturum, & abiturum secum filium. Scivit Pontifex, minimè deceptum fuisse juvenem, & nullum adesse periculum, & ita copiam patri fecit, ut cum filio loqueretur coram aliquo honorato Viro, ne violentiam adolescenti inferret. Pater pervenit ad fores Seminarij Romani, quod tunc situm erat in ædibus D. Marci Antonij Colonnæ prope Templum Sancti Apostoli. Descendit Pater Claudius Aquaviva, tunc Rector Seminarij, & cum ipso aliqui ex Societate descendimus (& ego præcipuè comitabar D. Joannem Guastavilani, illúmque consolabar, ne deficeret) descendítque Paulus Ursinus Jordan. Magna erat frequentia rhedarum, carrhucarúmque Turcarum nobilium, & aliorum eos usque ad littus comitantium, in foro Sancti Apostoli: itaque jucundum omnibus, & mirabile spectaculum fuit. Accessit parens D. Joannis in rheda cum alijs nobilibus, loquutúsque est cum filio D. Joanne, qui nec amplexus parenti abituro concessit, nec ejus manum exosculari voluit, licèt nobis, ut faceret, persuadentibus; pater lachrimis madens dolorem suum aperuit, paréniq; matris futurum, si filium non videret: adjecítque pater, sib facultatem concessam à Papa, ut illum secum abduceret; quapropter sine metu, & periculo in rhedam ascenderet: at juvenis, quò magìs ejus pater animi dolorem lachrimásque ostendebat, dictitando, *Deceptus fuisti, deceptus fuisti*, eò magìs animosus, despiciénsque paterni affectûs D. Joannes ostendebatur. Itaque animosè respondit, se minimè deceptum, sed potiùs à Cœlo edoctum, & illustratum fuisse, séque parvi habere parentes in æter-

æternum arsuros in inferno : & cùm lachrimas inanes patrem fundentem aspiceret, quin cùm vellet amplecti, exoscularíque manum (ut dixi) juvenis terga vertit, & parentem reliquit. Ego juvenem vidi lætè exultantem, scalam Seminarij ascendere, triumphanti similem, & sibi de victoria magna gratulantem. Hæc Pater Casas.

CAPUT OCTAVUM.

Mirabilis conversio Regis de Fez, postea Balthasaris de Loyola Societatis JESU.

XXXI. NOta est in Italia & Hispania mirabilis hujus Principis cõversio ad nostrã Sanctã Fidem, & ejus in Societaté nostram ingressus. Obiit Matriti anno 1667. omnísque Hispaniæ nobilitas supremis honoribus funeris exequias prosequuta est. Et R. P. Petrus Esquex Concionator Regius ejus virtutes, & conversionem magno cum auditorum plausu, & admiratione è pulpito exposuit. Ejus vera effigies in Collegio Imperiali cum hac inscriptione appensa est.

P. BALTHASAR DE LOYOLA, Olim Muley, Mahumet, Athasi, Getife, Rex, Pater, & Filius Regum Fez, miraculosè factus ex Mauro Christianus; ex fortissimo Duce, qui armorum vi in suam potestatem redegit jam amissa Regna Tafilet, & Maroci, pauper miles Societatis JESU; ex observantissimo Alcorani Zelatore Eximius Evangelii præco, missus à Summo Pontifice ad illud disseminandum in vastissimum Mogoris Regnum, diem extremum clausit in Collegio Imperiali Matritensi, ætatis suæ anno 37. à Baptismo suscepto 14. à Presbyteratu in Societate JESU 6. die 15. Septembris anni 1667.

Fuerunt, qui revocarent in dubium ejus stirpem, cùm præsertim ipse abstineret ab omni verbo, quod talem gloriam posset redolere, quod ipsum à malignis malè capiebatur. Quare ei Pater Spiritualis injunxit, ut scriberet genus suum, & vocationem ad Christianismum; ídque ipse præstitit fidelissimè, & ego epistolæ ab eo super hac re scriptæ exemplar ad verbum transcriptum apud me habeo, quod statim subiiciam. Et Pater noster Generalis, ut Fidem apud exteros posset facere minimè dubiam, curavit, à Patribus nostris, qui erant in Africa, perscribi : abessétne à Regno Fez filius Regis, fuissétque ductus à Melitensibus navibus captivus? Quomodo vocaretur? Quo tempore abiisset? A quibus responsum tulit omnino idem cum eo, quod P. Balthasar descripserat ex mandato Patris Spiritualis. Illud autem ita habet.

**
*

EGO

EGO BALTHASAR DE LOYOLA MENDEZ, INDIGNISSIMUS DOMINI

nostri JESU Christi, ac SS. ejus Genetricis servus, hæc ad ipsorum majorem Gloriam.

XXXII. *CUM MIHI A PATRE meo Spirituali imponatur, ut rationem reddam de ijs omnibus, quæ ad me attinent circa res tam temporales, quàm spirituales, ejus imperio obsecuturus, quoad memini, hæc omnia subijcio:* (Et plurima subdit infimæ animi demissionis, & altissimæ in Dominum laudis, quòd tam misericorditer secum agere dignatus fuerit, quæ operi intermiscet; ego brevitatis causa omitto.)

In Urbe Fez ortum duxi, fuitque mihi nomen datum Mahumed Attazi; Paréns que meus dicitur Agid, Aluaid, Intab, Mahumed, & in præsentia toti Regno Fez uti Rex dominatur. Partus iste precum fructus videtur posse dici; nam Parens mea vovit Deo, Cœli terræq; Creatori, si marem conciperet, se eum Divinæ Majestati consecraturam fuisse; & ita contigit. Cùm ad quinquennium perveni, dati fuerunt mihi Præceptores, ut me, & in litteris, & Religione erudirent. Sed accidit sæpius res mira, quòd, cùm ijs sacrilegis doctrinis imbuerer, sæpius ea intrinsecus execrarer, & blasphemiis insectarer. Quod coactè cùm agerem, quodammodo, displicebant inde mihi non paululum: Quin semel SS. JESU, & MARIÆ nomina protuli prorsus ignarus, quid illa significarent; & cùm Parens mea adesset, increpavit acerbè; & extorquere conata, undenam ea audivissem, timore fassum me, nec scire, quid sibi vellent, nec unquam intellexisse, monuit, ne ampliùs proferrem, cùm essent Christianorum Mahumet infensorum verba: in suo cubiculo me noctu quiescere volebat; noctu radios supra caput meũ, vel ut luctantes vidi, nec timens tegumento ullo valebam effugere illorum splendorem; & sæpius vidi mulieres pulcherrimas albis indutas vestibus. Cùm attigi 14. an. petij connubio jungi, & intra annum, qui præterijt, dum & tractaretur res, & pararentur festa, duxi Principem Dominam: sed inter hæc gaudia non cumulatè gaudebat cor meum, & bene jam novi, quid mihi deesset, cùm à Domino meo JESU abessem; qui solùm cumulata potest gaudia præstare. Incessit cupido, postquam binas ex uxore filias susceperam, invisendi Mecham, ut ea omnia spiritualia bona consequerer, quæ illuc euntibus largè impertiri à cæcis illis, ducibúsque cæcorum audiebam; & me præsertim incitabat, quòd sæpius intellexeram, qui Mecham non visisset, mortem oppetiturum, vel Judæum, vel Christianum. Ne igitur huic periculo subjacerem, illuc

illuc iter destinavi; sed incredibile est, quanta vi Parentes, uxor, Magnates id impedire conati sint: eò genitor devenit, ut mihi omnia negaret ad iter necessaria; sed ego contrà adeo flagrabam desiderio eundi, ut pœnè ignis esset meo in corde. Tantò hic magìs inflammari, & corroborari videbatur, quantò ei aditus erat magìs occlusus; adeo ut decernerem absque ulla re iter capessere: sed rogatus, ut per annum saltem differrem, æquitate postulationis flexus veni in hanc sententiam; & interim natus est mihi filius. Demum summa vi obstaculis omnibus superatis, quamvis, ut priùs, omnibus invitis, & sola genitrice mei miseratâ itineris viaticum suppeditante, suscepi iter. Perveni Tunetum; ubi magnificè fui exceptus, ibíque fui per plures dies ob maris exagitationem vehementissimam: his diebus vidi noctu dormiens hominem albis indutum, qui me circumducebat variis Tuneti viis. Cui dixi: Quò me vis ducere? Et ille reposuit mihi: in Christianorum regiones, nam Deus vult te ibi mori. Dixi hanc rem variis, qui respondebant mihi, hanc diaboli fuisse impressionem, ut me deviaret; & ego revera intra me contemnebam: quomodo namque id futurum, si modò abeam? Et quidem abivi, sed non quò credebam: nam incidimus in naves Melitenses, quæ summa pace in nos impetu facto fecerunt captivos. Non deerat nobis, tum ob navium numerum, tum ob militum experientiam, quomodo resisteremus; sed Dominus voluit, ut non essemus simul, ut non timeremus, & (nescio modum certè) captivi duceremur, sed gloriosa captivitate nulli comparabili libertati. Ductus fui Melitam, & nihil ego de me dixi; aliquis tamen meorum dixit, quis ego essem. Propterea non siverunt me esse, uti mos est, 40. diebus extra Melitam; sed statim fui oblatus ad magnum Magistrum, & statim confluxus equitum adfuit me interrogantium de Patria, & genere; sed dies mei tunc erant maximè tristes; semper enim eram in luctu, in suspiriis, in afflictionibus. Occurrebant Patria, Parentes, uxor, Filij, cognati, charíque: displicebat mihi agere cum hostibus Mahumetis, & spem concepi, rem meam promovendi in his miseriis, restaurans labantem Melitæ apud Turcas Religionem Mahumetis; eram enim ego maximè peritus illarum sacrilegarum nugarum. Scripsi igitur Alcoranos, impugnavi Christi veri Domini Patris mei & Veri Regis sanctissimam doctrinam. Nunc bene novi, Domine, & scio, te mihi condonâsse hac scelera, cùm fui lustratus Sacro Chrismate. Quinque annis Melitæ fui semper in his tricis; libertatem quærebam, & non erat modus. Regio mea nimiùm aberat; qui redimeret, non erat nisi Rex Tunetanus, cui de me cura jam in itinere fuerat demandata. Sacra Equitum Religio nolebat indicere Redemptionis pretium. Demum facta fuit conventio pro me, ac meis 40. millium scutorum Melitensium, quæ Tunetanus Rex persolvit. Interim Melita videndam se mihi præbuit SS. Mater mea Mater Domini mei JESV Christi, quæ dormienti mihi dixit ter: Te in filium meum accipiam. *Expergefactus credidi id futurum post mortem: nam Turcæ B. Virginem, ut Messiæ Matrem, non tamen Dei credunt. Scripsi ad Regem Tuneti, ut expectaret me redeuntem, &*

iter inde prosequuturum ad Mecham. Respondit, ut proficiscerer: sæpius rebus ad iter adornatis reperi difficultates. Demum ad extremum discessurus, cùm noctem insomnem transegissem, antè me contuli in cubiculum, ut paulùm quiescerem, totus in his cogitationibus. Quid sibi volunt tot impedimenta, tot adversitates, in hisce annis? Aliquid à me quærit Dominus. In his curis obdormiscens, ecce videre mihi videor duo maria, alterum nigerrimum, alterum igneum; & quòd, cùm natâssem nigro, jam adventarem ad igneum; quapropter acerrimè cœpi inclamare: Adjuva me Domine. *Tum in altissimo monte vidi virum, manum porrigentem, inde extrahentem, & in tuto ponentem; petij ab eo, ecquisnam esset: ille mihi: ego sum Sanctum Baptisma: ego si tibi desim, nullus hominum salvum te reddere potest: te ideo Deus tot obstaculis in Christianorum finibus distinuit, ut Christianorum albo adscribaris. Sopore excussus, visus mihi repentè sum alter homo; negligere Patriam & Parentes, frigere cupiditas abeundi, detestari propositum visendæ Mechæ; abominari Mahumetem, & solùm habere curam de dando SanctæChristianorum Religioni nomine. Accidit id in pervigilio S. Antonij Patavini anno 1656. Ecquis festa, & admirationes equitum, ac Magni Magistri valeat referre? Sed difficile est, gaudia cordis mei exprimere, & quàm dulce sit, Domine, tibi servire, & quàm suavis conversatio tua & verè mandata tua dulciora super mel, & favum. Nihil sonabat in auribus meis tunc acerbius, crudelius, magísque abominandum, quàm iter, quàm Turcæ, quàm Mahumetes; & Equites illi de industria fingebāt, advenisse, qui me redimeret, gaudentes, cùm cernerent, me adeo ab illo mutatum. Sed mihi bellum exortum est inde cum meis antiquis sociis, famulis obtendentibus Fidem demandatam sibi de me; sed largitus erat Dominus constantiam ad longè graviora. Dicebant: Quomodo vives? Ne spera à Patria; ne à Rege Tunetano. Sed ego: precariò vivam, & mendicus. Interim à meis derelictus, & rebus omnibus destitutus, adij, decretum meum cum eo collaturus, Dominum Balium de Mandola, qui auditâ re abjecit se in terram, deosculans; & gratias agens Deo accepit me ut Filium, & suppeditavit largissimè omnia, ædes suas, famulatus, & dominium rerum omnium suarum, duxit me ad Magnum Magistrum: qui dixit mihi: Dominus esto rerum omnium, quæ sunt Melitæ. Et aliquibus è suis imposuit, ut quæcumque vellem, mihi darent, & inservirent. Non petij tamen ab ullo quicquam, affatim desideria præveniente D. Balio. Inde traditus fui PP. Societatis, ut instruerent me. Fuit assignatus Pater, qui me omnia docuit. Jussit in Patronum peculiarem accipere S. P. Ignatium apud Dominum Deum: accepi, & verè innumera beneficia suscepi. Et ejus die Festo bene instructum, sacrâ me aquâ tinxerunt in Missa solemni. Interim domesticæ persecutiones augmentum non contemnendum fecère; nam præter eas, quas Melitæ usque ad mortem sustinebam (nam occidere me volebant) ab uxore mea tenerrimam epistolam accepi, quâ nunciabat mihi Patris obitum, & impatientiam, quâ (me ad Regnum vocans, ad quem jure spectabat) me præstolabatur. Sed omnibus*

bus restiti, asserens me nihilomnino quicquam velle præter Deum; & cogitantibus Equitibus de conferenda mihi Cruce,nihil decernebam, idem perpetuò reiterans. Assignavit Religio 15. scuta Melitensia singulis mensibus, quoad vixero, & ut filium acceptârunt. Dedit mihi juxta ritum ensem, quem ad S. Virginis aram appendi post aliquod tempus in Domo Professa Messanensi: ubi habitum indui Clerici, & fui apud PP. in eorum Domo.

XXXIII. Et hîc desinit Autor. Addit autem Pater spiritualis, quæ sequuntur. Quorum omnium Fidem maximam præstat præclarissima ejus vita, omnibus ornata virtutibus, & quidem adeo eminenter, ut Religiosis, quibuscum vivit, & adeo parùm profecerunt, uti sum ego, sit pudori non exiguo. Ad obedientiæ signa promptissimus, in Refectorii pœnitentiis frequens, in recreationibus hilaris, sed semper de rebus divinis; & illustrationibus adeo vivis, adeo acutis, ut mirum sit. Sed quod semper præ omnibus admiratus sum, est candor, quo agit cum P. Spirituali: nihil decernens, quin ei primùm aperiat, & ab ipso approbetur; ne latum quidem unguem ab ejus voluntate discedat. Quæ omnia, qui in tali Viro non admiratur, injuriam inferre mihi videtur omnipotenti divinæ gratiæ, quæ sua pietate præstet, ut quotidie in eius sancto servitio crescat in mille millia, ut & omnes eius Fratres. Nam in Societatem JESU est jam adoptatus, quam tanto prosequitur amore, ut nemo possit amare magìs.

Postquam in Societatem admissus, brevi annorum decursu tum in litteris, tum præcipuè in pietatis studio maxima sedulitate versatus, jam sapientiâ, ac sanctitate publico bono maturus, Sacrum B. V. Sodalitium servorum in Domo Professa Neapolitana, moderandum suscepit, in quo solerti, non minùs in concionibus, quàm in confessionibus curâ ingentem animarum fructum excipiens, magnum ardentis suæ in proximos charitatis exhibuit argumentum. Residenti in Portu Navali triremium classi assiduus aderat: Mahumetanos hîc maxima in copia emancipatos convocabat, quibus tanto rationum pondere, tantâ spiritus vehementiâ prava Mahumeti dogmata opponebat, ac refellebat, ut frequenti horum Maurorum conversione iratus Avernus, proditorio unius impij Mauri astu, qui deinde fidâ conversione, doli improbitatem in propriæ salutis argumentum convertit, veneniferam tanto Viro oblatam in flore mortem, ab ipso divini luminis monitu declinatam, intentaverit. Pari eventûs felicitate, sed non minori propriæ vitæ discrimine, Genuæ non paucos huiusmodi Mauros convertit. Nam cùm plurimos illorum ab errorum tenebris in lucem Catholicæ veritatis adduxisset; accidit quadam die, ut, dum in quadam triremi Genuensi magna circumstante Maurorum caterva concionaretur, Alcoranum confutaturus extraheret; primo Alcorani aspectu omnes, dimissis in obsequium frontibus, in faciem provolvuntur. Exarsit tali intuitu Patris Zelus, librum in terram proiicit, pedibus conculcat, conterit, diffringit, & vocibus divino spiritu afflatis in insanum tam perfidi Legislatoris volumen exoneratur. Accendit barbaros Maurorum animos Patris

in Alcoranum contemptus; quem ulturi, in ipsum efferato impetu irruunt, & proculdubio crudeli morte trucidâssent, nisi adstantes triremis milites districtis ensibus invadentium Maurorum furorem retudissent. Italiam igitur tot eximiis suæ charitatis exemplis illustraverat, grandi animo in spem Africæ conversionis erectus, nulla laborum asperitate detentus, nulla periculorum arduitate dejectus, nulla mortis severa fronte perterritus, omnibus votis ad maiora divinæ gloriæ incrementa anhelans, discessum in Africam Divino Christi Imperio submittendam meditabatur.

Suscipit iter, cui ineunte æstate maxima celeritate se committens ex Italia discedit; in Hispaniam tendens, quò brevi temporis intervallo pervenit, undique in itinere virtutis vestigia imprimens Galliam pervadit. Nobilem non minùs Hispaniæ, quàm Europæ Urbem Matritum petit, ubi tum assidua longi itineris agitatione, tum exæstuante tunc temporis calore concepto, viribus exhaustus, inopino morbo corripitur, qui illico eò excrevit, ut omni salutis spe destitutus ad mortem celeriter properaret. Hæc inter Nobilissimus Aulæ Regiæ Eques, Mauro mancipio comitatus, Patrem invisurus adest. Admittitur, exceptus ab ægroto ea humanitate, quæ pietati non minùs, quàm nobilitati tanti viri debebatur. Post brevem cum tanto equite discursum de suis in Africam votis, ad Maurum convertitur, quem tanto spiritûs fervore alloquutus est, ut omnes adstantes, quantùm ipsius zelum mirarentur, tantùm Africæ infelicitatem intempestiva tanti viri morte, deplorarent. Nam paulò pòst inflammatis Cœli desideriis conflagrans, & veluti novus Paulus cupiens dissolvi, & esse cum Christo, sive cum Regio Psalte lætatus, quòd in domum Domini ibit, totus æquo divinæ voluntatis imperio conformis, ex hac vita discessit, eò magìs in posterorum memoria immortalis victurus, quò liberaliùs vitam in viridi suæ ætatis flore, immatura morte recisam, in animarum salutem immolavit.

Tam celebris fuit Principis huius fama in Matritensi curia, in qua obiit, ut celeberrimus Poëta Comicus D. Petrus Calderon de la Barca selectissimam de eius conversione, & rebus gestis Comædiam ediderit, sub hoc titulo *Magnus Princeps de Fez D. Balthasar de Loyola*, quæ ingenti cum plausu à Scenicis sæpe in præcipuis Hispaniæ Urbibus repræsentata est.

CAPUT NONUM.

Alia Exempla.

XXXIV. HIs exemplis aliud adnecto, quod narrat Sanctus Eulogius Episcopus Toletanus, & Martyr in opere, cui titulus *Memoria Sanctorum*. Refert itaque Sanctus Martyr, eo tempore, quo Hispania Mauris subiecta erat,

erat, juvenem Cordubensem professione Mahumetanum sæpe rogatum esse ab amita Christiana, ut Christianus fieret; ejus autem consanguineos Mahumetanos solicitè curâsse, ut linguam Arabicam addisceret; quod cùm ille feliciter præstitisset, legisse Alcoranum, & ex ejus lectione clarè cognovisse, sectam Mahumetanam falsam, & inventionem hominum esse, & idcirco illam ex intimo cordis affectu execratum fuisse; Christianam Religionem cum Baptismo suscepisse, & eam palàm professum fuisse, & ob eam causam illustre martyrium subijsse à Mauris, qui illum crudeliter trucidârunt, quia cùm esset à parente Mahumetano genitus, à Religione parentis discesserat. Addítque S. Eulogius, si aliquis Catholicus velit falsitatem sectæ Mahumetanæ clarè deprehendere, nullo alio opus ipsi esse, quàm cum sapientioribus Mahumetanorũ sermones de Religione miscere, & ab iis interrogare, quid credant; eis enim auditis, quæ ipsorum lex docet, statim cognoscet, illam esse mendacem, & Deo Authore indignam.

XXXV. Sed ut ab exemplis conversionis Maurorum ad alia transeamus: sanè mirabilis modus, quo multi, vel à Judaismo, vel à Gentilismo tracti sunt à Deo ad credendum firmiter, hominem crucifixum esse Deum; & Deum unum in essentia, esse in Personis Trinum, manifestè evincunt Religionis Christianæ veritatem. Talis fuit miraculosa Sauli conversio Act. 9. Eunuchi Candacis Reginæ Act. 8. conversio Constantini Imperatoris: conversio Augustini: conversio Æditui Idolorum, quæ legitur in vita S. Gregorij Taumaturgi: conversio Principis Josaphat à S. Barlaam, quam habes apud S. Joannem Damascenum, & apud P. Petrum de Ribadeneyra in extravagantibus. Conversio Pauli de Sancta Maria, qui cùm esset Hebræorum Rabbinus sapientissimus, legens glossas, quibus perfidi Hebræi contra veritatem Evangelij Sacras Litteras exponunt, agnovit, eas mendacia multa contra sacros libros continere; & sic Talmudi fabulas dimittens, ad Christum accessit, secum ad Baptismum pariter ducens filios; & quia uxori persuadere non potuit, ut ipsum imitaretur, ab ea discedens, factus est Christi Sacerdos, & strenuus Evangelij præco; & inter omnes suæ ætatis homines litteris, & sanctitate excelluit, & Episcopus Burgensis, magnúsque Cancellarius Regum Castellæ creatus est, & sapientissimè contra Judæos scripsit ad ann. 1430. Celebris quoque fuit conversio Rabbi Samuelis in secta Judæorum educati, qui cùm magno esset præditus ingenio, res suæ sectæ considerans, & veritatem Sacræ Scripturæ contemplans, clarè cognovit cæcitatem, quâ miseri Judæi laborabant, & Christianæ Religioni nomen dedit, validissimísque argumentis è Sacra Scriptura petitis probavit, JESUM Nazarenum, à majoribus suis crucifixum, esse verum Messiam, Judæis promissum, verúmque Deum, & hominem, qui mundum à captivitate peccati liberaturus advenit; ut refert Genebradus in Chronol. an. 1200.

XXXVI. Insignis etiam fuit conversio Magistri Andreæ à secta Judæorum; qui cùm magno ingenij acumine pol-

polleret, apertè cognovit, falsa & vana esse suæ sectæ dogmata, & cupiens veritatis semitam agnoscere, per quam ad æternam felicitatem tenderet, Hierosolymam peregrinationem instituit, precésque ad Deum fudit, ut mentis suæ tenebras illuminare dignaretur: & ea in oratione inspirationem accepit, ut doctrinam antiquorum Rabbinorum legeret, qui ante adventum Nazareni floruerunt. Quod cùm opere complevisset, clarè cognovit, eos Sacram Scripturam exposuisse, sicut eam exponit Evangelium, de Regno scilicet Messiæ, non temporali, sed spirituali, non de bonis terrenis, sed de spiritualibus à Messia adducendis. Quare Christum in Baptismo induens, peritissimus fuit Sacræ Scripturæ interpres, eámque publicè Romæ interpretatus est, accepto annuo stipendio à Summo Pontifice, qui Judæis præcepto injunxit, ut eum singulis sabbatis audirent, cum magno animarum fructu, sapientioréśque stupebant viri sapientiam, & in sacris litteris exponendis peritiam. Et vitam protraxit usque ad Pontificatum Sixti Quinti.

XXXVII. Sed maximè eminuit Romæ conversio Marii Victorini insignis Philosophi, & Oratoris præstantissimi, & Romanorum Senatorum Magistri, quam describit S. Augustinus lib. 8. confess. cap. 2. cujus exemplo se quoque arsisse affirmat ardore Fidei suscipiendæ: tanta ille claritudine apud Romanos Ethnicos floruerat, ut ex Senatûs-Consulto donari meruerit statuâ in foro Trajani, ut tradunt Augustinus, & Hieronymus. Hic talis tantúsque vir in senectute à Deo illuminatus est, ut cognosceret, Christum, à Judæis crucifixum, esse verum Deum, ejúsque Crucem libentissimè amplexus est. Quis hanc mutationem fecit, nisi omnipotentia Crucifixi?

XXXVIII. Denique ut alia omittam exempla, Justinus Philosophus, qui propè tempora Apostolorum floruit, post tentatas omnium Philosophorum sectas veræ sapientiæ adipiscendæ causâ, veram Christianæ Religionis sapientiam invenit, Christum crucifixum adorans, ut verum Deum; & hanc Fidem scripto defendit, & tandem pro illius veritate sanguinem fudit. Martyrióque coronatus est Romæ, anno Christi 165.

CAPUT DECIMUM.

Singularis Dei Providentia, quam Author expertus est in Maurorum conversione, satis probat, Religionem Christianam esse necessariam ad salutem viam.

XXXIX. FIdeliter narrabo, quod mihi accidit, circa conversionem Maurorum, ut hoc exemplo excitati alii Religiosi viri, majori virtute

tute prædìti, in Deo totam ſuam ſpem collocantes, opus hoc intrepidè aggrediantur, & publicè ad Mahumetanos conciones habeant; quandoquidem ego, talento & ſpiritu carens, opus hoc ferè imparatus incæpi, & feliciſſimum exitum expertus ſum.

Incubueram Miſſioni Granatenſi, anno 1668. tempore Adventûs, & quamvis in illa Civitate plurimi ſint Mahumetani, nunquam mihi occurrit cogitatio, concionem ad illos habendi. Tranſivimus poſtea Hiſpalim, & per quadrageſimam in ea Civitate Miſſionem fecimus, & in aliis urbibus, & oppidis Hiſpalenſis ditionis per vernum tempus. Æſtatis autem tempore, quando ardentes calores Miſſiones intermittere cogunt, in Collegium Granatenſe nos recepimus: cùm autem appropinquaret jam tempus, iterum procedendi ad ſacras has expeditiones, & quinque vel ſex duntaxat ſupereſſent dies ante condictum è Collegio egreſſum, in familiari & Religioſa converſatione poſt prandium incidit ſermo de lege Mahumetana, & tunc R. P. Thomas de Leon, Primarius Theologiæ Profeſſor jam emeritus, dixit, ſe habere librum quendam adversùs Mahumetanam ſectam, quem commodatum acceperat ex bibliotheca Dom. Marchionis de Eſtepa. Pulſavit ſtatim animum cupido, librum illum legendi; petivi, obtinui, & legi, & in compendium redegi. Erat autem liber iſte compoſitus à Joanne Andrea, de quo mentionem fecimus ſectione 1. Egreſſi ſumus ad finem menſis Septembris P. Joannes Gabriel Guillem, & ego ad ſacras expeditiones continuandas: cæterùm antequam Malacam contenderemus, invicem ſeparati ſumus cum aliis ſociis, ille Alhamam, ego Lojam profectus fui; & die Sanctæ Tereſiæ Sacro Malacæ convenimus, ubi Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Epiſcopus D. Fr. Alphonſus à S. Thoma nos benigniſſimè excepit. Miſſioni Malacenſi operam dedimus per aliquot hebdomadas, in cujus decurſu accidit converſio Fatimæ, quam ſuprà commemoravimus pag. 87. illâ verò ineſcatus, ſenſi cor meum vehementer pulſari deſiderio concionandi Mahumetanis. Finita itaque Miſſione Chriſtianorum, Illuſtriſſimum Epiſcopum adeo, rem communicaturus: ſentio, inquam, in corde meo, Illuſtriſſime Domine, ardens deſiderium habendi conciones publicas ad Mahumetanos; & puto, quòd hæc cogitatio à Deo ſit; certus ſum enim, quòd nihil temporale hîc quæro, neque lucrum, neque plauſum: forſan Deus hanc cogitationem immiſit, quia vult aliquos Mahumetanos hîc convertere per hoc medium, vel cauſam ſuam magìs juſtificare, quò minorem ſuę obſtinationis in die judicii excuſationem habeant, vel aliquã alium finem ſuæ gloriæ nobis occultum intendit. Reſpondet primò Illuſtriſſimus Dominus, multùm ſe timere, ne in vanum laborarem, quia Barbari iſti, inquit, nec attendent, nec intelligent, quæ dicentur. Cui ego: probemus, inquam, Illuſtriſſime Domine, experiamur, & quaſi periculum faciamus; quia lucrum ſperare poſſumus, damnum timere non poſſumus; ſi labor iſte non proſit illis ad converſionem,

ſionem, mihi proderit ad meritum: ego conciones iſtas ita diſponam, ut, ſi infidelibus Fidem non perſuaſerint, fideles in fide confirment, quæ res in his oris maritimis, in quibus Chriſtiani quotidie à Mauris captivi abducuntur, maximè utilis eſt; quia his concionibus auditis in fide ampliùs radicabuntur, & difficiliùs poſtea ab illa deficient. Approbavit conſilium prudentiſſimus, & Religioſiſſimus Princeps; reſtabat eligendus locus opportunior ad has conciones habendas: non viſum eſt Illuſtriſſimo expediens, ut haberentur in Templo, ne infideles irreverentiam aliquam in Auguſtiſſimum Sacramentum oſtenderent. Poſtea tamen experientia docuit, Mahumetanos non ſe irreverenter gerere in Templo, & ideo Gadibus, Xeræ, in Portu Sanctæ Mariæ, Matriti, & alibi in Templis conciones habuimus. Diu deliberatum eſt de loco his concionibus apto, & tandem prælectum eſt Scenicum theatrum; quò incredibili ſtudio confluxit civitas ad has conciones audiendas. Eventus monſtravit, cogitationem illam concionandi Mauris è Cœlo demiſſam: nam in prima concione quinque infideles publicè Baptiſmum petiêrunt, & in tabulatum aſcenderunt, ad amplexandum concionatorem, & ab illo accipiendum Roſarium Beatæ Virginis, quod in ſignum deſiderii, quo flagrabant, ſuſcipiendi Baptiſmum, è collo pendulum geſtabant. In ſecunda Baptiſmum petierunt octo: in tertia decem. Et ſic completus eſt numerus viginti trium, qui ſolemniter eadem die baptizati ſunt, ut diximus ſuprà pag. 61. præter alios non paucos, qui privatim Baptiſmum ſuſcepêre.

XL. Jam ſuprà dixi, nos cum tribus Sacerdotibus ſæcularibus miſſos ab Illuſtriſſimo Malacenſi Epiſcopo in Ceutam. Antequam illuc è Calpe navigaremus, ſtetimus in urbe hac per duos, vel tres dies, exſpectantes naviğiū Ceuta mittendum, quo illuc deferremur; in eum námque ſcopum accenſa fuit tæda in vertice montis Calpe, ad cujus radicem Civitas ſita eſt, quo ſigno monebatur Ceutæ Gubernator, ut navigium tranſmitteret, quo veheremur. Interim Calpe brevem Miſſionem confecimus, in qua ego duos ſermones habui in foro ad Mahumetanos; in eíſque duo, vel tres converſi ſunt. Poſtmodum cymbam conſcendentes in Ceutam navigavimus, quæ à Calpe quinque leucis diſtat, ſine cogitatione in Calpem regrediendi. Finita Miſſione Ceutica, in ſcapham aliam aſcendimus, navigationem versùs Eſteponam dirigentes, ad ſiniſtram relinquentes Calpenſem Portum. Sed ecce, cùm ad medium freti pervenimus, nauclerus nubeculam detegit, quæ ventum contrarium, & tempeſtatem portendebat; admonuit, ut ad fugiendum naufragii periculum in Calpenſem Portum deſcenderemus: & illico ſcapham versùs montem Calpem direxit, ut ad ejus radicem navigantes ſecurè portum poſſemus ingredi. Et ita incolumes eò pervenimus. Petivimus ab Excellentiſſimo Domino Marchione de la Laguna illius arcis, & urbis Gubernatore, ut nobis ſuppeditaret equos ad iter faciendum primo mane; inſtabat enim tempus

pus pergendi Matritum, quò nos vocabat Excellentissimus Marchio de Aytona, qui per litteras rogaverat Illustrissimum Episcopum, ut Patres Missionarios in Curiam Matritensem mitteret, ut ibi tempore quadragesimæ Missionem instituerent, jusserat tamen Illustrissimus Episcopus, ut per transitum duo illa suæ Diœcesis oppida, ad oram maritimam sita, Esteponam scilicet, & Marvecam Missione lustraremus: nos autem cupientes jussa ejus adimplere, profectionem maturare satagebamus. Jam omnia parata erant ad nos itineri propè accingendos, pluebat tamen incessanter, & nos expectavimus aliquantulum temporis intervallum, ut pluvia quiesceret: & cùm non cessaret, nihilominus discessum meditabamur, sed pro sua in nos benignitate Dominus Marchio non permisit, ut illinc abiremus, donec Cœlum tantisper serenaretur; cùm verò jam meridies appropinquaret, decrevimus, illic ea die remanere. Vix hoc consilium remanendi inivimus, cùm subitò mutatus est ventus, & ab occidente perflans, nubes dissipavit, & Cœlum serenum reddidit. Tunc ad me accedens vir nobilis: non hoc casu, inquit, factum existimo; dum Paternitates vestræ non mutârunt consilium proficiscendi, Cœlum faciem non mutavit; nunc verò, quia melius consilium inierunt, hodie hîc remanendi, Cœlum ipsum se aperire cœpit, & serenum factum est: aliquid hîc, ut suspicor, intendit Deus; ego ancillam Africanam habeo, quæ mihi dixit, aliquas Mauras, postquam vestram Paternitatem concionantem audiêrunt contra sectam Mahumetanam, aliis jam oculis Christianam Religionem prospicere, & earum cor non parùm illis concionibus emollitum esse; contingénsque proinde esse, ut aliquæ convertantur, si aliam concionem ad Mahumetanos habeat: rogo ergo Paternitatem vestram, ut hoc vespere aliam concionem ad illos habeat. Visum nobis est hoc consilium à Deo venire: decrevimus, ut Pater Guillem concionem exhiberet Christianis, & ego per modum tradentis Catechismum, & doctrinam explicantis ante concionem Christianorum, pulpitum conscenderem, & cum Mahumetanis de Religione loquerer. Probavit consilium Dominus Marchio, & voce præconis per vicos & plateas edictum promulgavit, quo jubebat, ut omnes, qui ancillas vel servos Mahumetanos habebant, eos in Ecclesiam adducerent, quartâ post meridiem horâ. Congregata est tota Civitas, & ante concionem Patris Guillem ego de necessitate Christianæ Fidei ad salutem disserui per dimidiam horam, vel tres quadrantes: & ut omnibus clarè pateret, illam pluviam, quæ nos detinuit, à Deo speciali providentia ordinatam fuisse ad conversionem infidelium, quinque fœminæ Mahumetanæ, quæ ad audiendam concionem venerant, alta voce Baptismum in media Ecclesia postulârunt. Quis hîc non miretur Divinam Providentiam, quæ homines ad Religionem ita vocat? Signum ergo manifestũ est, Religionem Christianã, ad quam Deus homines ita trahit, esse verã, & rectã ad Cœlum viam.

Sequenti die, cùm esset jam tempus tranquillum, scapham iterum ascendimus, & versùs Esteponam navigavimus, ad cujus oram Patrem Guillem cum uno ex Sacerdotibus sæcularibus dimittens, navigationem continuavi Marvecam usque, cum aliis duobus, ut sic invicem separati citiùs Missiones illas absolveremus. Et hîc contigit, quod suprà pag. 83. narravi de obstinatione Maurorum, qui Marvecæ commorabantur, & facilitate, quâ omnes, qui Esteponæ habitabant, ad Christum conversi sunt. Et Malacam regredientes, accepta benedictione ab Illustrissimo Episcopo, ad Missionem Matritensem profecti sumus 2. die Februarii, anni 1670.

CAPUT UNDECIMUM.

Convincitur falsitatis secta Mahumetana ex eo, quòd ponat hominis beatitudinem in delectationibus carnalibus gustûs, & tactûs.

XLI. *Mahumetus in secundo Alcorani capitulo ita habet: Deum prædicate, bonos in paradisum inducturum, ubi dulcissimas aquas, pomáque multimoda, fructúsque varios, & decentissimas ac mundissimas mulieres, omnéque bonum in æternum possidebunt. Rursus capite seu Zorâ* 28: *Credentes, & benefacientes sua non amittent opera. Illic namque paradisum fontibus amœnum, & illic annulos, & torques aureos, & ornatus sericos virides & deauratos possidebunt, & in lectis aulæatis accumbent: & hæc est maxima merces, & interminabilis. Et rursus Zorâ* 47. 48. & 62. *paradisi bona enumerat, nempe, mulieres mundas, fructus dulcissimos, aquas limpidissimas, lectos sericos, aulæa, pulvinaria, scyphos, pincernas, hortos, viridaria, fontes*, &c. Neque hæc mysticè, sed propriè, & corporaliter intelligi voluit, & omnes intelligunt.

XLII. Joannes Andreas, qui priùs fuit Mahumetanorum Doctor, & Alfaquinus, in suo opere contra Alcoranum cap. 9. affirmat, Mahumetum in Alcorano asserere, Deum creavisse septem paradisos, vel septem Mansiones, quarum singulæ paradisus appellantur; omnésque ex auro, argento, lapidibúsque pretiosis constare, multáque ibi esse palatia. Insuper testatur, Mahumetum asserere, paradisum promissum Mauris magnitudine æquare cœlos, & terram. Et meritò à Mahumetanis rogat, ut sibi exponant, ubinam futurus sit iste paradisus, si ejus amplitudo tanta est, quantam continent cœlestes orbes, & terra? Insuper affirmat, Mahumetum ponere in suo illo paradiso fontem quendam nomine *Alcauzar*, qui ipsius Mahumeti peculiaris est, tantæ magnitudinis, ut penès longitudinem & latitudinem septuaginta mille dierum iter contineat,

ejúſque aquam eſſe lacte candidiorem, & melle dulciorem, tótque eſſe prope fontem illum vaſa aurea, pateras, crateres, & ſcyphos ad hauriendam aquam, quot ſunt in cœlo ſtellæ. Et in medio paradiſo arborem ponere tantæ magnitudinis, & proceritatis, quantæ eſt ipſe paradiſus, quæ ramos proinde diffundat uſque ad paradiſi muros; ejúſque folia aurea, & argentea eſſe, & in ſingulis inſcriptum eſſe nomen Dei, & nomen Mahumeti.

Inſuper teſtatur, Mahumetum in Alcorano aſſerere, Deum in quadam paradiſi Manſione, quæ appellatur *Genetu Alcoduz*, ideſt paradiſus ſancti, paraturum Mauris convivium magnum, lautúmque epulum, quod Arabicè appellatur *Aldrate Alcoduz*: menſam verò, in qua dapes ſunt apponendæ, adamantem eſſe tantæ molis, ut penes longitudinem & latitudinē ſeptem mille dierum iter ambiat: dicit præterea, pincernas pulcherrimos, poſt alios cibos, ad extremū adducturos in menſam ſingulis convivis ſingula mala citrea, & ex eis prodituras Virgines pulcherrimas mirè ornatas, & unumquemque Maurorum ſuam Virginem arctiſſimè amplexaturum, & per quinquaginta continuos annos hunc amplexum duraturum; poſt hoc verò tempus Deum oſtenſurum illis faciem ſuam, amotis velis, quibus tegitur: poſtquam verò Dei faciem viderint, abituros ex illa Manſione paradiſi in aliam, ibíque per totam æternitatem manſuros cum illis pulcherrimis feminis, ut ex cibo, potu, & mulierum conſortio æternam capiant delectationem.

Quis hæc ſine riſu audire queat? quis non miretur, non ſtupeat, homines rationis compotes has fabulas, hæc ridicula ſomnia, ut articulum fidei credere, & tanquam magnum Prophetam venerari Mahumetum, qui talia confinxit? Certè Alcoranum ipſum ſine alio argumento manifeſtè probat, legem illam non eſſe à Deo: & inexcuſabiles ſunt Mahumetani perſpicaces, & ingenioſi, qui hæc legentes, non agnoſcunt, has eſſe fabulas deridiculas, indignáſque, ut eis ulla fides adhibeatur.

XLIII. Joannes Andreas, poſtquā hæc retulit, Mauros irridens, meritò animadvertit, latrinas & cloacas deſiderari in illo paradiſo, in quo tam ſplendidè epulantur, & bibunt Mauri. Rurſúſque per jocum ait, feminas Mahumetanas meritò de ſuo Propheta conqueri poſſe, quia eis non aſſignat completam felicitatem in ſuo paradiſo: ſi enim Virgines illæ, quibus fruentur Mauri, non ſunt hujus generationis, ut Mahumetus docet, ſed in paradiſo de novo creatæ, & ab æterno Mauris præparatæ ad æternam felicitatem, quia ſine uſu feminarum arbitratur, non poſſe dari beatitudinem virorum; neceſſariò ſequitur, feminas Mahumetanas non fore beatas, ſed in æternum miſeras, quia carebunt conſortio virorum: quia ſi delectatio venerea neceſſaria eſt viris ad beatitudinem, etiam erit neceſſaria feminis: unde iſtæ erunt in æternum miſeræ, & præ invidia tabeſcent, animadvertentes, feminas in paradiſo creatas frui viris, quibus non inſerviērunt, ſe verò poſt tot labores ab illa felicitate repelli. Quare Mahumetus cogi-

cogitur alterum è duobus dicere, nimirum vel feminas non resurrecturas in corpore femineo, vel non habituras beatitudinem, si in illo resurgant: & utrumque est falsum. Primum quidem, quia cùm feminæ in corpore femineo sustinuerint dolores, ærumnas, & mortificationes propter Deum, ratio postulat, ut in eodem corpore resurgant, ut ipsummet individuum, ipsemet homo, qui laboravit, præmium recipiat; & ita meritò docent Theologi Christiani cum D. Thoma in 4. dist. 44. & 4. contra gent. cap. 88. & planè colligitur ex verbis Christi Joan. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Ergo femina ipsa, quæ in hac vita per corpus bona opera fecit, eademmet numero resurget, ut præmium in eodem corpore recipiat, in quo laboravit: & similiter de illa, quæ mala opera per corpus exercuit, &c. Unde S. Dionysius lib. de Ecclesiast. Hierar. part. 1. capit. 7. meritò dixit, eos, qui animabus aliorum corporum conjugia tribuunt, *quantum in se est, injuriis afficere corpora, quæ cum sanctis animáque laborârunt, sacris retributionibus privantes, quæ ad finem sanctissimi cursûs pervenerunt.* Et ideo Sanctus Job. cap. 19. seipsum, & suam carnem exhortabatur ad laborem, quia in ipsa resurrecturus esset, & visurus suum Redemptorem: *Quem visurus sum ego ipse, & non alius*, &c. Hinc Eximius Doctor P. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 43. sect. 3. asserit, certum esse ex sententia omnium Theologorum, in resurrectione hominum servandam esse sexuum diversitatem, neque aliquem Catholicum id vertere in dubium, sed solùm illos hæreticos, qui humanum corpus organicum negârunt futurum esse in hominibus resurgentibus.

Secundum verò, nempe quòd feminæ in alia vita non habituræ sint plenam & veram felicitatem, si in hac vita piè & sanctè vixerunt, est manifestè falsum, & contra Dei justitiam. Cùm enim femina possit virum in hac vita excedere in sanctitate, esset contra justitiam, illam fraudare beatitudine, quæ conceditur viro.

Quare convincitur, Mahumetum in illo suo paradiso confingendo unicè fuisse intentum in captandam gratiam, & benevolentiam virorum, quia illis indigebat ad bella, quibus regnum sibi parare cogitabat; de felicitate verò feminarum non fuisse solicitum, quia illis non indigebat ad certamina: unde de illa neque verbum fecit.

XLIV. Docet autem liber *Suna*, qui apud Arabes paris est authoritatis cum Alcorano, Virgines illas in paradiso retribuendas Mauris, fore adeo pulchras & venustas, ut si aliqua earum se spectandam præberet, & in extima cœli parte appareret, totum mundum mira claritate illustraret; fore adeo suaves & dulces, ut si aliqua earum in mare salivam regereret, totam aquarum abyssum in aquam dulcissimam, & melleam converteret.

Dubium autem est, an Mahumetus in paradiso singulis viris multas feminas assignet ad plenam felicitatem, an singulis singulas duntaxat? S. Petrus Paschasius in suo tractatu contra Mahumetanos, pag. 68. num. 86. ait, unicuique virorum in paradiso assignare ex virginibus valde pulchris & decoris quatuor mille, & ex aliis octo mille. Certè de impurissimo Mahumeto, qui in hac vita contentus non fuit una uxore, sed plurimas simul habuit, credi non debet, quòd unam duntaxat pro alia vita, ubi gaudia & delectationes debent esse majora, suis promiserit. Joannes Andreas in sua confutatione Alcorani cap. 7. testatur, Mahumetum cum quindecim mulieribus matrimonium contraxisse, & eodem tempore undecim simul uxores habuisse, præter ancillas. Ita enim testatur liber inter Arabes magnæ authoritatis, cui titulus *Assameyl*, id est de bonis Mahumeti dotibus, & indole. Et liber *Azear*, testatur, quando Mahumetus obijt, novem simul uxores ejus viduas remansisse. Qui ergo in hac vita tot uxores habebat præter concubinas, exiguam putaret suam felicitatem, si unâ tantùm in alia vita esset donandus.

XLV. Hunc paradisum indignum esse creatura rationali, vel ipsi Philosophi Mahumetani cognovêre. Siquidem Averroës præstantissimus Philosophus, & Aristotelis commentator, quamvis professione Mahumetanus, fassus est, meliùs sensisse, & scripsisse Aristotelem, quamvis Philosophum Ethnicum, de ultimo fine, & felicitate hominis, quàm Mahumetum: nam Aristoteles posuit felicitatem hominis in excellentissima hominis operatione, nempe in contemplatione Dei: Mahumetus verò in abjectiore, & sordidiore, qualis est comedere, & bibere, & feminis uti. Quod nihil aliud est, quàm pro paradiso lupanar, & prostibulum constituisse; potiúsque appellari deberet paradisus bestiarum, quàm hominum. Unde meritò Guilielmus Parisiensis lib. de legibus cap. 19. inquit: *Quid est paradisus iste, nisi taberna indefessæ ingurgitationis, & perpetuæ turpitudinis prostibulum? Et ad finem capitis: Manifestum est, quòd paradisus iste non est nisi volutabrum porcorum, & quòd vociferatio ipsius pecudum est, non hominum.* Avicenna verò vir magni ingenij, Philosophúsque & Medicus insignis lib. 9. de prima Philosophia, felicitatem hominis spiritualem esse debere agnoscit, non materialem, & corpoream, qualem posuit Mahumetus: *Lex nostra* (inquit) *quam dedit Mahumet, dispositionem felicitatis & miseriæ, quæ sunt secundùm corpus, attendit. Sed est alia promissio, quæ attenditur intellectu. Sapientibus verò Theologis multò major cupiditas fuit ad apprehendendam istam, quàm corporum, quæ quamvis daretur eis, non tamen attenderunt eam, neque in pretio habuerunt in comparatione felicitatis, quæ est conjunctio cum veritate.* Hæc ille. Quibus verbis satìs significavit, felicitatem consistentem in delectationibus sensuum & tactûs, non posse esse ultimum finem hominis, qui rationalis est.

XLVI. Maximæ olim inter Philosophos extitêre concertationes circa finem hominis, videlicet qua in re consistat hominis beatitudo, quódque sit sum-

mum ejus bonum. Tres autem hac de re fuerunt sententiæ celebriores. Prima, summum hominis bonum consistere in voluptatibus corporis. Hæc passim tribuitur Epicuro, ejúsque sectatoribus. Secunda, summum hominis bonum consistere in virtute, sive in eo, quod est *vivere convenienter naturæ & rationi.* Ita Stoici. Tertia Aristotelis, qui constituit beatitudinem potissimùm in perfectissima operatione præstantissimæ facultatis circa præstantissimū objectum, hoc est in contemplatione Dei, & rerum Divinarum, quantum fas est homini.

XLVII. Ex his tribus Philosophorum sententiis prima Epicuri, & sequacium contemnitur à cordatioribus Philosophis; & nihilominus illam sectatus est Mahumetus, & quidem absurdiùs, quàm Epicurus. Nam iste, licèt posuerit felicitatem in voluptate, non tamen in voluptate solius corporis, sed in voluptate corporis, & animi, & utrásque voluit esse moderatas. At Mahumetus in solis voluptatibus corporis, illísque immoderatissimis beatitudinem, & felicitatem hominis collocat. Unde ejus sententia est absurdissima, & contra lumen rationis. Cùm enim homo sit animal rationale, & ab omnibus brutis differat essentialiter, non potest consistere ejus felicitas, & beatitudo in illis operationibus, quas habet communes cum brutis: delectatio autem, quæ capitur ex cibo & potu, & ex usu Veneris, communis est homini cum brutis: ergo in illa non potest consistere hominis beatitudo.

XLVIII. Hunc bestiarum paradisum multis impugnat Guilielmus Alvernus Episcopus Parisiensis, qui floruit ad ann. 1240. lib. de legibus cap. 19. qui inter alia argumenta, quæ contra illum conficit, arguit ab inconvenienti; quia cùm in homine sit pars superior, nempe ratio, quæ semper in hac vita pro virtute pugnat contra rebellionem appetitûs, & pars inferior, nempe appetitus & caro, quæ pugnant contra spiritum, juxta illud Apostoli: caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem; esset planè injustitia, portionem inferiorem æterna felicitate donare, & partem superiorem sine beatitudine relinquere: *Sequeretur* (inquit) *ex hoc manifesta Dei iniquitas atque perversitas; pars enim ista semper rebellis est in nobis, dum hîc vivimus, honestati, & repugnans Dei voluntati. Reliquum verò, quod est in nobis nobile atque præcipuum, semper pugnat pro honestate, & pro Dei voluntate contra residuum: hæc igitur esset manifesta Dei iniquitas, quòd servientem sibi partem in nobis, & pro eo semper pugnantem, non remuneraret propria felicitate & gloria: hæc verò perversitas, quòd inimicam sibi & honestati partem, vitiorúmque omnium fomitem remuneraret.*

XLIX. D. Thomas, qui paulò post Guilielmum Parisiensem floruit (siquidem natus est anno 1224. & obijt anno 1274.) lib. 4. contra gentes cap. 83. latè probat, post resurrectionem non fore usum ciborum, & venereorum. Evidentissiméque constat, felicitatem atque beatitudinem hominis non posse in illis delectationibus consistere. Quis enim non erubescat, & tanquam contumeliam excipiat, quòd ei dicatur: *Tu solùm ad comedendum, & bibendum, &*

vacandum delectationibus venereis creatus es. Nulli autem potest esse probrosum, quòd ipsi exponatur finis, ad quem conditus est, ergo homo conditus non est ad vilissimum illum finem, bestiarum proprium.

L. Et sanè cùm beatitudo hominis sit res pretiosissima, & margarita maximi valoris, & supellex maximi pretij; & nullus sapiens gemmam pretiosam in theca sordida reponat, quomodo Deus sapientissimus beatitudinem in corpore vili, & non in spiritu nobilissimo collocaret?

Si delectationes venereæ, etiam licitæ, indecentiam quandam habent, & ideo naturâ duce homines latebras quærunt ad vacandum generationis operi; quomodo in eis beatitudo hominis consistere potest? Certè de adeptione sui finis, & de potissima suæ felicitatis parte, homo erubescere non potest. Erubescit autem de opere uxorio, ergo in illo nec in toto, nec in parte potest beatitudo hominis consistere. Si camelus & elephas, ut refert Aristoteles lib. 5. de Histor. Anim. cap. 2. latibulum quærunt ad coitum, & elephas post coitum iterum absconditur, quasi facti eum pudeat, & mox se abluit, quasi sordes contraxerit; quomodo beatitudo hominis potest in tam pudendo opere consistere?

Si Seneca, cùm esset Philosophus Gentilis, seriò dicebat Epist. 65. *Major sum, & ad majora natus, quàm ut corporis mancipium sim*, quærendo scilicet corporis delectationes, & gulæ, & Veneri indulgendo. Si Socrates interrogatus, in quo ipse differret ab aliis hominibus, qui delectationes gustûs immoderatè quærebant, respondit: *Alij vivunt, ut edant, ego edo, ut vivam.* Si Horatius lib. 2. Epist. 2. ad Lælium, homini, quem deprimere & humiliare volebat, per opprobrium & contemptum dixit, ipsum ad hoc solùm natum esse, ut comederet, *Nos numerus sumus, & fruges consumere nati*: quid isti Philosophi dicerent, si Mahumetum audirent prædicantem, supremam hominis felicitatem consistere in ventris ingluvie & venereis delectationibus? Certè dicerent, illum non hominum, sed pecudum Magistrum appellari debere.

Si Vir nobilis & honestus nollet in domo sua filios, vel famulos habere, qui tota die nihil aliud curarent, quàm ventrem cibo & potu onerare, & venereis delectationibus inhiare: quomodo Deus in purissima Empyrei domo ferre posset homines, qui in hoc ipsum unicè intenti forent? Profectò cùm homo substantia sit rationalis, intellectiva & volitiva, ejus suprema felicitas & beatitudo debet esse participatio quædam altissima illius beatitudinis, quâ Deus in se beatus, & summè felix est: Deus autem beatus est, quia seipsum contemplatur, seipsum amat, & de seipso summè gaudet, nec enim aliquid extra Deum potest esse beatitudo objectiva Dei, seu materia felicitatis Dei: ergo hominis beatitudo debet consistere in altissima Dei contemplatione, & amore, & gaudio de Divinis perfectionibus inde resultante: ergo nequit consistere in delectationibus sensûs & tactûs. Facessat ergo impurissimus ille Mahumeti paradisus, & longè sit ab hominibus rationalibus bestialis illa beatitudo.

LI. O quàm longè est ab hac cæcitate Divina Christi doctrina, qui Matth. 22. Saducæis negantibus resurrectionem, & ab incommodo arguentibus, quia si eadem fæmina successivè nupsisset septem Viris, in resurrectione non posset determinari, cujusnam de septem uxor futura esset; Dominus respondit: *Erratis, nescientes scripturas, & virtutem Dei. In resurrectione enim, nec nubunt, nec nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in Cœlo.* Et Luc. 20. *Nec nubunt, nec ducunt uxores, qui digni habentur sæculo illo.* Meritóque dicuntur homines in beatitudine futuri sicut Angeli, quia, cùm conveniant cum Angelis penès intellectum & voluntatem, quæ sunt potentiæ spirituales, eorum beatitudo debet consistere in actibus intellectûs, & voluntatis, & in delectatione spirituali ex illis actibus resultante. Dubium non est, eò in hac vita quemvis esse perfectiorem, quò magìs assimilatur vitæ Beatorum: si ergo perfectio vitæ beatæ consistit in cumulo delectationum carnalium, nimirum in suavium ciborum sumptione, dulcium liquorum haustu, & in venerea delectatione, eò quis in hac vita melior, & perfectior existet, quò avidiùs hæc oblectamenta quæsiêrit, & pleniùs assecutus fuerit. Quis autem non videat, hoc esse absurdissimum? O quàm longè fuerunt ab hac sententia, vel ipsi Gentiles solius rationis naturalis ductu! Audiant Mahumetani celebre illud Catonis pronuntiatum, qui dixit, *Si sine uxoribus mundus esse posset, vitam nostram futuram esse, qualis est Deorum Cœlestium: quare eas malum esse, sed malum necessarium.*

Quis non videat, creaturæ rationalis perfectionem consistere in imitatione Creatoris, seu in eo, quòd, quantum fas est creaturæ, mores Divinos in se exprimere conetur? Unde Christus ajebat: *estote* ergo perfecti, sicut Pater vester cœlestis *perfectus est.* Idque cognovit Pithagoras Philosophus Gentilis, quando dixit: *Vita finis est Dei assimilatio.* Cùm ergo Deus incapax sit delectationum carnalium, cibi, potûs & Veneris, nequit hominis beatitudo in illis consistere; eóque perfectiùs homo Deum imitatur, quò ab illis magìs recedit, & magìs rebus intelligibilibus & spiritualibus inhæret.

LII. Sed placet in medium proferre elegantem & dilucidum discursum, quo Pater Lessius lib. 1. de summo bono cap. 4. in hunc Mahumeti Paradisum invehitur. Primò. Summum bonum hominis debet esse tale, ut hominem faciat meliorem & perfectiorem: immò debet efficere optimum & perfectissimum. Ideo enim dicitur summum bonum, quia summè perficit, & in summo dignitatis & perfectionis gradu constituit. At voluptas corporis hominem non solùm non facit optimum & perfectissimum, sed etiam reddit deteriorem. Nihil enim est, quòd æquè lumen rationis offuscet, ac mores corrumpat, atque voluptas: ut videre est in illis, qui ventri & libidini sunt dediti; nihil enim his stupidius, nihil ad sapientiam & divina percipienda ineptius, nihil moribus, & vitâ inquinatius. Idem testantur etiam Ethnici Scriptores: Cic. in Cat. *Diviné Plato escam malorum appellat voluptatem, quòd eâ videlicet homines capiantur,*

ut hamo pisces. Et Seneca Epist. 3. *Indulgere voluptati initium omnium malorum est.* Ratio est: quia, cùm voluptas mentem excæcet, ut virtutis pulchritudinem, & vitiorum fœditatem non consideret, & ex altera parte suis blanditijs affectum hominis vehementer alliciat, fit, ut nullum sit peccatum, nullum crimen adeo detestabile, in quod hominem non præcipitet.

Secundò, summum bonum priorem hominis partem, nempe mentem, perficere & ornare debet. At voluptas hanc non solùm non perficit, sed illius perfectionẽ, & functionem maximè impedit, ipsámque brutã & stupidã reddit.

Tertiò, summum bonum facit honore & veneratione dignum, quia summam homini excellentiam confert, & in summo dignitatis gradu constituit; ita ut altiùs conscendere, aut aliquid, quod sublimius sit, obtinere nequeat. Si enim aliquid sublimius posset consequi, hoc ipsum potiùs esset summum, non illud. Denique maximè elevat hominem supra se, facítque Deo simillimum: at voluptas facit hominem vilem, abjectum & despicabilem; qui enim voluptatibus dediti, passim contemnuntur, tanquam inertes, & gulæ, Venerísque mancipia. Hinc illud Poëtæ:

Epicuri de grege porcus.

Facit enim similem porcis, qui ad pastum & libidinem abjecti; non Deo, qui longissimè ab omni corporali voluptate & contagione segregatus, contemplatione veritatis, hoc est sui ipsius, delectatur. Itaque voluptas hominem maximè dedecorat: *Quis hostis* (inquit Seneca) *in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt? quorum impotenti, & insana libidini ob hoc unum possis ignoscere, quòd, quæ fecêre, patiuntur.*

Quartò, si voluptas esset summum bonum, fas esset illam quærere in omni re, in qua reperitur, & ad eam obtinendam adhiberi possent quæcumque ad hoc opportuna. Itaque licita esset omnis libidinum turpitudo, licitæ comessationes & ebrietates, lícita furta, rapinæ, homicidia, & omnia scelera, per quæ ad voluptates pervenitur: summum enim bonum in omni re, in qua reperiri potest, & omnibus medijs, per quæ obtineri potest, quærere licet. Idem suis moribus confirmant ij, qui in voluptate summum bonum constituunt: nullum enim scelus, nullam turpítudinem, si absit metus legum, recusant. Nihil illicitum, aut recusandum, quod summo bono est consentaneum, vel aliquid opis, commodíve adferre potest ad illud obtinendum.

Quintò, rursus si voluptas esset summum bonum, vita ista esset expetenda propter cibum, potum & venerea, in quibus consistit illa voluptas, & hæc non propter vitæ conservationem, aut naturæ propagationem, sed propter voluptatem, ordine planè inverso, & naturæ contrario, quæ statuit, ut cibo & potu utamur ad vitæ conservationem, te venerea ad naturæ propagationem. Adjunxit autem his functionibus voluptatem, tanquam condimentum & illecebram, ne propter molestiam negligantur. Itaque voluptas est propter has functio-

functiones; functiones propter vitæ & speciei conservationem.

Sextò denique, qui voluptatem statuit summum bonum, eo ipso suum ventrem statuit sibi Deum, juxta illud Apostoli: *Quorum Deus venter est.* Ratio est, quia illud cuique est Deus, in cujus obsequio & cultu sum̃um bonum suum constituit. Nihil enim agnoscit præstantius, aut quod huic sit præferendum: atqui iste summum bonum suum constituit in obsequio & cultu ventris; servire enim ventri & libidini, est illi summum bonum. Ergo venter est illi Deus. Confirmatur: quia illud cuique est Deus, ad quod omnia sua, etiam suam beatitudinem, ultimò refert & dirigit; ad Deum enim ultimò omnia referenda. Atqui hic omnia sua dirigit, etiam cibum & potum, &c. quorum fruitione se putat beatum, ad bonum ventris, ibique sistit: ergo, &c. Talis erat ille Cyclops apud Euripidem in Cyclope, qui dicebat, se Jovem non curare, sed maximum Deorum sibi esse suum ventrem: huic se assiduè sacrificare, &c.

LIII. Ex his manifestum est, voluptatem corporis non solùm non esse censendam sum̃um bonũ, sed potiùs numerandam in malis, ac proinde sapienti, quò majori conatu poterit, fugiendam. Etsi enim per se sit quiddam adiaphorum, tamen tanta mala secum trahit, ut potiùs in malis, quàm in adiaphoris sit numeranda: nam mentem excæcat, virtutem elidit, in vitia præcipitat, corpus & animum enervat, naturam humanam dedecorat, molles, inglorios, viles & despicabiles efficit, brutis assimilat. Denique omnes hujus vitæ voluptates sunt valde imperfectæ, multis sordibus & fœtoribus inquinatæ, multis doloribus permixtæ, & pleræque dolorum & molestiarum duntaxat solatia. Voluptas enim edendi, solatium est molestiæ, quam affert fames; bibendi, quam sitis; Veneris, quàm incitatio libidinis: ac proinde pares illæ voluptates sunt voluptati, quàm leprosi & scabiosi, dum scabuntur, sentiunt. Præclarè hæc omnia confirmat Architas Tarentinus apud Ciceronem in Catone, cùm ait: *Nullam capitaliorem pestem, quàm corporis voluptatem, hominibus à natura datam. Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nascuntur. Nullum denique scelus, nullum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impellat. Stupra verò, adulteria, & omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. Cúmque mente nihil sit præstabilius homini à Deo datum, huic Divino muneri nihil esse tam inimicum, quàm voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quò magis intelligi posset, fingere jubebat animo quempiam maxima voluptate incitatum: nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset: quocirca nil esse tam detestabile, támque pestiferum, quàm voluptatem. Siquidem ea, cùm major esset, atque longinquior, omne animæ lumen extingueret.* Hæc ille: qua sententia optimè ostendit, tantum abesse, ut voluptas sit summum bonum, ut potiùs sit dicenda summum ma-

malum, ac pestis quædam naturæ humanæ, cùm id, quod optimum est in homine, nempe lumen rationis extinguat, & ad omne malum animos incitet.

LIV. Denique Mahumetanorum sententia etiam multis aliis nominibus est absurda. Vel enim beati post hanc vitam egebunt cibo & potu ad corporis & vitæ sustentationem, vel non egebunt? Si egebunt, non sunt beati, nec immortales, sed corpore sunt labili, quod fame & siti cruciari possit, & dissolvi, sicut in hac vita: illísque edendum & bibendum erit, vitæ potiùs conservandæ causâ, quàm captandæ voluptatis. Si non egebunt, cur illis utentur? An ideo, ne videlicet careant hac voluptate? Ita planè illi sentiunt, quia nihil majus aut dulcius, gulæ ventrísque voluptate, animo concipere possunt. Sed comedere, & corpus purum sordibus implere, solius voluptatis causâ, naturâ id minimè postulante, res est absurda, rationi & naturæ adversa. Necesse enim est, hoc totum, cùm natura non postulet, verti in sordes & excrementa, & locum beatorum immani fœtore compleri. Pari modo, vel erit procreatio post hanc vitam, vel non erit? Si erit, vel proles erunt beatæ, & immortales, & sic crescet numerus beatorum in infinitum; vel non erunt beatæ, sed mortales, ac proinde Cœlo exturbandæ, donec beatitudinem mereantur. Si non erit procreatio, quorsum usus Veneris? Solius enim voluptatis causâ uti Venere, brutorum potiùs est animantium, quæ cùm non possint intelligere, in quem finem usus Veneris sit institutus, solam voluptatem apprehendunt, & in illam cæco feruntur impetu, quàm hominum luce rationis præditorum, qui scopum cuique operi præfixum spectare, & opus ad eum dirigere debent. Solent Turcæ Christianos per convitium vocare *canes*, sed nullo fundamento, cùm Religio, & institutum Christianorum potiùs sit Angelicum, vel Divinum, quàm caninum. Longè veriùs & justiùs ipsi vocari possent *Porci & canes*, quorum summum bonum, sicut porcorum & canum in ventre est, & ijs, quæ sub ventre, nihilque spirituale continent.



LIBER TERTIUS.

IN QUO EX DICTIS ALCORANI, ET ex Scripturis Divinis, quas admittit, & ex Divinis visionibus, & miraculis probatur Divinitas Christi, & Trinitas Personarum. Ubi etiam apponitur longum colloquium, quod Author habuit cum arguto Mahumetano: & variis similitudinibus exponuntur mysterium Incarnationis, & Trinitatis; & docetur, quomodo agendum sit cum Infidelibus, qui ob difficultatem mysteriorum nostræ Fidei illam recipere detrectant: & demonstratur, legem Christi abrogari non potuisse per legem Mahumeti, quamvis lex Moysis sit abrogata per legem Christi.

CAPUT PRIMUM.

Demonstratur Divinitas Christi ex dictis Alcorani, ubi Christum appellat Verbum Dei, *& ex libris Divinis, quibus Mahumetus jussit haberi Fidem.*

I. Mahumetus in Alcorano cap. 1. clarè, & disertè asserit, *Christum Filium Mariæ esse Dei Verbum*; idque testatur etiam Georg. Almac. apud Arabes Author summæ authoritatis, ut vidimus suprà, qui lib. 1. hist. Sarracen. cap. 1. cujus titulus est: *Primus Muslimorum Imperator fuit Mahumet Abulcasimus gloriosæ memoriæ*, agens de his, quæ Mahumed jussit credere, inquit; *Jussit quoque credere Christum Filium Mariæ, Spiritum Dei esse, & Verbum ejus.* Muslimorum nomine intelligit Mahumetanæ Religionis professores, id est, Turcas, ut explicat Calepinus, sed ego suspicor hoc nomine aliud significari: nam Legatus Regis Galliæ Constantinopoli degens, qui Alcoranum in Gallicum idioma convertit, in Prologo illius operis refert, Turcas seipsos appellare, *Musulmans, id est, Deo addictos, seu in Deo resignatos, vel salvandos.*

II. Hoc supposito sic argumentor: Christus est Dei Verbum; sed Verbum Dei est Deus, ergo Christus est Deus. Maj. est expressa doctrina Alcorani. Min.prob. nam dum Mahumetus dicit, Chri-

Christum esse Dei Verbum, non loquitur de Verbo externo, & vocali, quo nimirum Deus externè cum hominibus, vel Angelis loquatur, vel formando & articulando voces significativas in aëre, vel infundendo verba interna mentalia, sicut loquutus est cum Prophetis: nam verba hæc, quæ extra Deum sunt, seu per quæ externè Deus loquitur, non sunt substantia aliqua, sed accidens, nec sunt persona, vel suppositum, sed sunt accidentia aliqua, quibus vel homo formaliter intelligit, vel ad intelligendum manuducitur, & excitatur: Christus verò non est accidens, sed substantia: ergo Christus non est Verbum Dei externum. Fuerunt olim Hæretici, quorum meminit Athan. homil. in illud *Missus est Angelus*, *&c.* qui dicebant, Verbum illud Angeli, quo locutus est B. Virgini in Annunciatione, esse Incarnatum, & factum Carnem, quam hæresim ut deliramentum impugnant PP. quia illud Verbum fuit sensibile, in aëre formatum, transitorium, sicut nostrum, & quoddam accidens, quia sonus erat: at Verbum factum Caro, substantia est permanens, & insensibilis; verbáque Evangelistæ hunc errorem convincunt; nam hoc Verbum, quod Caro factum, idem est, quod in principio erat apud Deum, & Deus erat, & per quod omnia facta sunt: Joannes enim de eodem Verbo suam texuit narrationem, & de illo præmisit illa omnia, ut significaret, non incæpisse tunc illud Verbum, quod Caro factum est, quando factum est Caro, sed fuisse ab æterno, ac proinde esse unigenitum, & æternum Dei Filium, qui in tempore suscepit humanitatem, ut in illa pro hominibus pateretur, & per illam homines doceret, ergo certum est, Christum non esse Verbum Dei externum, sed Verbum Dei internum, & mentale. Et confirmatur: nam Verbum externum, vel conceptus mentalis creatus à Deo infusus, non est Apostolus, & Nuntius Dei; quia, esse Apostolum, solùm potest convenire personæ. At juxta Alcoranum hæc tria æqualiter competunt Christo, nempe esse Verbum Dei, esse Apostolum, & Nuntium Dei. Ergo sicut nomen Apostoli est nomen personæ, & non accidentis; ita nomen Verbi est nomen personæ: ergo Verbum, quod de Christo prædicatur, non est Verbum externum: ergo est Verbum internum Dei, quod Deus intra se producit; est Verbum per se subsistens, & substantiale. Ergo Christus est Verbum illud æternum, quod Deus intra se producit, dum seipsum, & alia intelligit. Sed Verbum mentale Divinum, quod intra Deum est, Deus est; cùm enim Deus sit entitas simplicissima, infinita, & compositionis incapax, quidquid in Deo est, Deus est. Ergo Christus est Deus. Quod ut Mahumetani intelligant, hoc ipsis explicandum est per similitudinem eorum, quæ in nobis inveniuntur. Sanè quoties nos aliquid intelligimus, & penetramus nostro intellectu, formamus intra nos imaginem quandam illius rei, de qua cogitamus, & quam intelligimus. *Quicumque enim intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit*, (inquit S. Thom. 1. part.

 quæst.

quæst. 27. art. 1.) *procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens, quam quidem Conceptionem vox significat, & dicitur Verbum cordis significatum Verbo oris.* Ergo Deus seipsum intelligens, hoc ipso quòd seipsum *intelligit*, producit intra seipsum imaginem suî expressam, & vivam, quæ suum principium repræsentat: quæ imago est partus quidam & conceptio, seu conceptus intellectûs divini: & cùm sit intra Deum, est Deus. Ergo Christus hoc ipso, quòd est Verbum Dei, est Deus.

III. Deinde ex Alcorano sic argumentor, & ex Scripturis, quas Mahumetus admittit, probo Christi divinitatem. Mahumetus in Alcorano præcipit Muslimis, seu Sarracenis: *Ut libris Moysis, Christi, Apostolorum, aliorúmque Prophetarum firmam adhibeant Fidem.* Ut constat ex cap. 1. Alcor. & ex Georg. Almac. Atqui libri Christi, nempe Evangelia, & libri Apostolorum, nempe Epistolæ Apostolorum, Acta Apostolorum, & Apocalypsis, & libri Prophetarum, Christum esse Deum apertè dicunt: ergo firmiter credendum est, Christum esse Deum: ac proinde Alcoranum hoc negans non est liber Dei.

Probatur minor ex Evangelio Joannis cap. 1. nam imprimis Evangelium Joannis apertè testatur, Christum esse Deum: sic enim incipit: *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Ecce Evangelista Joannes apertè dicit, quòd in principio, seu rerum initio, quando Deus mundum condidit, & omnia ex nihilo creavit, jam erat Verbum; alludit enim ad illa Verba Genesis: *In principio creavit Deus Cœlum, & terram*, id est, in principio durationis & temporis: ergo planè significat, Verbum Dei non solùm esse in Deo nunc, sed quòd erat in Deo, antequam mundum conderet, ac proinde significat, Verbum Dei non esse aliquid creatum, quia omne creatum aliquando incæpit, ac proinde de nullo creato verificari potest, quòd jam erat in principio temporis & durationis, quando Deus mundum condidit. Rursus significat, Verbum Dei esse æternum; illud enim Verbum, quod jam erat, quando Deus mundum condidit, seu quando incæpit duratio rerum, non habet initium suæ durationis; de illo enim, quod aliquando habuit initium suæ durationis, verificari non potest, quòd jam erat, quando incœpit duratio rerum: quod autem non habet initium suæ durationis, æternum est: ergo Verbum illud, de quo Joann. loquitur, æternum est. Sic ipsa sapientia genita, seu Verbum, & Filius Dei dicit Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio: nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* Quare idem est, *In principio erat Verbum*; ac, *ante principium erat.* Parùm enim erat, in principio fuisse, si antea non fuisset: nam & Cœlum, & terra in principio erant, sed ante principium non erant, quia in ipso principio creata sunt: & ideo, quod hîc simpliciter dicitur: *In*

In principio erat Verbum, in lib. Salomonis explicatur, *Antequam quidquam faceret à principio.* De Verbo hoc æterno subdit, quòd *erat apud Deum*, quia cùm Verbum hoc sit productum ab æterno à Deo per actum intelligendi & dicendi, manet in suo principio, nempe in Patre, sicut Verbum mentis, quod producit homo intra se, dum seipsum intelligit, manet in intellectu ipsius producentis; unde duo sequuntur, nempe Verbum esse distinctum personaliter à principio, à quo producitur, nempe à Patre, quia cùm nemo propriè dicatur *esse apud seipsum*, dum dicitur Verbum *esse apud Deum*, significatur, in Deo esse personam distinctam à Verbo, nempe Patrem, à quo Verbum procedit (ut argumentatur Aug.) & in quo manet, tanquam terminus immanenter productus: rursus sequitur, Verbum esse unum cum Patre in natura, quia hoc ipso, quòd Verbum istud sit intra Deum, est Deus, & ideo subdit Evangelista, *Et Deus erat Verbum:* illud enim Verbum, quod jam erat, antequam mundus fieret, hoc ipso quòd erat in Deo, erat Deus; & Deus erat illud Verbum; nequit enim Verbum esse Deus, quin Deus sit Verbum, quia identitas debet esse mutua. Subdit, *Quòd omnia per Verbum facta sunt*, ex quo evidenter infertur, quòd Verbum illud non est factum, neque creatura, sed factor, & creator omnium: nihil enim potest facere, & creare seipsum; ergo si omnia per Verbum facta sunt, Verbum non factum, neque creatura est.

IV. Ex ijs evidenter probatur, Christum esse Deum; nam Evangelista per *Verbum* intelligit Christum; quod patet, quia de Verbo isto paulò pòst subdit: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Ubi per eos, qui Verbum hoc non receperunt, intelliguntur Judæi, de quibus Mahumetus ipse in Alcorano dicit, ideo à Deo derelictos, quia Jesum eis missum non receperunt. Et patet rursus, quia de Verbo hoc addit: *Et Verbum caro factum est*, id est Verbum hoc indutum est carne, seu Verbum hoc factum est homo; ibi enim nomine carnis intelligitur homo. Sicut Isai. 40. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Et Job. 12. *Spiritus universæ carnis.* Et Psal. 117. *Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi caro.* Et Psalm. 64. *Qui dat escam omni carni.* Et Luc. 3. *Ad te omnis caro venit.* Frequens est enim in Script. Sacr. Hebræorũ phrasis, qui per synecdochem nomine *carnis* totum hominem intelligunt, præsertim cùm humiliter ac modicè de illo loquuntur. Dum autem Verbum, quod est Deus, dicitur factum *homo*, non significatur, naturam Dei transiisse in naturam humanam, quasi per identitatem substantia Verbi sit humanitas; hoc enim est impossibile; sed solùm significatur, personam Verbi Divini unitam fuisse cum humanitate, ita ut Verbum, quod ab æterno habuit naturam Divinam, sibi communicatam à Patre per generationem æternam, in tempore incæperit habere naturam humanam, sibi communicatam à Matre per generationem temporalem: eatenus enim Deus factus est homo, quatenus facta est unio personalis & hypostatica inter hypostasim, seu personam Verbi, & humanitatem miraculosè formatam in utero Virginis sine semi-

ſemine, & operâ viri. Sicut enim, dum anima rationalis, quæ eſt purus ſpiritus, unitur verè & propriè, intrinſecè & intimè corpori, ex anima & corpore reſultat homo; ita dum perſona Verbi Divina, verâ & phyſica unione intimè unita eſt cum natura humana, ex perſona Verbi & humanitate intimè & phyſicè unitis, reſultat Chriſtus, qui eſt Deus & homo; quia eſt perſona habens naturam Divinam & humanam; Divinam per identitatem, humanam per unionem. Unde cùm dicimus, *Deus eſt homo*, illa propoſitio non facit hunc ſenſum, *Deus eſt natura humana*: ſed hunc: *Deus habet naturam humanam ſibi hypoſtaticè, ſeu perſonaliter unitam*, ſicut cùm dicimus, *homo eſt albus*, non ſignificamus, quòd *homo eſt albedo*, ſed quòd *homo habet in ſe intrinſecè albedinem*, quâ afficitur, & à qua denominatur, & in ratione albi conſtituitur.

V. Addit Evangeliſta, *& habitavit in nobis*, tum ut ſignificaret, ideo perſonam Verbi Divini veſtitam fuiſſe carne in utero Virginis, ut viſibiliter poſſet cum hominibus converſari, & inter illos habitare, ſicut dixit Propheta Baruch cap. 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*: tum quia volebat ſignificare, ſe vidiſſe Verbum carne indutum, & teſtem illius rei oculatum eſſe: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam, quaſi Unigeniti à Patre*; quaſi diceret, non ita Verbum factum fuiſſe carnem, ut ejus majeſtas penitus obſcuraretur, ſed potiùs multis indiciis ita ſe prodidiſſe, ut oculis ipſis videri poſſet. Ita enim in humanitate aſſumpta latebat Divinitas, ut per opera mirabilia, quæ per humanitatem faciebat, ſeipſam proderet & manifeſtaret. Unde gloriam ejus vocat ſigna Divinitatis, quæ multis in rebus in Chriſto manifeſtè apparebant. Et ſic etiam Epiſt. 1. cap. 1. ait: *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis.*

Certum ergo eſt, Chriſtum eſſe Deum: nam quæ Joan. in hoc 1. cap. dicit de Verbo Incarnato, ſeu Chriſto, verificari nō poſſent, ſi ille eſſet purus homo: nam ſi eſſet purus homo, non fuiſſet ante Mariam Matrem ſuam, ſed ex ea ſumpſiſſet exordium: ac proinde non fuiſſet in principio, nec omnia per ipſum facta fuiſſent, ſed potiùs ipſe fuiſſet poſt creationem Cœli & terræ, & incepiſſet ultra quinque mille annos poſt orbem conditum; ſiquidem juxta Chronologiam, quam ſectatur Eccleſia in Martyrologio, Chriſtus natus eſt anno ab orbe condito 5199. & ut Baronius ait, Eccleſia in hoc computu annorum ſecuta eſt ſententiam Euſebij, & Chronologiam ſeptuaginta Interpretum. Et hanc eſſe exactam, & certam, teſtatur Venerabilis Maria à Jeſu, in ſua Myſtica Civitate Dei part. 2. lib. 3. cap. XI. n. 138.

Et hanc ſententiam noviſſimè acriter tuetur inſignis Mathematicus P. Joannes Baptiſta Ricciolus noſtræ Societatis, tom. 1. Chronologiæ reformatæ, impreſſo ann. 1669. lib. 6. cap. 1. pag. 248. impugnans computum Chronologicum Petavij, Saliani, Turſelini, & aliorum.

Probatur tertiò, Ex illis verbis Chriſti: *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Nam ſi eſſet purus homo, non potuiſſet præcedere Abraham, ſicut ipſe dixit Ju-

dæis Joan. 8. v. 58. & quasi juramento affirmavit: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Audite Tertullianum probantem Divinitatem Christi ex hoc loco: *Christus cùm ex Abraham sit, ante Abraham se esse dicit: mentitur igitur, & fallit, si ante Abraham non fuit, qui ex Abraham fuit.* At non fallit, si etiam Deus est, dum ante Abraham fuit: *Quod nisi fuisset*, consequenter, cùm ex Abraham fuisset, *ante Abraham esse non posset.* Fit igitur hoc dilemma: vel Christus mentitus est, dum dixit, se esse ante Abraham, vel verum dixit. Primum dicere non possunt Mahumetani, qui fatentur, Christum fuisse Prophetam Sanctissimum, & mendacium nunquam dixisse: ergo debent dicere secundum. Atqui secundum nequit esse verum, nisi sit Deus, & simul homo: nam si esset purus homo, unicáque esset ejus nativitas, fuisset 2023. annos natus post Abrahamum; totidem siquidem anni transiêrunt ex Nativitate Abrahami ad Nativitatem Christi ex utero Mariæ; siquidem Abraham natus est anno 1978. secundùm Chronologiam communiorem post creationem mundi: ac proinde fuisset unicè post Abraham, & non fuisset ante. At cùm sit Deus & homo, simul est simpliciter ante Abraham, quia est Deus; Deus verò est ante omnia, & ab æterno: & pariter, quatenus homo, est post Abraham, quia, quatenus homo, natus est ex B. Virgine, descendente ex Abrahamo.

VI. Audite Augustinum deducentem ex hoc loco, Abrahamum fuisse creaturam, Christum verò esse Creatorem. *Appende* (inquit tract. 43. in Joann.) *& cognosce mysterium. Antequam Abraham fieret, intellige*, fieret *ad humanam facturam*, sum *verò ad Divinam pertinere substantiam. Fieret, quia creatura erat Abraham; non dixit, antequam Abraham esset, sed antequam Abraham fieret, qui nisi per me non fieret, ego sum. Nec hoc dixit, antequam Abraham fieret, ego factus sum. In principio enim Deus fecit Cœlum & terram; nam in principio erat Verbum. Sed antequam Abraham fieret, ego sum. Agnoscite Creatorem, discernite creaturam.*

VII. Probatur quartò Divinitas Christi: nam Joan. 8. v. 25. Judæi interrogaverunt Christum: *Tu quis es?* Et JESUS respondit: *Principium, qui loquor vobis.* Addítque Evangelista: *Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum.* Quasi responderet: vos me interrogatis, *Quis ego sum?* Et ego respondeo vobis, quòd ego, qui loquor vobis, *Sum Principium*, nimirum per antonomasiam, absolutè & simpliciter, & sine addito diminuente, nimirum principium omnium rerum, quia sum Verbum illud, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Ita exponunt August. Ambr. Prosper, Bernardus & Rupertus apud Maldonatum: quasi diceret, non putetis me id solùm esse, quod exteriùs apparet, nempe solùm hominem, qui loquor vobis; sum enim præterea Deus & primum principium: *Sum primus & novissimus* (Apoc. 1. 17.) primus, quatenus Deus, novissimus quatenus homo: vel quasi diceret, ut explicant August. & Beda: *Ego sum principium, qui cùm hujusmodi sim, tamen eò me*

me usque demitto, ut vobiscum loquar. Vel ut exponunt alij: *Ego loquor vobis, id est, quem loquentem auditis, sum principium, sum Deus, sum Author rerum omnium, quamvis vobiscum humano more loquar.* Ut autem Maldon. explicat, Christi responsio hunc reddit sensum: *Ego sum id, quod vobis à principio loquor, id est, quod jam inde ab initio, quod semper vobis dico, semper dixi vobis, me esse Christum, me esse Filium Dei, ab eo ad liberandos à peccatis homines missum, panem vitæ, mundi lucem, & cætera, quæ suprà sæpe dixit.*

VIII. Probatur quintò, quia si Christus homo tantùm esset, non posset verificari, quòd esset filius David, & simul Dominus David: cùm enim Christus, quatenus homo, natus sit 1082. annis, postquam David regnare cæpit, non potuit, quatenus homo, esse Dominus David, qui ultra mille annos antea floruit. Atqui ex Divinis litteris constat, Christum esse Filium David, & simul Dominum: primum constat ex Matth. 1. & 2. Reg. 12. *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Secundum constat ex illis verbis Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Hîc enim Davidem loqui de Messia, seu Christo, fatentur Rabini apud Burgens. 1. part. Scrutinij Scripturarum dist. 9. cap. 9. & tanquam quid manifestum supponebant Pharisæi, cum quibus disputavit Christus, Matth. 22. v. 41. cùm enim ipsos interrogâsset, cujus filius futurus erat Christus, promissus in Scripturis, & ipsi respondissent, Davidis: statim eos obmutescere fecit hoc argumento: *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus est?* Cui argumento respondere non potuerunt, quia falsò existimabant, futurum purum hominem: Et planè argumentum convincit, Christum esse Deum & hominem simul, ut ita verificetur, esse Dominum Davidis secundùm naturam Divinam; esse autem ejusdem filium secundùm naturam humanam. Si enim unam duntaxat haberet naturam, non posset simul esse Filius & Dominus Davidis: si esset solùm Deus, esset solùm Davidis Dominus, non verò filius: si esset solùm homo, esset Davidis filius, non autem Dominus: unde ut sit Dominus, & Filius simul, debet esse Deus, & homo simul.

IX. Prob. sextò, quia Christus Apocal. 1. v. 8. de seipso dicit: *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis*, absolutè scilicet & simpliciter primum principium, & ultimus finis, sicut α & ω, sunt prima & ultima littera Alphabeti Græci, quod de seipso falsò diceret, nisi esset Deus. Solus enim Deus est Alpha & Omega, primum principium & ultimus finis. Quòd Christus sit, qui ibi loquitur, probat Alcazar in eum locum ex Nazianzeno, Athan. Ruffino, Idacio Claro, & Sebadio, Agennensi in Gallia Episcopo. Item probat ex verbis immediatè sequentibus: *Dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est:* Verbum enim *dicit*, designat eum, qui Joanni Apocalypsin misit; hic autem fuit Christus, ut patet ex v. 1. *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus, palam facere servis suis, quæ oportet fieri citò, & significavit mittens per Angelum suum*

servo suo Joanni. Et probatur etiam ex verbis immediatè antecedentibus, v. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*

X. Prob. 7. ex his, quæ de Christi Conceptione, Nativitate, vitâ, & gestis testatur ipse Mahum. in Alcor. Illa enim satìs ostendunt, Christum non solùm esse Prophetam, sed plusquam Prophetam; non solùm esse Sanctum, sed Sanctum Sanctorum; non solùm hominem, sed etiam Deum. In primis enim Matrem habuit Virginem, quæ non operâ viri, sed Spiritûs Sancti operatione ipsum concepit, & sine detrimento suæ Virginitatis peperit, idque multò antea annuntiaverat DEUS per Prophetas, nempe per Isaiam, qui cap. 7. hoc annuntians inquit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*, id est Virgo manens concipiet, & pariet: *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Ut inquit Matth. cap. 1. vers. 23. nam rem tam stupendam, & novam operatus est Deus, ut nobiscum esset, & nobiscum conversaretur visibiliter, naturâ humanâ indutus: quare Virginitas Matris concipientis, & parientis, probat divinitatem Filii; nec enim Deus ulli unquam Prophetarum talem Matrem destinavit, quæ Virgo manens Filium conciperet, & pareret, sed hanc mirabilem nativitatem reservavit Filio suo, ut in mundum veniens carnem sumeret de Virgine Matre; nec enim decebat, ut Filius Dei nasceretur, nisi de Virgine. Unde Augustin. serm. 23. de temp. *Videte miraculum Matris Dominicæ: Virgo concepit, Virgo parturiit, Virgo post partum permansit. Dignum enim erat, ut Deo nascente meritum cresceret castitatis, nec per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta, nec per eum pudicitia corporalis læderetur, per quem donatur castitas spiritualis.* Et Ambros. in tract. de symb. Apostolor. cap. 12. *Hic ergo unicus in Deitate Filius, in Nativitate etiam carnali, per quam hominem nostrum, ut salvaret, assumpsit, unicus invenitur. Solus enim natus ex Virgine, quæ neque Conceptionem de Viro, neque corruptionem sensit ex partu.* Et S. Leo Pap. serm. 2. de Nativit. cap. 2. *Nova autem Nativitate genitus est*, conceptus à Virgine, natus ex Virgine sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria, quia futurum *Hominem Salvatorem talis partus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ Authorem, & humanæ carnis inquinamenta nesciret.* Et Bernard. serm. 4. de Assumpt. *Quæ jam poterit lingua, etiam si Angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem, Matrem autem non cujuscumque, sed Dei? Duplex novitas; duplex prærogativa; duplex miraculum: sed dignè prorsus amplissiméque conveniens, nec enim Filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter.*

Certè tam ingens miraculum, & nunquam in mundo visum, nisi in Conceptione, & Nativitate Christi, ut fatetur ipse Mahumetus, Deus non faceret, nisi quia Christus non est solùm homo, sicut cæteri Prophetæ, & cæteri

teri Sancti, sed est simul Deus. Unde tam stupendum miraculum admiratus, Hierem. cap. 31. v. 22. inquit: *Creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit Virum.* Id est intra uterum gestabit fœtum, qui licèt sit ætate, & corpore infans, erit tamen sapientiâ, & intellectu vir, nimirum quia in Christo à primo suæ Conceptionis instanti fuerunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Hæc autem novitas unicè facta est in Nativitate Christi, & non in Nativitate cujuscunque alterius Prophetæ, & Sancti; quia solus Christus est Deus, & homo.

XI. Deinde ex confessione ipsius Mahumeti ad annunciandam Christi Conceptionem mittitur Angelus Gabriel ad Beatam Virginem. Eligitur in ejus Matrem Virgo sine labe culpæ originalis concepta, ut fatetur ipse Mahumetus, qui dixit: *Solam inter filios Adam Mariam non tetigit Satan*, ut *vidimus suprà.* Impletur gratiâ femina, quæ futura erat ejus Mater, & propterea ab Angelo salutatur: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus: ecce concipies, & & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris sui, & regnabit in Domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.* Luc. 1. v. 28. & 31. Apparet Pastoribus Angelus, & Christi Nativitatem eis annuntiat: *Nolite timere, ecce Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est hodie vobis Salvator, qui est Christus Dominus in Civitate David.* In ejus Nativitate multitudo Cœlestis canit Deo gloriam dicens: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.* Luc. 2. v. 10. & 13. Apparet in oriente stella Regibus, illósque mirabiliter ducit, ut Christum natum adorent: *Et ecce Magi ab oriente venerunt Hierosolymam, dicentes, ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim Stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2. v. 2. Assignatur Joannes Baptista, quem Mahumetani, ut Virum Sanctissimum colunt, & in cujus nativitate singulis annis festum celebrant, ut Christi præcursor: *Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem; vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Matth. 3. v. 3. Luc. 3. v. 4. & cùm Joannes tantus esset, tamen de Christo testimonium perhibens, inquit: *Ego quidem aquâ baptizo vos, veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus; ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Luc. 3. v. 16. & cùm præ humilitate non auderet Christum baptizare, tamen Christi verbis obtemperans, ipsum baptizavit in Jordane. Matth. 3. Et postquam Christus ascendit de aqua, vidit Spiritum Sanctum sub specie columbæ super eum descendentem: *Et testimonium perhibuit Joannes dicens: Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de Cœlo, & mansit super eum: & ego nesciebam eum.* Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: *Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego*

vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. Ecce ô Mahumetani, magnus ille Baptista, quem vos tantopere colitis, de Christo testatur, esse Filium Dei, & illum digito demonstrans, dixit, esse Agnum Dei, qui tollit peccata mundi; tollere autem peccata soli Deo competit: *Vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ubi notandum est cum Chrysostomo, non dixisse, *Ecce qui tollet*, sed de præsenti, *qui tollit*: ut significaret, Jesum naturâ suâ habere vim tollendi, & penitus auferendi peccata, ac proinde esse Deum, quia qui naturâ suâ vim habet tollendi peccata, Deum esse necesse est. Sic non dicimus, ignis calefaciet, sed ignis calefacit, ut significemus, naturâ quidem suâ, omni tempore, omni loco, omnem materiam, nisi quid obstet, calefacere.

XII. Ultimò omnia quæ de Christo narrant Evangelistæ, circa ejus Conceptionem, Nativitatem, Magorum adorationem, fugam in Ægyptum, Baptismum, prædicationem, Apostolorum electionem, miraculorum operationem, Passionem, mortem, & Resurrectionem, prænuntiata erant omnia singillatim à Prophetis multis retro sæculis, ut constat ex dictis disput. præcedenti sect. 7. ergo cùm Mahumetus in Alcorano fateatur miraculosam Christi Conceptionem, & Nativitatem, Pastorum & Magorum adorationem, testimonium Joannis Baptistæ de ipso, miracula ab ipso facta, & alia hujusmodi; & manifestè constet, hæc omnia fuisse multò antea prænuntiata à prophetis, cogitur concedere, hunc Prophetam aliquid specialissimum habere, quod in nullo alio reperitur, neque in Moyse, nec in Elia, nec in ullo alio Propheta: quorsum autem tantus miraculorum apparatus erga hunc Prophetam, si esset tantùm, sicut unus ex reliquis, id est purus homo?

XIII. Probatur octavò, quia Mahumetus in Alcorano docet, Christum esse Messiam Judæis promissum. Atqui Messias promissus Judæis in veteri testamento futurus erat Deus; ergo Christus est Deus. Major constat ex Alcorano Zorâ 2. quæ est Zora *Humbram*, & Zorâ 3. Idque probat Petrus de Cavalleria linguæ Arabicæ peritus in *Zelo Christi*, fol. 4. num. 19. & 20. ubi notat, in Alcorano Jesum appellari *Ice*, & Messiam appellari Arabicè *Maceh*. Constátque manifestè, esse inter Arabes articulum fidei, quòd Christus est Messias promissus in lege Judæis. Minor, in qua sola est difficultas, probatur 1. ex illo Isai. 35. *Deus ipse veniet, & salvabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, & soluta erit lingua mutorum.* Quæ verba de Christo, & de nullo alio intelligi debent. Perinde enim fuit dicere, Deus ipse veniet, & salvabit nos, ac dicere: ipse per se, & non per legatos veniet. Deus autem per se immediatè non venit ad salvandos homines, nisi quatenus factus est homo, & homo factus salvavit homines. Et negato Mysterio Incarnationis Filii Dei, nequit verificari, Deum ipsum per se

venturum, & salvaturum hominem. Ergo Christus est Deus. Et confirmatur, quia si Christus esset purus homo, & purus Dei minister in salute hominum procuranda, & non esset salvator, sed Dei salvatoris merum instrumentum, merúsque minister: inde Apostoli à Christo missi in universum mundum ad procurandam hominum salutem, essent comministri Christi, non autem ministri Christi. At constat, Apostolos se Christi ministros, non comministros appellâsse, siquidem Paulus 1. Corinth. 4. ait: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, planè significans, Christum esse verum hominum salvatorem, & non purum ministrum Dei, sed verum Deum, & mysteria ejus esse mysteria Dei.

XIV. Constátque apertè, Isaiam in illis verbis loqui de Christo: tum quia ipse Christus, cùm Joannes Baptista misit Discipulos suos ad ipsum, ut eum interrogarent, an ipse esset Messias in lege promissus, illa verba Isaiæ de seipso exposuit Matth. 11. v. 3. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus? & respondens Jesus*, ait illis: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis, & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*, &c. Quæ erant signa, quæ Isaias assignaverat ad dignoscendum Messiam. Tum quia nunquam Deus per ullum Prophetam hæc signa fecit, de quibus loquitur Isaias, nisi per Christum. Nam qui tempore veteris testamenti miracula fecerunt, sunt Moyses, Josue, Elias, Elisæus, & ipse Isaias: nullus autem eorum fecit ejusmodi signa, quia nullus eorum illuminavit cæcos, surdos, mutos, claudósque sanavit. Tum quia Isaias loquitur de futuro, *Deus*, inquit, *ipse veniet*: omnes autem Prophetæ, qui signa aliqua fecerunt, ante Isaiam floruerunt. Ergo de nullo alio Propheta, nisi de Christo, illa verba intelligi possunt. Et propterea ipse Christus Joan. 15. v. 24. dixit: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum.* Quibus verbis significavit, Judæos esse inexcusabiles, quia videntes in ipso concurrere omnia signa, quæ de Messia futuro prædixerant Prophetæ, nihilominus eum recipere noluerunt, sed persecuti sunt usque ad necem Crucis.

XV. Probatur secundò, Messiam promissum Judæis esse Deum, ex Baruch 3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum, hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Jacob dilecto suo, post hac in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Hîc de Deo Israël clarissimè agitur; ut probant Cyprianus lib. 2. contra Judæos cap. 5. Ambros. lib. 1. de Fide cap. 2. Augustinus lib. 18. de Civit. cap. 33. Nazianzenus orat. 4. de Theologia, Basilius lib. 4. contra Eunomium, Chrysostomus in oratione, quòd Christus sit Deus, Hilarius lib. 5. de Trinit. & alii. Unde Athanasius lib. de Incarnatione ait, ideo Filium Dei factum esse hominem: *Ut homines ipsum intuentes, ex mirabilibus ejus operibus persuaderent sibi, non duntaxat homi-*

hominem, sed etiam Deum, & veri Dei Verbum ac sapientiam: quemadmodum enim, quà minimè spectabilis est, ex creationis operibus cognoscitur: sic homo factus, & in corpus receptus ex operibus dignosci potest, Dei esse virtus, & Verbum; non homo (simplex) qui hæc operatur. Et in Epistola ad Antiochenses, quam Alexandrina Synodus scripsit: Cùm reverà Dei esset Filius (inquit) factus est etiam hominis Filius, idem & primogenitus factus est in fratribus. Ideo non alter quidem erat, qui ante Abraham fuit Dei Filius, alter verò, qui post Abraham extitit: alter ille, qui Lazarum excitavit; alter qui de illo sciscitatus est: sed idem planè erat, humano quidem more dicens: ubi Lazarus jacet? Divino autem, hunc à mortuis suscitans.

Quare Propheta loquitur de DEO Israël, qui solus similem non habet, & qui, postquam tradidit disciplinam Israëli, idest legem in monte Sina, tandem homo factus in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.

XVI. Tertiò, quia Messias promissus erat ad salvandos homines à servitute peccati; ut constat ex dictis disputatione præcedenti, sect. ultima, & redemptio, quam allaturus erat Messias, erat redemptio spiritualis, eripiens homines à potestate diaboli, non corporalis, liberans eos à tyrannide alicujus Principis temporalis. Unde Deus loquens apud Isaiam cap. 49. cum Messia, inquit: *Parùm est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Quod perinde est, ac si Deus Pater diceret Filio suo incarnato, seu Messiæ: Non mitto te ad salvandum duntaxat Judæorum nationem, sed totius generis humani redemptorem te constituo, & salvatorem: munus autem salvatoris spiritualis, solius Dei proprium est; salvatio opus est proprium Dei; ut ipse Deus testatur Isai. 43. *Ego sum Dominus, & non est absque me salvator. Et cap. 25. Deus justus, & salvator non est præter me. Et Oseæ 13. Ego sum Dominus Deus, & salvator non est præter me.* Tum sic: sed Christus est verè, & propriè salvator: ergo Christus est verè, & propriè Deus. Minor constat ex Matth. 1. *Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Et Luc. 2. 11. Angelus dixit pastoribus: Natus est hodie vobis salvator, qui est Christus Dominus. Et Joann. 4. vers. 42.* Samaritani post Samaritanæ conversionem factam à Christo, cognoverunt, ipsum esse verum mundi Salvatorem: *Scimus, quia hic est verè Salvator mundi. Et Apostolus ad Titum cap. 2. vers. 11. Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, piè, & juste vivamus in hoc sæculo. Et Petrus Epist. 2. cap. 1. v. 1. Simon Petrus servus, & Apostolus Jesu Christi iis, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt Fidem, in justitia Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi. Et Joan. Epist. 1. cap. 4. v. 14. Et nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi. Hinc Augustinus, serm. 81.*

de

de tempore: unigenitus Dei (inquit) factus est hominis Filius, ut qui Creator mundi erat, fieret & Redemptor. Et Ambros. *lib. 3. de Fide cap. 2. Decuit enim, ut ille nos redimeret, qui creavit.*

XVII. Quartò, quia Isaias de futuro Messia loquens cap. 45. inquit: *Hæc dicit Dominus, labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim, viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt; post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, téque deprecabuntur; tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus: verè tu es Deus absconditus, Deus Israël salvator.* Hæc tam manifestè dicuntur à Domino Deo de Filio suo incarnando, ut Hieronymus in hunc locum scribat, nullum esse effugium à laqueis hujus testimonii.

XVIII. Quintò, idem luculenter docet Isaias cap. 9. nam de Christo loquens inquit: *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum ejus; & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, &c.*

Mitto alia plura testimonia, quia hæc sufficiunt; & ex omnibus concluditur ad hominem contra Mahumetum, Christum esse verum Deum; quia Mahumetus docet, vera esse, quæ Prophetæ scripserunt: at Prophetæ scribentes de Messia dixerunt, illum futurum esse Deum. Ergo Messias est verus Deus. Sed Mahumetus fatetur, Christum esse Messiam promissum in lege antiqua, & à Prophetis: ergo cogitur fateri, Christum esse Deum.

XIX. Probatur præterea, Christum esse Deum omnibus argumentis, quibus disputatione præcedenti ostendimus hanc veritatem. Primò, quia Christus palam dixit, se esse Deum, & in confirmationem hujus doctrinæ mortuos suscitavit, cæcos illuminavit, & alia miracula operatus est. Ergo hæc est veritas certissima. Secundò, quia Judæi eo titulo præcipuè Christum crucifixerunt, quia dixit, se esse Filium Dei naturalem, verúmque Deum: & tamen Deus illos propter necem Christo illatam severissimè punivit, & usque modò punit: quod argumentum manifestum est, Christum, dum seipsum appellavit Deum, non blasphemiam dixisse, sed veritatem certissimam. Tertiò, quia Deus Christum eo nomine crucifixum, quia Filium Dei se fecit, tertia die suscitavit à mortuis, hoc opere evidenter manifestans, illum vera dixisse. Quartò, quia Apostoli innumerabilibus miraculis mundo persuaserunt rem humanæ sapientiæ penitùs incredibilem, nempe hominem crucifixum esse verum Deum. Quintò, quia nisi Christus esset verus Deus, opere complere non potuisset, quod promiserat, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Sextò, quia Christus majora operatus est, postquam à Judæis crucifixus est, quàm dum viveret; quod argumentum manifestum est, eum non esse nudum hominem, sed hominem Deum. Septimò, quia Apostoli, innumerabiles Marty-

Martyres, utriusque sexus, & in omni ætate, constanter, & alacriter in testimonium hujus veritatis atrocissima tormenta passi sunt, & necem acerbissimam; Deúsque illos manifestis illustravit miraculis. Octavò, quia Fides falsa veram nequit generare sanctitatem; Fides autem hæc de Divinitate *Crucifixi* innumerabiles genuit sanctos. Christi prædicator Mahumetanorum conversioni intentus, enumeret Illustriores sanctos, qui in singulis Ecclesiæ sæculis floruerunt, illos præsertim, qui gloriâ miraculorum eminuerunt.

CAPUT SECUNDUM.

Probatur Divinitas Christi, & veritas Religionis Christianæ ex notis, & insignibus, quibus dignoscitur, illam esse à Deo.

XX. SAnè in Religione Christiana, tanquam primam basin statuente, Christum esse Deum & Hominem, mortuum & crucifixum pro salute humani generis, & tertia die resurrexisse à mortuis, atque in Deo dari Trinitatem personarum, tot concurrunt notæ & signa, ut credamus, illam esse à Deo, ut evidenter convincant, illam habere Deum Authorem, & posse ac debere hominem mysteriis ab illa propositis infallibili, & firmissimo assensu credere: notas autem, & signa ex dictis in hac, & antecedenti disputatione breviter hîc appendam.

1. Quòd mysteria nostræ Fidei in Scripturis Sacris spiritu prophetico tot sæculis antè fuerunt, & prænuntiata, & præfigurata.

2. Quòd à paucis hominibus plebeis, nulla doctrina sæculari instructis, solo Spiritu Divino afflatis, doctrina Fidei mundo sit persuasa, totâ sæculi potentiâ, & sapientia repugnante.

3. Quòd infinitis miraculis confirmata.

4. Quòd pro ea doctrina tot Martyrum myriades libentissimè, & fortissimè omne tormentorum genus subiêrint, & sanguinem profuderint.

5. Quòd eadem doctrina à sexdecem nunc sæculis jugiter toto penè orbe viguerit.

6. Quòd à sapientissimis viris, qui diversis temporibus, vel distinctis locis vixêre, summo consensu tradita.

7. Quòd omnes, qui vel sanctitate vitæ, vel gloriâ miraculorum clari fuerunt, eam sectati sint.

8. Quòd homines ad pietatem, justitiam, benignitatem, animi fortitudinem, vitæ puritatem, contemptum rerum terrenarum, innocentiam, atque

que adeo ad omnem virtutem informet & instruat.

9. Quòd nihil à recta ratione alienum contineat.

10. Quòd efficacissima præsidia, & incentiva ad rectè & innocenter vivendum, & ad peccatum vitandum suppeditet.

XXI. Hæc & alia signa & notæ clarè demonstrant, Religionem Christianam esse à Deo datam hominibus, ut in illa suam salutem operentur, & hoc velle de se credi, quod Christi Ecclesia Catholica Romana credendum proponit; & eo modo velle ab hominibus coli, quo illa tradit esse colendum. Cùm enim evidens sit, unum duntaxat esse Deum, evidens quoque est, unam duntaxat esse veram Fidem & Religionem in mundo: reliquas verò ipsi oppositas, quoad id quod de Deo, & divinis jubent credi, esse falsas. Quod lumine naturæ ductus agnovit Cicero, qui cùm in libris de natura Deorum proposuisset varias Philosophorum opiniones de natura Deorum, & de Fine, ad quem homo conditus est, sic concludit: *Quorum opiniones cùm tam variæ sint, támque inter se dissidentes, alterum fieri profectò potest, ut earum nulla, alterum certè non potest, ut plus unâ vera sit.*

CAPUT TERTIUM.

Iterum ostenditur Divinitas Christi, & pluralitas Personarum in Deo ex ipso Alcorano, & ex Scripturis, quas Mahumetus admittit.

XXII. MAhumetus in suo Alcorano hæreses renovavit, quas Ecclesia Catholica in pluribus Conciliis Generalibus damnaverat, nempe hæresim Arrianam, quæ negans intra Deum pluralitatem personarum, negabat consequenter, JESUM Christum Dominum nostrum esse naturalem Dei Filium consubstantialem Patri, consequenter negabat, esse verè & propriè Deum, & in hoc sequebantur Arriani Ebionem, & Cherintum Hæreticos, qui Divinitatem Christi primi negârunt tempore Apostolorum: renovavit quoque hæresim Nestorij, affirmantis, Christum fuisse, & esse hominem Deiferum, id est, in quo Deus moraliter habitavit, non tamen verum Deum, ac proinde Beatam Virginem non esse appellandam Matrem Dei, sed Matrem Christi, non Theotocon, sed Christotocon, Christum dividens in duos Filios, alterum Dei, alterum Virginis. Hos errores damnaverat Ecclesia in quinque Conciliis Generalibus. 1. Nicæno. 2. Constantinopolitano primo. 3. Ephesino. 4. Calcedonensi. 5. Constantinopolitano secundo. Et post hæc omnia Mahumetus hanc hæresim renovavit.

Siquidem in Alcorano Zorâ 4. in principio hæc habet: *Hæretici sunt illi, qui dixerunt, quòd Deus est Messias Filius Mariæ.* Et Zorâ 1. *Habuit Deus Filium? Absit ab ipso, laudetur ipse, sed omnia sunt*

sunt sua, quæ sunt in Cœlo & in terra, omnia sibi subjecta. Et Zorâ 4. negat Trinitatem his verbis: *Hæretici sunt illi, qui dicunt, quòd Deus est tertius de tribus*; intendens per hoc damnare Christianos, qui dicunt, Deum esse Unum & Trinum. Ita refert ex Alcorano D. Petrus de Cavalleria, linguæ Caldaicæ, Arabicæ & Hebraicæ apprimè peritus in suo *Zelo Christi*, fol. 129. quem librum eruditissimis notis illustravit Doctor D. Martinus Alphonsus de Vivaldo, anno Christi 1592. qui in Prologo testatur, se in illo libro glossando tres annos consumpsisse. Et ut testatur Carthusianus lib. 1. art. 2. Mahumetus in Alcorano cap. 19. sic ait: *Nihil præter opiniones sequuntur, dicentes Deum sumpsisse Filium, quo nequaquam indiguit. An habent rationes hoc demonstraturas? An hoc nescitum Deo imponunt?* Et in cap. 12. *Sciendum, eos incredulos esse, qui JESVM Filium Mariæ Deum esse dicunt.* Et iterum: *Omnes dicentes Christum, Mariæ Filium, Deum existere, mendaces inventi sunt, atque increduli, cùm Christus ipse dixerit: Filij Israël in Deum vestrum ac meum credite. Cui quicumque socium ac participem posuerit, ignem intrabit perpetuum. Et frequenter asserit, quòd Deus non habet Filium sibi æqualem, quia Deus non habuit uxorem: atque, omnes, qui Deum Trinum asserunt in personis, tres Deos affirmare.*

XXIII. Hoc supposito probo, Alcoranum librum esse mendacem, & diaboli suggestione compositum. Primò, quia cùm ex ipso constet, Christum esse Verbum Dei, missum à Deo in hunc mundum, sequitur dari in Deo plures personas, nempe personam missam, & personam mittentem. Nam Verbum Dei Persona Divina est, ut manet probatum suprà; quia Verbum Dei est conceptus intellectûs paterni, & imago Patris intra Deum existens; quia conceptus mentis intra intelligentem est, & verbum seu sermo internus in loquente est. Persona autem Divina nequit seipsam mittere. Unde Augustinus lib. 2. de de Trinitat. cap. 5. dicit: *Quòd solus Pater nunquam legitur missus.* Quia neque potest dici missus à seipso, nec à Filio; quia in Divinis Persona, quæ mittitur, debet procedere à mittente. Et ideo Christus Dominus Joan. 8. dicebat: *Non sum ego solus, sed ego, & qui misit me Pater.* Quare ut rectè explicat magnus Christianorum Doctor S. Thomas 1. part. q. 43. art. 1. *Missio Divinæ Personæ convenire potest, secundùm quod importat ex una parte processionem originis à mittente, & secundùm quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio. Sicut Filius dicitur missus à Patre in mundum, secundùm quod incæpit in mundo esse per carnem assumptam; & tamen antè in mundo erat, ut dicitur Joan. 1.*

XXIV. S. Vincentius Ferrerius Domin. 3. post Pascha serm. 4. narrat, quòd cùm ipse prædicaret in quadam Synagoga Judæorum, accessit ad eum quidam Mahumetanus, Sarracenorum Alfaquinus, seu Sacerdos, illúmque interrogavit, quomodo Deus posset habere Filium? Cui sanctus respondit quadam interrogatione: *Tu credis, Deum esse æternum?* Et cùm ille annuisset, subjunxit S. Vincentius: credísne Deum esse mutum, aut credis eum loqui? fixũ

habeo, inquit, Deum non esse mutum, sed loqui. *Ecce igitur* (reposuit S. Vincentius) Verbum hoc æternum, quod Deus loquitur, & intellectu suo profert, hoc est Verbum, de quo loquitur S. Joannes, quando dicit: *Verbum caro factum est*; & istud Verbum est Filius Dei.

XXV. Sanè cùm Mahumetani credant, Deum ab æterno nihil creatum produxisse, quia in principio temporis initium habuit rerum creatio; si concedant, Deum ab æterno loqui, necessariò fateri debent, Deum ab æterno loqui intra se; nam locutio externa importat aliquid creatũ, quia repugnat Deũ ad extra loqui, quin ad extra aliquid producat. Deus ergo ab æterno ore suo, id est, intellectu suo loquitur: (cùm enim Deus non sit substantia corporea, non potest habere os materiale, sed tantùm spirituale, nempe intellectum) ergo Deus medio intellectu suo profert Verbum: hoc autem Verbum ab æterno intra Deum existens, Deus est, non minùs quàm Deus sit Persona Divina, hoc Verbum producens. Hoc ergo Verbum æternum est Filius Dei, quia est substantia vivens, quæ Patrem perfectissimè repræsentat.

XXVI. Nunc veniamus ad argumenta petita ex Scriptura. Nam Mahumetus ait, credenda esse, quæ scripsit Moyses, & scripserunt Prophetæ, & credendum esse Evangelio JESU Christi. Argumentor ergo 1. ex Psalm. 2. v. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Certum est, Prophetam loqui non de seipso, sed in persona Christi: nam ut probat Bellarminus, totus hic Psalmus est manifestissima prophetia de Christo; David enim in spiritu prænoscens Messiam venturum, & persecutiones multas adversùs eum exorituras, & eum tamen felicissimè regnaturum, incipit ab increpatione persecutorum illis verbis: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus*: & sensus est, frustra Gentiles & Hebræos, tum Principes, tum populos infremuisse indignatione contra Messiam, & cogitavisse rationem impediendi Regni ejus. Constátque manifestè, Davidem non loqui de seipso, sed de Christo, nam statim post illa verba: *Ego hodie genui te,* addit: *postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: quæ de Davide verificari non possunt: verificantur autem ad litteram de Christo, & eorum sententia est apertissima, ac si Deus Pater dicat: quia tu Christe Filius meus es naturalis, & virtute mea incarnatus, & à mortuis suscitatus, jure potes à me petere imperium in omnes gentes, tanquam hæreditatem tuam, & omnem terram usque ad ultimos fines ejus, tanquam possessionem tibi debitam. Ipsique Rabbini & Magistri Judæorum, qui floruerunt multis annis ante adventum Christi, fatentur, Davidem non loqui de seipso, sed loqui in persona Christi, ut testatur Paulus de S. Maria, qui priùs fuit Rabbinus Hebræorum, & postea ad Fidem Christi conversus, fuit Episcopus Burgensis, & floruit ad ann. 1430. & scripsit doctissimum librum adversùs Judæos, in quo probat, Jesum Nazarenum,

renum, quem Judæi crucifixerunt, esse Messiam, & Christum promissum per Prophetas, & inter alia argumenta id probat ex ijs verbis Psalmi, 1. part. Scrutinij Scriptur. dist. 9. cap. 9. affirmans, Rabbinos ipsos Hebræorum ea exposuisse de Messia venturo.

XXVII. Et Apostoli Christi, quos Mahumetus fatetur fuisse viros sanctos, & vera esse, quæ scripserunt, hunc locum exponunt de Christo, Actor. cap. 4. vers. 25. cùm enim Petrus in nomine Jesu Nazareni miraculosè curâsset hominem claudum, qui sedebat ad portam Templi Salomonis, quæ dicitur speciosa, ut peteret eleëmosynam ab introeuntibus in Templum, dicens: *Argentum aut aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine JESV surge & ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus & plantæ*, Actor. 3. 7. cùm hunc hominem, qui annorum erat ampliùs quadraginta, curâsset D. Petrus, magna persecutio contra ipsum suborta est, & contra D. Joannem, qui illum comitabatur, quia prædicabant populo JESUM Nazarenum resurrexisse: ipsi verò constanter dixerunt Scribis & Pharisæis: *Principes populi & seniores audite. Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël, quia in nomine Domini nostri JESV Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste stat coram vobis sanus.* Et allegabant varia Scripturæ testimonia, ad probandum, JESUM Nazarenum esse Christum in lege promissum: *Et non est* (inquiunt) *in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*: & ad probandum, JESUM Nazarenum esse Christum, adduxerunt verba Psalmi, quæ modò citavimus, & cum Deo loquentes dicebant: *Domine, tu es, qui fecisti Cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt: qui Spiritu Sancto per os Patris nostri David pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus; convenerunt enim verè in Civitate ista adversùs sanctum puerum tuum JESVM, quem unxisti, Herodes & Pilatus, cum Gentibus, & populis Israël, facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.* Ergo Apostoli Spiritu Sancto pleni, quamvis essent ex se rudes piscatores, acceperunt à Deo lucem ad interpretandas Scripturas, & testati sunt, Davidem in illo Psalmo loqui de JESU Nazareno, qui est verus Messias, & verus Christus in lege promissus. Ergo certum est, verba illa: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, intelligenda esse de Christo: ergo Christus est Filius naturalis Dei, ab æterno à Patre genitus ex sua substantia. Perinde enim fuit dicere: *Ego hodie genui te*, ac: *ego in die æternitatis genui te, Deus Deum*, ut inquit Bellarm. Unde Origenes tom. 1. in Ioannem circa medium, hunc locū exponens inquit: *Manifestè Filij nobilitas declaratur, cùm, Filius meus es tu, ego hodie genui te, dicitur ad illum à Deo, cui semper est hodie*

die. Neque enim est vespera Dei, neque mane; sed ipsi dies est hodie, in qua genitus est Filius. Et Augustinus exponens hæc verba, *ego hodie genui te*, sic habet: *Hodie, quia præsentiam significat, atque in æternitate neque præteritum quidquam est, quasi esse desierit, neque futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantùm, quia, quidquid æternum est, semper est, diviniùs accipitur secundùm id dictum, ego hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis & sapientiæ Dei, qui est unigenitus Filius, Fides sincerissima & Catholica prædicat.* Et lib. 11. Confes. cap. 13. in fine: *Hodiernus tuus, æternitas, ideo coæternum genuisti, cui dixisti: Ego hodi genui te.* Et in Enchir. cap. 49. *Ego hodie genui te, non unum illum temporis diem, quo baptizatus est, sed immutabilis æternitatis ostendit, ut illum hominem ad unigeniti personam pertinere monstraret. Vbi enim dies nec hesterni fine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est.*

XXVIII. Nec potest locus ille intelligi de filiatione per adoptionem, secundùm quam omnes justi sunt Filij Dei, quia, ut observat Paulus Burgensis 1. part. scrutinij dist. 9. cap. 9. *Filium suum in singulari*, quem ipse genuerit, nullibi Deus appellat, nisi Christum; quia nimirum solus Christus est Filius Dei naturalis. Quare illud, *Filius meus es tu*, intelligendum esse de filiatione naturali, efficaciter confirmat D. Tho. 4. contra gent. cap. 7. initio, ex Paulo ad Hebræos 1. *ubi volens probare, quòd Christus est verus Deus, per quem fecit & sæcula, qui est splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, portánsque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens*; quæ sunt certissima consubstantialis, ac veræ Deitatis indicia: ita argumentatur ex hoc loco: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ergo Christus est alia ratione Filius Dei, quàm sit quilibet Angelus, etiam sanctissimus: ergo non est Filius adoptivus, sed naturalis & consubstantialis Patri; nam si propter filiationem adoptivam dixisset Pater de Christo, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; etiam posset dicere Michaëli, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ergo id dixit propter filiationé naturalem.

XXIX. Argumentor secundò, ex illis verbis Psalmi 109. vers. 4. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum; ex utero ante Luciferum genui te.* In quibus certum est, sermonem esse de Christo; quia de illo loquitur in hoc versu, de quo versu 1. dixerat: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Ut autem inquit Bellarminus in eum Psalmum: *certum* est, non alium hoc loco Dominum vocari, nisi Messiam, qui fuit Filius David secundùm carnem, & Dominus David secundùm Divinitatem: totus enim Psalmus id clamat, cùm neque Abraham, neque Ezechias (de quibus ridiculè Rabbini cæcorum Iudæorum id exponunt) sederint *ad dexteram Dei*, neque geniti sint ante Luciferum, nec Sacerdotes fuerint secundùm ordinem Melchisedech. Quare Iudæi interrogati à Christo Matth. 22. v. 42. quomodo David in spiritu vocet Messiam Dominum suum? non sunt ausi negare, Psalmum intelligendum esse de Messia.

Ex his verbis probant efficacissimè Patres Christi Divinitatem: quæ verba sic ad litteram explicat Bellarminus: dixerat: *Dominare in medio inimicorum tuorum*, quod intelligitur in hoc tempore, dum regnum Christi ab omnibus, oppugnatur: declarat nunc, quid erit in novissimo die, quando omnes inimici subjecti erunt, ut scabellum pedum ejus: *Tecum*, inquit, *principium in die virtutis tuæ*, id est, tecum erit principatus manifestus, tunc apparebit omnibus, tuum esse regnum, & apud te solum esse verum principatum. *In die virtutis tuæ*, in die videlicet novissimo, quando potentia tua Cœlum movebit, Cœlum obscurabit, terram concutiet, mortuos excitabit, & omnes ad Tribunal tuum adducet. *In splendoribus sanctorum*, id est, quando circumdatus eris sanctis tuis, qui omnes fulgebunt sicut Sol: *Ex utero ante Luciferum genuite*, id est, ideo tecum erit tantus principatus, quia ego Deus Pater omnipotens genui te, non ex nihilo, ut res creatas, sed *ex utero* meo, ut Filium verum, connaturalem, & substantialem, *ante Luciferum*, id est, antequam Stellas crearem, ante omnem creaturam, ante omnia sæcula. Hæc est communis expositio Patrum, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, Theodoreti, Euthimii.

Quodsi placet (inquit Bellarm.) non accipere principium pro principatu, sed simpliciter, pro principio, exponere poterimus: *Tecum principium*, idest tecum est principium omnium rerum, quia tu es in Patre, & Pater in te. Sed prior expositio videtur præferenda, utpote magis conformis textui Hebraico. *Ex utero.* Ex hoc verbo efficacissimè probant Patres Christi Divinitatem: nam si Christus creatura esset, non posset dici genitus ex utero: nemo enim dicit, se genuisse ex utero domum, vel scamnum, vel aliud quidpiam ex arte factum. Nec Deus dixit unquam, se genuisse ex utero cœlum, aut terram. Porrò per uterum intelligitur essentia Dei secreta, & intima; & quamvis uterus propriè ad matrem, non ad patrem pertineat: rectè tamen Deus Pater dicitur ex utero genuisse, tum ut clariùs ostendatur Filius consubstantialis genitori (clariùs enim Filius est ex substantia Matris, quàm ex substantia Patris) tum quia Deus opus non habuit uxore ad Filium gignendum, & pariendum. Unde dicit Isaiæ ultimo: *Nunquid ego, qui alios parere facio, non pariam? Ante Luciferum.* Hinc significatur æternitas Filii, qui penitus fuit ante Luciferi creationem, ac per hoc ante omnes creaturas. Sed posuit nomen Luciferi, quoniam ipse etiam Filius est quidam Lucifer increatus; est enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem, & omnem Angelum.

XXX. Argumentor tertiò, ex illis verbis Ecclesiast. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Quæ Ambrosius, Cyprianus, Augustinus, & alii Patres communiter exponunt de generatione Verbi, quod est sapientia Divina genita; textus enim expressè loquitur de sapientia increata; ut autem expendit Lyranus: *Non loquitur de sapientia*

Divi-

Divina essentialiter dicta, quia hæc non est generans, nec genita. Nec etiam de substantia quacumque creata, per hoc quòd dicitur, ante omnem creaturam. Nam sapientia illa quæ genita est ante omnem creaturam, creatura esse nequit: rursus sapientia illa est per se subsistens, seu sapientia sapiens, id est persona, id enim denotat illud, *Ego.* Ergo in Deo datur persona generans, & persona genita, sapientia generans, & sapientia genita. Ergo cùm nulla persona possit generare seipsam, concluditur dari in Deo plures personas. *Ex ore altissimi.* Per os Dei intelligitur intellectus fœcundus Patris, ex quo procedit Verbum. Cùm enim certum sit, Deum non habere os corporale, quo vocaliter loquatur, concluditur, ibi sermonem esse de ore spirituali, quo substantia spiritualis loquitur, nempe de intellectu, quo loquitur, dum Verbum mentale producit. Ergo in Deo datur Verbum substantiale æternum, & increatum, distinctum realiter à Patre.

XXXI. Simile argumentum sumitur à Patribus contra Arrianos ex illis verbis Prov. 8. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram; ante colles ego parturiebar, quando præparabat cœlos, aderam, &c. cum eo eram cuncta componens*, quæ de sapientia Divina æterna, & genita intelliguntur à Patribus, nempe de Verbo.

XXXII. Argumentor quartò, ex illis verbis Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël. Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Manifestum est enim, loqui de Christo; & ideo ipsi Judæi Principes Sacerdotum, & Scribæ populi interrogàti ab Herode Matth. 2. ubi Christus nasceretur, responderunt, nasciturum in Bethleem. Ex hoc autem textu evincitur, duplicem esse Christi Nativitatem, alteram temporalem, & humanam in Bethleem, alteram sempiternam, & Divinam. Ergo Christus, qui nasciturus dicitur in Bethleem, quatenus homo; est simul Filius naturalis Dei, procedens ab æterno à Patre per spiritualem, & intellectualem generationem.

XXXIII. Omissis aliis pluribus, veniamus ad novum Testamentum, quod Mahumetus admittit, & jubet credi: ex quo manifestè constat, Christum esse verum Deum, ut liquet ex testimoniis allegatis disp. præc. Et nunc probatur 1. ex illo Pauli ad Philipp. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Ubi clarissimè explicatur, Christum esse verum Deum, cùm habeat formam, id est naturam *Dei*, & secundùm illam non sit rapinâ, sed naturâ æqualis Patri. Secundò ex illo Rom. 9. *Ex quibus Christus est secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus.* Cùm enim super omnia nihil sit, nisi verus Deus, si Christus est super omnia Deus, sequitur esse verum Deum. Tertiò, ex illo 1. Joan. 5. *Ut simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus, & vita æterna.* Audi Aug. lib. 1. de Trinit. c. 6. *Et Filius non tantùm Deus, sed & verus Deus, quod Joannes apertissimè in sua Epistola dicit: Scimus*

mus, quia Filius Dei venit, & dedit nobis intellectum; hic est verus Deus, &c. 1. Joan. 5. v. 20. *Audi & Cyrillum l. 12. Thesauri cap. 23. Quid* (inquit) *dicent Hæretici ad hæc Beati Joannis verba, quibus apertissimè Deus verus Filius appellatur? Nam si Deus verus est substantialiter, non participatione hoc ipsum est, sicut creaturæ.* Neque Mahumetani respondere poterunt, Christum ab Apostolis appellari Deum, quia erat ejus legatus. Sic enim non esset verus Deus, sed solùm Dei minister, & ut inquit S. Irenæus lib. 3. cap. 6. *neque Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitivè, & absolutè Deum nominâssent aliquando, nisi esset verus Deus.*

Quare Mahumeto quadrat illud, quod ait S. Joannes Epist. 1. cap. 4. *Omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Anti-Christus.* Quid est enim, solvere Jesum, nisi dividere Jesum à Deo, dicendo Jesum non esse personam Divinam, sed creatam, non Deum, sed purum hominem? Mahumetus ergo Anti-Christus est, idest spiritum Anti-Christi habuit.

XXXIV. Denique probatur; quia Christus non dicitur in Evangelio utcumque Filius Dei, sed Filius unigenitus; est ergo Filius naturalis, consubstantialis Patri, & Filius unicus. Ergo non est Filius per adoptionem, quia sic non esset unigenitus. Assumptum probatur ex Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Et paulò pòst: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et paulò pòst: *Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Et 1. Joan. 4. *Filium suum unigenitum misit DEVS in mundum.* Hinc Patres manifestè convincebant Arrianos. Sic Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 4. initio: *Non est unigenitus, nisi qui ita natus est, ut nullos habeat fratres.* Athanasius *oratione in illud dictum: Deus de Deo: Christus ideo unigenitus est, eò quòd nullus alius ex Patre sit genitus.* Et Cyrillus lib. 4. de Trinit. *unigenitus significat id, quod ex natura cujusdam genitum est.* Et lib. 5. Thesauri cap. 5. *Si Filius creatus est, non erit unigenitus, quem multi sequuntur similes; non enim quia primò creatus est, erit unigenitus: nam & Ruben principium factus est filiorum Jacob, nec tamen idcirco unigenitus, aut alienus à natura fratrum suorum.* Igitur Joannes, teste Cyrillo lib. 1. in Joan. cap. 22. *Vnigenitum Filium appellavit, & in sinu Patris esse affirmavit, ut ab omni creatura eum dispararet, & ex Patre propriam substantiam habere, & in Patre esse ostenderet.* Denique Chrysost. hom. 14. in Joan. *Evangelista sinûs meminit, quo uno verbo multa, substantiæ cognationem, propinquitatem, parem Patri cognitionem, potestatem ostendit. Non enim diversam substantiam in sinu haberet Pater: sed neque ipse auderet, si servus, si ex multitudine unus esset, in sinu Domini versari. Vt autem no-*

tat Cyrillus, *Evangelista sinum pro substantia, per similitudinem corporum, quæ rebus intelligibilibus manifestiora sunt, posuit.* Et sanè cùm Filius hominis homo debeat esse, & filius equi equus, Filius naturalis, & unigenitus Dei, Deus debet esse. At Christus est Filius naturalis, & unigenitus Dei, ergo est Deus.

CAPUT QUARTUM.

Solvitur crassa quædam obiectio Mahumeti, & exponitur, quo pacto sine uxore propriè Filius Deo conveniat.

XXXV. Qualis est unusquisque, taliter judicat, ut docet Aristoteles: & ut inquit Paulus: *Carnalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs.* Carnalis nimis erat Mahumetus, & ideo non potuit nisi carnalem generationem apprehendere: objicit ergo, Deum non habere Filium, quia uxorem non habet, quæ ei Filium pariat æternum, & sibi consubstantialem. Ita enim loquitur in Alcorano Zorâ 5. paulò post medium: *Quomodo Deus haberet Filium, si non habuit uxorem, aut sociam?* Ut testatur *Zelus Christi*, fol. 131. pag. 1. Sed hæc objectio pinguis, & crassa est, & quæ magis risum moveat, quàm solutionem postulet. Sed tamen res ipsa explicanda est.

XXXVI. Dum auditis Mahumetani, Deum habere Filium, elevare debetis mentes vestras supra fæcem omnis creaturæ, præsertim corporeæ. Quia Deus substantia est spiritualis, omnino purissima, simplicissima, molis corporeæ expers; ac proinde essentialiter incapax habendi Filium per generationem corporalem, quæ est propria animalium, quæ corpore constant. Unde generatio Filii, quæ Deo competit, non est carnalis, sed spiritualis, non corporea, sed intellectualis: cùm enim Deus sit substantia spiritualis intellectualis infinitè perfecta, non aliter filium generare potest, quàm per intellectum. Ideóque generat Filium, quia Deus Pater seipsum comprehendens, & in nitidissimo suæ divinæ essentiæ speculo seipsum intuens, & contemplans, hac ipsa actione seipsum videndi, & contemplandi producit quandam vivam sui imaginem, cui communicat suam essentiam, suam omnipotentiam, suam sapientiam, & reliqua omnia attributa; & hæc imago viva, & vivens, producta à Patre seipsum intelligente, est Verbum Patris, & simul Filius. Quare idem est, Patrem generare Filium, ac producere intra se Verbum mentale, quo tota perfectio Patris repræsentatur. Illa enim imago repræsentans divinas perfectiones, quam Deus producit, dum seipsum contemplatur in speculo nitidissimo, & pellucido suæ essentiæ, est Filius: quia illa imago est per se subsistens,

ſiſtens, eſt imago ſubſtantialis, participans per identitatem eſſentiam Patris, ac proinde eſt, *Vivens à vivente, à principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ*, quæ eſt definitio filii.

Id vobis exemplo exponam: Dum quis ſeipſum intuetur in ſpeculo, ipſa actione ſe intuendi producit imaginem ſui in ſpeculo, quæ ejuſdem figuræ eſt cum homine ſeipſum intuente, & illi ſimilis. Illa imago in ſpeculo producta non eſt filius ejus, qui ſeipſum intuetur, quia eſt imago mortua, non imago vivens, quia eſt accidens, non ſubſtantia, quia eſt ſimilitudo, ſpecies, effigies, & ſimulacrum hominis; cœterùm non eſt homo, quia non eſt quid conſiſtens & permanens, ſed ſtatim evaneſcens. Quodſi illa imago reſultans in ſpeculo eſſet verus homo, & ſubſtantia vivens, profectò eſſet verè filius hominis ſeipſum intuentis; quia ſi per actionem ipſam videndi communicaret ſuam ſubſtantiam illi imagini, & produceret hominem ſibi ſimilem, ut ſuas perfectiones repræſentaret, ſanè per ipſam actionem ſe videndi generaret ſibi filium. Deus ergo Pater, dum ſeipſum intuetur in criſtallino, & puriſſimo ſuæ divinæ eſſentiæ ſpeculo, producit quandam imaginem perfectiſſimam ſui, producit Verbum: *Quod eſt, & ſpeculum, & character, & imago Patris, in omnibus Patri ſimilis*: ut loquitur S. Clemens Papa, & Martyr, & Diſcipulus D. Petri in Epiſtola ad Jacobum. Hæc autem imago non eſt mortua, ſed viva, non eſt tranſiens, ſed permanens, non eſt accidens, ſed ſubſtantia, non eſt inhærens, ſed per ſe ſubſiſtens; ac proinde eſt imago manens intra Deum, quia eſt partus quidam, & conceptio intellectûs; conceptio autem, & partus intellectûs intra intelligentem manet; dum enim intelligimus, non producitur aliquid extra nos in exteriori materia, ſed intra nos producimus imaginem expreſſam rei, quam cogitamus: quidquid autem eſt intra Deum, Deus eſt, eſſentiámque Dei habet: ergo Pater Æternus, dum ſeipſum intelligit, ſeipſum cogitat, & intuetur, atque contemplatur, producit imaginem ſubſtantialem ſui, quæ Deus eſt, non minùs quàm Pater producens. Hæc imago eſt Verbum, & eſt Filius: immò ut loquitur maximus Chriſtianorum Doctor poſt Apoſtolos, in Africa natus, & educatus, & qui in Africa obiit, nempe S. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 2. *Eo Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius.* Dicitur enim Verbum, quia eſt ſimilitudo expreſſa, & producta ad repræſentandum objectum, nempe Patrem, & dicitur Filius, quia eſt ſimilitudo ſubſtantialis, per ſe ſubſiſtens, & ejuſdem naturæ cum principio producente.

XXXVII. Id alio exemplo explico: homo, dum ſeipſum cogitat, & ſeipſum internè contemplatur, producit intra ſe quandam imaginem ſui, quæ eſt Verbum mentis: hæc imago eſt imperfecta, quia eſt accidens, non ſubſtantia, ac proinde eſt Verbum accidentale, non ſubſtantiale, unde hoc Verbum non eſt filius. At Verbum Divinum, ut inquit Baſi. orat. 16. in illud Joan. *In principio erat Verbum: ideo Verbum dicitur, quia eſt imago genitoris*,

ris, totum in se monstrans genitorem: & quia est imago perfectissima, & substantialis, & per se subsistens, est filius: ut enim inquit S. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 2. *Filius, & imago, quò Filius*, & ut ait S. Anselm. in Monol. cap. 53. *Verbum, mox ut consideratur, se prolem esse ejus, à quo procedit, evidentissimè probat, promptam præferendo Parentis imaginem.* Unde S. Athan. in Epist. de decret. Nicæn. Syn. *Quemadmodum* (inquit) *unus est Deus, necessarium quoque est, unam esse ejus imaginem, quæ ipsius est Filius. Si eum imaginem nomines, filium hoc ipso eum esse judicaveris*; quid enim simile est Deo, nisi sua ipsius progenies? Et S. Greg. Nazianz. orat. Theologiæ: *Brevis, & compendiosa, facilisque Paternæ naturæ declaratio est filius; omne enim, quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit.* Hinc S. Thom. 1. p. q. 27. art. 2. probat, Verbum in Deo esse Filium, *Quia Verbum est conceptio intellectûs, Conceptio autem intellectûs est similitudo rei intellectæ*, & insuper Verbum in Deo *est in eadem natura existens.* In nobis Verbum, quod quis format de seipso, non est filius, quia cùm in nobis aliud sit intelligere, aliud esse; Verbum, quod homo format de seipso, *Est quidem homo intellectus, seu homo in esse intelligibili, quia est similitudo* expressa hominis ipsum repræsentans, non tamen est verus homo, sed aliquod accidens existens in homine. Cæterùm cùm in Deo idem sit, intelligere, ac esse, quia Deus per suam substantiam non solùm est potens intelligere, sed actu intelligens; ideo in Deo Verbum mentis, quod format de seipso, est Deus, quia non solùm est *Deus intellectus, seu Deus in esse intelligibili*, id est repræsentativo, & Imago Dei, sed est verus Deus, quia habet idem esse, & eandem essentiam cum Deo, quia, quidquid existit in Deo, Deus est. Ac proinde, non solùm est Deus intellectus, sed Deus intelligens, non solùm Deus in esse repræsentativo, & intelligibili, sed Deus in esse reali.

XXXVIII. Cur autem Verbum mentis appelletur proles, & conceptio, & partus intellectûs, explicat optimè idem S. Thom. opusc. 2. seu in compendio Theologiæ cap. 37. ubi probat, ponendum esse Verbum in divinis: *Quia Deus seipsum intelligit, omne autem intellectum in intelligente est; unde oportet, Deum in seipso esse, tanquam intellectum in intelligente; intellectum autem, prout in intelligente, est Verbum quoddam intellectûs; hoc enim exteriori voce significamus, quod interiùs intellectu comprehendimus: sunt enim secundùm Philosophum voces signa intellectuum: oportet igitur in Deo ponere Verbum ipsius.* Postquam hoc probavit, subjungit in cap. 38. *Id autem quod in intellectu continetur, ut interius Verbum, ex communi usu loquendi conceptio intellectûs dicitur: nam corporaliter quidem aliquid concipi dicitur, quod in utero animalis vivifica virtute formatur, mare agente, & fœmina patiente, in quâ fit conceptio, ita quòd ipsum conceptum pertinet ad naturam utriusque, quasi secundùm speciem conforme. Quod autem intellectus comprehendit, in intellectu* for-

formatur, intelligibili quasi agente & intellectu quasi patiente. Et ipsum, quod intellectu comprehenditur, intra intellectum existens, conforme est, & intelligibili moventi, cujus quædam similitudo est, & intellectui quasi patienti, secundùm quod esse intelligibile habet. Vnde id, quod intellectu comprehenditur, non immeritò conceptio intellectûs vocatur. Rursus cap. 39. in hoc differentiam considerat. *Nam cùm id, quod intellectu concipitur, sit similitudo rei intellectæ, ejus speciem repræsentans, quædam proles ipsius esse videtur. Quando igitur intellectus intelligit aliud à se, res intellecta est, sicut pater Verbi in intellectu concepti; ipse autem intellectus magìs gerit similitudinem matris, cujus est, ut in ea fiat conceptio. Quando verò intellectus intelligit seipsum, Verbum conceptum comparatur ad intelligentem, sicut proles ad patrem. Cùm igitur de Verbo loquamur, secundùm quod Deus seipsum intelligit, oportet quòd ipsum Verbum comparetur ad Deum, cujus est Verbum, sicut filius ad Patrem.*

XXXIX. Itaque dum Christiani credimus, Deum habere Filium, credimus, Deum, dum seipsum intelligit, producere Verbum quoddam internum, quod omnes ejus perfectiones perfectissimè repræsentat; & credimus, hoc Verbum esse personam distinctam à persona producente, & esse Filium Dei. Unde idem est formalissimè, in Deo dari Verbum productum ad exprimendas perfectiones personæ producentis, ac dari in divinis Filium. Sicut ergo certum est, Deum non indigere feminâ, ut intra se producat Verbum mentis; ita certum est, non indigere feminâ, ut habeat Filium sibi consubstantialem. Et ideo Evangelista Joannes illud Verbum, quod erat in principio, & per quod omnia facta sunt, postea appellat *Vnigenitum Dei Filium*, dum ait: *Et Verbum caro factum est, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.*

Non caret autem mysterio, quòd Joannes Filium Æternum Dei voluerit potiùs explicare nomine Verbi, quàm nomine Filij, quamvis re ipsa idem omnino sit Verbum Dei, & Filius naturalis Dei. Ut enim inquit D. Thomas ibidem cap. 40. *Ne aliquis audiens nomen Patris, & Filij, carnalem generationem suspicaretur, secundùm quam apud nos Pater dicitur, & Filius, Ioannes Evangelista, cui revelata sunt secreta Cœlestia, loco Filij ponit Verbum, ut generationem intelligibilem cognoscamus.*

XL. Rem hanc egregiè explicat S. Thom. opusculo tertio; interrogatus enim à Cantore Antiocheno, quomodo respondendum esset Sarracenis irridentibus Christianos, quia dicimus Christum esse Dei Filium, cùm Deus uxorem non habeat; respondet *cap 3. derisibilem esse irrisionem, qua nos irrident, quia ponimus Christum esse Filium Dei vivi, quasi Deus uxorem habuerit; cùm enim carnales sint, non possunt nisi ea, quæ sunt carnis & sanguinis, cogitare; & statim explicat modum, quo Deus sine uxore filium habere potest.*

Quilibet enim sapiens (inquit) *considerare potest, quòd non est idem generationis modus in omnibus rebus, sed in unaquaque re invenitur generatio secundùm proprietatem suæ naturæ. In animalibus qui-*

quidem per maris & feminæ commixtionem, in plantis verò per pullulationem seu generationem, atque in aliis aliter. Deus autem non est carnalis naturæ, ut feminam requirat, cui commisceatur ad prolis generationem, sed est spiritualis naturæ, sive intellectualis, immò magis super omnem intellectualem. Est ergo in eo accipienda generatio, secundùm quod convenit intellectuali naturæ. Et quamvis intellectus noster ab intellectu divino deficiat, non possumus tamen aliter loqui de intellectu divino, nisi secundùm similitudinem eorum, quæ in intellectu nostro invenimus. Est autem intellectus noster aliquando quidem in potentia intelligens, aliquando in actu: quandocumque autem actu intelligit, quoddam intelligibile format, quod est quædam proles ipsius; unde & mentis conceptus nominatur. Et hoc quidem est, quod voce exteriori significatur: unde sicut vox significans, verbum exterius dicitur, ita interior mentis conceptus, verbo exteriori significatus, dicitur verbum intellectûs, seu mentis. Hic autem mentis nostræ conceptus non est ipsa mentis nostræ essentia, sed est quoddam accidens ei, quia nec ipsum intelligere nostrum, est ipsum esse intellectûs, alioquin nunquam intellectus esset, quin actu intelligeret. Verbum igitur nostri intellectûs secundùm quandam similitudinem dici potest, vel conceptus, vel proles; & præcipuè cùm intellectus seipsum intelligit, in quantum scilicet est quædam similitudo intellectûs procedens ab intellectuali ejus virtute: sicut & filius habet similitudinem patris, procedens ab ejus generativa virtute. Non tamen propriè Verbum nostri intellectûs potest dici proles, vel filius, quia non est ejusdem naturæ, cujus est intellectus noster. Non autem omne, quod procedit ab aliquo, etiam si sit ei simile, dicitur filius, alioquin imago sui, quam aliquis pingit, propriè filius diceretur; sed ad hoc, quòd sit filius, requiritur, quòd procedens ab altero similitudinem habeat ejus, à quo procedit, & sit ejusdem naturæ cum eo.

Quia verò in Deo non est aliud, intelligere, quàm suum esse, consequenter neque Verbum, quod in intellectu ejus concipitur, est aliquod accidens, aut aliquid alienum ab ejus natura, sed ex hoc ipso, quòd Verbum est, habet rationem procedentis ab altero, & ut similitudo ejus, cujus est Verbum: hoc enim in Verbo nostro reperitur, sed istud Verbum Dei habet ulteriùs quòd non sit aliquod accidens, nec aliqua pars Dei, qui est simplex, nec aliquid alienum à Divina natura, sed quoddam completum, subsistens in natura divina, habens rationem ab altero procedentis: sine hoc enim Verbum intelligi non potest. Hoc autem secundùm humanæ locutionis consuetudinem nominatur filius, quod procedit ab alio in similitudinem ejus, subsistens in eadem natura cum ipso. Secundùm igitur quod divina verbis humanis nominari possunt, Verbum intellectûs divini Filium Dei nominamus: Deum verò, cujus est Verbum, nominamus Patrem; processum Verbi dicimus esse generationem filij immaterialem, non autem carnalem, sicut carnales homines suspicantur; est autem aliud, in quo excedit prædicta filij Dei generatio omnem generationem humanam, sive materialem, secundùm quam homo ex homine nascitur: sive intelligibilem, secundùm quam Verbum

bum accipitur in mente humana. In utraque enim illud, quod per generationem procedit, invenitur posterius tempore eo, à quo procedit. Pater enim non generat statim à principio sui esse, sed oportet, quòd de imperfecto ad statum perfectum veniat, in quo generare possit. Nec iterum statim ut generationi operam dat, filius nascitur, quia carnalis generatio in quadam mutatione consistit, & successione: secundùm intellectum etiam non statim à principio homo est aptus ad intelligibiles conceptus formandos, sed postquam ad statum perfectionis venit. Vnde non semper actu intelligit, sed potentiâ est intelligens tantùm, & pòst fit intelligens actu, & iterum desinit actu intelligere, & remanet intelligens in potentia, vel habitu tantùm. Sic ergo Verbum homine posterius invenitur tempore, & desinit aliquando esse, antequam homo. Impossibile est autem, ista duo Deo convenire, in quo nec imperfectio, nec mutatio locum habet, nec etiam exitus de potentia ad actum, cùm sit actus purus, & primus. Verbum ergo Dei coæternum est ipsi Deo. Est autem & aliud, in quo Verbum nostrum differt à Divino: Intellectus enim noster non simul intelligit omnia, neque unico actu, sed pluribus & diversis, & ideo verba intellectûs nostri sunt multa, sed Deus omnia simul intelligit, & unico actu, quia ejus intelligere non potest esse nisi unicum, cùm sit suum esse; unde sequitur, quòd in Deo sit unum Verbum tantùm. Vlteriùs est consideranda alia differentia, quòd scilicet Verbum intellectûs nostri non adæquat intellectûs virtutem, quia cùm aliquid mente concipimus, adhuc possumus alia multa concipere: unde Verbum nostri intellectûs imperfectum est, & in eo potest compositio accidere, dum ex multis imperfectis fit unum Verbum perfectius, sicut cùm intellectus concipit aliquam enuntiationem, seu definitionem alicujus rei: sed Verbum Divinum adæquat virtutem Dei, quia per suam essentiam seipsum intelligit, & omnia alia: unde quanta est essentia, tantum est Verbum, quod concipit, per essentiam suam, se, & omnia alia intelligendo. Est ergo perfectum, simplex, & æquale Deo, & hoc Verbum Dei Filium nominamus ratione jam dicta, quod ejusdem naturæ, cum Patre, & Patri coæternum, Unigenitum, & perfectum confitemur.

CAPUT QUINTUM.

Cur Evangelista non dixit, Verbum homo, *sed* Verbum caro factum est: *ubi refutantur variæ Hæreses contrariæ mysterio Incarnationis.*

XLI. PRiùs explicanda sunt verba illa: *Et verbum caro factum est*. Particula illa, *Et*, denotat illud ipsum Verbum, de quo paulò antè dixerat, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c.* factum esse carnem. *Caro* autem ibi, ut suprà ostendimus, pro toto homine sumitur, ut idem sit,

ac:

ac: *Verbum factum est homo*; frequens enim figura est, ut pars pro toto accipiatur, & sic sæpe accipitur in scriptura caro pro homine, ut Genes. 8. *Omnis caro corruperat viam suam.* Et Isai. 40. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Et Rom. 3. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Ut autem notat Cyrillus lib. 1. in Joan. cap. 15. Non dixit Evangelista, *Verbum venit in carnem*, ne sic Verbum esse in Christo intelligeremus, sicut est in Prophetis & justis. In hos enim per lumen prophetiæ, aut per gratiam venisse dicitur: sed dixit, *Verbum caro factum est*, ut significaret, unionem physicam & realem factam esse inter personam Verbi, & naturam humanam, ita ut incæperit in tempore esse homo, qui semper est Deus: & denotaret, in Christo convenire duplicem naturam, divinam & humanam, in eandem personam, ita ut Deus sit homo, & homo sit Deus, id est, eadem persona sit habens naturam divinam & humanam.

In illis tamen verbis impegerunt Hæretici. Nam in primis Arrius, ut testatur Ambr. lib. de Incarn. Domin. Sacram. cap. 7. asserebat, Verbum carnem solam assumpsisse, & in Christo Verbum esse loco animæ. Verùm Hæresis hæc, præterquam quòd in multis Conciliis Oecumenicis est damnata, & in symbolo Athanasij reprobatur, falsitatis convincitur ex illis verbis Christi Joann. 12. *Anima mea turbata est.* Et Matth. 27. *Tristis est anima mea.* Turbatio enim, & tristitia nequit convenire Christo ratione Verbi, quod incapax est tristitiæ; debet ergo convenire ratione animæ creatæ vivificantis carnem, nam caro capax non est tristitiæ & doloris, nisi informetur animâ. Deinde cùm Verbum assumpserit naturam nostram, ut eam sanaret, eam præcipuè debuit assumere partem, quæ plus indigebat sanitate; hæc autem est anima rationalis, quæ initium fuit peccati, & in qua peccatum immediatè existit. Præterea Apollinaris impugnatus à Nazianzeno Epist. 1. ad Clidon. sciens, carnem propriè dici non posse, nisi sit animata, concedebat quidem, Verbum assumpsisse carnem animatam animâ sensitivâ, non tamen animatam animâ rationali, ac proinde dicebat, Verbum assumpsisse animam sensitivam, non rationalem. Hæc etiam Hæresis in multis Conciliis damnata, manifestè impugnatur ex illis verbis Ioan. cap. 23. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, ex quibus constat, Christum habuisse spiritum, id est animam rationalem, quem emisisse dicit Evangelista, dum expiravit, Matth. 27. v. 50. *JESVS autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* Et ratio facta contra Arrium, hanc etiam Hæresim jugulat. Et utraque apertè rejicitur; quia de fide est, Christum esse hominem, & Filium hominis, ut constat ex illis verbis Pauli Roman. 5. *Gratia unius hominis JESV Christi in plures abundavit.* Et ex illis 1. ad Corinth. 15. *Primus homo de terra terrestris, secundus homo de Cœlo Cœlestis: & per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*; ex qua comparatione liquet, Christum verè & propriè esse hominem, similem Adamo quoad omnem perfectionem & proprietatem naturalem. Non foret autem homo, si non

haberet animam rationalem; quia homo essentialiter est animal rationale. Habet ergo animam rationalem, quæ simul est sensitiva, & munus etiam vegetativæ exercet in vita mortali.

XLII. Hoc supposito inquirimus, cur Evangelista dixerit, *Verbum caro factum est*: nec enim existimandum est, carere mysterio, quòd ita loquatur, cùm potuerit faciliùs, & non oblatâ occasione errandi Arrio, & Valentino, dicere: *Verbum homo factum est*. Varias rationes assignant Patres, & Doctores, quas referre expedit, ut Christi minister possit pleniùs mysterium Incarnationis explicare.

Cyrillus lib. 1. in Joann. cap. 15. ait, ideo usum fuisse Evangelistam illâ loquendi formâ, ut significaret, humanam carnem, quæ per peccatum mortalis facta fuerat, per conjunctionem Verbi, id est, naturalis & immortalis vitæ, immortalitatem esse consecutam. Augustinus; ut commendaret Christi humilitatem, qui nostræ salutis causâ carnis nomen sibi indignum non putavit. Theophilactus: ut singularem Dei erga homines benevolentiam declararet, qui propter ipsos caro, id est, res omnium ferè vilissima, factus est.

XLIII. Alias rationes satìs congruas adducit Toletus: Prima est, ut sic magìs exprimeretur extremorum distantia; sicut enim cùm dixit, *Verbum*, natura spiritualis & intellectiva significatur, quam vox *Filius* non ita indicabat: sic dum dicit, *caro*, ostendit, quod sensibilius est, & magìs remotum à natura intellectuali; atque ita duorum extremorum maxima distantia describitur, dum dicitur, Verbum intellectuale, spirituale & invisibile ad carnem sensibilem, corporalem & visibilem descendisse, factámque esse unionem inter extrema adeo distantia: quæ enim major dissimilitudo, quàm ea, quæ intercedit inter summum spiritum, & corpus? Altera causa est, quia sic magìs declaratur conjunctio Verbi cum natura nostra. Si enim dixisset, *Verbum homo factum est*, posset existimari, hoc esse factum, quia Verbum assumpsit animam rationalem existentem in carne, non tamen quia immediatè sibi univerit carnem: at dum dicitur, *caro factum*, non relinquitur dubitandi locus, an assumpserit animam. Si enim univit secum carnem, à se maximè distantem, dubitari non potest, quòd univerit animam, quæ cùm sit immortalis & spiritualis, minùs ab ipso distat. Ultima denique causa fuit, quia illo loquendi modo significare volvit, Verbum naturam humanam assumpsisse ex illa eadem massa, in qua erat peccatum; seu carnem derivatam, & descendentem ab Adamo, qui peccavit, id est carnem mortalem, & passibilem, similem nobis; sine peccato quidem, sed tamen *in similitudine carnis peccati*, ut loquitur Paulus Rom. 8. Ante peccatum non appellatus est homo caro, post peccatum verò vocatus est à Deo *caro* in contemptum, & opprobrium, ut agnosceret, quantum dignitatis amiserit per peccatũ; quia enim sprevit rationem, & Dei mandatum, subjectus est carni rebelli, & passibili, dictúmque ei est, *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*. Ut ergo significaret

ficaret Evangelista, Verbum non assumpsisse carnem aliquam è Cœlo delapsam, dicit, *Verbum caro factum est*, id est, factum est homo similis Adamo, & nobis, qui in pœnam peccati *caro* dicimur: quamvis enim Christus segregatus fuerit à peccatoribus, & rebellionis appetitûs incapax fuerit, tamen assumpsit carnem passibilem, similem nostræ in omnibus, uno excepto peccato.

XLIV. Maldonatus arbitratur, veram rationem, ob quam Evangelista usus est illo loquendi modo, fuisse, quòd hominem Verbo opponere voluerit, id est infimum summo. Propterea Filium Dei, qui homo factus est, non Filium, sed Verbum appellavit (inquit) quod summam declarat potentiam: *Tribuitur enim potentia Verbo Dei, quia omnia, quæ vult, Verbo facit. Omnipotens* (inquit Sap. 18. v. 15.) *sermo tuus exiliens de Cœlo à regalibus sedibus, durus bellator in mediam exterminii terram prosilivit.* Et Hebr. 13. *portans omnia Verbo virtutis suæ. Ideo hominem è contrario, non hominem, sed carnem vocavit, quod verbum summam subjectionem, summam significat infirmitatem, ut appareat, quantus Deus quantillus sit factus homo.*

XLV. Nec ex eo quòd Evangelista dicat, Verbum factum fuisse carnem, sequitur, divinam Verbi naturam conversam fuisse in carnem, ut somniârunt Hæretici, quos impugnat Ambros. lib. de Incarn. Domin. Sacr. cap. 6. ut enim inquit Gregor. Epist. 61. hanc hæresim impugnans, *Verbum carnem dicimus factum, non immutando, quod erat, sed suscipiendo quod non erat, nostra auxit, sua non minuit.* Sic ex eo quòd dicamus, hominem factum esse sanum, non sequitur, hominem conversum esse in sanitatem, sed solùm sequitur, recepisse sanitatem, manente natura hominis, & natura sanitatis. Sic cùm Genes. 2. dicitur, *Factus est homo in animam viventem*, non significatur, conversum esse in animam viventem, sed solùm significatur, suscepisse à Deo animam viventem. Ex eo ergo, quòd Verbum caro factum sit, non sequitur, quòd conversum fuerit in carnem, sed solùm sequitur, quòd manente propriâ naturâ, suscepit carnem, seu naturam humanam sub unitate personæ, uniendo personæ divinæ naturam humanam, à qua Deus denominatur homo, ad modum quo homo à sanitate denominatur sanus, & ab albedine denominatur albus. Quamvis enim humanitas sit substantia, dum tamen unitur Personæ divinæ, comparatur ad illam quasi entis ens, quia jam illa humanitas non est sui, sed est Verbi, cui tribuuntur operationes illius, sicut operationes accidentis tribuuntur substantiæ, ut explicuit. 3. selectarum Disputationum ex universa Theologia Scholastica, disp. 27. sect. 5. & 6. Verbum enim est, quod denominatur homo, & non ipsa humanitas, quia Verbum est suppositum habens humanitatem, & per illam tanquam per instrumentum sibi conjunctum operatur, siquidem mediante unione hypostatica impeditum est, ne humanitas illa sit suppositum, & persona, quia mediante unione hypostatica factum est, ut existat

in

in alio digniore se, cui tribuantur ejus operationes; foret autem homo, si per se ac separatim existeret, ac proinde tunc foret persona creata: at dum est in Christo, non est persona, sed existit in alio, tanquam in supposito, & personâ.

XLVI. Et ex illis verbis: *Verbum caro factum est*, confutatur Hæresis Valentini, qui, ut refert Tertull. lib. 1. de Carne Christi, dicebat, corpus Christi esse naturæ & substantiæ cœlestis, non de nostra substantia. Confutatur eitam Hæresis Eutychetis, qui asserebat, ante Incarnationem duas fuisse naturas, Divinam, & humanam; post unionem verò utramque fuisse permixtam, & unam tertiam ex utraque resultâsse naturam; quam hæresim damnavit Concilium Calcedonense sub Leone I. anno 451. quod fuit quartum generale, & Oecumenicum. Confutatur, inquam, quia, si Verbum caro factum est, manet post unionem natura carnis, & non est in tertiam conversa naturam. Quodsi conversa esset in tertiam naturam, Christus nec esset Deus, nec esset homo, quia nec haberet naturam Divinam, nec humanam, sed aliam, à qualibet ex illis distinctam. Fides ergo vera docet, Divinam naturam & humanam in Christo verè & propriè reperiri sine confusione, & permixtione destruente distinctionem.

XLVII. Confutatur etiam ex illis verbis Hæresis Manichæorum, qui teste August. lib. de Hæresib. cap. 46. veritatem carnis negaverunt in Christo, affirmantes, illius carnem apparentem fuisse, non veram: nam si res ita se haberet, falsum dixisset Evangelista.

Item impugnatur Hæresis Cherynthi, qui teste Irenæo lib. 1. cap. 25. affirmavit, Christum esse purum hominem, & tunc incepisse, quando natura humana in utero Virginis concepta est: contra quem Joannes scripsit Evangelium, & dum dixit, Verbum fuisse ante omnia, & per ipsum omnia creata facta fuisse, & postea ait, hoc Verbum factum esse Carnem, apertè definit, Christum esse illud Verbum æternum indutum carne, id est naturâ humanâ, ac proinde apertè significat, Personam Christi non incepisse, quando incepit ejus natura humana, sed ab æterno fuisse in natura divina, & in tempore extitisse in natura humana, illam sibi physicè uniendo.

XLVIII. Denique illis verbis confutatur hæresis Nestorii, damnata in Concilio Ephesino sub Cælestino I. anno 431. qui, ut perhibet S. Gregorius lib. 4. Epist. 32. duas personas in Christo ponebat, Divinam & humanam, increatam & creatam, negabátque, duas naturas, Divinam & humanam, convenisse in eandem personam. Confutatur, inquam, quia si *Verbum caro factum est*, id est, si Verbum factum est homo: ergo persona Verbi, quæ ante Incarnationem erat præcisè Deus, incepit esse homo in ipso instanti Incarnationis, quia incepit habere naturam humanam, sibi verè & physicè unitam: idem enim est, esse hominem, ac habere naturam humanam verè & propriè, sive per identitatem, ut illam habet purus homo, v. g. Petrus, vel per unio-

nem physicam & realem, ut illam habet Verbum. Nec enim homo solùm habet verè & propriè animam, cùm qua identificatur inadæquatè, sed etiam habet verè & propriè accidentia, cùm quibus unitur, & habet brachium continuatum per physicam unionem cum corpore, quo amputato, manet nihilominus essentia vera hominis. Illa autem verba, *Verbum caro factum est*, denotant veram & physicam unionem inter hypostasim Verbi, & naturam humanam; posita autem hac unione physica, non potest dari in Christo, nisi unica persona cum duplici natura: & ideo S. Cyrillus Alexandrinus, qui præfuit Concilio Ephesino, ut Legatus Sedis Apostolicæ, dixit, fore in Ecclesia Dei pacem, si Nestorius admitteret veram, & physicam unionem inter Verbum & humanitatem, & non tantùm unionem moralem per conformitatem voluntatum, ut dixi t. 3. select. disp. 27. num. 56.

CAPUT SEXTUM.

Ostenditur contra Mahumetanos pluralitas personarum in Deo, & Christum esse Filium naturalem Dei, verúmque Deum, ex Divinis testimoniis, visionum, & miraculorum.

XLIX. QUÆ supra rationem sunt, rationibus persuaderi non possunt, sed Deo revelanti credenda sunt: sicut autem *qui citò credit, levis est corde*; ita qui credere non volunt, ubi sunt urgentissima credendi fundamenta, quæ morali cum evidenia probant, mysterium aliquod esse à Deo revelatum, inexcusabiles sunt apud Deum. Et in utroque Mahumetani peccant, qui sine ullo fundamento credunt, Mahumetum fuisse verum Dei Prophetam, & vera esse, quæcunque in Alcorano scripta reliquit: & credere nolunt, Christum esse Deum, & dari in Deo Trinitatem personarum, quamvis denter evidentia argumenta credibilitatis, quæ manifestè convincunt, illa mysteria fuisse à Deo revelata, si attentè, & sine præjudicio considerentur. Ideo postquam authoritate Scripturarum, quas Mahumetus non negavit, apertè probavi Divinitatem Christi, & pluralitatem Divinarum Personarum, placuit adjicere argumenta petita à divinis visionibus, & miraculis, quibus Deus confirmare voluit fidem Catholicam contra Arrianos, & Nestorianos, quorum hæresim, toties damnatam in Ecclesia Christi, Mahumetus renovavit, quæ ut majorem fidem faciant, hîc narrare libet verbis sapientissimi, & venerabilis Cardinalis Bellarmini, qui contra Hæreticos quosdam modernos sui temporis, eamdem hæresim renovantes, ea scripto tradidit tom. 1. Controversiar. lib. 1. dè Christo cap. 12. fidelissimè omnia referens. Sic ergo ait,

L. *Pravidens Spiritus Sanctus Arrianã hæresim sæpius renovandam, & plurimùm Ecclesiæ nocituram, testatissimum esse voluit, eam verissimam esse Hæresim.*

Primò igitur annis circiter quinquaginta ante exortam Arrij hæresim apparuit S. Gregorio Thaumaturgo Virgo Maria, & cum ea S. Joannes Evangelista: & Virgine imperante, Joannes tradidit Gregorio eam fidei confessionem, in qua prædicatur Verbum Deus verus, æternus, invisibilis, increatus, & Trinitas consubstantialis. Refert hanc visionem Gregorius Nyssenus in oratione de laudibus ejusdem Thaumaturgi.

Secundò paulò ante Arrianam hæresim revelavit Deus S. Antonio, ut Athanasius scribit in ejus vita, horribilia illa mala, quæ Arrius in Ecclesiam invecturus erat. Ex quo factum est, ut Antonius nullum Arrianum ad montem suum ascendere pateretur, sed ut pestem quandam ex toto illo monte fugaret.

Tertiò, circa idem tempus S. Petro Martyri Episcopo Alexandrino, cùm jam prima semina Arrianæ Hæresis apparere cæpissent, apparuit in carcere Christus veste scissa à summo usque deorsum; & cùm S. Petrus rogaret, quid hoc sibi vellet, responsum accepit: Arrius hoc fecit, quia populum meum à me separavit. Scribunt Beda & Ado in Martyrologiis 25. Novembris.

Quartò, Arrius ipse Constantinopoli in publicis latrinis subitâ ventris solutione occupatus, intestina omnia cum vita profudit. Scribunt hæc Athanasius in oratione prima contra Arrianos, Ruffin. lib. 10. Histor. cap. 13. Gaudentius in Epist. ad Paulum. Epiphanius in hæresi 68. 69. & alij. Addit Athanasius in Epist. ad Serapionem fratrem, antequam hoc fieret, Arrium Constantino jurejurando affirmâsse, se Catholicam fidem colere: à Constantino autem audivisse. Si recta est fides tua, bene jurâsti; si autem impia est, & tamen jurâsti, Deus te pro juramento condemnet. Deinde cùm vellet Arrius vi in Ecclesiam intrare, scribit ibidem Athanasius, S. Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum orâsse Deum, ut, si permitteret Arrium ingredi Ecclesiam, tolleret se de hoc mundo: sin autem Ecclesiæ parceret, tolleret Arrium.

Ex quo intelligimus, non casu factum fuisse, ut tam fœda morte Arrius extingueretur, sed planè Dei providentia singulari, qui ea ratione implere voluit, & pij Principis comminationem, & S. Pontificis orationem. Ipse Dominus, inquit Athanasius, Judicem se præbens, Arrianam hæresim condemnavit.

Quintò, cùm Lucius Episcopus Arrianus Catholicos ubique persequeretur, Monachi his verbis miracula faciebant. In nomine JESU, quem Lucius persequitur, surge, & ambula. Scribit Ruffinus lib. 11. histor. cap. 4.

Sextò, S. Hilarius ab Arrianis in exilium relegatus, Insulam quandam solo imperio, & præsentiâ suâ à serpentibus liberavit, postmodum etiam mortuum ad vitam revocavit, ut scribit Fortunatus in ejus vita.

Septimò, cùm S. Martinus, ut Sulpitius scribit, quia adeo vehementer Arrianis resistebat, publicè virgis cæsus, & à pa-

à patria expulſus eſſet, interim innumerabilibus quotidie miraculis coruſcabat.

Octavò, S. Baſilius, cùm quæſtio eſſet de quadam Eccleſia, utrùm eam Catholici, an Arriani poſſidere deberent, conditionem illis obtulit, ut Eccleſia firmiſſimis repagulis clauderetur, & eorum eſſet, qui juxta ſuam fidem orantes, ſolo verbo, nullâ vi aliâ externâ adhibitâ eam aperirent. Accepta conditione priores Arriani diu orantes juxta fidem ſuam nihil efficere potuerunt: deinde Baſilio cum Catholicis orante tanta vi continuò fores Eccleſiæ apertæ ſunt, ac ſi verba illa tonitrua quædam fuiſſent. Scribit hoc Amphilochius in vita Baſilij.

Nonò, cùm Juſtina Imperatrix Arriana cum ſuis Ambroſium & Catholicos perſequeretur, revelavit Deus eidem Ambroſio corpora incorrupta S. Gervaſij & Protaſij, & per ea cæcum illuminavit, multáque alia edidit miracula. Fuiſſe autem hæc ad Arrianorum confuſionem, docet Auguſtinus lib. 6. confeſſ. cap. 7. & idem etiam patet ex eo, quòd Arriani, quantum poterant, iſta miracula calumniabantur, ut ipſe Ambroſius teſtis eſt in ſermone de S. Gervaſio & Protaſio.

Decimò, ſcribit Victor Uticenſis lib. 1. de perſecutione Wandalica, cùm SS. Martyres pro fide Catholica ab Arrianis flagellarentur uſque ad oſſium denudationem, ſæpe accidiſſe, ut ſequenti die divino miraculo incolumes conſpicerentur. Lib. 2. idem Author ſcripſit, à S. Eugenio cæcum illuminatum eo ipſo tempore, quo Arriani Catholicos maximè vexabant. Lib. 3. ſcribit, aliquot Catholicis hominibus juſſu Regis Arriani linguas radicitus evulſas fuiſſe, & eos tamen ſemper loquutos optimè, quouſque vixerunt. Cujus miraculi meminit etiam S. Gregorius lib. 3. dial. cap. 32. ac dicit, ſe loquutum cum quodam Epiſcopo ſene, qui unum ex illis viderat ſine lingua loquentem.

Undecimò, idem Gregorius eodem lib. 3. cap. 29. 30. & 31. tria mirabilia narrat, quæ ſuo tempore acciderunt. Primum accidit in Urbe Spoletana: cùm enim Arrianus Epiſcopus in Eccleſiam S. Pauli intrare, & ſuo errori eam Eccleſiam dedicare vellet, Catholici metuentes, Eccleſiam lampadibus omnibus extinctis diligentiſſimè clauſerunt; ſed cùm accederet Arrianus, cum ſuorum grege impetum facturus, continuò omnes portæ ſimul magno fragore edito per ſe patuerunt, & effuſo cœlitus lumine lampades omnes accenſæ ſunt, ſed ſimul cæcitate Epiſcopus percuſſus eſt, tantóque terrore omnes affecti, ut intrare auſi non fuerint, ſed Epiſcopum ſuum cæcum effectum in domum ſuam confuſi retulerint. Secundum Romæ accidit: nam cùm Eccleſiam quandam, quæ Arrianorum fuerat, ipſe B. Gregorius introductis Sanctorum reliquiis reconciliâſſet, diabolus in ſpecie horrenda ſuis exivit. Item nubes lucidiſſima ſuper altare deſcendit, & ſimul ingens ſuavitas odoris in eum omnem locum effuſa eſt, lampadéſque omnes accenſæ divinitus. Tertium in Hiſpania; ubi cùm Hermenegildus Regis Filius à Patre Arriano propter fidem necatus eſſet, viſæ ſunt noctu circa eum lampades accenſæ,

censæ, & Angelorum cantus à multis est auditus.

Duodecimò, ut scribit Gregorius Turonicus lib. 2. Histor. Franc. cap. 3. cùm in Africa Cirola quidam Patriarcha Arrianorum Catholicos persequeretur, & eodem tempore tres Sancti Episcopi, Eugenius, Vindemialis & Longinus, qui præter cæteros ei resistebant, omnes miraculis coruscarent, voluit etiam hæreticus miraculum facere; itaque cuidam quinquaginta aureos numeravit, ut se cæcum fingeret; sed dum, transeunte per viam Cirolâ, ille cæcum se simulans Cirolæ auxilium postularet, accessit Cirola, & oculos ejus tetigit, imperans ut videret, in signum veritatis, quam prædicabat; repentè verò tantus ardor oculos illius miseri occupavit, ut coactus fuerit manibus eos comprimere, ne è fronte exilirent: tum verò detexit dolum & fidem Catholicam alta voce confessus, à Sancto Eugenio signo Crucis repentè curatus est.

LI. His igitur, aliísque divinis testimoniis satìs apertè probatur, eorum sententiam Deo inimicam esse, qui Dei Filium Deum verum esse negant. Hucusque Bellarminus. Idque ipsum aliis miraculis comprobatur, nimirum omnibus illis, quæ Sancti ediderunt in nomine JESU Christi Filii Dei vivi, & quia credebant, Christum esse Deum. Talia sunt omnia miracula, quæ operati sunt Martyres & Confessores in testimonium Fidei Christianæ, & quæ operati sunt Apostoli. Adducat in medium Christi Prædicator illustriora ex iis, quæ leguntur in Breviario Romano in lectionibus Sanctorum: ut in lectionibus S. Clementis, S. Cæciliæ, S. Catharinæ, S. Priscæ Virg. & Martyris, S. Agnetis, S. Gregorii Thaumaturgi, S. Nicolai Episcopi, S. Martini Episcopi, S. Pauli Eremitæ, S. Antonii Abbatis, S. Sylvestri, S. Stanislai Episcopi, S. Ildephonsi, S. Bernardi, S. Xaverii, & aliorum Confessorum & Martyrum, qui gloriâ miraculorum manifestâ floruerunt.

Quibus addo miraculosam vindictã, quam Deus sumpsit de quodam Præfecto Ægypti Mahumetano fratre *Abdulmelici* Regis Sarracenorum, quem Rex ipse præfecerat Ægypto, & vocabatur *Abdulazizus.* Ægrè ferebat Barbarus iste, quòd Christiani Imagines Christi, tanquam Filii Dei, & Imagines B. Mariæ Virginis, tanquam Matris Dei venerarentur: & sacrilegè expuit in Christum & ejus Matrem; & statim cœlestis vindicta venit super eum. Rem narrat Georgius Almacinus Mahumetanus historicus summæ authoritatis apud Turcas lib. 1. historiæ Sarracenicæ cap. 12. pag. 81. his verbis: *Habent autem vitæ Patriarcharum (Alexandrinorum Jacobitarum) Abdulazizum ingressum Templum Monasterij Hulivanensis vidisse figuram Dominæ habentis Dominum Christum in ulnis suis, & spuisse in eos: atque ea nocte in somno suo vidisse Dominum Christum jubentem, ut occideretur, séque illico lanceâ in latere suo transfossum, indéque mox experrectum valde fuisse consternatum, & expiravisse eadem nocte.* Hæc ille, quam historiam, dum non reprobat, approbat Author iste Christianorum inimicus. Accidit hic casus anno Ægyræ Maurorum 85. & Christi 734.

LII. Innumera etiam miracula, quæ B. Virgo Maria, invocata ut Dei Mater à Catholicis, omni sæculo patravit, clarè probant, illam esse Dei Matrem, & consequenter Christum ejus Filium esse verum Deum; neque enim alia ratione est Dei Mater, nisi quia est Mater Christi, qui est verus Deus & homo. Inter hæc miracula celebre est illud, quod operata est cum Sancto Joanne Damasceno, cui accusato de proditione apud Regem Sarracenorum amputata fuit manus dextra, anno Christi 728. sed ipse domum se recipiens, in oratorio suo ante Imaginem Dei Genitricis provolutus, magna Fide excisam manum pristinæ suæ commissuræ admovit, & ferventibus orationibus à B. Virgine ejus integram restitutionem expetiit, ut posset illius ministerio Christi Domini, ejusdémque ipsius Matris laudes celebrare. Nec mora, cùm obdormîsset, visione potitus S. Dei Genitricis, experrectus manum sanatam reperit, lineâ tantummodo quadam relictâ, quâ locus exscissionis demonstraretur. Quâ re cognitâ, cùm vellet eum Rex dignitati pristinæ restituere, ipse impetrata ægrè missione, cunctis bonis suis in pauperes, propinquos & Ecclesias distributis, Hierosolymam primò profectus est; inde Syriæ petens eremum, apud S. Sabæ Lauram, monasticam vitam egregiè excoluit: ut narrat Baronius ad ann. 728. ex Joanne Patriarcha Hierosolymitano, qui in ejusdem Sancti Damasceni vitâ id fusiùs scribit.

LIII. Huic miraculo annectam aliud modernum evidentissimum, quod ultra octodecim mille testes habuit, quod operata est B. Virgo Cæsaraugustana, vulgo del *Pilar*, quod typis vulgavit Matriti Petrus Neurath Germanus, Medicinæ Doctor, in confirmationem Fidei Catholicæ, & confusionem hæreticorum, & in fronte libelli expressa est vera effigies B. Virginis supra columnam marmoream stantis, & coram illa effigies juvenis crure carentis, cum hac inscriptione: *Crus puero abscissum Virgo Sanctissima reddidit Cæsaraugustæ 29. Martij ann. 1640.* Cujus miraculi testis ocularis fuit P. Joannes Gabriel Guillen, è nostra Societate, meus per sex annos in Missionibus Socius, ut dixi in præfatione hujus operis; qui sæpe vidit Cæsaraugustæ ad januam Ecclesiæ B. Virginis del Pilar adolescentem uno crure truncatum, eleëmosynam petentem, & postea eundem intuitus est utroque crure insistentem, & crus à B. Virgine redditum manibus suis contrectavit. Hoc miraculum sæpe coram Mahumetanis prædicavimus, & Malacæ, Hispali & Matriti non paucos testes invenimus, qui illud oculis suis spectârunt. Et ideo illud placuit hîc subjicere illius Authoris verbis.



CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

Narratur miraculum Divæ Virginis, quæ Cæsaraugustæ crus puero abscissum restituit anno 1640.

LIV. NE tam mirâ rerum varietate, ordine & majestate, quæ in universa hac machina splendet, humanum obrueretur ingenium, & creaturam pro creatore coleret; supremus ille mundi Dominus quædam præter rerum ordinem, & omnem naturæ vim exsuperantia omni ævo patrare solitus est. In Genesi, ubi orbem ex nihilo condidit, & naturæ primas leges dixit, Adamum operum suorum testem constituit; primis Patribus coram loquutus est, & abdita rerum penitùs revelavit: Prophetas factis mirandis comprobavit: Moyses mare scidit: Josue solem detinuit: Helias ignem de Cœlo evocavit: Helisæus puerum ad vitam reduxit: Angelus postremò inter Judæos, ægros in piscina sanavit. Ipse Christus haud minoribus ostentis se Filium Dei asseruit: Lazarum putrescentem è sepulchro resurgere jussit: cæco à nativitate visum dedit: quid alii in intimis cordis penetralibus absconditum gererent, cognovit. Et talia quidem facta veræ Ecclesiæ suæ symbola esse voluit: sic enim loquitur, Marci 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur novis: serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem JESVS, postquam loquutus est eis, assumptus est in Cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Horum igitur signorum patratio solis in Christum credentibus data est, non aliis (neque enim rationi consonum est, supremam illam Majestatem sigillum illud, quo suos signavit, adulterari ullo unquam tempore voluisse) sed nec singulis fidelibus (quod Julianus Apostata cavillabatur) talia concessa sunt. Ecclesia universa eis semper claruit, & hunc usque in diem claret: ídque jure meritò, si enim hodie æquè ac olim multis ignota est, signo certè aliquo supernaturali opus habet, quo se semper eandem à Christo electam sponsam universo orbi ostendat.

LV. Constans apud omnes Hispanos traditio est, Divum Jacobum Apostolum Cæsaraugustæ primum Deo Templum, sub Deiparæ Virginis nomine, consecrâsse: in eo columna marmorea, atque super illam Divæ Mariæ statua visitur. Sacellum est celeberrimum, & totius Hispaniæ antiquissimum, quod Maurorum etiam tempore substitit. De eo Calixtus Tertius Romanus Pontifex in Bulla, 23. Septembris, an. 1456. datâ, sic ait: *Beata Maria, antequam ad Cœlos assumeretur, cum JESV Christo Filio suo, & Domino nostro, B. Jacobo Maiori in columna marmorea apparuit,*

& ob hoc ipsa Ecclesia nomen Beatæ Mariæ de Pilar assumpsit: ac inibi quamplurima & infinita miracula divinâ provisione dietim fiunt. Hisce nostris diebus juveni crus abscissum ibidem restitutum est.

Erat autem juvenis ille Michaël Joannes Pellicer annorum novemdecim, Calandâ ortus (pagus Arragonum est, Ordinis Calatravæ) filius Michaëlis Pellicer agricolæ, & Mariæ Blasco ejusdem pagi incolarum. Hic dum Castelloni de la Plana (pagus Regni Valentiani est) avunculo suo Jacobo Blasco serviret, ex curru, in quo triticum vehebatur, excidit, atque crus illi dextrum ab rota confractum est. Cúmque & ipse, & avunculus ejus pauperes essent, Valentiam ad domum hospitalem delatus est: ubi cùm variis tentatis remediis nihil proficeret, magnum illud Cæsaraugustæ nosocomium petijt, & se Joanni de Estanga chirurgo expertissimo, & medicinæ publico ibidem professori commisit; qui crus ex toto corruptum videns, ad quatuor digitos infra genu abscidit, ac terræ mandavit. Juvenis cicatrice obducta, ædem Sanctæ Mariæ adijt, ibíque nunc opem Virginis implorans, nunc stipem à prætereuntibus petens, biennio integro omnibus se notum fecit. Anno 1640. ut parentes inviseret, Calandam patriam suam petivit, unde ad vicina oppida proreptans, sibi, parentibúsque victum quærebat.

Die vigesima nona Martij, anno à Virginis partu millesimo sexcentesimo quadragesimo, fœnum colligendo fessus, ad focum assistentibus patre, matre, aliísque duobus conterraneis, ligneum crus deposuit, ac cubitum ivit. Undecimâ noctis horâ mater cubiculum intrans, duos in filij lecto pedes mirata est, & militem (eorum enim cohors ibidem tunc morabatur) esse suspicata, ad maritum cucurrit, qui filium agnoscens excitavit; ille verò in hæc verba prorupit. Somniabam, me in sacello Divæ Virginis de Pilar lampadis oleo crus ungere. Et pater: gratias Deo redde, Deipara tibi crus restituit; hoc enim juvenis eousque ignorabat.

Stupendum hoc factum mox illâ ipsâ nocte divulgatum est, & omnes incolæ oculati testes id arbitrati sunt. Die sequenti juvenis à frequenti populo ad Templum ductus est; ibi pes (quem Virgo sanctissima distortum, ut omnes miraculum intuerentur, reliquerat) situm naturalem recepit: agnoverúntque eum verè bipedem, quem pridie altero crure destitutum viderant: cui scriba publicam fidem tunc quidem dedit; juvenis autem Cæsaraugustam adductus est; res in judicium vocata, datus caussidicus, examinati testes, causa ventilata, & tandem die vigesima septima Aprilis, anni millesimi sexcentesimi quadragesimi primi sententia, qua factum illud verum, & omnem naturæ vim excedens dicitur, lata est ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Domino Petro Apaolaza, Archiepiscopo Cæsaraugustano, subscribentibus Domino Antonio Xavierre, Priore Sanctæ Christinæ, Domino Joanne Perat Vicario Generali, & Officiali Canonico S. Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugust. Domino Vito de Vera Archidiacono Cæsaraugust. Domino Ioanne Plano à Frago

Officiali,

Officiali, Domino Philippo Bardaxi, Sac. Canonum primario interprete, Domino Didaco Chueca, Canonico Magistrali Cæsaraugust. Domino Martino Irribarne, Canon. Lectore Cæsaraug. Frat. Bartholomæo Fojas, Provinciali Ordin. S. Francisci, Frat. Antonio Ortin Abbad, Provinciali Ordin. Minimorum S. Francisci de Paula, Domino Domino Cebriam, Cathedr. primario Theologiæ Cæsaraugust. Promulgata est sententia à juris utriusque Doctoribus, Domino Philippo Bardaxi, Domino Ægidio Fuster, & Michaële Cipres Caussidico, & Notario. Signata ab Antonio Alberti *Zaporta*, Notario Apostolico, & Scribâ principali Curiæ Ecclesiasticæ Cæsaraugustanæ. In Annales verò retulit Dominus Thomas Tamayo de Vargas, Hispaniarum, ac Indiarum Historiographus regius, in eis, quæ addidit Enchiridio temporis R. Patris Frat. Alphonsi Veneri, Ord. S. Dominici, Compluti nuper linguâ vernaculâ editis.

Videant hæretici, si hoc tam facilè explodent, ut illud S. Joannis Damasceni, & reliqua, quæ à majoribus accepimus, quæque apud Indos hodie fiunt. Hoc enim, & nostro sæculo, & coram multis oculatis contigit, Cæsaraugustæ in Civitate frequentissima, & Arragonum Regiâ, spectantibus Hispanis, & Gallis: testes examinati, causa per integrum annum agitata, & sententia ab Archiepiscopo juridicè lata est. Quòd si rei tam notæ contradicere ausint: quis illos non impudentes, & Judæis magìs incredulos incusabit? Hucusque Author ille. Hoc insigne miraculum Beatæ Virginis *del Pilar* succinctè narrat Pater Jacobus Masenius è nostra Societate in opere illo, quod inscribitur *utilis* curiositas de humanæ vitæ felicitate, excuso Coloniæ Agrippinæ, anno 1672. c. 25. num 6. ubi plura addit, quæ ejus verbis referre placet.

CAPUT OCTAVUM.

Alia Beatæ Virginis miracula, ex certis historiis à P. Jacobo Masenio narrata, quibus probatur, illam esse Dei Matrem, & Christum esse verum Deum.

LVI. IGitur hic Author in eo cap. 25. à pag. 514. num. 4. sic loquitur: *In Catholica Ecclesia* miraculorum virtus nunquam deficit. Omne ævum, omnísque Ecclesiastica Historia eisdem referta est. Jam triginta, & ampliùs tomos (quorum octo jam vidimus) moliuntur Belgæ Patres, Bollando, & Henschenio auspicantibus, ubi per singulos anni dies, & superiora usque ad Christum sæcula, infinita penè deprehendimus miracula ex ipsis plerumque auto-

autographis locorum, aut certè coætaneis scriptoribus deprompta, ne authoritas deesset. Neque hac etiamnum ætate gens, aut natio Catholicæ Religioni addicta reperitur, quæ non aliqua celebrata miraculis loca possideat. Imò vix ulla, quæ singulari Deiparæ Virginis Patrocinio in gravissimis etiam morborum, ac mortis casibus non perfruatur. Quis enim ignorare potest in Italia Lauretanam, in Hispania Cæsaraugustanam, in Germania Oetinganam, in Belgio Aspricollensem? Quorum miracula locorum non solùm Europæ incolis, sed Barbaris etiam nationibus, & innotuêre, & quandoque etiam communicata sunt, ut constat Turcarum Bassan Coreum anno 1552. Constantinopoli ex pectoris apostemate in extrema jam vitæ linea constitutum, consilio servi orthodoxi, ad Lauretanam conversum Virginem, sanitati redditum, quod in chirographo his Arabicè verbis testatum reliquit: *Quod* (inquit) *bonum, fortunatúmque bonum nobis esse velit magnus, & misericors Dominus mundi. Cùm mihi ipsi Divinitus quiddam evenerit, ego Coreus Bassarem omnem ordine exponam. Ortum erat atrox apostema in pectore, jámque haud dubium imminebat exitium: cùm desperata à Medicis salute meus me servus adiit, & sanè fidenter: si mihi libertatem polliceris, inquit, Dei mei Matrem exorabo, ut pristinam tibi restituat valetudinem. Itaque ego confestim accersito tabellione, libertatem ei promisi, si ipse promissa præstaret. Extemplo servus positis humi genibus, & quædam super se signa ducens manu, cogit, ut semet verba præeuntem sequar: inde ipse praire his verbis cœpit: Ego Beatæ Mariæ Lauretanæ opem imploro. Monenti obsequutus triduo pòst, DEO favente convalui. Ergo servo in libertatem vindicato, hoc chirographum dedi cum votivis donis, quæ meæ observantiæ, gratique animi monumenta sint Beatæ Mariæ parenti præpotentis Dei, qui nos salvos velit.* Venit Lauretum cum donis servus, obtulítque præter argenti non vile pretium rari operis mantile, pharetrámque cum sagittis, ac cereos ingentes. In Gallia meminit Gregorius Turon. excitatam à Constantino Magno Ecclesiam Deiparæ raro, visendóque opere, pro quo excisæ columnæ pedum in ambitu sedecim, cùm levari nulla arte possent, D. Virgo per quietem artifici machinam ostendit, quæ, tribus solùm è schola adhibitis, quò luberet, columnas traduxit. Sed memorandum in primis Cæsaraugustanum in Hispania B. Virginis Templum, quod vulgò dicitur nostra Domina de *Pilar*, *&c*, & hîc breviter refert historiam à nobis fusè cap. præcedenti descriptam, atque ab Historiographo Regis Joanne Tamayo de Vargas in Regni Annales relatam, & statim num. 7. subjungit, in una quandoque regione plura Deiparæ Virginis loca miraculis illustria reperturus es. Diœcesis nostra Treverica in parte inferiori Antonacensem Ecclesiam in Monte Carmeli, & Travvenkirchanam, haud procul in silva dissitam S. Genovefæ, castissimæ Principis memoriâ, & tutelâ Deiparæ celebrem, deinde Borenhoffensem, ac denique

Bleidembergensem utramque peregrinationibus frequentatam censet, ut Bischoffsteinianam epilepticis propitiam omittam. Superior duas in primis Buchianam, & Clusanam, dignitate, ac miraculorum gratiâ præcipuas, numerat. Ex quibus hæc longè frequentissima integro mirandorum eventuum volumine est celebrata, testibúsque idoneis, mortuorum quoque suscitationem confirmantibus, honorata. Horum, in Annalibus Trev. quædam dedimus, & in Metropoli nondum editâ, nonnulla exhibemus. Unum ex viginti, quos censent, excitatis mortuis, recentius ex hoc sæculo, rarúmque apponam. Barbara ex Wehlen Mosellano pago oriunda, Oppenheimij in Palatinatu viro ducto consederat; hæc prolem enixa, sed mortuam, fuit, de cujus æternâ magìs, quàm temporali salute anxia, cùm jam sepulturæ mandanda esset, D. Virgini Clausanæ peregrinationem, ac cereum offerendum promisit, si proles vitæ reddita Baptismi capax fieret. Bis, térve idem ardenter precata, vivere prolem comperit, quæ Baptismo admota, cùm idem Barbaræ nomen accepisset, bis quodammodo à matre genita, rursus inflexis in mortem oculis Cœlo adscripta est, Matrémque voti ream, non sine Calvinistarum, natos sine Baptismo superis asserentium, confusione reliquit. Idem recentiùs anno 1641. Margaritæ Joannis Schillingi conjugi in Pruttig, mortuam prolem enixæ, pridie S. Jacobi contigit, quæ dum Baptismi solam gratiam postulâsset, vitam illi constantem impetravit. Quid? quòd vidimus anno 1640. Rudolphum Baronem de Ulmena, cùm ex desperata valetudine, ac morte imminente Annam Magdalenam Missigel Lutzemburgensem conjugem voto ad Deiparam Clausanam facto, vitam recepisse conspiceret, ejurato Clusæ Lutheranismo, Catholicam Religionem amplexum, ne indignus beneficio viveret.

LVII. Hinc si ad Belgas transeamus, præter Asperum Collem plura istic miraculis frequentata loca reperimus. Hallensis virgo prodigiis clara, & Justi-Lipsii calamo exornata est: ex quo, ut lepore aliquo seria aspergamus, constat, quòd, cùm Oliverius Tempelius Hallam invaderet, Joannes ibi Kechius miles ipsius jactare auditus sit, se muliérculæ Hallensi (Deiparam indicare voluit) nares amputaturum. Nec impunè hæc scurra; nam plumbea mox glande sibi è vultu nasum sensit ablatum, risúmque deinde movit sociis, qui sæpius eum postea Hallas ad repetendum nasum ablegabant. Graviùs eadem expeditione alter graviorem quoque contumeliam luit. Is Joannes Kesselmannus fuit, qui medio sese Bruxellensi (unde egressi erant) foro, statuam Hallensem crematurum minatus est, sed haud multò pòst grandioris tormenti globo secundùm os impium verberatus, animam scelestam ardenti consumptus pulvere evomuit.

LVIII. Verùm ejus generis innumeris insistere, actum esset agere. Cupidum talium lectorem ad mille Scriptores Orthodoxos remitto, & ad quædam perpetua in eodem Belgio (Hæreticis, quò ignorare nequeant, septo)

to) miracula transeo, meis etiam oculis, quantum brevi temporis, viæque transitu licuit, usurpata.

Atrebati in Gallo-Belgica non vulgari Deipara cultu, sodaliúmque frequentiâ honoratur: originem celeberrimæ istic Congregationi Deiparæ rarum, ingénsque beneficium per duos oblatum citharœdos dedit. Itierus unus, alter Normannus dictus fuit Oti, quàm amici quondam ludendi contubernio, tam deinde hostes capitales ob illatam germano Itieri à Normanno necem. Ibat annus Christi 1105. & gravissimâ urbs tota conflictabatur pestilentiâ, humanísque erat remediis desperatum, quando implorata Deipara per Itierum, Normannúmque conciliatos, offerre opem decrevit. Illi igitur, atque huic divisim agentibus apparet, jubétque adire Episcopum loci, id temporis Lambertum, ac monere, ut primo Sabbati diluculo adesset cum eis in Templo, se quoque præsentem istic adfuturam, malóque grassanti ostensuram exitum. Normannus, ut loco propior, convenit primus, visúmque exposuit; sed Episcopus pro somnio habuit, neglexítque. Interea supervenit aliunde Itierus, de Normanno ignarus, idémque mandatum sibi refert: tum Episcopus, & Normannum paulò antè proposuisse hoc ipsum, ac num fortè colludant? subjicit: Normannus (excipit Itierus) fratris mei sicarius, cui hunc gladium, & mortem debeo, hoc loco adsit? Peribit mea manu; tum Episcopus nonnisi destinatione hos Divinâ sibi offerri ratus, periculi admonet, Christíque exemplo suadet ignoscendum, ac persuadet denique, ut accersito & deprecanti Normanno amore Christi ignosceret. His conciliatis, prima Sabbati luce Templum subiit: quibus præsentibus Deipara Virgo cœlesti circumfusa lumine, succensum manu cereum deferens, ad fuit, ex quo defluentes ab igne guttas aquâ excipi, & hanc laborantibus propinari jussit, quæ innumeris repente mortalibus saluti fuit. Cereus in honorem Divæ asservatus, ejúsque solemnibus festis succensus inconsumptibili hactenus per annos quingentos, & ampliùs cerâ ardet, defluæque quotannis ex eo in aquam guttæ colliguntur, aliósque, atque alios conficiunt cereos, pro insigni munere ad proximas Ecclesias submittendos. Aqua guttis tacta toto anno incorrupta perstat, ac salutis gratiâ à diversis bibitur: inde & ego post expectatum cereum hausi. Hic, ne qua fraus interveniat, à juratis Ecclesiastici, civilísque ordinis viris custoditur, neque sine testibus exhibetur; quod verò nonnunquam ab igne consumi, ac decrescere visum, hoc ubi ex capsa, cui includitur, rursum profertur, insensibili accessione velut subcrevisse videtur. Ut verò in oculis omnium ejus perstet custodia, amplæ, antiquæque in foro pyramidi inclusus servatur, Sodalitatíque ejus loci hominum, quam vocant *ardentium*, commissus quotannis publicâ, solemníque processione circumfertur.

LIX. Huic alia affinis, neque minoribus celebrata prodigiis Congregatio apud Bethunienses eodem in Belgio sub patrocinio B. Eligii Handuorum Aposto-

Apostoli est instituta. Is anno 1188. duobus ferrariis fabris (ut Fabrorum patronus est) alteri Bethuniæ in urbe, alteri Beuriaci in pago, facilè passibus mille dissito, per visum noctu apparuit, jussitque avertendæ luis, quæ passim invaluerat, gratiâ, cereum conficere, & ad aram offerre. Simul hunc ad urbem, illum ad pagum transire voluit, communicatísque cum primùm obvio consiliis, quid agendum sit, deliberare. In via igitur, cùm mutuò sibi Fabri occurrunt, & mandata promunt, visum est pro rebus consultò transigendis, Rogonem Bethuniensis suburbij Priorem, virum id temporis sanctitate celebrem, adire, ejúsque stare judicio. Hic expensis mandatis cereum imperatum jubet conficere, quem solemni deferendum, offerendúmque processione suasit, quo facto lues sedata est. Ex hoc cereo festivis temporibus accenso nihil unquam deperire visum est. Fraternitas subinde instituta est, cujus magistratus ex viginti honoratissimis urbis viris lectus, quibus cura est, mortuorum, pestilentiæ in primis tempore, curare funera, quod citra omne contagionis à se contrahendæ periculum, jam pluribus sæculis præstant, eis solùm demptis, qui aliquid ex domo mortuali secum auferunt, quod impunè non audent. Fraternitas hæc sub patrocinio S. Eligij, *Charitatis* ab hoc dicta officio, est, cui aliquando in Templo ad Sacrificium collectæ interfui, beneficiíque loco habetur, si quis, aliquo viginti virorum morte sublato, accenseri his possit. Cereus immortali hactenus lumine sacris solemnibus jam quingentis propemodum annis lucet, Fraternitásque à pestifera contagione innoxia sub uno Præposito, aliísque quatuor viris regitur, quorum imperio cæteri ad domus pestiferas & funera curanda destinantur.

LX. Nunc ad tertium, quem & ipse præsens lustravi, perpetuis celebratum miraculis locum transeo, S. Hubertum videlicet, Andainæ Inarduenæ recessu, & monasterio Patrum Benedictinorum gloriosè cultum. Huic per Angelum stola à Deipara Virgine, cùm Romæ à Sergio consecraretur Episcopus, suppeditata, clavísque à D. Petro cum gratia sanitatum, rabiosis lunaticísque potissimùm impertiendâ, cælitus oblata est, quibus innumeri ad hodiernum diem usque mortales curantur, remedio non minùs, quàm sanitatis eventu cunctis, qui hæc vident, norúntque, obstupescendo. Stola enim hæc etiamnum durat, licèt octingentos penè annos in dies aliquid resecta ex parte dematur: nam si aliquibus diebus cessetur, aliis frequentiori sectione opus est. Particula verò solemni more quotannis ad medij digiti latitudinem de stola, latitudine propè tridigitalis, amputatur, quæ minutim divisa curandis rabiosis adhibetur: quis hanc tamen non obstupescat tot sæculis perstare inconsumptam? Vidi ego mensuram ex funiculo demptarum particularum, quam per quingentos circiter annos signârant custodes, & præputatores stolæ, quæ plurium stolarum æquaret magnitudinem. Unde à ducentis, & ampliùs annis nullo, ut credebant, mensurandi operæ pretio, cessaverant. Stolæ quoque residuum in capsa (è qua evolvi ad dimensionem non patiuntur) arbitratus, tam candida lyso, fulgen-

fulgentíque, quo intertexta mirabiliter erat, auro, comperi, ut si recèns ex artificum manibus prodijsset. Ratio per Stolam sanandi hæc est. Præputata ex illis particula è filo, scissa in fronte rabiosi pelle, inter hanc, & càrnem inseritur, frónsque per novendium obligatur, quæ decima à Sacerdote die solvitur, post quos vulnus coaluit, naturâ (quod in nullis aliis humana caro patitur) filum neque consumente, neque reijciente. Dies verò noveni certo pietatis, victúsque, qui præscribitur ritu, inviolabiliter transigendi sunt, & si quid neglectum, repetendi.

Ita Curatus læsi rabiem per quadraginta dierum inducias bis, térve, & sæpius, si res & persona exigat, potest suspendere, dum limina D. Huberti curandus subeat, ipse etiam à bestia rabiosa iteratò læsus, tridui oratione, & abstinentiâ præscriptâ domi suæ usus, rabiem ampliùs non contrahit. Vulnera à rabiosis inflicta clave adusta curantur: cujus adustio variis etiam animantibus ad medelam à rabiosis morsibus adhibetur; uti & panis ad S. Hubertum benedictus. Accedit potestas in dæmoniacos, intoxicatósque, atque lunaticos, sive insanientes, qui magno hîc numero per exorcismos, cibósque benedictos curantur, fuerúntque eâdem, qua aderam, septimanâ, quibus restituta est sanitas. Et mulier haud multò antè ex intoxicatione catenam ferream, clavósque trabales, vix faucibus transmittenda (adeo crassis hærebant ansis) evomuerat. Neque obscura hæc curationum fama solum Belgium, Germaniámque, sed Galliam, Sabaudiámque jam olim pervagata, ipsum Calvinum rabioso afflictum filio, quamvis hostem venerationis Sanctorum (cùm alia omnia remedia deficerent) eò inflexit, ut Genevâ filium Andainum destinaret, qui, ut intelligas, Divina etiam beneficia obvenire ingratis, S. Huberti Stolâ, ritúque pietatis novendiario sanitatem recepit, Patrísque ejurata hæresi Catholicorum avitæ religioni immori constituit, non animo minùs, quàm corpore restitus, cujus æternum Bartholomæus Honorius monumentum elegiaco versu exaratum superesse voluit, quod in historia Leodiensi, & Hubertina reperies.

LXI. Hæc de Stola, ejúsque virtute miramur, & fortè cum stolidis etiam Hæreticis ridemus? Sed cur non aliud æquè, quod gravissima authoritate olim D. Paulinus Episcopus Nolanus ad Severum, missâ pro consecratione basilicæ Dominicæ Crucis particulâ, his verbis testatur? *Quæ quidem ait, Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie dividuam sumentibus, & semper totam venerantibus; sed istam imputribilem virtutem, & indestruibilem soliditatem Dei de illius profectò carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionem.* Affine huic est, multísque, ut refert Botius Eugubinus ipse loci popularis, quod Montoni in Italia, haud procul Eugubio in Spina Coronæ Dominicæ evenit: hanc quondam Torsebrachius celebris, ínque conspectu flosculos ex arido pullulantes acumine, cum tenuibus florum capillis, ut spina-

rum

rum sunt, emittit, simúlque sudoris copia ab hora sexta ad nonam usque defluit. Id tamen evenisse, maximè in conferto populorum accursu, frequentioríque Dominicæ passionis cultu, observatum est. Quod scribente hæc, & petente Botio, Paulus Maurius Episcopus Caliensis publico instrumento anno 1472. sub novem testium juratorum fide per Moscardinum Notarium ritè confecto, testatus est. Alia passim nota, celebratáque Orthodoxæ fidei perpetua miraculorum observantur signa, ut stillans è D. Catharinæ in Monte Sinai, & Walpurgis in Bavaria, Sanctíque Nicolai Mirensis sepulchro, quod Barij est, oleum, morborum diversorum remedium.

Sola Neapolis in Italia plura quotannis in Martyrum sanguine miracula conspicit. S. Joannis Baptistæ sanguis, qui lapidis instar in ampulla concretus est, Festo Præcursoris die, dum sacra peraguntur officia, illâ, qua caput censetur amputatum, horâ, colliquescit, effervescitque. Idem spectaculum sanguis D. Stephani, per Orosium Hispaniensem allati, ibidem solemnis tempore sacrificij, tertia Augusti die exhibet, mirúmque est, quòd restituto à Gregorio Papa XIII. Kalendario, decendium cum eodem, ceu correctione hac divinitus approbatâ, anticipet: quod in D. Joannis ampulla pariter observatum est. De Januarij Martyris Beneventani Episcopi virtute quid dicam? Sanguis illius phialæ inclusus, qui in pilæ formam collectus induruit, quo die solemni processione Neapoli circumfertur, ubi in capitis ejusdem Divi conspectum venit, repente solutus liquescit, & velut modò ex vulnere fluens solvitur; capite verò remoto, in prioris figuræ sphæram rursum coactus obdurescit. Et hæc toti orbi, ejúsque in primis regionis notitiâ fruitis, explorata sunt.

Verùm non arbitror, quemquam tam fore impudentem, qui hæc, aliáque, quæ per omne ævum spectantur miracula, aut neget fieri, aut illudente solùm dæmone, perpetrari efferat: nisi veterem juxta, novámque Christi Ecclesiam infinitis propè testimoniis, aut mendacem arguat, aut cæcam, & diabolicâ prorsus amentiâ infatuatam simul affirmet.



CAPUT NONUM.

Probatur Trinitas personarum contra Mahumetum: & demonstratur, ipsum falsò imposuisse Christianis, quòd tres Deos colerent: & stultè negâsse hoc mysterium, quia demonstrari non potest. Ejus cum Simone Mago similitudo: ubi quomodo Augustinus inductus fuerit ad deserendum errorem, in quo erat, quòd videlicet nihil credi debeat, quin firma priùs ratione probetur.

LXII. PRobatum manet efficaciter, in Deo dari plures personas; hoc autem semel admisso, facile erit persuadere, esse tres. Nunc verò probandum est ex Alcorano ipso, in Deo dari tres personas. Nam Alcoranum Zorâ 1. sic Deum loquentem introducit: *Fecimus venire JESUM Filium Mariæ, & adiuvimus eum cum Spiritu Sancto*: & insuper ait, quòd *JESUS Christus est Verbum Dei positum in Maria.* Ergo Mahumetus admittit personam Divinam mittentem Verbum suum ad Mariam, id est Patrem, mittentem Filium suum unigenitum in uterum Virginis per Assumptionem carnis: rursus admittit Spiritum Sanctum, qui sit quoque persona Divina. Dum enim dicit, Deum adjuvare JESUM Christum, seu Verbum incarnatum Spiritu Sancto, fateri debet, Spiritum Sanctum esse personam Divinam; Deus enim Verbum suum seu Filium suum sibi consubstantialem adjuvare non debuit personâ aliquâ creatâ; cùm enim Filius sit omnipotens, adjuvari non debuit à persona aliquâ finitæ virtutis; dicitúrque illum adjuvisse Spiritu Sancto, quia misit Spiritum Sanctum, qui hominibus testificatus est Divinitatem Filij, id est, qui Apostolos implevit, ut Christi Divinitatem mundo manifestarent. Et confirmatur, quia ille Spiritus Sanctus, quo Deus dicitur adjuvisse JESUM Christum, non est accidens aliquod, sed substantia; at non substantia creata, quia hæc non est proportionata, ut dicatur adjuvare Filium unigenitum Dei: ergo increata: ergo dantur in Deo tres Personæ, nempe Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Deinde probatur: quia cùm Christus fuerit juxta Alcoranum legatus Dei, eiúsque Nuncius, non potuit falsa annuntiare, neque aliquid Deo tribuere, quod in ipso non detur. At Christus mittens in mundum universum Apostolos suos, planè significavit, dari in Deo tres Personas, dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Matth. ultimo. Nam dum dixit: *In nomine, & non in nominibus*, unitatem authoritatis & essentiæ significavit in tribus illis Personis. Neque si solus Pater esset Deus, & Filius & Spiritus Sanctus essent Personæ creatæ, habentes naturam finitam & limitatam, jussisset Christus baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiri-

Spiritus Sancti, sed jussisset baptizare in nomine solius Patris: quia valde turpe esset Deo, quòd ad salvandas animas indigeret auxilio Spirituum creatorum. Dum ergo in nomine Trium Baptizari jussit, planè significavit, illas tres Personas esse Divinas, ac proinde habentes eandem naturam: Natura namque Divina, cùm infinita sit, multiplicari non potest, planéque repugnat, dari plures Deos, erravítque planè Mahumetus, & falsum testimonium imposuit Christianis, dum in Alcorano scripsit, eos, qui ponunt in Deo tres Personas, ponere tres Deos. Utrumque enim Ecclesia Christi fatetur, & Deum esse Unum in Essentia, & esse Trinum in Personis, quod significavit Joannes Epist. 1. cap. 5. dicens: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Ipséque Christus palam dixit Joan. 8. Personas Divinas esse plures, & tamen non esse, nisi unum Deum: *Ego* (inquit) *& Pater unum sumus.* Nam quatenus dixit *sumus*, pluralitatem personarum significavit; quatenus dixit *unum*, unitatem essentiæ. Nec enim locutus est solùm de unitate metaphorica per unionem & conformationē voluntatis suæ cum voluntate Patris, sed de unitate propria in eadem natura; ídque vel ipsi Judæi intellexerunt: *Quia audito verbo hoc, sustulerunt lapides, ut jacerent in eum, tanquam in blasphemum*, quia probè cognoverunt, Christum iis verbis significâsse, se esse Deum, quod ipsi blasphemiam existimabant: ídque manifestè ex scopo, quem sibi proposuit Christus; nam ut probaret, non perituras oves suas, fecit hoc argumentum: *Nemo potest* rapere oves meas de manibus Patris mei, quia ipse maior omnibus est: ergo nec potest ullus rapere de manibus meis: *Quia ego, & Pater unum sumus.* Quod argumentum esset nullum, si loqueretur de unitate per charitatem; ex eo enim, quòd nemo possit rapere oves de manu Dei omnipotentis, non sequitur, quòd nemo possit rapere de manu puri hominis, quantumvis justi, & per charitatem uniti cum Deo. Ergo loquitur de unitate in natura. Unde Augustinus ex his verbis tract. 37. in Joannem, debellat duplicem hæresim, alteram negantem pluralitatem personarum, alteram astruentem multitudinem personarum cum pluralitate naturarum: *In errore Sabellianorum* (inquit) *unus est solus ipse Pater, qui Filius: in errore Arrianorum alius est quidem Pater, alius Filius, sed ipse Filius non solùm alius, sed etiam aliud est. Tu in medio quid? Exclusisti Sabellianum, exclude Arrianum, Pater Pater est, Filius Filius est, alius non aliud, quia* ego, & Pater (*inquit*) unum sumus. Cùm audit *sumus*, abscedat confusus Sabellianus; cùm audit *Vnum*, abscedat confusus Arrianus: gubernet Catholicus inter utrumque Fidei suæ navigium, quia jam cavendum in utroque naufragium.

LXIII. Erravit itaque turpiter Mahumetus, dum in Alcorano Zorâ 19. scripsit: *Nihil præter opinionem sequuntur, dicentes, Deum sumpsisse Filium, quo nequaquam indiguit. An habent rationes hoc demonstraturas? An Deo nescitum imponunt?* Quibus verbis significavit, nihil in Deo admittendum esse, nisi illud,

quod humana ratio demonstraverit. Hoc autem est manifestè falsum, quia cùm Deus sit infinitus, & mens humana sit finita & limitata, evidens lumine naturæ est, Deum habere perfectiones aliquas, quas mens humana per discursum naturalem assequi nequeat, solúmque eas possit cognoscere per revelationem ipsius Dei, quia nimirum Deus illas voluit manifestare per Prophetas, & per Unigenitum suum, quem in mundum misit, enarrare: ut enim inquit Evangelista Joannes cap. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam; unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Quare dum Christiani affirmamus, Deum habere Filium, & dari etiam tertiam Personam, quæ vocatur Spiritus Sanctus, non imponimus Deo nescitum; sed de Deo affirmamus illud, quod de seipso dignatus est nobis revelare. Affirmamus quidem id, quod per discursum naturalem non assequimur, & captivamus intellectum in obsequium Fidei. Deo enim loquenti debemus credere, etiamsi nobis dicat aliquid, quod est supra humanum captum: ubi enim per fundamenta, & signa sufficientia certum nobis fuerit, Deum esse, qui loquitur, clausis oculis discursûs nostri, firmissimè debemus credere, verum esse, quod nobis dicit; licèt per discursum capere non possimus, quo pacto id possit esse, imò quamvis id nobis videatur impossibile: quia evidentissimum est, Deum esse infinitè sapientem, qui falli non potest, & infinitè bonum, qui fallere nequit. Ac proinde ubi per argumenta & signa credibilitatis nobis constiterit, Deum esse, qui loquitur, debemus firmissimè credere, quæcumque dixerit; & quamvis mysteria revelata sint altissima, & quæ omnem vim intelligendi creatam supergrediantur, debemus in obsequium Dei loquentis intellectum subijcere & captivare. Sicut enim ubi Deus est, qui præcipit, debemus Deo præcipienti subijcere voluntatem, quamvis ardua præcipiat, sicut præcepit Abrahæ sacrificare Filium suum unigenitum, quem diligebat: sic ubi Deus est, qui loquitur, debemus ipsi loquenti assensum firmissimum præbere, licèt ea loquatur, quæ nobis difficillima appareant, & intellectui destituto lumine Fidei impossibilia videantur. Unde quando Deus est, qui loquitur, & nobis per sufficientia argumenta constat, Deum loqui, nihil ampliùs examinare, aut inquirere debemus. At quando homo loquitur, oportet examinare, an absurda & repugnantia dicat, quia potest aut per ignorantiam inculpabiliter falli, vel per malitiam culpabiliter fallere, unde ne falsa ut vera credamus, oportet res ipsas examinare; ut docet D. Thomas in 3. dist. 24. q. 2. art. 3. q. 2. ad 1.

LXIV. Unde hæc est inter Fidem & scientiam differentia, quòd mysteria fidei sumenda sunt, sicut pilulæ amaræ, quæ non manduntur, sed devorantur, & deglutiuntur uno haustu, quin dentibus atterantur: quia videlicet, ut mysteria divina credamus, non debemus ea minutatim discurso nostro, & examine discutere & degustare, in examen vocando, quomodo possint esse; sed integra debemus uno quasi haustu deglutire, id est, assensu firmissimo credere, hoc uno contenti, quòd nobis sufficienter constet,

ftet, Deum esse, qui loquitur. Veritates autem naturales comparantur cibo, qui non sumitur, nisi priùs dentibus comminuatur, & ore degustetur, quia nimirum illis assensum prudenter præstare non possumus, nisi priùs conferendo prædicatum cum subjecto detegamus, illud convenire isti. Errat ergo manifestè Mahumetus, dum infert, Deum non esse Trinum in Personis, quia hoc demonstrari non potest per discursum naturalem. Satis enim est, quòd nobis constet, Deum hoc dicere, quia Deo dicenti debemus credere; ut enim inquit S. Clemens Alexandrinus lib. 5. stromat. initio: *Quis est adeo impius, & à Deo alienus, ut Deo non credat; & probationes à Deo quærat, sicut ab hominibus?* Deum autem hoc revelâsse, manifestum est, quia manifestum est, Christum hoc docuisse: Christus autem manifestè probavit, se esse Deum; Deus autem mentiri non potest, neque per ignorantiam decipere. Ipséque Mahumetus concedit, Christum esse Prophetam sanctissimum, & veritatis Magistrum. Ergo cùm nobis constet, hoc Christum dixisse Apostolis, & Apostolos hoc scripsisse, & prædicâsse in universo mundo, credere hoc debemus, licèt demonstrari non possit per discursum humanum, nec Angelicum.

LXV. Mahumetus similis est Simoni Mago, qui, ut refert S. Clemens Romanus lib. 3. recognitionum, voluit ante omnia cum S. Petro disputationem instituere de immortalitate animæ; quia nisi anima sit immortalis, frustra (ajebat) laborabimus in inquisitione veræ Religionis. Si autem priùs demonstretur, animam esse immortalem, tunc cum fructu investigabimus, quænam sit vera Religio, in qua anima immortalis salvari possit, & pervenire ad æternam felicitatem. At D. Petrus disputationem detrectavit; *Non metu, sed jure* (inquit S. Clemens) *útque utiliter negotium conversionis gereret*; quia non est ritè dispositus ad recipiendam Fidem, quæ inter alia docet immortalitatem animæ, qui non vult credere animam esse immortalem, quin hoc priùs rationibus demonstretur: nam iste, postquam illi probata fuisset immortalitas animæ, probationes postularet ad credenda mysteria reliqua, & sic nollet credere, nisi quod rationibus probaretur: quod est contra rationem Fidei, ad quam videlicet sufficit, quòd probetur, Deum esse, qui loquitur; hoc enim semel probato, obligamur credere Deo loquenti, etiam si loquatur mysteria, quæ sint supra omnem discursum, *& quæ captui nostro appareant, quasi impossibilia: Et ideo* (inquit S. Petrus apud Clement.) *ante omnia Fidem Prophetæ omni cum examinatione oportet probari; quem cùm cognoveris esse Prophetam, de reliquo cuncta ei credere oportet; nec ultrà eum discutere per singula, quæ docet, sed habere firma & sancta, quæ dicit; quæ quamvis Fide suscipi videantur, antehabitâ tamen ratione creduntur: cùm enim semel ab initio veritas Prophetæ examinata constiterit, reliqua verò fide audienda sunt, & tenenda.*

LXVI. Et sanè Mahumetus ipse volebat sibi credi historias, quas referebat ex Veteri, & Novo Testamento, quin

quin ratione probaret res illas ita evenisse; & propterea volebat ante omnia credi, se esse Prophetam à Deo missum, quia existimabat, si semel hoc crederent auditores, facilè postea adducendos, ut crederent omnia, quæ ipsis testificaretur. Et tamen nullo argumento probavit, se esse Dei Prophetam. Cur ergo impostor iste reprehendit Christianos, quia dicimus, Deum esse trinum in Personis, quamvis hoc non demonstremus, nec rationibus probemus? id enim credimus, quia Christus Dominus ita docuit; & nobis manifestum est ex Evangelio, & traditione Apostolorum, ita Christum docuisse. Ut enim præclarè dixit Augustinus in Enchiridio ad Laurentium c. 4. *Quæ neque corporeo sensu expertissumus, neque mente assequi valuimus, aut valemus, eis sine ulla dubitatione credenda sunt testibus, à quibus ea, quæ divina vocari jam meruit, scriptura confecta est: quia ea, sive per corpus, sive per animam divinitus adjuti, vel videre, vel etiam prævidere potuerunt.*

LXVII. Ipse Augustinus in eo aliquando fuit errore, ut diceret, nihil esse credendum, quod non videtur, nisi certa demonstratione probaretur, verum esse; ut ipse testatur libr. 6. Conf. cap. 4. *Volebam enim* (inquit) *eorum, quæ non viderem, ita me certum fieri, sic ut certus essem, quòd septem, & tria decem sint.* Et hic error magnum erat impedimentum, ne Fidem Catholicam susciperet, in qua jubetur credi id, quod non demonstratur. Dicitque Sanctus Doctor, sibi accidisse, quod accidere solet homini, qui malum medicum expertus, etiam bono timet se committere: *Ita* (inquit) *erat valetudo animæ meæ, quæ utique nisi credendo sanari non poterat, & ne falsa crederet, curari recusabat, resistens manibus tuis, qui medicamenta Fidei confecisti, & aspersisti super morbos orbis terrarum, & tantam illis authoritatem tribuisti.* Cùm ergo anceps esset, & non auderet Fidem Christianam recipere, quia nesciebat, an vera essent, quæ docet; adfuit tamen in hac mentis fluctuatione lux de Cœlo, quâ intellexit, quàm justum erat, Fidem præbere mysteriis Religionis Christianæ, quæ in Scriptura Sacra continentur, quin præcederet ea demonstratio evidens, quæ de rebus naturalibus habetur. Et hanc rationem apud se formavit. Ego credo, & pro certis habeo in hac vita res multas, quas non video, & de quibus demonstrationem evidentem non habeo, v. g. *Tam multa in historia gentium, tam multa de locis, atque urbibus, quæ non vidi, tam multa medicis, tam multa amicis, tam multa hominibus aliis atque aliis, quæ nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus. Postremò inconcussè fixum fide retineo, de quibus parentibus ortus sum, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem.* Hinc intulit: si ego res has pro certis habeo, solùm quia eas legi in historiis authenticis, vel ab hominibus fide dignis audivi, & non possent homines in hoc mundo degere, nisi alii aliis crederent: justum ergo est, Fidem habere rebus, quæ in Scriptura Canonica narrantur, quæ tantam à Deo authoritatem accepit. Unde ajebat

bat cum Deo loquens: *Persuasisti mihi, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus authoritate fundâsti, sed qui non crederent, esse culpandos: nec audiendos esse, qui fortè mihi dicerent: unde scis, illos libros unius veri, & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos?* Redditque rationem, cur credendum sit, Scripturam Sacram, in qua continetur Fides Christiana, Deum habere authorem, & ab illo ministratam hominibus fuisse. Nimirum, quia evidens est: Deum esse, & curam nostrî gerere. *Ideóque cùm essemus infirmi* (subjungit Augustinus) *ad inveniendam liquidâ ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset authoritate sanctarum litterarum, jam credere cœperam, nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes jam terras authoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses.*

LXVIII. Ex quibus Augustini verbis conficitur hæc manifesta ratio ad convincendos Mahumetanos; quia cùm evidens sit, Deum esse, & Deum habere curam, & providentiam hominum, & certum quoque sit, velle illos salvos fieri cognoscendo, diligendo & colendo ipsum, evidens est, Deum habere aliquam Fidem, vel Religionem in mundo, quæ doceat ea, quæ Deus vult de ipso credi, & ea tradat, per quæ vult coli, & quæri: concluditúrque, hanc Religionem non esse aliam, quàm Religionem Christianam, quæ in Scripturis Sacris habet ea, quæ de Deo credi debent, & ea, per quæ Deus coli vult; quia credibile non est, Deum tantam authoritatem tributurum fuisse Libris Sacris, nisi ipse illos tribuisset hominibus, ut per ipsos dirigerentur ad credendum, sperandum, & operandum. Illa autem authoritas evidenter probatur ex miraculis Christi, & Apostolorum; ex adimpletione prophetiarum Veteris testamenti, quæ in adventu Christi, & fundatione Ecclesiæ Christianæ ad litteram completæ sunt; ex sanguine tot myriadum Martyrum; ex testimonio tot illustrium Doctorum; ex sanctitate, quâ floruerunt, qui hanc Fidem in mundo plantârunt; ex sanctitate, quam generat in iis, qui hanc legem observant, & ex aliis argumentis, quæ in hoc libro facta sunt.

Quare evidens est, esse ineptam rationem, qua Mahumetus ductus est ad negandam Trinitatem Personarum in Deo, quia hoc ratione demonstrari non potest: nam evidens est, hominem posse ac debere prudenter credere multa, quæ demonstrari non possunt, ut probat argumentum, quo convictus fuit Augustinus; quia inter homines vivere non possemus, nisi multa crederemus, quæ ratione evidenti non possunt convinci. Nihil autem credere potest homo majori authoritate, quàm sit ea, ob quam credimus Mysterium Trinitatis: credimus enim hoc, quia majori certitudine nobis constat, hoc Christum docuisse, quàm olim fuisse Julium Cæsarem, & Alexandrum Magnum, siquidem Evangelia Apostolorum majorem fidem merentur, quàm ulla historia humana. Rursus manifestis argumentis nobis constat, Christum mentitum, aut deceptum non fuisse,

sed

ſed veram doctrinam hominibus tradidiſſe. Ergo poſſumus ac debemus credere, Deum eſſe Trinum, quamvis id non poſſimus ratione demonſtrare.

LXIX. Rurſus convincitur, illam rationem Mahumeti eſſe abſurdiſſimam: quia ſi ſolùm homo poteſt credere de Deo ea, quæ per rationem naturalem demonſtrantur, pauciſſimi erunt homines, qui ſalvi fiant, quia pauci ſunt homines, qui eas demonſtrationes aſſequuntur, ad ídque multo ſtudio, & labore opus eſt: quid ergo erit de feminis ignorantibus, de ruſticis, de pueris? Nam ſupra fidem falſam de Deo, rebúſque divinis nequit fundari vera ſanctitas, & ſalus animæ.

Quare Doctores Chriſtianorum manifeſtè probant, ad ſalutem neceſſarium eſſe, ut per fidem multa credat homo, quorum veritatem aſſequi non poteſt per ſolum naturalem diſcurſum: quia cùm Deus ſit finis hominis, ad quem cognoſcendum, & amandum creatus eſt; & cùm evidens ſit, Deum eſſe infinitum, & incomprehenſibilem ab intellectu creato, evidens eſt, Deum habere perfectiones multas, quas ipſe ſolus cognoſcit, vel cui ipſe voluerit revelare: ac proinde evidens eſt, multas Deum habere perfectiones, quas homo certò cognoſcere non poteſt, niſi Deus eas revelare voluerit: ac proinde evidens eſt, non poſſe hominem pervenire ad cognoſcendum Deum, & divina ſine errore, niſi per viam fidei, nimirum credendo Deo loquenti ea, quæ per diſcurſum naturalem ſcire certò non poſſumus. Ergo ſtultiſſimum eſt, dicere, homines non poſſe credere Deum eſſe Trinum, quia id demonſtrare non poſſunt.

Hinc Magnus Doctor Chriſtianorum S. Thomas, ſecutus D. Auguſtinum 2. 2. q. 2. art. 3. & 4. inquirit duo: primum, *An credere aliquid ſupra rationem naturalem, ſit neceſſarium ad ſalutem?* Secundum, *utrum credere ea, quæ ratione naturali probari poſſunt, ſit neceſſarium?* Et ad utramque quæſtionem reſpondet affirmativè; & poſtquam probavit primum, tranſiens ad ſecundum, ſic in 4. art. inquit: *Dicendum, quòd neceſſarium eſt homini accipere per modum fidei, non ſolùm ea, quæ ſunt ſupra rationem, ſed etiam ea, quæ per rationem cognoſci poſſunt, & hoc propter tria. Primò ut homo citiùs ad veritatis Divinæ cognitionem perveniat: ſcientia enim, ad quam pertinet probare, Deum eſſe (nempe Metaphyſica, & Theologia) & alia hujuſmodi de Deo, ultimò homini addiſcenda proponitur, præſuppoſitis multis aliis ſcientiis, & ſic nonniſi poſt multum tempus vitæ ſuæ homo ad cognitionem Dei perveniret. Secundò, ut cognitio Dei ſit communior; multi enim in ſtudiis ſcientiæ proficere non poſſunt, vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes, & neceſſitates temporalis vitæ, vel propter torporem addiſcendi, qui omnes Dei cognitione fraudarentur, niſi proponerentur eis divina per modum fidei. Tertiò propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus divinis eſt multùm deficiens; cujus ſignum eſt, quòd Philoſophi, de rebus humanis naturali inveſtigatione perſcrutantes, in multis errave-*

runt, & sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubitata & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit, ut Divina eis per modum fidei traderentur, quasi à Deo dicta, qui mentiri non potest. Hactenus S. Thomas.

LXX. Ex his manifestè patet, Christianos prudenter sibi persuadere, Deum esse Trinum, & Unum, quamvis id ratione naturali non demonstretur: quia evidens est, Deum dignum esse, cui aliquid revelanti, & affirmanti credamus, quamvis non intelligamus, quo pacto se habeat illud mysterium, quod revelat. Nos autem habemus manifestissima argumenta ad nobis persuadendum, Deum revelâsse Trinitatem, illa scilicet omnia, quæ habemus, ad credendum Christum esse Deum, & Doctorem veritatis, quia moraliter evidens est, Christum hoc docuisse.

CAPUT DECIMUM.

Proponitur colloquium, quod Author habuit cum Mauro arguto, & inter suos erudito, qui nolebat Christianæ Fidei nomen dare, quia capere non poterat, quomodo Deus sit Trinus in Personis, & quomodo potuerit fieri homo. Ubi symbolis, & similitudinibus explicantur Mysterium Trinitatis, & Incarnationis.

§. I.

LXXI. POST finitam Missionem Malacensem factam Christianis ad finem anni 1669. dum ego Malacæ prædicabam Mahumetanis, & Catechumenos ad Baptismum instruebam, socius meus profectus est Sexifirmum, vulgò Velez Malaga, ad Missionem exhibendam Christianis: post Baptismum solemnem Catechumenorum, celebratum die S. Joanni Evangelistæ Sacro illius anni, illuc ego quoque migravi, Mahumetanis prædicaturus, ut enixè desiderabat Excellentissimus D. Marchio de Santillan, Dux Generalis per illas maritimas oras, & Excellentissima Marchionissa ejus uxor, uterque non minùs virtutum splendore, quàm natalium gloriâ illustris: quod & præstiti sub initium anni 1670. operam navante Excellentissimo Principe, ut Mahumetani omnes ibi commorantes, conciones audirent; posteàque celebratus est quoque Baptismus solemnis sex vel septem Mahumetanorum, qui ad Christum conversi sunt, quos in sacro fonte tenuerunt Excellentissimi Marchiones, & splendidis vestibus induerunt, ut majori cum decore sacra functio peragеretur.

LXXII. In hac civitate Mahumetanum inveni, Amete Solymam nomine, cæte-

cæteris Africanis, quos videram, argutiorem, & melioris indolis, qui non solùm linguam Hispanam expeditè loquebatur, sed libros nostros legebat, & legendo percurrerat totum symbolum fidei R. P. Fr. Ludovici Granatensis: erat vir pacatus, & modestus, fidelis & verax, & qui inter Christianos, tanquam vir probus & honestus habebatur, quia revera virtutibus moralibus erat præditus. Erat homo iste suæ sectæ tenacissimus, legémque suam exactè observabat. Propter has causas hujus viri conversionem præ reliquis desiderabam; quia si semel ad Christum transiret, multos secum ad fidem veram duceret, & nobis ad cæterorum conversionem maximo usui foret. Sed conversio infidelium non est hominis volentis, sed Dei miserentis. Illum publicè & privatim sæpè aggressus sum; audiebátque attentè argumenta, quæ conficiebam, & palam fatebatur, se nescire solvere ea argumenta: cæterùm non propterea cor suum inclinari ad Religionem Christianam; præcipua difficultas ipsum retrahens, erant duo præcipua Christianæ Fidei fundamenta, nempe Dei Incarnatio, & Trinitas Personarum. Deus, ajebat, unus est: si unus, quomodo trinus? Si trinus, quomodo unus? Non capio, non intelligo: hoc impossibile apparet: unitas essentiæ, & Trinitas Personarum inter se cohærere non possunt: unaquæque enim Persona suam essentiam habet: si ergo sunt tres Personæ, tres habent essentias, seu naturas: ergo erunt tres Dii. Rursus quomodo Deus immortalis potuit fieri homo passibilis, & mortalis? Hoc durissimum mihi videtur, & penitus impossibile, & ideo non possum amplecti Religionem Christianam.

Cùm ego animadvertissem hujus hominis bonam indolem, & ingenium percipiendi argumenta capax, decrevi seorsim cum illo de rebus fidei non raptim, sed ex instituto agere, & ideo illum mecum, ut famulum, ex Sexifirmo in Malacam deduxi, atque cum illo amicabiliter, & confidenter agens in itinere illo, quod novem vel decem leucis constat, de rebus Religionis fusè disputavi. Et imprimis illi exponere conatus sum mysteria illa, quæ illi difficultatem ingerebant. Ne existimes (ajebam) nos Christianos asserere in Deo tres Personas, ita distinctas & separatas, sicut unus homo distinguitur ab alio homine. Inter nos, ubi dantur tres Personæ distinctæ, necesse est, ut dentur tres homines; quia unaquæque Persona habet suam naturam humanam distinctam à natura humana alterius, nimirum distinctum corpus, & distinctam animam; & ideo tres Personæ humanæ sunt tres homines, quia ubi dantur tres Personæ, dantur tria corpora, & tres animæ, ac proinde tres naturæ humanæ: ubi autem reperiuntur plures naturæ humanæ, plures debent homines reperiri. At tres divinæ Personæ habent eamdem naturam divinam, easdem perfectiones, eumdem intellectum, eamdem voluntatem, eandem potentiam, & sic de reliquis perfectionibus: unde quamvis Personæ sunt tres, non sunt tres Dii, sed unus Deus, quia non habent tres essen-

tias,

tias, sed unicam simplicissimam. Natura Dei non constat corpore, & anima, sicut nostra; quia Deus non est substantia corporea, quæ manibus contrectari possit, vel sensibus corporalibus percipi; sed est substantia incorporea, spiritualis, & simplicissima, quæ solo intellectu cognosci potest. Habent ergo tres divinæ Personæ eamdem simplicissimam essentiam, seu naturam, & ideo tres divinæ Personæ non sunt tres Dii, sed unus. Certè si tres personæ humanæ, v. g. Petrus, Joannes, & Didacus, haberent idem omnino corpus, & eandem numero animam, essent tres Personæ, & tamen foret unicus homo. Cæterùm id in creatis non contingit, quia natura humana est finita, & limitata, ac proinde una natura solùm est capax existendi in una persona, & solùm est capax constituendi unam personam: unde natura Petri nequit constituere nisi personam Petri, & non potest constituere personam Pauli: at natura divina est infinita, & illimitata, & immensa, & ob hanc infinitatem postulat constituere plures personas inter se distinctas. Nonne vides, Amete, quamcumque personam creatam esse in spatio loci determimato, v. g. Malacæ, & non Matriti? Et nihilominus tu fateris, Deum simul esse hîc, & Matriti, in Hispania, & in Africa, & in omnibus locis simul: unde hoc? Certè respondebis, hoc competere Deo, quia Deus est infinitus, & illimitatus; substantia autem infinita non debet esse alligata alicui loco determinato, sed debet esse ubique præsens tota. Similiter ego dico tibi, quòd natura divina, quia est infinita, & illimitata, non existit in una sola persona, sed in tribus: naturæ autem creatæ, quia sunt finitæ, & limitatæ, & imperfectæ, non possunt ultra unam personam extendi; sed una natura unam tantùm habet personam.

LXXIII. Non debes cogitare, has divinas Personas esse ab invicem separatas, sicut invicem sunt distinctæ: sicut enim sunt distinctæ, quia una procedit ab alia, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio: ita sunt inter se inseparabiles, quia omnes existunt in eadem essentia divina. Sic corpus solis, radius solis, & calor solis, inter se sunt res distinctæ, quia corpus solis non est radius solis, sed est principium radii, & radius est principium caloris: & tamen sol, radius, & calor in una natura solis conjunguntur, & nunquam separantur, sed ubicumque existit sol, ibi existunt radius solis, & calor solis. Unde istæ tres Personæ sunt inter se omnino æquales in duratione, in sapientia, & cæteris perfectionibus: quamvis enim Pater sit principium Filii, & Pater & Filius sint principium Spiritus Sancti, tamen Pater non est antiquior Filio, nec Pater, & Filius sunt antiquiores Spiritu Sancto. Sic quamvis sol sit principium lucis, sol non est antiquior luce, quia nunquam extitit sol, quin habuerit lucem: & quamvis ignis sit principium caloris, & quasi pater caloris, tamen ignis non est antiquior calore, sed ab initio mundi fuerunt simul. Deus Pater non habet principium suæ durationis, quia semper fuit: nec Deus Filius, quia Deus Pater nunquam extitit, quin

quin produceret Filium, sicut sol nunquam extitit, quin diffunderet à se radium lucis, & in se lucem haberet.

Anima nostra una est, & cùm sit una dumtaxat, tres nihilominus habet potentias, quæ in illa semper existunt, & nunquam extra animam existere possunt, nimirum intellectum, voluntatem, & memoriam. Ad hunc ergo modum dico tibi, in Deo, qui unus est, tres existere Personas inter se realiter distinctas, quia inter se comparantur, tanquam producens, & productum; quæ tamen à Deo non distinguuntur, quia cùm Deus ob suam infinitam simplicitatem capax non sit compositionis, quidquid in Deo existit, Deus est. In creatis aliter se res habet, nam non omne, quod est in anima & corpore nostro, est idem realiter cum anima & corpore: siquidem anima nostra, & corpus nostrum sunt capacia compositionis, & mutationis.

§. II.

Rationes probabiliter suadentes pluralitatem Personarum in Deo.

LXXIV. QUòd in Deo debeat dari pluralitas personarum, tibi volo explicare hac ratione. Nam proprium est boni, esse communicativum sui, & majoris boni, esse magìs communicativum; ergo boni infiniti proprium est, se communicare infinitè. Sed Deus per productiones ad extra non se communicat infinitè: ergo habet ad intra aliquas productiones, per quas se communicet infinitè. Ideo ergo dicimus, Patrem æternum generare Filium æternum sibi consubstantialem, & Patrem & Filium producere Spiritum Sanctum sibi in omnibus æqualem, quia Deus habet infinitam bonitatem; ac proinde debuit habere naturam infinitè fecundam ad se diffundendum, & communicandum personis realiter inter se distinctis.

Sanè Deus per Prophetam Isaiam cap. 66. v. 9. dicit: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem aliis tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus?* Deus est summè perfectus; posse autem generare sibi similem, est perfectio: & sterilitas atque infecunditas est imperfectio. Ergo Deus habet perfectionem hanc fecunditatis, quòd possit generare sibi similem. Ergo Deus habet Filium sibi similem, & consubstantialem; & consequenter habet Filium, qui sit Deus. Nam sicut filius hominis est homo, & filius leonis est leo, ita Filius naturalis Dei debet esse Deus. Est ergo rationi maximè conforme, quòd in Deo non detur una tantùm Persona, sed plures. Quod alia ratione volo tibi exponere: certè Deus est summè felix, & summè beatus: ad cumulum autem felicitatis pertinet, quòd persona rationalis habeat aliam personam sibi similem, cum qua possit loqui, & cui possit secreta cordis aperire.

Nonne tibi videtur, quòd, quando Deus creavit Adamum, non creâsset illum in perfecta felicitate, si illum reliquisset

quisset cum solis brutis animalibus, cum quibus loqui, & communicare non posset, & non creâsset Evam ipsi similem, cum qua amicitiam & societatem habere posset? Attende, quæso: omnes creaturæ minùs sunt respectu Dei, quàm bruta animalia respectu hominis. Si ergo homo non esset cumulatè felix, si non haberet societatem cum alia persona humana, & maneret cum solis brutis animantibus; nec Deus esset cumulatè felix, si non haberet aliam Personam divinam, cum qua loqui, & amicitiam atque societatem habere posset. Quamvis enim Deus possit loqui cum Angelis & cum hominibus; tamen non potest cum illis loqui plenè, quia illi capaces non sunt, ut Deus integrè illis manifestet omnia, quæ scit. Et Deus loquens cum Angelis se habet, sicut vir sapientissimus loquens cum homine rustico & rudi; minùs enim capaces sunt Angeli comprehendendi, quæ Deus scit, quàm rusticus comprehendendi, quæ scit vir sapientissimus, & omnibus scientiis perfectissimè instructus. Unde sicut vir sapiens non esset cumulatè felix, si solùm posset loqui cum rusticis & ignorantibus: ita Deus non esset cumulatè felix, si solùm posset loqui cum creaturis. Præterea cùm Deus fuerit per totam æternitatem sine creaturis, non habuisset per totam æternitatem personam rationalem, cum qua loqueretur: ac proinde fuisset per totam æternitatem mutus, si non darentur multæ Personæ divinæ. Ergo dicendum est, dari multas Personas divinas, ut ita una possit perfectè loqui cum altera; & dari personam loquentem, & personam audientem & comprehendentem omnia, quæ alia persona ipsi loquitur. Dicimus autem, has personas esse tres, nec plures, neque pauciores.

§. III.

Exponitur, quomodo in DEO detur Pater, & Filius, & insuper Spiritus Sanctus.

LXXV. UT autem tu intelligas, quomodo in DEO dari possit Pater, & Filius, & præter Patrem & Filium detur tertia Persona, quam vocamus Spiritum Sanctum, id tibi exponere volo. Exposui autem suprà capit. 4. similitudine ducta ab homine seipsum intelligente & amante; nam dum se intelligit, format sui imaginem, quæ est quædam proles intellectûs, & dicitur Verbum; & cùm per hanc imaginem objicitur menti hominis eius bonitas & perfectio, homo producit amorem sui: & ideo ibi mens intelligens est quasi Pater, verbum mentis est quasi Filius, & amor à mente per verbum procedens, est quasi Spiritus. Et adduxi similitudinem speculi, quâ suprà cap. 4. generationem Filii in Divinis exposui; & progressus sum ad explicandam processionem Spiritûs Sancti.

Sicut enim quia DEUS est summè intellectivus, hoc ipso, quòd seipsum intelligat, producit per ipsum actum intelligendi imaginem quandam perfectissimam sui ipsius, quæ est Verbum repræsentans Deum, & omnia, quæ Deus potest facere, ac proinde est veluti ars quædam, & exemplar rerum omnium facti-

factibilium; ac proinde Deus per Verbum suum omnia produxit, sicut artifex in creatis fabricatur domum per exemplar, & simulachrum, seu idæam domûs, quam idæam intra se gerit, seu in mente sua format: ita, quia Deus est summè volitivus, producit per Verbum amorem quendam sui infinitè perfectum: nihil enim potest voluntate amari, nisi sit in intellectu conceptum. Hic autem amor procedens à Deo per Verbum, est tertia Persona, quam vocamus Spiritum Sanctum; quæ procedit à Patre & Filio per voluntatem & amorem; sicut Verbum, seu Filius procedit à Patre per intellectum.

LXXVI. Id ut aliquo modo percipias, reflecte supra id, quod in nobis contingit. Quando rem aliquam attentè, & seriò cogitamus, formamus intra nos quandam imaginem, quæ rem illam nobis repræsentat; si autem res repræsentata sit aliqua persona bona & pulchra, ex imagine illius rei oritur in nobis amor, impulsus, & inclinatio vitalis in rem illam cognitam & repræsentatam. Sic ergo Deus, seipsum contemplans & comprehendens, producit imaginem perfectissimam suarum perfectionum; & perfectiones illæ divinæ, ut repræsentatæ per eiusmodi imaginem, seu Verbum, rapiunt divinam voluntatem in sui amorem, ac proinde Deus Pater mediante illo Verbo, seu imagine perfectissima suæ bonitatis, & simul cum illo producit amorem quendam infinitum erga bonitatem illam repræsentatam per Verbum & in Verbo. Et hic amor productus est Spiritus Sanctus, & tertia Persona divina.

§. IV.

Cur in Deo dentur tres Personæ, neque plures, neque pauciores.

LXXVII. Unde percipies rationem, cur in DEO ponamus tres Personas, neque plures, neque pauciores. Ratio est, quia emanationes, seu productiones in Divinis accipi non possunt, nisi secundùm actiones, quæ in agente manent: huiusmodi autem actiones in natura intellectuali, & divina non sunt nisi duæ, scilicet *intelligere & velle*: unde productiones in Divinis non possunt esse nisi duæ, & Personæ divinæ non nisi tres: nam prima persona est omnino improducta, & innascibilis, nempe Pater, qui est origo prima, & fons divinarum Personarum: Pater per actionem intelligendi producit Verbum, seu Filium: Pater verò & Filius per actionem amandi producunt Spiritum Sanctum; & hîc sistunt divinæ processiones, seu emanationes. Quia ergo Deus est substantia spiritualis infinita, est Persona; quia est actu intelligens infinitè, per actionem intelligendi producit Verbum; & quia est amans infinitè, per actionem amandi per Verbum, & simul cum Verbo producit Spiritum Sanctum: & sic sunt tres Personæ divinæ.

Explicato mysterio Trinitatis, transivi ad explicandum Mysterium Incarnationis, & fusè illud exposui eo modo, quo illud exponit Sanctus Thomas opusculo 3. cap. 6. Cuius explicationem hîc apponere decrevi, ut Christi prædicator ad manum habeat dilucidam tanti mysterij expositionem; quæ licèt non sit pro-

proponenda rusticis Mahumetanis, si tamen inter illos sit aliquis perspicax, & acutus, & repugnantiam inveniat in illo mysterio, ei potest exponi, ut ego præstiti cum Amete Solimam.

§. V.

Quomodo exponendum sit Mysterium Incarnationis ex Sancto Thoma.

LXXVIII. *Cum dicimus, Deum hominem fieri, non existimes, Amete, hoc ita accipiendum esse, ut Deus convertatur in hominem, sicut aër fit ignis, cùm in ignem convertitur. Immutabilis enim est Dei natura: corporea autem sunt, quæ invicem convertuntur.* Spiritualis autem natura in naturam corpoream non convertitur, sed potest ei aliqualiter uniri propter efficaciam suæ virtutis, sicut anima unitur corpori, licèt humana natura ex anima constet & corpore; anima autem non corporeæ, sed spiritualis naturæ sit: omnis tamen creatura spiritualis deficit à simplicitate divina, multò ampliùs, quàm corporea creatura à simplicitate spiritualis naturæ. Sicut ergo spiritualis natura unitur corpori per efficaciam suæ virtutis, ita & Deus potest uniri tam spirituali quàm corporali: & secundùm hunc modum dicimus, Deum naturæ humanæ fuisse unitum. Est autem attendendum, quòd unumquodque maximè videtur esse illud, quod invenitur in eo esse principium; omnia autem alia videntur ei, quod est principium, adhærere, & quodammodo assumi, in quantum id, quod est principium, aliis utitur secundùm suam dispositionem: quod quidem patet non solùm in ordinatione civili, in qua principes civitatis quasi tota civitas esse videntur, & aliis utuntur secundùm suam dispositionem, ut sibi adhærentibus membris, sed etiam in adunatione naturali. Licèt enim homo naturaliter constet ex anima & corpore, principaliùs tamen homo videtur esse anima, quàm corpus, quod animæ adhæret, & quo anima utitur ad operationes animæ convenientes. Sic ergo, & in unione Dei ad creaturam, non trahitur Deitas ad humanam naturam, sed humana natura à Deo assumitur, non quidem ut convertatur in Deum, sed ut Deo adhæreat, & sunt quodammodo anima & corpus sic assumpta, anima & corpus ipsius Dei, sicut partes corporis, assumptæ ab anima, sunt quodammodo ipsius animæ membra. Est tamen in hoc aliqua differentia attendenda: nam anima, licèt sit perfectior corpore, non tamen totam perfectionem in se possidet humanæ naturæ; unde corpus sic ei advenit, ut ex corpore & anima compleatur una humana natura, cuius quædam partes sunt anima & corpus: sed Deus ita est in natura sua perfectus, ut plenitudini naturæ ipsius nihil adijci possit; unde cum natura divina non potest sic uniri altera natura, ut ex utraque una constituatur natura communis: sic enim natura divina pars esset illius naturæ communis, quod repugnat perfectioni divinæ naturæ; nam omnis pars imperfecta est: ergo Dei Verbum sic humanam naturam assumpsit, quæ ex anima constat & corpore, ut tamen nec altera transiret in alteram, nec ex duabus una natu-

natura conflaretur, sed post unionem duæ naturæ distinctæ remanerent, quantum ad proprietates naturarum. Est autem rursus considerandum, quòd cùm spiritualis natura corporeæ uniatur per spiritualem virtutem, quantò fuerit major virtus spiritualis naturæ, tantò perfectiùs & firmiùs sibi naturam inferiorem assumit. Est autem Dei virtus infinita, cui omnis creatura subijcitur, & unaquaque utitur pro suo arbitrio: non autem eis uteretur, nisi aliquo modo per efficaciam suæ virtutis uniretur eis. Tantò autem alicui naturæ perfectiùs unitur, quantò in ea magis suam virtutem exercet. Inter omnes siquidem creaturas virtutem suam exercet, quantum ad hoc, quòd omnibus esse largitur, & ad proprias operationes movet, & secundùm hoc quodam communi modo in omnibus rebus dicitur esse. Sed specialiori quodam modo virtutem suam exercet in mentibus sanctis, quas non solùm in esse conservat, & ad operandum movet, sicut alias creaturas, sed etiam eas convertit ad se cognoscendum & amandum, unde etiam sic in sanctis mentibus specialiter dicitur habitare, & mentes sanctæ Deo plenæ esse dicuntur. Quia ergo secundùm quantitatem virtutis, quam Deus exercet in creaturam, magis & minùs dicitur creaturæ uniri, patet, quòd, cùm efficacia divinæ virtutis humano intellectu comprehendi non possit, sublimiori modo Deus potest creaturæ uniri, quàm intellectus humanus capere possit. Quodam ergo incomprehensibili & ineffabili modo, dicimus, Deum unitum esse humanæ naturæ in Christo, non solùm per inhabitationem, sicut in aliis sanctis, sed quodam modo singulari, ita quòd humana natura esset quædam Filii Dei natura, & Filius Dei, qui ab æterno habet naturam divinam à Patre, ex tempore per assumptionem mirabilem habeat humanam naturam ex genere nostro; & sic quælibet partes humanæ naturæ ipsius Filij Dei dici possunt Deus, & quidquid agit, vel patitur quælibet pars naturæ humanæ in Filio Dei, potest attribui unigenito Dei Verbo. Unde non inconvenienter dicimus, animam & corpus esse Filij Dei, & oculos & manus, & quòd Filius Dei corporaliter videat per oculi visionem, & audiat per auris auditum, & sic de aliis, quæ partibus animæ, vel corporis convenire possunt. Huius autem unionis admirabilis nullum convenientius exemplum inveniri potest, quàm unio corporis & animæ rationalis. Est etiam non inconveniens exemplum de hoc, quòd Verbum nostrum in corde manet absconditum, & sensibile fit per assumptionem vocis & scripturæ. Sed tamen hæc exempla à prædicta unionis repræsentatione deficiunt, sicut & cætera exempla humana à rebus divinis. Nam neque Deitas sic unitur humanæ naturæ, ut sit pars alicuius naturæ: neque sic unitur humanæ naturæ, ut solùm significetur per eam, sicut verbum cordis significatur per vocem aut scripturam, sed sic ut veraciter Filius Dei habeat naturam humanam, & homo dicatur. Patet ergo, quòd non dicimus, Deum unitum esse corporeæ naturæ, ut sit virtus in corpore ad modum materialium & corporalium virtutum, quia nec intellectus ani-

mæ corpori unitæ sic est virtus in corpore; multò minùs ergo Dei Verbum, quod ineffabiliter & sublimiori modo sibi naturam humanam assumpsit. Patet etiam secundùm præmissa, quòd Filius Dei, & divinam naturam habet, & humanam; unam ab æterno, aliam ex tempore per assumptionem. Contingit autem, ab eodem plura haberi secundùm diversos modos, in quibus tamen omnibus semper, quod est principalius, habere dicitur; quod autem minus principale, haberi. Habet enim totum multas partes, ut homo manus & pedes; non autem dicimus è converso, quòd manus & pedes habeant hominem. Habet etiam unum subjectum multa accidentia, sicut pomum colorem & odorem, non è converso. Habet etiam homo aliqua exteriora, sicut possessiones & vestes, non è converso. In solis autem illis, quæ sunt partes alicuius unius essentiales, aliquando aliquid dicitur habere & haberi, ut anima corpus, & corpus animam. Et similiter in quantum vir & uxor in matrimonio conjunguntur, dicitur vir habere uxorem, & uxor virum. Et similiter in his, quæ per relationem uniuntur, sicut dicimus, quòd pater habet filium, & filius patrem. Si ergo sic uniretur Deus humanæ naturæ, sicut anima corpori, ut ex his constitueretur una natura communis, posset dici, quòd Deus habet naturam humanam, & humana natura habet Deum, sicut anima habet corpus, & è converso. Sed quia ex divina & humana natura non potest constitui una natura, propter perfectionem divinæ, ut dictum est, & tamen in prædicta unione principalius est, quod est ex parte Dei, manifestè consequitur, quòd ex parte Dei accipi oportet id, quod habet naturam humanam. Illud autem, quod per aliquam naturam dicitur esse, dicitur esse suppositum, vel hypostasis naturæ illius, sicut quod habet naturam equi, dicitur esse hypostasis, vel suppositum naturæ equinæ. Et si sit natura intellectualis, quæ habetur, talis hypostasis dicitur persona; sicut dicimus Petrum esse personam, quia naturam humanam habet, quæ est intellectualis natura.

Cùm ergo Filius Dei, unigenitum Dei Verbum, per assumptionem habeat humanam naturam, ut dictum est, sequitur, quòd sit hypostasis, vel suppositum, vel persona humanæ naturæ. Et cùm ab æterno habeat divinam naturam, non per modum compositionis, sed simplicis identitatis, dicitur etiam hypostasis, vel persona divinæ naturæ, secundùm tamen quod divina verbis humanis exprimi possunt. Ipsum ergo unigenitum Dei Verbum est hypostasis, vel persona duarum naturarum, divinæ scilicet & humanæ, in duabus naturis subsistens. Si quis autem objiciat, quòd humana natura etiam in Christo non sit accidens, sed substantia quædam, non autem universalis, sed particularis, quæ hypostasis dicitur, videtur consequi, quòd ipsa humana natura in Christo hypostasis quædam sit præter hypostasim Dei Verbi, & sic in Christo erunt duæ hypostases. Considerare debet, qui sic objicit, quòd non omnis substantia particularis hypostasis dicitur, sed solùm illa, quæ ab aliquo principaliori non habetur. Manus enim hominis substantia est quædam

particularis, non tamen potest dici hypostasis, nec persona, quia habetur à principaliori, quod est homo: alioquin in quovis homine essent tot hypostases, vel personæ, quot membra, vel partes. Humana ergo natura in Christo non est accidens, sed substantia, non universalis, sed particularis: nec tamen hypostasis dici potest, quia assumitur à principaliori, scilicet à Dei Verbo. Sic ergo Christus est unus propter personæ vel hypostasis unitatem, nec potest dici esse duo; sed propriè dicitur, quòd habet duas naturas. Et licèt divina natura prædicetur de hypostasi Christi, quæ est hypostasis Verbi Dei, quod est eius essentia, tamen humana natura non potest prædicari de eo in abstracto, sicut nec de aliquo habente humanam naturam. Sicut enim non possumus dicere, quòd Petrus est humana natura, sed quòd est homo, in quantum habet humanam naturam, ita nec possumus dicere, quòd Dei Verbum est humana natura, sed quòd habet humanam naturam assumptam, & ex hoc dicitur homo. Utraque ergo natura prædicatur de Verbo Dei, sed una in concreto tantùm, scilicet humana, ut cùm dicimus, Filius Dei est homo: divina verò natura, & in abstracto, & in concreto dici potest, ut quòd Verbum Dei est divina essentia, vel natura, & quòd est Deus.

Cùm autem Deus sit habens divinam naturam, & homo sit habens humanam naturam, per hæc duo nomina significantur duæ naturæ habitæ, sed unus habens utramque. Et cùm habens naturam sit hypostasis, sicut in nomine Dei intelligitur hypostasis Verbi Dei, ita in nomine hominis intelligitur Verbum Dei, secundùm quod attribuitur Christo. Et sic patet, quòd per hoc, quòd dicimus Christum DEUM & hominem, non dicimus eum esse duo, sed unum in duabus naturis. Quia verò ea, quæ conveniunt naturæ, attribui possunt hypostasi illius naturæ; hypostasis autem tam humanæ naturæ, quàm divinæ includitur, tam in homine significante divinam naturam, quàm in homine significante humanam, quòd est eadem hypostasis habens utramque naturam, consequens est, ut tam humana, quàm divina prædicentur de illa hypostasi, seu secundùm quod includitur in nomine significante divinam naturam, seu secundùm quod includitur in nomine significante humanam. Possumus enim dicere, quòd Deus Verbum Dei est conceptus, & natus de Virgine, passus, mortuus & sepultus, attribuentes hypostasi Verbi humana propter humanam naturam; & è converso possumus dicere, quòd homo ille est unum cum Patre, & quòd est ab æterno, & quòd creavit mundum propter divinam naturam. In his ergo tam diversis de Christo prædicandis distinctio invenitur, si consideretur, secundùm quod ista de Christo dicuntur. Quædam enim dicuntur secundùm humanam naturam, quædam secundùm divinam. Si autem consideretur, de quo dicuntur, indistinctè proferuntur, quia eadem est hypostasis, quâ divina & humana dicuntur: ut si dicam, quòd idem est homo, qui videt & audit, sed non secundùm idem; videt enim secundùm oculos, & audit secundùm aures. Idem etiam est pomum, quod videtur

detur & odoratur, sed hoc quidem colore, illud autem odore, ratione cujus dicere possumus, quòd videns audit, & audiens videt, & visum odoratur, & odoratum videtur. Et similiter dicere possumus, quòd Deus nascitur de Virgine propter humanam naturam, & homo ille est æternus propter divinam.

§. VI.

Explicatur Mysterium Incarnationis variis similitudinibus.

VAria adduxi symbola & exempla sensibilia, quibus huic Mauro emollirem difficultatem, quam experiebatur in credendo hoc mysterio: non quia existimarem, illa sufficere ad persuadendum mysterium tam arduum, & superans omnem humanum discursum; sed ut minorem difficultatem experiretur, & ut ostenderem, non esse impossibile, ut ipse existimabat.

LXXIX. Primò igitur explicui hoc mysterium exemplo *insitionis*, desumpto ex Theodoreto Dialogo *inconfusus*. Nam si tu haberes in tuo horto nobilissimum truncum pyri, habentem unum ramum, huic trunco posses inserere alium ramum, prunum, v. g. & tunc jam eadem arbor esset pyrus & prunus, produceretque duos fructus specie diversos, nimirum pyra & pruna. Et in eodem trunco, veluti in eadem hypostasi & supposito existeret duplex natura, & natura pyri, & natura pruni; nec propterea esset duplex arbor, sed unica, cui esset connaturalis natura pyri, quia cum illa nasceretur; natura autem pruni, licèt per *insitionem* appropriaretur ipsi, tamen ex se esset extranea à natura pyri. Sic ergo cogita Verbum divinum, seu Personam Filij Dei, tanquam arborem divinam habentem ex se ramum Divinitatis, & ferentem ex se fructus omnino divinos: huic divinæ arbori, & quasi nobilissimo trunco inseruit omnipotentia Dei ramum humanitatis; unde Verbum post incarnationem jam habet duplicem ramum; naturam quidem divinam tanquam sibi connaturalem, & secum identificatam: naturam humanam verò ex se quidem extraneam, quæ tamen per *insitionem* incarnationis inserta est personæ Filij Dei, & facta est propria Filij Dei. Unde eadem persona Filij Dei habet naturam divinam & humanam, ac proinde est Deus & Homo: unde Christus est una arbor cum duplici fructu, divino & humano; habet enim operationes Dei, quia est Deus, & operationes humanas, quia est Homo, sicut pyrus, cui inserta est prunus, habet duplicem fructum.

LXXX. Secundò idipsum explicui exemplo *ignitionis*, desumpto ex D. Basilio. Sumamus ferrum candens, vel carbonem ignitum: Nonne vides, quòd ignis totum ferrum penetrat, occupat, & ad suam puritatem & nitorem trahit, sibíque penitus adstringit & unit? Sic ergo considera, quòd Verbum divinum, tanquam ignis splendidissimus, totam naturam humanam Christi penetravit, & omnes ejus partes sibi univit. Nónne vides, quòd illa unio ignis cum ferro est ita intima, ut vix possimus alterum ab altero discernere, cùm tamen certum sit, ibi post ignitionem manere naturam ferri. Hoc ergo modo debes cogitare, unionem Verbi cum humanitate esse

penitissimam, & vi illius humanitatem totam esse imbutam, & refulgentem igne Divinitatis; & nihilominus manere cum distinctione à natura divina Verbi, à qua magìs illustratur & perficitur, quàm ferrum, vel carbo ignitus perficiatur ab igne secum penetrato. Et sicut durante unione ignis cum ferro, ferrum redditur incapax ferruginis, nigroris & frigoris, ita humanitas ratione unionis cum divinitate est incapax peccati & erroris, quorum foret capax, si non esset unita Verbo divino. Unde humanitas Christi differt à nostra, sicut differt carbo ignitus à carbone extincto, & sicut differt ferrum candens à ferro frigido. Denique advertere debes, quòd sicut beneficio unionis inter ignem & ferrum, operatio ignis tribuitur ferro, & operatio ferri tribuitur igni; dicitur enim ferrum splendere, calefacere, urere, accendere, & ignis potest dici secare, dividere, penetrare, condensari; imperfectiones tamen ferri ignem non afficiunt. Ita beneficio illius admirabilis unionis inter Verbum divinum & humanitatem, ea, quæ sunt hominis, tribuuntur Deo, & ea, quæ sunt Dei, tribuuntur homini: sic tamen ut imperfectiones humanitatis non lædant divinitatem; sicut ferrum sua nigredine non inficit ignem, cui conjungitur.

LXXXI. Sed potissimùm ad hoc mysterium explicandum usus sum exemplo *animationis*, *sicut enim anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*; ut inquit Athanasius in symbolo. Adverte, Amete, quanta sit distantia inter animam & carnem; anima enim est res subtilis, incorporea, simplex, viva, mobilis, pura, intelligens, immortalis, per se subsistens; caro est crassa, multiplex, impura, sordida, torpens, sensu & ratione destituta, corruptioni obnoxia; & tamen anima vi sua, suóque contactu carnem extollit, & ad se trahit, sibíque substantialiter unit, & unus ex utroque homo constat: & per hanc unionem caro fit spiritualis, pulchra, viva, mobilis, & bonorum animæ particeps, ita ut omnis honor, qui animæ defertur, simul etiam deferatur carni. Rursus caro non gestat animam, sed anima carnem, & hæc in anima veluti in sustentante recumbit, non autem anima in carne: unde caro ad hypostasim animæ elevata, & unita videtur. Præterea iste homo, v. g. Petrus, simul est anima & caro, vel ut magìs propriè loquar, animalis & carnalis; ut animalis animâ rationali, est incorporeus, immortalis, & ratione præditus; ut carnalis, est corporeus, mortalis, & ratione carens, &c. Denique quidquid operatur aut patitur caro, operatur vel patitur homo animalis: & quidquid operatur aut patitur anima, operatur vel patitur etiam homo carnalis. Ad hunc ergo modum licèt quoad perfectionem inter naturam humanam, & Deum sit infinita distantia; tamen potest Deus suâ infinitâ potentiâ naturam humanam in infinitam celsitudinem supra omnem creaturam attollere, & ad hypostasim, seu Personam Verbi (quæ naturæ humanæ, & singulis ejus partibus intimè præsens erat) insolubili & substantiali nexu adstringere & unire, ita ut jam non illa in se & per se, sed in Verbo, veluti ramus terrenus in cœlesti trunco, & veluti corpus in regente

gente & sustentante se animâ subsisteret. Nec idcirco Verbum mutari, sed humanitas elevari, ad Verbum trahi, & modum quendam inexistendi Verbo accipere debuit: sicut cùm magnes attrahit, & copulat sibi ferrum, non magnes, sed ferrum mutatur: cùm Angelus assumit corpus, non Angelus, sed corpus mutationem patitur: & cùm cera infunditur sigillo, ipsa, non sigillum mutatur. Hæc symbola adducit P. Lessius in tract. de Perfect. Divin. ad explicandum hoc mysterium, & illis ego usus sum ad imprimendam aliquam notitiam hujus veritatis illi Mauro, ne tantam difficultatem sentiret in ea credenda. Et in hoc colloquio aliquam partem viæ transegimus; sed quia ut inquit Isai. cap. 7. vers. 9. *Si non credideritis, non intelligetis*, priùs debet persuaderi, mysterium aliquod esse revelatum à Deo, ac proinde credi debet, quàm illud rationibus explicemus; quia rationes illæ homini habenti fidem deserviunt ad acuendam intelligentiam: ubi autem fides non præcedit, non sufficiunt ad persuadendum, illud mysterium esse verum: & ideo postquam explicui mysteria ista, aliam viam aggressus sum, quâ pergere debent, qui infidelibus volunt persuadere, vera esse mysteria nostræ fidei. Nam colloquium hucusque habitum in eum finem direxi, ut huic Mahumetano ostenderem, non esse impossibile Mysterium Incarnat. non autem ut rationibus persuaderem, debere ab illo acceptari, ut verum.

CAPUT UNDECIMUM.

Quomodo Prædicatores Evangelici persuadere debent Infidelibus, vera esse mysteria nostræ Fidei.

LXXXII. Quia mysteria nostræ Fidei sunt omnino supernaturalia, & superant omnem rationem, & discursum naturalem, ratione naturali non potest directè ostendi eorum veritas; quia quod est supra omnem rationem, ratione demonstrari non potest. Et ideo licèt possimus solvere, quæ contra illa objiciuntur (quia cùm impugnent veritatem, necesse est, ut sint fallacia argumenta, oppugnantia mysteria nostræ fidei) tamen non debet minister Evangelicus niti rationibus ad directè probandum illa esse vera: *Quæ igitur fidei sunt* (inquit D. Thom. 1. part. q. 32. artic. 1.) *non sunt tentanda probari, nisi per authoritates iis, qui authoritates recipiunt. Apud alios verò sufficit defendere, non esse impossibile, quod prædicat fides.* Unde Dionys. dicit cap. 2. de Div. Nomin. *Si aliquis est, qui totaliter eloquiis resistit, longè erit à nostra Phylosophia. Si autem ad veritatem eloquiorum scilicet sacro-*

sacrorum respicit, hoc & nos canone utimur. Hinc S. August. lib. de Fide, & symbolo cap. 9. circa finem ait: *Fides inconcussa tenenda est, ut dicamus istam Trinitatem unum Deum: nec temerè aliquid de invisibilibus affirmemus, tanquam scientes, sed tanquam credentes: quoniam videri, nisi mundo corde, non possunt.*

LXXXIII. Colloquium ergo cum Amete Solimam prosequens, addidi; hucusque tibi explicui, quomodo sine repugnantia, & contradictione intelligi possit, quòd Deus factus sit homo; & quomodo Christus possit simul esse Deus, & homo. Nunc verò aliâ viâ utar, ut tibi persuadeam, Christianæ Religioni nomen dare. Et imprimis, amice Amete, stultum est, quòd tu tibi persuadeas, mysteria Religionis Christianæ esse falsa, quia tu ratione, & discursu tuo non potes assequi, quomodo se habeant; sic enim negare deberes, ut falsum, omne illud, quod tuo discursu non potes comprehendere. Hoc autem est manifeste absurdum; multa enim sunt, quæ ratio naturalis non valet comprehendere. Inter Aristotelem, & alios Philosophos diu, acriterque disputatum est, an continuum componatur ex punctis indivisibilibus, an ex partibus semper divisibilibus in minores, & minores sine termino. Et hucusque nemo Philosophorum hanc difficultatem omnino vincere potuit, & veritatem palàm detegere. Rem illi explicui; quæstio est inter Philosophos, an si Angelus dividat hunc unguem in duas medietates, & rursus unam medietatem in alias duas, & sic deinceps, an aliquando perveniret ad punctum aliquod indivisibile, quod ampliùs non posset dividi. In qua quæstione Princeps Philosophorum Aristoteles negat, & multi cum illo: at Zeno cum aliis affirmat. Et nemo hucusque clarè ostendere potuit, quisnam eorum sit veritatem assecutus. Rursus tu certâ experientiâ cognoscis fluxus, & refluxus maris; & tamen, undenam illi proveniant, ignoras.

Nos omnino videre res à longe experimur, & interposito medio opaco eas non videre; & tamen ignoramus, quomodo fiat tam mirabilis visio in humore oculorum. Experimur homines tam felicis memoriæ, ut continuatâ serie multa recitare valeant: & tamen quomodo fiat illa memoratio, ignoramus. Scimus, ex rudi massa formari fœtum in ventre feminæ; & tamen quomodo id fiat, omnino ignoramus. Videmus, ex grano vel officulo arborem nasci, & quomodo id fiat, nescimus. Experimur magnetem attrahere ferrum, & quomodo attractio fiat, ignoramus. Et ut alia omittam, vos Mauri creditis corporum resurrectionem; & tamen discursus naturalis non assequitur, quomodo corpus conversum in vermes, in herbas, vel in pisces (quando scilicet ab eis devoratur) possit resurgere. Ergo stultum est dicere: Deus non est Trinus, quia ego non assequor, quomodo hoc possit esse: Deus non est factus homo, quia ego non capio, quomodo id fieri potuerit. Ratio stultitiæ est, quia ratio evidens demonstrat, Deum esse infinitum, & incomprehensibilem ab omni humano, imò ab

ab omni creato intellectu: si ergo est infinitus, poterit in se habere perfectiones aliquas, quas noster intellectus solo lumine naturali nequeat assequi: si est omnipotens, ergo potest aliquid facere, quod discursus humanus non potest assequi, esse possibile. Ergo stat Mysterium Trinitatis, & Incarnationis esse vera, quamvis tu non possis mente tua illa capere: ergo stultum est, asserere, *non ita est, quia ego non capio.*

LXXXIV. Nos Christiani non credimus hæc mysteria, quia illa intellectu nostro comprehendimus; sed quia Deus, qui nec fallere, neque falli potest, illa nobis revelavit: Deo autem loquenti credere debemus, quamvis non intelligamus, quomodo esse possit id, quod ipse dicit. Certè quod tibi difficultatem ingerit, difficultatem ingessit vehementem Philosophis, & sapientibus, qui extra Religionem Christianam educati impossibile primò judicabant, Deum esse Trinum, & Unum, & hominem crucifixum esse Deum; & tamen id postea firmissimè crediderunt, & in defensionem horum mysteriorum libros scripserunt, & multi eorum sanguinem pro hac fide profuderunt. Tales fuerunt Dionysius Areopagita, qui ad fidem Christi conversus est ab Apostolo Paulo (occasionem conversionis exposui ex Actibus Apostolorum cap. 17.) Insignis iste Philosophus cùm esset annos natus viginti quinque, & Heliopoli in Ægypto commoraretur, mirandam illam solis eclypsim, quæ tempore Passionis Domini contigit, vidit, & causam ignorans obstupuit, & postea ex Paulo cognoscens hoc prodigium accidisse in morte Jesu Christi, quem Paulus Atheniensibus prædicabat, hinc motus non parùm est ad amplectendam eam fidem, quam Apostolus prædicabat. Et postea illam scriptis illustravit, & pro hac fide Martyr occubuit, imitatus Magistrum suum Paulum, qui priùs magnâ blasphemiâ cogitabat, quod Apostoli prædicabant, nempe, Jesum Nazarenum à Judæis crucifixum esse Filium Dei naturalem; postea verò à Christo miraculosè conversus, ejus divinitatem, mortem, & resurrectionem, & reliqua Religionis Christianæ mysteria in magna orbis parte prædicavit, & tandem in hujus fidei defensionem martyrium passus est Romæ, simul cum Apostolo Petro. Talis etiam fuit conversio Justini Philosophi sapientissimi, qui postquam perscrutatus fuit omnes penè sectas, veræ sapientiæ adipiscendæ causâ, tandem ad fidem Christi conversus est, eámque doctissimis libris defendit, & Romæ pro ea martyrium subiit anno Christi 165. Talis quoque fuit Hilarius, qui cùm esset Philosophus Gentilis, desiderans veram Philosophiam invenire, libros Philosophorum legens, & in eis, quod quærebat, non inveniens, tandem libros Sacræ Scripturæ perscrutatus est, & planè cognovit, Scripturam Sacram Deum habere Authorem, & fidem Christi suscepit; & postea Episcopus Pictaviensis creatus, Fidem Catholicam, confitentem divinitatem Jesu Christi, & Trinitatem Personarum, acerrimè propugnavit contra Arrianos, ut constat ex ejus libris de Trinitate, in quorum principio suam conversionem scribit:

& denique plenus sanctitate & fide, multis undique virtutibus editis, ita ut & mortuos suscitaverit, migravit ad cœlos, anno Christi 369. Talis etiam fuit magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus, qui cùm esset subtilissimi vir ingenii, & in scientiis versatissimus, ex conversatione D. Ambrosii cœpit errores pristinos agnoscere, & tandem Catholicam Christi Fidem suscepit, omniáque illius mysteria, præsertim Trinitatem Personarum Divinarum, & Deitatem Christi contra hæreticos propugnavit.

Certè omnes isti, & multi alii, quos brevitatis causâ prætermitto, sapientiores multò erant, quàm tu; fuerúntque post conversionem Viri Sanctissimi, & dubitari non potest, quòd maximam experti sunt difficultatem in iis mysteriis, & tamen illa firmissimè crediderunt, & multi pro testificatione illorum vitam dedêre: cur ergo tu non credes, quod tot tam illustres sapientiâ, & sanctitate Viri post diligentem omnium sectarum discussionem crediderunt? Aut cur, quæso, illi sapientissimi Doctores captivaverunt intellectum suum ad credendum firmissimè mysteria, quæ non intelligebant, nisi quia urgentissima habuerunt fundamenta, quibus persuasi sunt, Deum revelâsse mysteria hæc, & Authorem esse Religionis Christianæ? Et inde benè intulerunt, hominem teneri credere Deo loquenti, quamvis loquitur mysteria, quæ excedunt naturalem nostrum discursum. Hæc autem fundamenta te etiam movere debent, ut id credas, quod illi crediderunt.

Dic mihi, quæso, si aliquis tuæ sectæ *Papaz* (sic vocant Sacerdotes, & Alfaquinos) esset vir eximiæ probitatis, & veracitatis, essétque sapientissimus, ita ut suspicari prudenter non posses, eum, vel ex ignorantia falli, vel ex malitia velle fallere, tibi asseveraret rem aliquam valde difficilem, & seriò testaretur, ita se habere; nonne illi affirmanti crederes? Respondit annuendo: crederem, inquit, quia ita mecum discurrerem: hic Vir est sapientissimus, & ego homo ignarus; ille multa scit, quæ ego ignoro; aliunde verò est Vir probus, & sanctus, qui neminem decipere curat: ergo prudentiæ erit, fidem illi tribuere. Benè dixisti: sed ex ore tuo te judico: si homini probo, & sapienti credere debemus, quæ narrat, quamvis ea per nostrum discursum non assequamur, cur non credemus Deo loquenti & testificanti? Hîc respondit: si ego scirem, Deum esse, qui loquitur, libentissimè crederem, quamvis essent mysteria altissima supra meum captum. Et tunc ego: optimè dixisti: sed inde convinceris, ut credas, Christum esse Deum, & in Deo non dari unam tantùm personam, sed tres, quamvis tuo discursu id capere non possis: quia ego tibi manifestissimè probabo, Deum revelâsse hæc mysteria, & manifestâsse mundo.

LXXXV. Ad hoc probandum adduxi argumenta illa, quibus libro præcedenti demonstravi Christi divinitatem. Primò quia Christus fuit Propheta Sanctissimus, & Doctor veritatis, ut tu fateris; at manifestum est, Christum de seipso dixisse, se esse Filium

lium Dei naturalem, verúmque Deum; siquidem hoc ab ejus ore audiêrunt Apostoli, & toti mundo prædicârunt, & persuaserunt, & in testimonium hujus veritatis martyrium subiêrunt. Secundò, quia Christus doctrinam illam evidentibus confirmavit miraculis. Tertiò, quia Apostoli per totum orbem dispersi hanc doctrinam innumeris signis confirmârunt. Quartò, quia pro illa testificanda multa centena Martyrum millia atrocissima passi sunt tormenta, cum sum̃a constantia & magna lætitia. Quintò, quia in hac fide singulis seculis floruerunt insignes Sancti, manifestis miraculis à Deo illustrati. Sextò, quia perfidi Judæi, qui Christum tanquam blasphemum occiderunt, à Deo deserti sunt, & severissimè usque modò puniuntur. Septimò, quia in sola Christi fide elucent notæ veræ Religionis, quas suprà breviter perstrinxi, & fusè in hac & præcedenti parte explicavi. Hæc & similia argumenta petita à motivis credibilitatis confeci: ad quæ obmutescebat Maurus, & fatebatur, se nescire respondere ijs argumentis.

Sed præcipuè institi primæ demonstrationi, quam suprà confeci. Hîc respondit Maurus, legem Christi fuisse quidem Sanctam, & à Deo datam, cæterùm non durâsse, nisi usque adventum Mahumeti; sicut lex Moysis fuit Sancta, & à Deo collata per Moysem, tanquam per Legatum & Nuntium Dei, & tamen non duravit, nisi usque ad adventum Christi. Ajebat ergo, has tres leges à Deo descendisse, & Moysem, Christum & Mahumetum fuisse Dei prophetas, & veras leges publicâsse; cæterùm duas priores jam cessâsse, & abrogatas esse, solúmque nunc in mundo esse veram legem Mahumeti.

LXXXVI. Et hæc est communis persuasio Authorum Mahumetanorum, qui Alcoranum exponunt; qui dicunt, hujus abrogationis Legis Christianæ, & subrogationis Legis Mahumetanæ præcessisse figuram in illis verbis Moysis Deuteronomij 23. *Dominus de Synai veniet, & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan.* Et insuper affirmant, id voluisse significare Christum Dominum Matth. 20. in illa parabola de patrefamilias, *qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.* Quam parabolam Mohammedus filius Ismaëlis, cognomento Albocharius, in parte trigesima Alcoranicarum traditionum refert à Mahumeto Propheta suo ita expositam fuisse. *Data fuit lex cultoribus Legis* (id est Pentateuchus) *qui operati sunt in ea usque ad meridiem; deinde delassati sunt, & acceperunt singuli denarium. Deinde traditum est Evangelium cultoribus Evangelij* (id est Christianis) *qui operati sunt in eo usque ad nonam; deinde delassati sunt, & acceperunt singuli denarium. Tandem datus est nobis Alroranus, & operati estis in eo usque ad occasum solis, & accepistis singuli binos denarios. Quamobrem dixerunt scripturales* (Judæi & Christiani) *Isti minus operati sunt, quàm nos, & plus acceperunt mercedis. Respondit Deus: Num feci vobis injuriam aliquid detrahens de mercede vestra? Responderunt. Non. Dixit Deus: hæc est gratia mea, quam dabo, cui mihi allibuerit.*

Hoc idem manifestè fatetur Mahu-

metus ipse in Alcorano, Capite seu Zorâ, & ut Arabes *loquuntur, Surath*, 57. cujus titulus est *El hadid*, id est, *Ferrum*. §. 27. his verbis: *Etiam quidem misimus Noë & Abraham, & posuimus in generatione eorum prophetiam & Librum: & inter eos quidam fuerunt directi, multi verò exerraverunt. Horum vestigia subsequi fecimus Legatos nostros, & subsequi fecimus Jesum Filium Mariæ, & dedimus ei Evangelium, & posuimus in cordibus eorum, qui secuti sunt eum, pietatem & misericordiam, & monasticam vitam ipsi adinvenerunt* (neque præcepimus eam illis) *tantùm ob desiderium placendi Deo: sed non servaverunt illam eo modo, quo debebant. Nos autem dedimus illis, qui ex eis crediderunt mercedem eorum: at multi ex illis prævaricati sunt.* Et Sect. 5. Mensa. §. 50. *Et subsequi fecimus vestigia eorum* (Prophetarum) *Jesum Filium Mariæ, confirmantem Pentateuchum, qui antea traditus fuerat: & dedimus ei Evangelium, in quo est directio, & Lux, & confirmat Pentateuchum datum antè; & est directio & communicatio piorum. Judicent itaque ij, qui profitentur Evangelium, id quod Deus revelavit in eo; & qui non judicaverint, juxta id quod Deus revelavit, erunt prævaricatores* Et ibidem §. 53. *Vnicuique vestrûm dedimus legem & normam, &, si voluisset Deus, fecisset vos gentem unam: sed ut probaret vos in eo, quod dedit vobis.* Explicat Gelal. *Vnicuique Vestrûm, ô Gentes, dedimus suam legem & viam claram & patentem Religionis, per quam incederetis: sed propterea divisit vos in varias gentes ac sectas, ut probaret vos per Leges varias, ac diversas, ut manifesti essent inter vos obedientes.* Alastadusita scribit in hunc locum. *Dicunt Expositores, significari per hoc omnes Religiones, quæ sunt inter se divisæ, quarum unicuique dedit Deus Legem & viam patentem in Religione. Sic Judæis dedit suam Legem, in quibus prohibuit id, quod voluit, & concessit id, quod voluit. Itaque Religio fuit una; Leges autem variæ, ac diversæ.* Idem ferè habent Jahia, filius Salimi, Mohaumedus. Abu. Abdallahus. Ebn. Abdallahus. *Vnicuique ex vobis posuimus Legem & normam. Dixit Cottada: Pentateuchus fuit Lex: & Evangelium fuit Lex: & Alcoranus fuit Lex; prohibuit Deus in eis, id quod voluit, & concessit id quod voluit. Et si voluisset Deus, fecisset vos gentem unam, id est, unius Legis Religionem.* Quibus verbis manifestè ostendunt hi Authores, Judaicam, Christianam & Mahumetanam fuisse eamdem, habuisse tantùm diversas Leges, omnes tamen bonas & sanctas, utpote traditas à Deo.

Sed contra evasionem illius Mauri, cum quo colloquebar validè insurrexi, & manifestis argumentis convici, esse apertum mendacium, quòd Deus miserit Alcoranum Mahumeto, & quòd post legem Christi successerit Lex Mahumetana, sicut Lex nova successit veteri. Idque constabit capite sequenti.



CAPUT

CAPUT DUODECIMUM.

Demonstratur, legem Mahumeti non successisse legi Christi, sicut lex Christi successit legi Moysis. Ubi exponitur, quomodo lex Christi non sit opposita legi Moysis, sed ejus adimpletio & perfectio: & convincuntur Judæi contendentes, Sacramentum Circumcisionis, & cæremonialia legis antiquæ debere in æternum durare, quia sunt à Deo instituta.

LXXXVII. Quòd autem Alcoranum non sit datum à Deo, nec ipsum habeat authorem, evincitur manifestè: quia Alcoranum continet doctrinam contrariam Evangelio, & apertè negat, quod Evangelium clarè docet, nempe Christum mortuum esse, & resurrexisse, Christum esse Deum, & dari in Deo Trinitatem Personarum, & manifestum est mendacium, quod Mahumetus pronunciat in quinto capitulo Alcorani, dicens: *Hic liber*, videlicet Alcoranum, *nec mendacium aliquod*, *neque aliquid præteritis Prophetis contrarium nuntiat.* Nam mors Christi, ejúsque Resurrectio erat prænuntiata à Daniele, à Davide & aliis Prophetis, ut infrà ostendam manifestè, & ab omnibus Evangelistis uniformiter docetur: unde Alcoranum hoc negans evidenter opponitur Prophetis & Evangelio, ac proinde non est liber à Deo missus, sed à diabolo inventus, & à Mahumeto confictus ad seducendum.

Unde contra evasionem Mauri insurgens, illi evidenter ostendi, legem Mahumeti non posse esse à Deo: quia cùm certum sit, legem Moysis, & legem Christi à Deo descendisse, ut ipsi Mauri confitentur; necesse est, ut lex Mahumeti non descenderit à Deo: quia Deus sibi contradicere non potest, & per unum Prophetam nequit priùs revelare unum mysterium, & per alium postea revelare oppositum. Deus autem per Prophetas antiquos revelavit, Christum moriturum & resurrecturum; Mahumetus autem apertè in Alcorano negat, Christum mortuum esse, ac proinde negat etiam resurrectionem, quia resurrectio mortem supponit. Rursus Christus manifestè docuit, se esse Filium Unigenitum Dei, verúmque Deum; & docuit in Deo dari tres personas: ídque scribunt Evangelistæ, & Apostoli omnes id mundo persuaserunt. Nam dum in orbem terrarum profecturi essent, ne ulla ex parte, aliqua vel apparens inter eos in annunciatione Evangelij diversitas esset, communi consilio quosdam Fidei Canones, quibus universam Christianam fidem perstringentes stabilirent, constituerunt; quos proprio nomine Dei Ecclesia *SYMBOLUM APOSTOLORUM* dicere consuevit, vel quia singuli ad illud perficiendum attulerint suam symbolam, vel quoniam, qui verè Christiani essent, eo symbolo velut

velut tesserâ militari, aut indicio dato, ab iis, qui falsò Christum prædicarent, dignoscerentur, ut docet Ruffinus D. Hieronymi coætaneus in præfatione expositionis symboli.

LXXXVIII. Ex his clarè cognoscere potes, Amete, Mahumetum non fuisse Dei Prophetam, sed seductorem. Ad hæc Maurus, ne cogeretur fateri, vel Christum ejúsque Evangelistas, & Apostolos falsam doctrinam prædicâsse, vel Mahumetum non fuisse verum Dei Prophetam, respondit, Evangelium, prout ex ore Christi manavit, atque ab ejus Apostolis, & Evangelistis descriptum est, absque falsitatis commixtione verum esse: cæterùm à posteris Christianis infectum, & falsificatum esse in multis, nimirum in illis omnibus, in quibus discordat ab Alcorano. Et hæc est communis solutio, ad quam recurrunt Mahumetani, quando fit argumentum contra ipsos ex libris Prophetarum, & Evangelistarum, quos ipsi ut libros Dei venerantur. Et sumitur ex Alcorano Zorâ 12. Videns enim Mahumetus, doctrinam suam esse contrariam Evangelio, quod ipse sæpe laudaverat, ne videretur sibi contradicere, dixit, Evangelia esse corrupta, & adulterata à Christianis, & se solum in suo Alcorano habere puram, & incorruptam doctrinam Christi & Prophetarum, qui ante ipsum præcesserunt. Hanc Mauri evasionem ita præclusi, támque patenter de falsitate convici, ut obmutesceret, & quid opponeret, non haberet. Et infrà seorsim adducam argumenta, quibus Christi prædicator possit hanc Mahumetanorum fabulam apertè confutare. Ad colloquium autem rediens hæc addidi.

LXXXIX. Lex Moysis sancta fuit, & à Deo data; cæterùm in illa nihil continetur, quod non concordet Evangelio: neque existimes, Amete, legem Christi esse contrariam legi Moysis; Christus enim ipse dixit, se non venisse solvere, sed adimplere legem Moysis: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat Cœlum, & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Matth. 5. v. 17. & 18. Si me interrogaveris, quomodo Christus dicat, se non venisse, ut legem solveret, sed adimpleret, cùm reipsa solverit, & abrogaverit, & post Christi adventum cessaverit lex Moysis? Respondeo tibi; verissimum esse, quòd Christus non venit, ut legem solveret, sed adimpleret; primò, quia quamdiu lex vigere debuit, ipse eam diligentissimè observavit (quamvis ad ejus observationem non teneretur, quia erat Deus) & ut Apostoli observarent, curam habuit; & ideo ipse, & Apostoli circumcisi sunt, & ascendebant quotannis ad Templum ad diem Festum. Secundò dicitur, non solvisse, sed adimplêsse, quia bene interpretando perfecit. Tertiò legem implevit, quia gratiam, per quam impleri posset, nobis attulit: ut enim inquit Evangelista Joannes cap. 1. v. 17. *Lex per Moysem data est, gratia autem per Jesum Christum facta est*, & ideo, ut ait Augustinus, priùs *jubebat*,

bat, sed non juvabat. Post Christi adventum, & jubet, & juvat. Quartò, quia, quæ in lege promissa erant, exhibuit, quæ cæremoniis & figuris adumbrata, repræsentavit.

XC. Itaque cùm in lege, & Prophetis quatuor essent partes, nempe promissa & vaticinia; præcepta Decalogi; cæremonialia atque judicialia, Christus omnia complevit: promissa & vaticinia complevit, exhibendo, quæ promissa & prædicta erant: præcepta moralia Decalogi complevit, meliùs interpretando, & falsas expositiones Scribarum, & Pharisæorum rejiciendo: complevit cæremonialia, exhibendo illa, quæ per cæremonias repræsentabantur, & adducendo veritatem illarum figurarum, & corpus illius umbræ, ut pro Circumcisione carnis Baptismum, & Circumcisionem cordis; & pro sacrificiis animalium & avium Sacrificium sui Corporis in Cruce offerendum; & pro sacrificiis & oblationibus panum & farinæ, sacrificium incruentum Corporis & Sanguinis sui in Eucharistia: denique complevit judicialia, quia præmia & supplicia, corporea & temporalia, quæ lex Moysis promittebat, vel comminabatur populo illi rudi & carnali, Christus in spiritualia & æterna commutavit.

XCI. Quare legem illam antiquam Christus abrogavit, non solvendo, sed adimplendo; non violando, sed perficiendo; sicut pictor (ut Theophil. ait) inchoatæ, & extremis tantùm lineamentis adumbratæ imagini, dum ultimam apponit manum, & colores adhibet, priorem imaginem abolet, & novam inducit; abolet autem non dissolvendo, sed absolvendo; non delendo, sed perficiendo.

Unde lex Moysis, & lex Christi non comparantur inter se, tanquam duæ leges specie diversæ, & inter se oppositæ; sed tanquam duæ leges respicientes eundem finem, quarum altera imperfectè, altera perfectè illum finem attingit; vel potiùs tanquam una & eadem lex, secundùm statum perfectum, & imperfectum: non differunt illæ duæ leges, sicut differunt homo & brutum; sed sicut differt homo, dum est vir, à seipso, dum est puer. Lex antiqua data est per Moysem à Deo Populo Israëlitico, sicut puero: lex Evangelica data est generi humano à Deo per Christum Filium suum, sicut viro. Genus humanum sub lege veteri erat in statu pueritiæ; sub lege autem novâ est sub statu virilitatis & perfectionis: ut enim inquit S. Thomas 1.2. quæst. 91. art. 5. ad 1. *Sicut Paterfamilias in domo alia mandata proponit pueris, & alia adultis: ita etiam unus Deus in suo regno aliam legem dedit hominibus adhuc imperfectis existentibus, & aliam perfectiorem jam manuductis per priorem legem ad majorem capacitatem divinorum.*

CXII. Itaque lex potest considerari secundùm finem, ad quem ordinat homines, & secundùm propinquitatem ad finem, vel distantiam ab illo. Si primo modo consideretur, *Lex nova non est alia à lege veteri* (inquit S. Thom. 1.2. quæst. 97. art. 1. *Quia utriusque est idem finis, scilicet ut homines subdantur Deo; est autem unus Deus,*

& novi & veteris Test. secundùm illud Rom. 3. unus Deus est, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Si autem consideretur secundo modo, *Lex nova est alia à veteri: quia lex vetus est quasi Pædagogus puerorum*, ut Apostolus dicit ad Galatas 3. lex autem nova est lex *perfectionis, quia est lex charitatis, de qua Apostolus dicit*, Coloss. 3. *quòd est vinculum perfectionis.*

Quare lex nova comparatur ad veterem, sicut perfectum ad imperfectum; & quia omne perfectum adimplet id, quod imperfecto deest, ideo lex nova adimplet veterem, in quantum supplet illud, quod legi veteri deerat, ut docet ibidem art. 2. idem S. Doctor. Quamvis autem aliqua dederit præcepta Deus hominibus in illo statu legis veteris, quæ cessârunt, adveniente & promulgata lege nova, quia illa erant convenientia pro illo statu, & non erant convenientia pro statu legis novæ; tamen non revelavit Deus de seipso aliquid in lege veteri, quod negaverit in nova: in lege veteri sub umbris, & figuris significavit Trinitatem personarum, licèt non proposuerit expressè hoc mysterium illi populo rudi, ne sumeret inde occasionem existimandi, esse tres Deos: manifestationem huius mysterii reservavit tempori legis novæ, in quo misit Unigenitum suum in mundum, ut ipse, qui est in sinu Patris, enarraret. Benè quidem potest Deus in uno tempore revelare, & manifestare aliquod mysterium, quod in alio non revelavit; nequit tamen illud ipsum, quod prius de seipso affirmavit, postea negare: ut constat ex prima nostra demonstratione, pag. 57.


Creavit Deus primum hominem in gratia, & justitia originaria ad finem supernaturalem visionis beatificæ, amoris, & gaudii inde resultantium, eo pacto & conditione, ut si observaret præceptum, non edendi fructus arboris scientiæ boni & mali, conservaret sibi, & derivaret in posteros eam gratiam & justitiam; si autem peccaret, eam amitteret sibi & posteris, omnésque manerent sub captivitate peccati, & potestate diaboli. Peccavit Adamus, & totam posterorum massam corrupit, infecítque peccato, & subjecit se, & omnes suos posteros captivitati diaboli; Deus autem summè bonus & misericors decrevit, Filium suum Unigenitum in hunc mundum mittere, ut indutus carne diabolum vinceret, & captivos eriperet de ejus tyrannica potestate. Decrevit autem differre hujus mysterii executionem per multa sæcula propter rationes, quas expendit D. Thom. 4. contra gent. cap. 55. num. 9. & 3. part. quæst. 1. art. 5. Præstituit tamen tempus convenientius ad tanti mysterii dispensationem: Ut autem pararet sibi populum, in quo erat nasciturus, apparuit Abrahæ, illúmque elegit in patrem credentium, & Abrahæ posteros multiplicavit, ut ex illis constitueret Synagogam: filios Israël in signis, & portentis eduxit de Ægypto; promisit adventum Messiæ, & Salvatoris per Prophetas, dedit legem populo Israël, eique dedit præcepta moralia, quæ semper erant permansura, scribens in tabulis lapideis decem

decem præcepta Decalogi, quæ in prima creatione impresserat tabulis cordis, quia videlicet illa erant penè obliterata ex multitudine peccatorum, quæ mentem obcæcabant; dedit etiam præcepta quædam cæremonialia de sacrificiis & oblationibus, quæ adumbrabant, & repræsentabant sacrificium mortis & Passionis Christi: dedit etiam præcepta judicialia, quasi propria illius populi, ut illum separaret à consortio Gentilium, ne ex illorū contubernio & cōmunicatione inciderent in peccata fœdissima, quibus idololatræ contaminabantur. Ut autem reciperent Messiam, quando veniret, prænuntiavit per Patriarchas & Prophetas tempus & locum, ubi & quando erat nasciturus: & mores ejus, miracula, Discipulos, & mortem præsignavit, sub velis tamen & figuris, ut fides locum haberet. Tota autem illa lex antiqua erat imperfecta, ejúsque finis erat, disponere homines ad suscipiendum Messiam venturum, & legem perfectam ab eo promulgandam.

XCIII. Quod egregiè explicat S. Thō. 4. contra gent. cap, 55. num. 9. *Quia hoc requirit conditio humanæ naturæ, ut non statim ad perfectum ducatur, sed manuducatur per imperfecta, ut ad perfectionem perveniat: quod & in instructione puerorum videmus, qui primò de minimis instruuntur; nam à principio perfecta capere non valent: similiter etiam, si alicui multitudini aliqua inaudita proponerentur & magna, non statim caperent, nisi ad ea assuescerent: sic igitur conveniens fuit à principio, ut humanum genus instrueretur de iis, quæ pertinent ad suam salutem per aliqua levia, & minora documenta per Patriarchas & Prophetas; & tandem in consummatione temporum perfecta doctrina Christi proponeretur in terris*, secundùm quod Apostolus dicit ad Galat. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum in terris*: & ibidem dicitur: *Quòd lex pædagogus noster fuit in Christo: sed jam non sumus sub pædagogo.* Et sicut ad adventum magni regis oportet aliquos nuntios præcedere, ut præparentur subditi ad eum reverentiùs suscipiendum: ita oportuit, adventum Dei in terras multa præcedere, quibus homines essent parati ad Deum incarnatum suscipiendum: quod quidem factum est, dum per præcedentia promissa, & documenta hominum mentes dispositæ sunt, ut faciliùs ei crederent, qui antea prænuntiatus erat, & desiderantiùs susciperetur propter priora promissa.

XCIV. Postquam autem Christus venit, debuit cessare lex vetus quoad præcepta cæremonialia & judicialia, & quoad Sacramenta, quæ habebat lex illa; quia lex quoad illas cæremonias, & leges municipales, separantes Judæos à Gentilibus, debuit cessare, quando venit Christus, qui in illis præfigurabatur, & qui veniebat ad salvandos omnes homines, & congregandam unam Ecclesiam ex Judæis & Gentilibus, juxta illud Pauli ad Ephes. 2. vers. 14. *Qui fecit utraque unum.* Et cùm omnia Sacramenta ex Passione Christi efficaciam habeant, sanè Sacramenta, quæ præcesserunt Incarnationem Christi, talia esse debuerunt, ut significarent, & quodammodo repromitterent salutem futuram ex Christi Passione; unde cessare debuerunt,

runt, postquam Christus redemptionem generis humani sua morte consummavit; & debuerunt illis succedere Sacramenta, quæ hominibus reipsa salutem exhiberent ob meritum passionis jam præsentis. Et hinc confutatur error Judæorum, qui credunt, Sacramenta legalia, propter hoc quòd à Deo sunt instituta, in perpetuum esse servanda; cùm Deus non pœniteat, neque mutetur. Confutatur, inquam, quia ut optimè inquit D. Thom. 4. contra gent. c. 57. *Absque aliqua mutatione, vel pœnitentiâ disponentis fit, quòd diversa disponat secundùm congruentiam temporum diversorum, sicut paterfamilias alia præcepta tradit filio parvulo, & alia jam adulto; sic & Deus congruenter alia Sacramenta & præcepta ante Incarnationem tradidit ad significandum futura, alia post Incarnationem ad exhibendum præsentia, & memorandum præterita.* Quare post Passionem Christi cessare debuit circumcisio, quia hæc instituta fuit in signum fidei Abrahæ: fides autem Abrahæ fuit commendata in hoc, quòd credidit divinæ promissioni de futuro semine, in quo benedicerentur omnes gentes, id est de futuro Christo, & ideo quamdiu hoc erat futurum, oportebat protestari fidem Abrahæ in circumcisione: sed postquam hoc jam est perfectum, oportet idem alio signo declarari, scilicet Baptismo, qui in hoc circumcisioni succedit, secundùm illud Apostoli ad Colossens. 2. *Circumcisi estis, circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti in Baptismo.* Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 3. ad 4. Audiamus etiam D. August. tom. 1. lib. de Vera Relig. cap. 17. egregiè explicantem, quo pacto lex nova veteri non opponatur, sed utraque à Deo sit. *Quisquis autem* (inquit) *ideo negat utrumque testamentum ab uno Deo esse posse, quia non eisdem Sacramentis tenetur populus noster, quibus Judæi tenebantur, vel adhuc tenentur: potest dicere, non posse fieri, ut unus paterfamilias justissimus aliud imperet eis, quibus servitutem duriorem utilem judicat; aliud eis, quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Si autem præcepta vitæ movent, quòd in veteri lege minora sunt, in Evangelio maiora, & ideo putatur non ad eundem Deum utraque pertinere; potest, qui hoc putat, perturbari, si unus medicus alia per ministros suos imbecillioribus, alia per semetipsum valentioribus præcipiat ad reparandum, vel obtinendum salutem. Vt enim ars medicinæ, cùm eadē maneat, nec ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita divina providentia, cùm sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè subvenit, & pro diversitate morborum aliis alia jubet, aut vetat, ut à vitio, unde mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suam & essentiam, ea, quæ deficiunt, id est ad nihilum tendunt, reducat & firmet.*



CAPUT

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Demonstratur, legem Christi non potuisse abrogari per legem Mahumeti, quamvis lex Moysis sit abrogata per legem Christi.

XCV. HIs sic explicatis, ad Maurum conversus, nonne vides, inquam, Amete, quomodo inter se bene cohæreant, quòd Deus sit Author legis Mosaicæ, & legis Christi? At minimè cohæret, quòd sit Author legis Christi, & simul Author legis Mahumeti: nam Deus nequit mentiri, neque quod semel revelavit, potest falsificare. At per Christum docuit homines, Deum esse Trinum in personis, ipsúmque Christum esse Filium suum Unigenitum, quem in hunc mundum misit ad salvandum genus humanum per mortem & & Passionem suam; mundóque per Apostolos persuasit, hominem crucifixum esse Deum, & tertia die resurrexisse, & Corpus suum, & Sanguinem hominibus reliquisse in Sacramento Altaris; Baptismum esse necessarium ad salutem, circumcisionem autem jam cessâsse. Cùm ergo Mahumetus hæc omnia neget, evidenter convincitur, eum non fuisse Dei Prophetam, sed seductorem, qui honesto Religionis titulo imperium usurpavit.

Clarissiméque hoc perspicere potes: nam quia, postquam Deus dedit legem perfectam per Christum, in lege veteri per Patriarchas & Prophetas promisit Christum, illiúsque adventum prænuntiavit, & prædixit omnia, quæ futura erant tempore legis novæ. Si ergo Deus missurus erat in mundum perfectissimum Legislatorem, maximúmque Prophetarum, qualem vos Mahumetum fuisse creditis, illius adventum prænuntiavisset in lege Moysis, & in lege Christi, ut scilicet mundus eum, tanquam Dei Prophetam susciperet, & legem ab eo promulgatam ad salutem necessariam amplecteretur. At manifestissimum est, nec Deum in veteri Testamento, nec in novo promisisse Mahumetum, nec in illo fuisse à Christo prænuntiatum, nisi sub generali ratione falsorum Prophetarum, cùm dixit Matth. 24. v. 11. *Multi Pseudo-Prophetæ surgent, & seducent multos.* Ergo certum est, Mahumetum non fuisse Dei Prophetam, nec legem dedisse, ut verum Dei ministrum.

XCVI. Sed miseri Mahumetani meridiana in luce caligant, & credunt, illum fuisse prænuntiatum à Moyse & Christo; cæterùm Judæos & Christianos in odium Mahumeti delevisse ea, quæ in scripturis de eo erant prænuntiata: ídque credunt, quia Mahumetus ipse in Alcorano ad præoccupandam hanc objectionem testatur, mentionem fieri de eo in veteri & novo Testamento. Siquidem *Zorâ* 60. affirmat, Dominum nostrum JESUM Christum eum prænuntiâsse, & in Evangelio suo hæc verba posuisse: *Amen amen dico vobis, quòd post me venturus est Apostolus Dei, qui voca-*

vocabitur Mahumed, seu Mahumetus. Refert autem Theatrum vitæ humanæ tom. I. fol. 559. esse opinionem apud Mahumetanos, in cap. 14. Joan. v. 16. ubi nos legimus, *Ego rogabo Patrem, & alium paraclytum dabit vobis*, antea loco paraclyti legi *Mahumed*, quasi Christus dixisset: *Ego rogabo Patrem, & Mahumetum dabit vobis.*

XCVII. Verùm hoc esse insigne mendacium, facilè evincitur, quia eadem Evangelia, quæ in Ecclesia leguntur, fuerunt in Ecclesia Christi ante adventum Mahumeti, ut constat ex expositionibus Sanctorum Patrum Hieron. Ambr. Basilij, Nazianzeni, Athanasij, Chrysostomi, Augustini & Gregorij, qui ante Mahumetum floruerunt; nam hic postremus mortuus est anno Christi 604. Mahumetes verò anno 631. reliqui autem multò antè floruerunt. In ijs enim expositionibus, nec apud ullum scriptorem, nec in aliquo exemplari, vel versione Evangeliorum mentio ulla facta est Mahumeti: certum est autem, non potuisse Christianos, vel Judæos in odium Mahumeti corrumpere scripturas, antequam Mahumetus in mundum venisset. Deinde cùm Moyses Deuteronomij 4. severissimè prohibuerit, aliquid addere, vel detrahere Sacris Scripturis dicens: *Non adijcietis ad verbum, quod ego præcipio vobis, neque auferetis ab eo.* Et cùm Joannes Apocal. 22. idipsum prohibens, dicat: *Si quis apposuerit ad hæc, apponat Deus super eum plagas scriptas in libro isto, & auferat eum de libro vitæ*: quis nisi stultus credat, Judæos vel Christianos voluisse à sacris litteris abradere nomen Prophetæ, quem Deus illis promitteret, præsertim antequam cognoscerent, qualis futurus esset. Idque ampliùs constabit ex dicendis infrà, quando probabimus, scripturas non esse corruptas. Constátque manifestè, easdem extare nunc veteris Testamenti versiones, quæ extiterunt tempore Christi, & ante ejus adventum, in quibus nulla mentio Mahumeti fit.

Estque manifestũ, Paraclytum, quem Christus promisit Joannis 14. non esse Mahumetum: nam adventus illius Paraclyti promittitur futurus intra paucos dies Actor. 1. v. 15. *Non post multos hos dies:* Mahumetus autem venit post sexcentos annos. Secundò, quia illum Paraclytum promittit Christus Apostolis, ut eos instrueret: *Ille vos docebit, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Joann. 14. 26. Mahumetus autem Apostolos non docuit. Tertiò, quia Christus dixit, illum Paraclytum esse invisibilem: *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.*

XCVIII. Alio etiam argumento evidenti probavi illi Mauro, legem Mahumeti non esse datam à Deo post legem Christi, sicut lex Christi fuit data post legem Moysis. Quia si res ita se haberet, lex Mahumeti esset perfectior lege Christi, & lex Christi foret dispositio ad legem Mahumeti, sicut lex Moysis fuit dispositio ad legem Christi. Deus enim in instructione generis humani procedit ab imperfecto ad perfectum, ut suprà explicuimus cum S. Thom. At hoc est manifestè falsum; quia Christus in Evangelio docuit altissimam vitæ sancti-

sanctitatem, quam posuit in ardenti, & perfecta Dei dilectione; & ad eam assequendam altissima dedit consilia, contemnendi divitias, honores, & delectationes carnales, abnegandi seipsum, sumendi Crucem suam, diligendi inimicos, tolerandi injurias, & exercendi perfectissima omnium virtutum opera, patientiam, humilitatem, continentiam, temperantiam, &c. & omnium virtutum se exhibuit exemplar perfectissimum. Hanc autem perfectionem lex Mahumeti non præcipit, nec consulit; immò in Alcorano docet, ut fideles reddant malum pro malo, & easdem injurias, molestias, atque læsiones inferant aliis, quas ab illis patiuntur; & carnis delectationibus laxat habenas, tantúmque abest, ut virginitatem, vel castitatem consulat, ut ejus observationem censeat impossibilem: sic enim in Alcorano ait: *Nocturnos coitus cum mulieribus promittit nobis Deus, sciens nobis hujus rei abstinentiã, tum difficilem, tum impossibilẽ esse.* Ipsíque Mahumetani dicunt, nimis arctam & spiritualẽ esse legem Christi; propterеáq; sapienter egisse Altissimum, mittendo Mahumetum Regnis Arabum, cum lege laxa ac facili: ipséque Mahumetus in Alcorano inquit: *Deus nequaquam difficilia, seu ardua requirit à nobis.* Et sæpe dicebat, se missum fuisse à Deo, ut legem Christi, quæ nimis rigida erat, temperaret, & per mitiora præcepta homines duceret in Paradisum.


Ipsáque impura Mahumeti vita evidenter probat, illum non fuisse Dei Prophetam: quod latè in hoc colloquio huic Mauro exposui, & infrà seorsim proponã.

CXIX. Denique illam Mauri evasionem manifestè confutavi, quia si lex Mahumeti comparatur ad legem Christi, sicut lex Christi comparatur ad legem Moysis, sequitur, legem Christi post adventum Mahumeti abrogatam jam esse, sicut abrogata fuit lex Moysis post adventum Christi; ac proinde jam homines in illa non salvari, sicut post adventum Christi non salvantur in lege Moysis. At hoc esse evidenter falsum, constat primò: quia post adventum Mahumeti floruerunt singulis sæculis in Ecclesia Christi multæ feminæ, & viri sanctitate insignes, & gloriâ miraculorum illustres; Deus autem sectatores falsarum sectarum miraculis, & signis non illustrat. Et ideo in Synagoga, postquam Christus venit, nullus extitit Propheta, nullus homo, qui gloriâ miraculorum claruerit, cùm tamen ante adventum Christi tot miracula, & prodigia operatus fuerit Dominus per Moysem, per Josue, per Eliam, per Elisæum, aliósque Viros Sanctos: & ratio est, quia, postquam Christum occiderunt, & ejus Apostolos persecuti sunt, ablata sunt eis omnia supernaturalia beneficia, & privilegia consueta, gratia prophetiæ, efficacia miraculorum, reprobatáque sunt à Deo eorum Sacrificia: quod hoc argumento probat Chrysostomus, nam Deus in lege illa præcipiebat, ne sibi offerrentur sacrificia extra Templum Hierosolymitanum: ergo cùm templum illud destruxerit Deus, in vindictam occisionis Christi, utens tanquam instrumento Imperatoribus Tito & Vespasiano, signum est, jam sacrificia illa reprobâsse.

Quod hoc simili explicat: nam si ægrotus enixè à Medico postulâsset facultatem bibendi vinum, eámque concessisset Medicus, eo pacto & conditione, ut non biberet, nisi per talem scyphum, quem ipsi assignâsset, & postea vas illud Medicus ipse infringeret, planum est, quòd Medicus hoc facto protestaretur, se nolle, ut ægrotus vinum gustaret. Hoc ergo pacto dicimus, jam Deo non placere sacrificia & victimas Hebræorum, quia destruxit Templum, in quo unicè licebat illi populo sacrificia Deo offerre. Abstulit ergo Deus ab illo populo Charismata supernaturalia, & ejus sacrificia reprobat, omnémque illam excellentiam vaticiniorum, miraculorum, privilegiorum, & Divinorum Charismatum transtulit in Apostolos, & in Christi Ecclesiam, in qua semper floruerunt, & nunc florent; quod signum manifestum est, Deum Ecclesiam Christi diligere ut Sponsam, & velle eo modo coli, quo illa à Christo, & Apostolis edocta præscribit. Alio deinde sensibili, & manifesto argumento hoc ipsum comprobatur, quia Deus statim post peccatum primorum parentum Christum promisit, qui diabolum vinceret, ut deducunt communiter Patres ex verbis illis, quæ Deus adversùs serpentem pronuntiavit: *Ipsa conteret caput tuum.* Genes. 3. vers. 16. Promisit ejus adventum Abrahæ, Genes. 22. vers. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Et Patriarcha Jacob Genes. 49. vers. 10. prædixit Christi adventum illis verbis: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.* Prædixit etiam, & promisit Moyses Deut. 18. v. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus, &c.* Promisit, & prænuntiavit per alios Prophetas ejus adventum variis signis præfigurans: & cùm venit, dedit illi potestatem, faciendi magna & stupenda miracula, ut ipse Mahumetus in Alcorano Zorâ 1. testatur. Introducit enim Angelum loquentem cum Maria sub hac forma: *O Maria omnibus viris, & mulieribus splendidior, mundior, atque jucundior! tibi ab universitatis Creatore mittitur summi nuncii gaudium cum Verbo Dei, cujus nomen est Jesus Christus, qui est facies omnium gentium in hoc futuróque sæculo, sapiens, vir optimus; ipse Deus Filium tuum cum divina virtute venientem edocebit librum legiferum, omnísque Magisterii peritiam, & Testamentum, ac Evangelium. Ille cæcos, & mutos curabit, morpheaticos, ac leprosos mundabit, mortuos creatore cooperante vivificabit, &c.* Hæc Mahumetus de Christo; cùm tamen de seipso in Alcorano dicat, *Non sibi datum esse, signum aliquod facere*, ut testatur Carthusianus lib. 2. art. 9. p. 103. fatéturque, *se esse Prophetam ignorantem.* Si ergo Deus tot retrò millibus annorum per Prophetas & Patriarchas promisit Christum, illúmque, & legem ab eo dandam prænuntiavit, ipsúmque tot prærogativis & excellentiis ornavit, quales nec Moysi, neque ulli Prophetarum unquam concessit, quis, nisi stultus, potest credere, legem ab illo tot prodigiis inductam & propa-

propagatam, solùm sexcentis annis durâsse? Si lex Moysis, quæ imperfecta erat, & solùm dispositio ad legem Christi, duravit ultra mille, & quingentos annos (nam ab egressu filiorum Israël de Ægypto usque ad Christi Nativitatem transiêrunt 1518. anni) quis mentis compos credere potest, legem Christi perfectam solùm sexcentis annis durâsse? Si umbra, & figura tantopere duravit, res figurata & significata quomodo potuit tam citò finiri? Quorsum tot miraculorum & Prophetiarum apparatus, si lex Christi tam exiguo tempore erat permansura? Quomodo Angelus dicit Luc. 1. vers. 33. *Dabit illi Deus sedem David Patris sui, & Regni ejus non erit finis?* Si ejus Regnum, & Ecclesia intra tam breve temporis intervallum interiturum erat.

C. His auditis argumentis obmutuit Maurus, & fatebatur, se nescire illis respondere: non potui tamen ei persuadere, ut Baptismum peteret. Illum in nostro Collegio Malacensi Religiosi perhumaniter tractârunt; ego verò ad extremum illum amicabiliter, & familiariter alloquens, dixi: Amice Amete, coram Deo ignorantiam allegare non poteris: ego tibi veritatem manifestè annuntiavi. Si adhuc dubitas, an ego vera locutus sim, Deum roga, ut tibi veritatem manifestet, ut tenebras mentis tuæ illuminet, & te doceat viam salutis. Post tot argumenta audita, saltem debes dubius manere, an tibi sit necessarium ad salutem æternam, Religionem Christianam suscipere: agitur hîc de summa rerum; Deum ergo enixè roga, ut te illuminet; & ut merearis à Deo illuminari, vitia fuge, pietatem sectare, Deum super omnia dilige, & proximum sicut te ipsum, & decem præcepta Decalogi diligenter observa; hæc enim omnes homines obligant. Donavi illi doctrinam Bellarmini, & rogavi, ut attentè legeret explicationem mysteriorum nostræ sanctæ Fidei, sperans, fore ut aliquando veritatem agnosceret: & post multa charitatis signa, & amicabilem amplexum, Maurum dimisi. Audivi postea, hunc hominem gravi morbo oppressum, Baptismum petiisse. Rem tamen satìs exploratam non habeo, maximam tamen spem concepi, eum tandem moriturum Christianum.



LIBER QUARTUS.

IN QUO DEMONSTRATUR, CHRIstum mortuum esse, & resurrexisse, contra id, quod Alcoranus fabulatur: & exponitur, cur Deus fieri voluerit homo passibilis, & ostenditur, nec novum, nec vetus Testamentum fuisse corruptum à Christianis, ut Mahumetus finxit.

CAPUT PRIMUM.

Demonstratur contra Mahumetanos, Christum mortuum esse, & resurrexisse, indéque evidenter ostenditur, Alcoranum mendaciis, & fabulis plenum esse.

I. NICOLAUS de Cusa Cardinalis in sua Cribratione Alcorani lib. 1. cap. 3. ait; totam intentionem Mahumeti in Alcorano hanc esse, ut scilicet persuadeat, *Christum*, seu Messiam, nec Filium Dei esse, neque pro hominibus crucifixum, & mortuum: quoniam Christum Filium Dei esse, & in Cruce mortuum, est fides illa, quæ vincit diabolum, & mundum, & sola est vera, & perfecta, & nulla fides præter illam resistere potest diabolo, & dare victoriam & immortalem vitam in Regno Cœlorum intellectuali, incorruptibili; ideo hoc medio sathan de mundo ipsam Evangelicam fidem omnino eliminare conatur.

Mahumetus igitur in Alcorano lib 2. Zorâ 6. qui intitulatur de Josepho, sic inquit: *Judæi Mariæ blasphemiam, & immoderatam contumeliam inferunt, séque Christum Mariæ Filium, Dei nuntium peremisse perhibent, sed nequaquam eum, sed sui similem suspendentes interfecerunt*. Estque inter Mahumetanos opinio, seu error satis communis, JESUM Christum eâ horâ, quâ Judæi eum comprehendere voluerunt, posuisse figuram suam in Juda proditore, sícque Judæos, Jesum capere existimantes, Judam cepisse; ut testatur Carthusianus lib. 2. art. 21. pag. 158. & mihi narravit Maurus quidam Matriti ann. 1670. id ipsum, & ideo in alio cap. seu Zorâ Alcor. ait Mahumetus; *Judæi JESUM illudere æstimantes, ab eo sunt illusi*. Doct. Petrus de Cavalleria in suo *Zelo Christi* p. 129. testatur, Mahumetum in Alcorano Zorâ 3. de Judæis loquentem, hæc habere: Dicunt super Mariam men-

mendacium magnum, & dicunt: *Nos occidimus Messiam JESUM Filium Mariæ, nuntium Dei: non occiderunt, neque suspenderunt, sed sic simulatum fuit eis.* Et paulò pòst: *Non occiderunt eum veraciter, immò elevavit eum Deus ad se.* Itaque Mahumetani credunt hanc fabulam Alcorani, quòd Christus non sit mortuus, sed alius ejus similis, ut testatur etiam R. P. Fr. Antonius de Castillo in suo Itinerario Hierosolymitano lib. 3. cap. 4. pag. mihi 178.

Quis non miretur, Mahumetum Virum sagacem, & callidissimum id ausum fuisse negare, quod non solùm Christiani, sed etiam Judæi & Gentiles, & universus orbis ut rem manifestam supponebant, nempe JESUM Nazarenum fuisse à Judæis in Crucem actum? res enim hæc publica fuit, & toti orbi nota, Pilatúsque Judææ Præses sententiam pronuntiavit, & res coram infinita hominum multitudine peracta est. Quòd negaverit Christi Divinitatem & Trinitatem Divinarum Personarum, aliáque mysteria supernaturalia, adeo mirandum non est: cæterùm quòd negare ausus sit historiam apud nationes omnes notam, & litteris contestatam à Christianis, à Judæis, imò ab ipsis Gentilibus, manifestè probat hujus nebulonis immanem absque fronte mentiendi audaciam. Hic error similis est Hæresi Basilidis, de quo ita scribit Epiphan. Hæresi 24. *Basilides confingit nobis alium fabulæ actum, non JESUM passum esse asserens, sed Simonem Cyrenæum. Nam quoniam, dum Dominus Hierosolymis educeretur, velut Evangelij series habet, coëgerunt quendam Simonem Cyrenæum ad portandum Crucem: hinc reperit, ut nequitiæ suæ tragædiam confingeret. Et illum* (inquit) *qui portabat Crucem, transformavit in suam speciem, & seipsum in Simonem, & pro seipso tradidit Simonem, ut crucifigeretur. Cùm autem ille crucifigeretur, stabat ex opposito invisibilis JESUS, deridens eos, qui Simonem crucifigebant. Ipse verò discessit ad Cœlestia, tradito Simone ad crucifigendum, & illæsus processit ad Cœlum.*

II. In similem errorem lapsus est Manichæus, dicens, non Christum, sed diabolum fuisse crucifixum: sic enim ait, apud August. lib. de fide contra Manichæum cap. 22. *Inimicus quippe, qui eundem Salvatorem, justorum Patrem, crucifixisse se speravit, ipse est crucifixus: quo tempore aliud actum est, aliud ostensum. Princeps itaque tenebrarum affixus est Cruci, idémque spineam coronam portavit cum suis sociis, & vestem coccineam habuit; acetum etiam & fel bibit, quod quidam Dominum potâsse arbitrati sunt; atque omnia, quæ hic sustinere visus est, tenebrarum ducibus irrogata sunt.*

Eundem errorem tenuerunt Marcionistæ & Cerdoniani; qui in eo tamen differunt à Mahumeto, quòd illi negabant, Christum veram habuisse carnem; Mahumetus verò verè natum fuisse ex María fatebatur: ut enim inquit Augustinus lib. de Hæresibus cap. 21. Cerdoniani dogmatizabant, *Christum neque natum ex femina, nec habuisse carnem, neque verè mortuum, neque quidquam passum, sed simulâsse Passionem.* Et ut ait ibid. cap. 14. *Marcus nescio quis, qui Hæresim condidit, negans resurrectionem carnis, & Christum non verè, sed putativè*

tivè passum asseverans. Et de Manichæis testatur lib. contra Epist. Manich. eos docuisse, Christum non veram, *sed simulatam carnem oculis ostendisse, nec pertulisse, sed simulâsse passionem.* Sed omnes isti Hæresiarchæ inimici Crucis Christi suggillantur ab Augustino, & his omnibus dicere possumus, quod dixit S. Doct. Manichæis lib. de fide cap. 33. *Miseri! non timetis, ut dicatur vobis in judicio: Ego eos liberavi, pro quibus passus sum: Ite, ille vos liberet, cui meas adscribitis pasiones.*

III. Impugnatur verò hoc delirium & manifestum Mahumeti mendacium. Primò, quia falsificat prædictiones Prophetarum, qui annuntiârunt Christi mortem; ut illam Danielis cap. 9. *Post hebdomadas septuaginta annorum occidetur Christus*, & illud Psalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea &c.* Et illud Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit; & dolores nostros ipse portavit. Ipse autem vulneratus est propter scelera nostra, & livore eius sanati sumus, & posuit Dominus in eum iniquitates omnium nostrûm: oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, tanquam ovis ad occisionem ducetur &c.* Hunc textum Isaiæ legebat in curru suo eunuchus Reginæ Candaces, cùm Deus miraculosè adduxit Philippum, qui eum illi exponeret, ipsúmque baptizavit. Act. 8. v. 28. Neque dicere potest Mahumetus, Judæos corrupisse & adulterâsse scripturas; tum quia id esse evidenter falsum, sect. sequent. ostendam; tum quia, cùm nulla sit in testamento veteri illustrior prophetia, clariúsve probans, Jesum Nazarenum esse Messiam, & Christum promissum in lege antiqua, nihilominus Judæi perfidi, quorum maximè intererat, quòd ex Scripturis non constaret, illum esse Christum, nunquam ausi sunt negare, Danielem scripsisse illa verba, & cùm Christiani & Judæi sint inter se maximè contrarij, habéantque Scripturas veteris Testamenti secundùm varias versiones, etiam interpretum, qui floruerunt ante Christum, in omnibus exemplaribus veteris Testamenti leguntur illæ prophetiæ eodem tenore verborum. Et sanè si appareret aliquod verisimile fundamentum, ad asserendum, Prophetiam Danielis esse adulteratam, id non dissimularent Iudæi, ne tam apertè convincerentur illo textu.

Impugnatur secundò, quia ipse Mahumetus in Alcorano Zorâ 44. quæ appellatur Zora de Maria, vocat Dominum Iesum *Verbum Veritatis*, & Prophetam Sanctissimum, qui nunquam falsum locutus sit. Et tamen, dum dicit, eum non fuisse crucifixum, illum facit Prophetam mendacem. Siquidem Christus ipse Matth. 20. duodecim Discipulis in unum congregatis dixit: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.*

Tertiò, quia facit Christum impium erga Virginem Matrem, cui secretum illud non manifestavit: constat enim, illam acerbissimos passam fuisse compassionis dolores juxta Crucem, quos non pateretur, si sciret, eum, qui inter

duos latrones pendebat, non esse filium suum, sed Iudam proditorem, vel alium, cui Deus impressisset Christi figurã.

Quartò, quia eclypsis illa Solis, quæ accidit in morte Crucifixi, fuit planè & evidenter miraculosa; siquidem accidit in Paschate Iudæorum, quod nunquam nisi in diem 15. Lunæ primi mensis incidebat, cùm Luna est plenissima. Hoc autem prodigium simul cum aliis, quæ in morte Crucifixi acciderunt, manifestè probat, eum, qui crucifixus est, fuisse verum Christum.

Quintò, quia, ut ostendi disp. præcedent. Christus suam Resurrectionem manifestis argumentis probavit; Resurrectio autem mortem supponit.

Sextò, quia si indecens non fuit, Deum permittere, ut Christus Vir Sanctissimus & innocentissimus à Iudæis comprehenderetur & flagellaretur, ut Mahumetus supponit, fuisse comprehensum & flagellatum, neque indecentia ulla reperiri potest in eo, quòd permiserit crucifigi. Ut quid autem illam metamorphosim & illusionem Deus decerneret?

Septimò, quia cùm quatuor Evangelistæ, qui Evangelia sua scripserunt diversis locis & temporibus, tam diligenter, & tam uniformiter narrent omnia, quæ attinent ad Passionem Christi, cùm tamen miracula breviter perstringant; id sanè non fecerunt, nisi ex impulsu divino, & quasi Spiritûs Sancti amanuenses. Deus autem illos movere non potuit ad scribenda mendacia: ergo verissimũ est, Christum mortuum esse.

Octavò, quia cùm Apostoli dispersi sunt per universum mundum, symbolum Fidei composuerunt, in quo expresè docetur: *Christum crucifixum, mortuum & sepultum fuisse. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Matth. ult. & fidem contentam in illo symbolo, quæ rem docet humanæ sapientiæ incredibilem, nempe hominem inter duos latrones crucifixum esse unigenitum Dei Filium, verúmque Deum, mundo persuaserunt sine armorum violentia, sine sensuum blandimento, pauci homines ignobiles, infirmi, prædicantes contemptum omnium eorum, ad quæ humanus appetitus rapitur; quos homines sequi, crimen erat morte plectendum, & brevi tempore urbem mundi dominam expugnârunt, & meliorem mundi partem: quod sine ingenti miraculo, & divinâ potentiâ fieri non potuit; Deus autem nequit miracula facere ad radicandã in mundo fidẽ falsam.

Nonò, quia mysterium Crucis Christi innumeros Sanctos Christo peperit, qui eò ardentiùs Christum diligentes, quò ignominiam Crucis pro se indigniùs pertulit, carceres, Cruces, innumeráque tormenta pro Christo alacriter passi sunt; in eísque impletum est illud Christi verbum: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* Credibile enim non est, fidem falsam, & quæ Crucifixum crederet, qui crucifixus non fuit, talem potuisse generare sanctitatem.

Decimò quia miracula, quæ per signum Crucis Deus operatus est, & quotidie operatur, & honor, quem Deus exhiberi voluit Cruci, quæ ante Christum erat ignominiæ signum, manifestè probant, Christum in Cruce morientem eam virtutem Cruci communicâsse.

CAPUT SECUNDUM.

Crucis miracula clarè probant, Christum in ea mortem sustinuisse.

IV. Miracula Crucis illustriora enumeret Christi prædicator ad confundendos Mahumeti sectatores. Observat Baronius, divina quadam dispensatione factum esse, ut supplicium, quod Barabbæ duplici ex causa debebatur, tum ut latroni, tum ut homicidæ, converteretur in Christum, cujus nulla esset mortis causa; ut Dei Filius pro redemptione totius generis humani Crucem subiret, quæ tam apud Judæos, quàm apud Gentiles, insigne salutis esset. Signandos namque esse signo *THAV*, qui liberandi essent ab ira Dei, Ezechieli Prophetæ fuit divinitus demonstratum cap. 9. & apud Ægyptios istud signum Crucis in Sacris eorum litteris significâsse vitam, Ruffin. 2. hist. 29. Socrat. lib. 5. cap. 17. Sozomen. & alii testantur. Vide Breviarium Rom. die 3. Maii, quâ celebratur Inventio S. Crucis ab Helena Augusta, & quomodo miraculo fuerit distincta à reliquis latronum: contigit hæc Inventio anno Christi 326. Ea fuit in partes divisa, & una delata Romam, alia Constantinopolim, quæ autem maxima pars relicta est Hierosolymis, jugi miraculo per particulas distributa, semper tota integra permansit, ut testatur Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die 3. Maii, idémque testantur S. Paulin. Epist. 11. ad Sever. & S. Cyrillus Catech. 10. ubi affirmat, totum terrarum orbem ligno S. Crucis Hierosolymis accepto locupletatum esse.

Idem autem Bar. ibidem testatur, Græcos aliam etiam de S. Cruce celebrare consuevisse solemnitatem ad 16. Kalendas Junii, quâ recolitur memoria admiranda illius apparitionis Crucis signi supra Hierosolymam meridie factę, cujus rei gestæ historiâ S. Cyrillus tunc ejusdem Civitatis Episcopus exactè describit post Catech. Et die 14. Sept. celebrat Ecclesia Exaltationem S. Crucis, quando Heraclius Imperator, Cosrhoë devicto, eam de Perside Hierosolymam reportavit; miracula verò, quæ tunc contigerunt, satis comprobant, Sacrum illud Lignum contactu Corporis Christi sanctificatum fuisse. Petavius affirmat, S. Crucem restitutam esse ann. Christi 628. & sequenti vere Hierosolymam Heraclium illam summa veneratione transtulisse. Concordat Baron. in notis Martyrolog. affirmans, contigisse hanc translationem ann. 19. Imperii Heraclii, id est, anno Christi 629. quo tempore Mahumetus vivebat; & transportationem S. Crucis in Persiam, ejúsque recuperationem factam ab Heraclio non ignoravit; quò magìs innotescat hominis impudentia, qui negare ausus est mortem Christi in illa Cruce, pro

qua totus orbis Christianus pugnavit.

V. Inter apparitiones S. Crucis insignis est illa, quam promeruit Constantinus Magnus Imperator, quam describit Eusebius lib. 1. vitæ Constantini cap. 22. & sequentibus, & ex ipso Baronius ad ann. 312. Cùm enim Urbem Romanam ex Tyrannide Maxentii, armata manu *eripere statuisset*, déque belli ancipite alea, & Marte communi diligentiùs cogitaret, Deorúmque imbecillitatem jam aliquoties perspicuè cognovisset, *ad Deum Christianorum confugit, eúmque solum observare, & colere statuit*, inquit Eusebius. *Quocirca hujus opem imploravit precibus, ut, tum quisnam esset, illi significaret, tum rebus, quas apud animum proposuisset, dexteram adjutricem porrigeret. Imperatori igitur ista precanti visio quadam divina, & imprimis admirabilis apparuit*; quam ipsemet post victoriam narravit Eusebio Cæsariensi, qui eam litteris prodidit, etiam jurejurando interposito: *Cùm jam Sol* (verba sunt Eusebii) *ad medium Cælum ascendisset*, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, dixit, se Crucis signum, ex lucis splendore figuratum, in ipso Cœlo, Soli imminens, manifestis oculis aspexisse, *& in eo inscriptionem consignatam: IN HOC VINCE. Admiratio ingens ipsum, & totum exercitum, qui eum comitabatur, atque adeo hujus facti spectator factus erat, incessit. Sed dubitatione admodum inter se distrahi, quidnam ostentum illud sibi vellet, asseruit, atque eum diu multúmque de eo cogitantem oppressit nox; ibi ei dormienti Christum Dei Filium, cum signo in Cœlo monstrato visum esse, præcepisséque, ut exemplari ad imitationem illius signi, quod in Cælo apparuerat, fabricato, eo tanquam præsidio in præliis cum hostibus committendis uteretur: simul atque dies illuxit, surgens Constantinus, primò arcanum illud visum amicis exponit: deinde artificibus, qui aurum & lapides pretiosos affabrè sculpere noverant, accersitis, medio inter illos loco assidet, verbis signi describit effigiem, eámque auro, & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat.* Et hanc effigiem ab artificibus sculptam vexilli, seu labari Imperialis hastili infigi jussit, cujus formam ibi describit Eusebius, tandémque concludit: *Isto igitur salutari signo Imperator, tanquam hostilis cujuscunque, & infestæ violentiæ propugnaculo, semper usus est, cujus expressæ similitudines, mandavit, ut universum exercitum perpetuò antecederent.*

Virtute autem Crucis Constantinus Magnus de Maxentio, ejúsque exercitu victoriam reportavit, & Maximinum Tyrannum Orientis superavit: & deniqueLicinium Tyrannum virtute ejusdem Crucis profligavit. Probat autem P. Gretserus lib. 2. de Cruce cap. 44. Constantino Magno ter Crucis signum Cœlitus ostensum esse.

VI. Sed quis numerare possit miracula, quæ Christiani signo Crucis operati sunt? S. Antonius Abbas, ut scribit S. Athan. in ejus vita, omnibus dæmonum machinamentis, & tentationibus signum Crucis objiciebat, & eos fugabat. Et cum Ethnicis quibusdam Philosophis disputans, inter alia sic

sic locutus est: *Crucifixum nominamus, & universi dæmones, quos vos ut Deos colitis, rugiunt, atque ex obsessis corporibus ad primum Dominicæ Crucis signum fugantur. Vbi sunt illa fabulosa oracula? ubi Ægyptiorum incantationes? quò Magorum profecêre carmina? Certè nunc vastata sunt omnia, cùm de sua Cruce Christus intonuit.* Hinc Chrysost. hom. 4. de laudibus S. Pauli probat, non solùm veritatem hanc, quòd Christus crucifixus sit, sed etiam quòd crucifixus sit DEUS, qui per Crucem Diabolum vicit. *Cuius rei gratia* (inquit) *dæmones tantummodo nomen Crucis audientes in fugam resiliunt, cùm certè, si res se haberet aliter, magìs eos oporteret irridere, quàm fugere. An fortè Crux quid clarum videtur, ac nobile? Immò è contrario turpis & exprobrabilis mors est: unde igitur illam dœmones reformidant, nisi de virtute Crucifixi?* Theodoretus lib. 3. hist. cap. 3. narrat, quòd, cùm *Julianus Apostata privatam adhuc agens vitam, spem Imperii potiundi concepisset, perlustrare cæpit Græciam, conquirere vates & ariolos, sciscitaturus ab illis, an voti compos futurus esset; incidit in hominem, qui ei hoc prædicere pollicitus est. Qui quidem deducto eo in fanum simulacrorum, & intra eius abdita collocato, fraudulentos dæmones invocat, quibus in specie, quâ solent, apparentibus, metus coëgit Julianum, signo Crucis frontem suam signare. Dæmones igitur Dominici trophæi conspicati figuram, & suæ ipsorum cladis recordati, confestim evanuerunt. Tum præstigiator, causâ, cur fugerent, intellectâ, Julianum obiurgat, qui tum timorem, in quo erat, declaravit, & se virtutem Crucis vehementer admirari dixit: nam dæmones, quoniam eius figuram ferre non poterant, aufugisse.* Hæc Theodoret. & idem testatur S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. contra Julian.

VII. S. Hier. in vita S. Hilarion. narrat, S. Virum signo Crucis armatum vicisse dæmonum turbas, qui ferocium animalium assumentes formam, illum terrere conabantur. Severus Sulpitius refert, diabolum se visibilem S. Martino formis diversissimis sæpe ingessisse; Sanctum verò semper interritum stetisse, signo S. Crucis munitum, S. Greg. Nissen. in vita S. Greg. Thaumat. scribit, eum signo Crucis fugâsse dæmones ex Templo Idolorum, in quo pernoctârat. Et in vita S. Chrysost. legimus, eum signo Crucis in publica concione dæmoniacum curâsse. S. Greg. Magn. lib. 8. Dial. cap. 2. narrat, S. Benedictũ signo Crucis fugâsse diabolum tentatorem, qui sub specie avis nigræ circa ejus faciem volitabat. Gregor. Turon. affirmat, S. Patroclum, & S. Nicetium Treveritorum Episcop. plurimos energumenos virtute Crucis liberâsse. Idémque testatur Beda de S. Arnolfo in ejus vita tom. 3. & in actis fidelissimis S. Daniel. apud Surium tom. 6. 11. Decemb. legimus, eum dæmones expulisse, cùm manus solũmodo obsessis imposuisset cum signo Crucis. Idémque testantur gravissimi Script. de S. Medardo Episcop. Noviom. de S. Domnolo: de S. Germano Parisiens. de S. Niceta,

ceta, de S. Albino Andegav. Episcop. de S. Iniberto, & S. Procopio Martyre, de S. Placido Martyre, de S. Mauro, & alijs apud Gretserum lib. 4. de Cruce cap. 41.

VIII. Et apud eundem Gretserū ibid. cap. 42. Gregorius Turon. narrat, S. Simplicium Episcop. Augustod. signo Crucis in terram dejecisse simulacrum Berecynthiæ, quod in processione deferebant Gentiles circum agros, & vineas. Et Surius testatur, Sanctam Glyceriam Virginem & Martyrem facto signo Crucis, & invocato nomine Jesu obtinusse à Deo, ut statua lapidea Jovis corruerit subitò, & comminuta fuerit.

Deinde S. Martina, Virgo nobilissima, sub Alexandro Imperatore passa 12. Januarij, cùm sibi Crucis signum impressisset, Dianæ idolum, fulmine cœlitus excusso, comminutum est. Itémque S. Satyrus Martyr quoddam idolum præteriens, cùm exsufflâsset in illud, signans sibi frontem, statim Idolum corruit, atque ea de causa decollatus est. Et S. Procopius Martyr, qui sub Diocletiano passus est 8. Julij, oratione facta ad Dominum Jesum Christum, cùm signum Crucis in aëre fecisset adversùs statuas Idolorum, dixit: vobis dico immundis simulacris, timete Domini mei nomen, & in aquam resoluta, in hoc Templo dispergimini: quod & factum est. Denique ut alia omittam, S. Benignus, qui sub Aurelio passus est 1. Novemb. cùm Idolothyta Sancto in os ingerere vellent, signo Crucis contra eas carnes edito, cordéque sursum suspenso, & oculis in Cœlum sublatis dixit: *Domine, &c.* Cùm hæc dixisset, & Crucis expressisset signum, mox idola omnia lignea, & lapidea, & vasa, in quibus sacrificia offerebantur, instar fumi evanuerunt.

IX. De S. Laurentio Martyre canit Ecclesia: *Quòd per signum Crucis cæcos illuminaverit.* S. Greg. lib. 1. Dialog. cap. 10. simile miraculum narrat de Fortunato Episc. Civit. Turditanæ: & alij multi Sancti eadem miracula sæpe operati sunt, signantes cæcos signo Crucis. Consulatur P. Gretserus lib. 4. cap. 48. ad 58. qui ex D. Aug. & Sophronio, & ex S. Greg. Nyssen. aliísque Sanctis Scriptoribus probat, signo Crucis morbos fuisse depulsos, mutos, aridos, paralyticos, & surdos recepisse usum membrorum; serpentes & dracones fugatos, vel interemptos; truculentas feras cicuratas, flammásque repressas; multos virtute Crucis venenum sine noxa bibisse. S. Germanus Episcop. Parisiensis, qui sub Justiniano Imperatore vitæ sanctitate floruit, signo Crucis mortuos suscitavit, ut testatur Fortunatus in ejus vita cap. 35. Ad probandam mirabilem Crucis virtutem habes opportuna valde exempla apud P. Franc. Arias nostræ Societatis tom. 1. de imitat. Christi tract. 3. cap. 40. & in vita S. Chrysost. apud Ribaden. in qua dicitur, S. Doctorem ferocissimum occidisse leonem, qui hominibus infestus erat, erecta Cruce, juxta quam leo mortuus inventus est.

* * *

CAPUT TERTIUM.

Cur Deus factus sit homo, & pro hominibus pati voluerit?

X. EXponenda est Mahumetanis, & infidelibus Incarnationis Filij Dei necessitas, & convenientia, ut in amorem Dei excitati, mentis tenebras excutiant. Eam autem dilucidè explicat P. Lessius lib. 12. de perfectionibus divinis cap. 3. ijs verbis. Prolapsa natura generis nostri in primo parente fraude diaboli à statu supernaturali, & amissa justitia originali, cæterísque virtutibus, subtractâ etiam singulari illa Dei protectione, ac directione, & partis inferioris obedientiâ, & immortalitatis dono, in miserrimum statum incidit; neque aliud restabat, quàm ut sibi relicta, suo pondere & impetu, instar fluminis cujusdam de peccato in peccatum ruens, per varios anfractus errorum & dolorum in pelagus exitij sempiterni devolveretur. Tanta enim erat ad malum pronitas, ut nihil ferè, nisi peccare, posset; tantus impetus, ut à nemine, nisi à solo Deo, posset sisti ac inhiberi; ipsum verò malum tam atrox, ac penitus inolitum, ut à nullo, præterquam à Dei manu, posset exscindi.

Deus igitur, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, intimis misericordiæ visceribus commotus, statuit nos istâ multiplici miseriâ eripere, & rursum ad statum supernaturalem erigere. Verùm id nec ita convenienter, nec satis fructuosè fieri poterat, nisi & pro peccato justitiæ divinæ æquivalens satisfactio exhiberetur, & fons quidam perennis, ac inexhaustus, quo peccata, quotiescunque homines in ea inciderent, deleri possent, constitueretur. Parùm enim fuisset, in pristinum gradũ justitiæ restitui, nisi etiam futuris lapsibus in tanta infirmitate, & mali proclivitate fuisset consultum. At neutrum illorum à pura creatura præstari poterat: nulla enim pro homine liberando poterat offerre pretium æquivalens; nulla etiam fontem perpetuæ remissionis & justificationis construere. Tanta enim est vel unius peccati mortiferi malignitas, tanta in majestatem illam infinitam injuria, ut omnibus Sanctorum, Angelorum & hominum obsequiis, laudibus, cultibus, precibus, humiliationibus, pænitentiis, afflictionibus, ex æquo, & ut ita dicam, ad æquilibrium, justámque æqualitatem nequeat compensari, ut infrà de justitia ostendetur. Cùm igitur nullum remedium, nec in terra, nec in Cœlo malis nostris medendis, & bonis amissis recuperandis appareret, nec ullus Angelus, aut ulla mens creata quidquam congrui auxilij posset invenire; misericordia divina inauditum, admirabile, ineffabile, incomprehensibile, omnibus sæculis, omnibus Angelis & hominibus obstupescendum excogitavit consilium, nimirum, ut Filius Dei, sapientia genita, per quam facta sunt omnia, naturam nostram sibi copula-

pularet, & in ea, ac per eam totum genus humanum repararet. Nisi enim reparator noster esset Deus, non posset exhibere pro offensione & injuriâ, à nobis in divinitatem commissâ, quidquam æquivalens, nec constituere perennem & indefectibilem reconciliationis thesaurum. Nisi esset etiam homo, cessaret meritum, cessaret satisfactio, cessaret exemplum, cessaret illa suavis, & naturæ congruentissima providentia, qua res per ea, quæ sui sunt generis, gubernantur.

XI. Hoc igitur post casum est primũ & maximum misericordiæ divinæ in nos beneficium, utpote infinitum, & aliorum multorum, quorum singula infinitæ sunt æstimationis, origo & fundamentum; quo maximè Deus infinitum suum in nos amorem & misericordiam declaravit. De quo Dominus ipse Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quis hæc animo volvens non obstupescat? Quis tantæ benignitatis consideratione lachrymas contineat? Quis in obsequiũ Dei vicissim se non libentissimè expendat? *Sic*, tam intensè, tam effusè, tam ardenter, tanta æstimatione, tanti illum fecit, & appretiavit *Deus*, illa infinita majestas, nullius egens, sibi sufficientissima, qui verbo creavit omnia, cui tot milliones serviunt Angelorum, & qui momento temporis infinitos alios excellentiores servos, & cultores sibi ex nihilo poterat condere. *Mundum*, humanum genus, infimum naturæ rationalis terminum, brutis affine, terrenis addictum, Cœlestium inane, immundum, ingratum, inimicum, rebelle, in quo nihil dignum amore, plurima digna odio & supplicio. Obstupesce homo, Angelicis spiritibus, tam sublimi ingenio & naturâ præditis, in sua damnatione relictis, tibi vilissimo, & nullius pretij vermiculo, à magno illo Numine tam immensum amorem & favorem exhibitum. *Filium suum unigenitum*, non Angelum, non Cherubinum, non Seraphinum, non Filium aliquem adoptivum, sed Filium suum unigenitum, naturalem, consubstantialem, eiusdem majestatis, potestatis, sapientiæ, excellentiæ, quem infinito dilexit amore, cui totam substantiam, unà cum omnibus suis perfectionibus & thesauris bonorum ab æterno profudit. *Daret*, in Rectorem, in Doctorem, in exemplum vitæ, in Redemptorem, in pretium & satisfactionem pro peccatis: in Thesaurum perpetuum justitiæ & reconciliationis; in juge sacrificium, in Sacerdotem æternum; in panem vitæ æternæ, & alimentum immortalitatis, in pignus futuræ gloriæ; in Regem, Judicem & Remuneratorem vivorum & mortuorum; in gloriam & triumphum patriæ Cœlestis. *Daret*, ad unionem nostræ naturæ, ad nuditatem & paupertatem, ad labores & incommoda huius vitæ, ad contumelias & persecutiones, ad alapas & sputa, ad flagella & spinarum punctiones, ad omne genus probrorum & dolorum, ad Crucem & mortem, ut totius nostri generis peccata in se susciperet, eáque in suo, quasi illorum author ac reus, lueret corpore. *Vt omnis, qui credit, &c.* Totum hoc fecit, ut nos ab exitio sempiterno, cui addicti eramus, eriperet, & æternâ vitâ donaret;

ret; nec de nobis requirit aliud, quàm ut credamus in Filium, eíque obediamus. Hactenus P. Lessius.

Quare, ut meritò inquit Clem. Alex. in exhortat. ad Gent. *Verbum vitam præbuit, ut opifex; bene vivere docuit, ut Magister; ut semper vivere suppeditaret, ut Deus.* Hinc pulchrè Aug. tract. 24. in Ioan. *Si dixisset tibi Deus tuus,* Ego sum veritas & vita, *tu desiderans veritatem & concupiscens vitam, viam, qua ad hæc pervenire posses, profectò quæreres, & diceres tibi: Magna res veritas, magna vita; si esset, quomodo illuc pervenires anima mea. Quæris, quâ? Audi dicentem primò;* Ego sum via. *Primò dixit, venias; postea dixit, quò venias.* Ego sum via, ego sum veritas. *Ipse manens apud Patrem, veritas & vita est: induens se carne factus est via. Non tibi dicitur; labora, quærendo viam, ut pervenias ad veritatem & vitam: non, inquam, hoc tibi dicitur. Ergo piger surge, via ipsa ad te venit, & te de somno dormientem excitavit,* (si tamen excitavit) *surge, & ambula.*

CAPUT QUARTUM.

Exponitur ex Patribus, cur Deus voluerit fieri homo passibilis, & mortem Crucis *subire:*

XII. Ecclesiæ Sol August. tom. 1. lib. de vera Religione cap. 16. sic rem hanc explicat, & convenientias detegit, quibus Deus permotus est ad assumendam carnem passibilem. *Cùm omnibus,* inquit, *modis medeatur animis Deus pro temporum opportunitatibus, quæ mirâ ejus sapientiâ ordinantur, nullo modo beneficentiùs consuluit generi humano, quàm cùm ipsa sapientia Dei, id est unicus Filius consubstantialis Patri, & coæternus totum hominem suscipere dignatus est, & Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ita enim demonstravit carnalibus, & non valentibus intueri mente veritatem, corporeísque sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, quòd non solùm visibiliter (nam id poterat) & in aliquo æthereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato, sed etiam hominibus in vero homine apparuit; ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda. Et ne quis fortè sexus à suo creatore se contemptum putaret, virum suscepit, natus ex femina. Nihil egit vi, sed omnia suadendo & monendo, vetere quippe servitute transacta, tempus libertatis illuxerat, & opportunè jam homini suadebatur, quàm libero esset creatus arbitrio. Miraculis conciliavit fidem Deo, qui erat; passione homini, quem gerebat. Satellites voluptatum divitias perniciosè populi appetebant; pauper esse voluit. Honoribus & Imperiis inhiabant; Rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant; tale coniugium prolémque contempsit. Contumelias superbissimè horrebant; omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur;*

tur; quæ major injuria, quàm justum, innocentémque damnari? Dolores corporis execrabantur; flagellatus, atque cruciatus est. Mori timebant; morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus Crucem putabant; crucifixus est. Omnia, quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo vilia fecit. Omnia, quæ vitare cupientes à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. Resurrectio verò ejus à mortuis, nihil hominibus perire naturæ, cùm omnia salva sunt DEO, satis indicavit; & quemadmodum cuncta serviant Creatori suo, sive ad vindictam peccatorum, sive ad hominis liberationem, quámque facilè corpus animæ serviat, cùm ipsa subjicitur Deo. Hactenus Augustinus.

XIII. Guilielm. etiam Parif. lib. de fide cap. 3. pulcherrimam reddit rationem, cur expediens fuerit, DEUM pro hominibus pati in homine assumpto: *Nullâ enim viâ* (inquit) *magis suaderi communitati generis humani potuit, Deum suæ gloriæ velle nos habere consortes, quàm per hoc, quòd miseriæ nostræ consortium inivit. Quâ enim viâ evidentiùs ostendi potuit hominibus, quòd eos secum vellet DEUS beatè, & gloriosè vivere, quàm per hoc, quòd cum eis voluerit miserè, & ignominiosè vivere, &, quod plus est, etiam mori? Quid ingentiùs imprimere potuit cordi humano, quòd communicanda ei esset divinæ gloriæ beatitudo, quàm ipsius humanæ miseriæ in Filio DEI facta communicatio? Deinde quid adeo spem veniæ erigere potuit, quid adeo de misericordia DEI firmare fiduciam, quo signo, vel argumento verisimiliùs probari potuit cordi humano, DEUM velle parcere, & misereri hominibus, quàm per hoc, quòd Pater misericordiarum proprio Filio, ut eis parceret, non pepercit, & ipse filius, ut immunes & illæsi abirent latrociniorum suorum, dignatus est perpeti suspendium. Manifestum igitur est ex his, quantùm DEUS voluerit, homines esse suos socios in gloria sua, quibus & ipse voluit esse socius in eorum tanta miseria.*

XIV. Postmodum aliam adjungit rationem, quâ probat, solam fidem Christianam Catholicam esse veram, quia sola fides Catholica ea continet, & prædicat, quæ hominem accendere possunt ad DEUM amandum ardentissimè, & prout ipse amari vult ab hominibus. Vera namque fides, & Religio debet homines ducere ad DEI perfectum amorem: & hæc motiva ardentissimè DEUM diligendi maximè continet, & prædicat fides Catholica. *Sicut enim* (inquit) *ignis ignem maximè generat, & applicatione sua, seu contactu, quæ ignibilia & succensibilia sunt, maximè inflammat, & ignit, sic ignis divinæ dilectionis, tanto beneficio nobis exhibitæ, per credulitatem cordibus hominum applicatus, ignem sanctæ dilectionis in DEUM maximè in illis generat, eáque amore benefico maximè incendit, & inflammat. Et omnia alia beneficia veluti scintillæ, & prunulæ permodicæ ad calefaciendum, inflammant cor humanum: beneficium verò Incarnationis atque*

que Redemptionis, non solùm est sicut mons igneus, cordibus nostris inflammandis per credulitatem appositus, immò incomparabiliter major ignis, quàm esset totus mundus, si totus arderet. Quantò enim major est Filius DEI toto mundo; tantò corda humana magis calefacere debet, & inflammare per hanc credulitatem ei applicitus, quàm totus mundus corpora nostra, si totus arderet. Est enim Filius DEI, beneficium nobis collatum, in quantum nobis, & pro nobis datus: quod autem sunt torres & faces, ad calefacienda corpora calore sensibili, hoc sunt beneficia ad calefacienda corda calore spirituali; hic autem calor amor est. Manifestum igitur est, quia si totus mundus arderet, modicus ignis esset ad calefaciendum corpus quodcumque, immò nullus in comparatione hujus beneficii ad calefacienda corda humana. Manifestum igitur est, quia major ignis calefaciendis, aut inflammandis cordibus nostris adhiberi non potuit, quàm beneficium Dominicæ Incarnationis, & Passionis: hunc autem sola ista fides, seu credulitas ipsis adhibet. Hæc ille.

XV. Denique ut alia omittam, egregiè S. Thomas 4. contra gent. cap. 55. explicuit, cur conveniens fuerit DEUM carnem passibilem assumere. *Non oportuit* (inquit) *DEUM carnem impassibilem, & immortalem suscipere:* Sed magìs passibilem, & mortalem. Primò quidem, quia necessarium erat hominibus, quòd beneficium Incarnationis cognoscerent, ut ex hoc ad Divinum amorem inflammarentur. Oportuit autem ad veritatem Incarnationis manifestandam, quòd carnem similem aliis hominibus sumeret, scilicet passibilem & mortalē; si enim im̄ortalem & impassibilē carnē suscepisset, visum fuisset hominibus, qui talem carnē non noverant, quòd aliquod phantasma esset, & non veritas carnis. Secundò, quia necessarium fuit, Deum carnem assumere, ut pro peccato humani generis satisfaceret. Contingit autem, unum pro alio satisfacere, ita tamen quòd pœnam pro peccato alteri debitam ipse sibi non debitam voluntariè assumat; pæna autem, consequens humani generis peccatum, est mors, & aliæ passibilitates vitæ præsentis: unde & Apostolus dicit ad Romanos 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Oportuit igitur, ut carnem passibilem, & mortalem Deus assumeret absque peccato: ut sic patiendo, & moriendo pro nobis satisfaceret, & peccatum auferret. Et hoc est, quod Apostolus dicit ad Romanos 8. quòd *DEUS misit Filium suum in similitudinem carnis peccati*, id est, habentem carnem similem peccatoribus, scilicet passibilem, & mortalem. Et subdit, *Ut de peccato damnaret peccatum in carne*, id est, ut per pœnam, quam in carne pro peccato nostro sustinuit, peccatum à nobis auferret. Tertiò, quia per hoc, quòd carnem passibilem, & mortalem habuit, efficaciùs dedit nobis exempla virtutis, passiones carnis fortiter superando, & eis virtuosè utendo. Quartò, quia per hoc magìs ad spem immortalitatis erigimur, quòd ipse de statu carnis passibilis, & mortalis mutatus est in impassibilitatem, & immortalitatem

rem carnis: quod etiam de nobis sperare possumus, qui carnem gerimus passibilem, & mortalem: si verò à principio carnem impassibilem, & immortalem assumpsisset, nullam daret occasionem, immortalitatem sperandi his, qui in seipsis mortalitatem, & corruptibilitatem experiuntur. Hoc etiam Mediatoris officium requirebat, ut communem haberet nobiscum passibilem carnem & mortalem; cum DEO verò virtutem & gloriam, ut auferens à nobis, quod nobiscum commune habebat, scilicet passionem & mortem, ad id nos duceret, quod sibi & DEO erat commune; fuit enim Mediator ad jungendum nos DEO. Similiter etiam non fuit expediens, quòd DEUS incarnatús vitam in hoc mundo ageret opulentam, & honoribus, seu dignitatibus sublimem. Primò, quidem, quia ad hoc venerat, ut mentes hominum terrenis deditas ad divina elevaret: unde oportuit, ut suo exemplo homines in contemptum divitiarum, & aliorum, quæ mundani desiderant, traheret: & quòd inopem & privatam vitam agerent in hoc mundo. Secundò, quia si divitiis abundâsset, & in aliqua maxima dignitate constitutus fuisset, id quod divinè gessit, magìs potentiæ sæculari, quàm virtuti divinitatis fuisset attributum; unde efficacissimum argumentum suæ divinitatis fuit, quòd absque adminiculo potentiæ sæcularis totum mundum in melius commutavit.

CAPUT QUINTUM.

Demonstratur contra Mahumetanos, neque vetus, neque novum Testamentum esse adulteratum; & inde evincitur, Alcoranum utrique Testamento contradicentem, esse librum mendacem, & diaboli suggestione compositum.

XVI. CUM Mahumetani ex una parte videant, Alcoranum apertè dicere, libros veteris Testamenti, & Evangelia Jesu Christi descendisse de cœlo: nam in prima Azora, seu primo capite introducit DEUM sic loquentem cum Mahumeto: *Tu fidem creatoris illis prædicans, penitus persuade, ut libris tibi divinitus missis, Abrahæ quoque ac Moysi, ac Christi, cæterorúmque Prophetarum libris fidem firmam adhibeant.* *Et* cap. 12. introducit iterum DEUM sic loquentem cum Judæis (secundùm quod Turcæ utuntur Alcorano sine distinctione librorum) *Christum Mariæ Filium, cui commisimus Evangelium, quod est lumen, & confirmatio Testamenti, ac recta via timentibus Deum ad vestræ legis supplementum misimus, Judæi; omnis ergo Evangelii servus, ipsius præcepta indicando sequatur, alioqui malus erit.*

Et demùm Alcoranum introducit DEUM præcipientem Mahumeto, ut quando incidat dubium circa intelligentiam eorum, quæ ipsi divinitus revelata sunt, recurrat ad Judæos, & Christianos, qui legem priùs receperunt: *Si ambiguus fueris de his, quæ descendere fecimus, interroga eos, qui legem legunt ante te. Noli esse de his, qui non crediderunt signis DEI, ne fortè damneris.* Cùm hoc, inquam, Mahumetani ex una parte videant, & ex alia videant, Evangelia & vetus Testamentum continere doctrinam manifestè contrariam Alcorani doctrinæ; sic discurrunt. Alcoranum, & utrumque Testamentum inter se dissentiunt: Alcoranum necesse est, esse verum, integrum, sincerum: utrumque ergo Testamentum necesse est, esse depravatum, & inversum. Idque deducunt ex Alcorano Azorâ 12. ubi Mahumetus dicit: *Se solum habere Evangelium purum, & incorruptum, quod Christus à DEO accepit*; ac proinde Christianos habere illud depravatum, & adulteratum. Et idem docet de libris Moysis, & Prophetarum.

XVII. Sed Mahumetanos falli, dum sibi persuadent Alcoranum de cœlo descendisse, ejúsque doctrinam esse divinitus revelatam, evidenti argumento evincemus in hunc modum. Alcoranum, & utrumque Testamentum inter se dissentiunt, & doctrinas continent contradictoriè oppositas. At certum est, utrumque Testamentum de cœlo descendisse, idest Deum habere authorem, & doctrinam veram continere: certum deinde est, nec vetus Testamentum, neque novum esse corruptum, seu adulteratum, sed esse integrum, & incorruptum, prout à Moyse, & Prophetis, atque ab Apostolis, & Evangelistis scriptum est. Ergo certum est, Alcoranum de cœlo non descendisse, neque DEUM habere Authorem; sed ejus doctrinam, quatenus opponitur veteri, vel novo Testamento, esse apertè falsam, & diabolum habere Authorem.

Minor seorsim probanda est, quoad utrumque Testamentum; & nunc in generali suadetur: quia, ut tanquam corrupta, & adulterata rejiciatur aliqua scriptura, non sufficit, quòd aliquis affirmet, esse corruptam, sed necesse est, quòd id probet, producendo in medium aliquod illius exemplar authenticum ab illo discordans, quod ipse vitiatum esse ait. Ast Mahumetani nihil tale producunt, sed potiùs contra ipsos apertè demonstratur, omnia exemplaria novi, & veteris Testamenti, Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Græca, & Latina, quæ per universum mundum dispersa sunt, habere expresè eam doctrinam, in qua eis contradicit Alcoranum; quin unum unquam repertum sit exemplar Alcorano concordans, & à doctrina Religionis Christianæ discordans. Ergo Mahumetani temerè, & cæcè credunt, utrumque Testamentum esse corruptum, quia utrumque contradicit Alcorano; sed potiùs deducere debent, Alcoranum non esse librum divinitus inspiratum, sed mendaciis plenum, quandoquidem continet doctrinam contrariam libris veteris, & novi Testamenti, qui reperiuntur inter omnes ferè orbis nationes.

CAPUT SEXTUM.

Demonstratur, vetus Testamentum non esse depravatum à Judæis, ut Mahumetani fabulantur.

XVIII. Ut id demonstrem, quæro, quando Judæi adulterârint, & immutârint scripturas veteris Testamenti? An ante adventum Christi, an post? Non ante, quia cùm ipsi accepissent librum legis à DEO per manus Moysis, tot præcedentibus signis, & prodigiis, sciréntque certissimè, libros Moysis & Prophetarum scriptos fuisse, inspirante & dictante Deo, ingénsque esse crimen, eos adulterare; certè id præstare non potuerunt sine vehementi passione; ante adventum autem Christi nulla passio vehemens ad id præstandum eos compellere potuit: siquidem nec odium Christi, & Christianorum, neque odium Mahumeti ad id compellere potuit, antequam Christus nasceretur, & Mahumetus in mundum venisset.

Præterquam quòd cùm essent in Synagoga viri probi, & zelum DEI habentes, qui fortiter obsisterent depravatoribus, fieri non potuit, ut viri aliqui nequam & scelerati corrumperent omnia exemplaria, quæ per orbem erant dispersa, & in varias linguas translata à diversis interpretibus, & in celebrioribus orbis bibliothecis asservabantur.

XIX. Deinde si Hebræi ante Christi adventum scripturas corruperunt, quare Christus, & Apostoli nunquam illos de tam insigni crimine reprehenderunt, præsertim cùm leviora non tacuerint? Quare Dominus ait? Joan 5. *Scrutamini Scripturas.* Et Matth. 25. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcumque ergo dixerint vobis, servate, & facite.* Cui credibile erit, Christum ad corruptas Scripturas legendas sine ulla præmonitione homines invitâsse, vel ad corruptores audiendos, & sequendos amandâsse? Nec enim si Testamentum vetus esset corruptum, id Christus ignoraret, cùm esset plenus sapientiâ; nam Mahumetus ipse in Alcorano cap. 13. inquit: *Quòd DEUS Christum librum & sapientiam, & Evangelium, & Testamentum edocuit.*

Nec item dici potest, Judæos post Christi adventum adulterâsse, & depravâsse Scripturas. Nam omnia testimonia, quæ à Christo, & ab Apostolis citantur, inveniuntur in Moyse, & Prophetis, ut ab illis citata sunt. Ergo sic legebantur tunc in Moyse, & Prophetis: Ergo neque ante, nec post Christi adventum Scripturæ veteris Testamenti adulteratæ sunt à Judæis. Et hoc argumento usi sunt Origenes lib. 8. in Isaiam, & Hieronymus in cap. 6. Isaiæ, ad probandum, vetus Testamentum non fuisse corruptum ab Hebræis.

Item Augustinus lib. 15. de Civ. Dei cap. 13 inde probat, Judæos non adulterâsse Scripturas, quòd non videatur ullo modo credibile, Judæos voluisse suis codicibus eripere veritatem, ut nostris detraherent authoritatem: & etiamsi voluissent, non sit verisimile, potuisse.

XX. Ut autem vis argumenti magis innotescat, sciendum est, vetus Testamentum sæpe, & per diversos Interpretes translatum esse ex lingua Hebraica in Græcam. Prima translatio facta est jussu Ptolomæi Philadelphi, Regis Ægypti à septuaginta senioribus, 291. annis ante Christi adventum, ut testatur S. Epiphanius, & sequitur Bellarminus. Rex enim ille, qui ex toto orbe terrarum libros adducebat in suam Bibliothecam, voluit in ea habere libros Moysis, & Prophetarum: & ideo per legatos suos rogavit Eleazarum summum Sacerdotem, ut ad se mitteret viros sapientes, qui libros Legis, & Prophetarum transferrent in linguam Græcam: misit autem summus Sacerdos septuaginta duos seniores, senos ex singulis tribubus filiorum Israël, utriusque linguæ peritissimos, qui spatio dierum septuaginta duorum mirabili consensione divinas Scripturas apud Pharum Ægypti ex Hebræo sermone in Græcum idioma transtulerunt. Idque divino consilio factum est, ut, cùm Apostoli postea prædicarent Evangelium Græcis, ex testimonio Prophetarum, quorum libros Græci habebant, omnibus persuaderent, Jesum Nazarenum, à Judæis crucifixum, esse Christum promissum in lege & Prophetis. Et ut notat Eusebius lib. 8. de præparatione Evangelica, ideo DEUS disposuit, ut ea translatio fieret ante Christi adventum, quia si facta fuisset postea, perfidi Judæi in suspicionem translatores vocarent.

Anno autem 104. post Christi Nativitatem, nempe quarto anno Imperii Trajani facta est secunda translatio ab Aquila Pontico, ut quidam volunt: ut autem sentit Bellarminus cum Epiphanio, facta est hæc translatio anno duodecimo Adriani Imperatoris, id est anno Christi 131. Tertia translatio facta est à Theodotione octavo anno Imperatoris Commodi, idest anno Christi 189. Postea anno 9. Imperatoris Severi, & Christi 203. facta est alia translatio à Simmacho. Postea sub Imperio Heliogabali ad annos Christi 222. vel 223. Patriarcha Hierosolymitanus invenit in subterraneis urbis Hiericho totum vetus, & novum Testamentum, è lingua Græca in Latinam fideliter translatum; & hæc vocatur quinta editio, seu translatio Hierichuntina. Ita refert Fr. Antonius de Guevara. Sed Cardinalis Bellarminus ait, quintam editionem Græcam inventam esse in doliis quibusdam apud urbem Hiericho anno 8. Antonini Caracallæ; & secundùm Baronium hæc translatio inventa est septimo anno Antonini Caracallæ, & anno Christi 219. Sexta quoque editio incerti Authoris in doliis inclusa inventa est apud Nicopolim Alexandro Mammeæ filio imperante; imperare autem cœpit Alexander anno Christi 224.

XXI. Has omnes versiones in unum corpus conjunxit Origenes

anno Christi 233. dividens singulas paginas in sex columnas, ac in prima quidem scripsit Hebraicum textum: in secunda eundem textum Hebraicum Græcis litteris: in tertia interpretationem Aquilæ: in quarta interpretationem Simmachi: in quinta interpretationem LXX. seniorum: in sexta interpretationem Theodotionis: atque hæc volumina propter quatuor interpretationes Tetrapla, propter sex columnas Hexapla dicebantur.

Quadraginta annis ante Christum natum translata est Scriptura Sacra ex lingua Hebræa in Caldaicam à Judæo quodam in Babylonia, qui appellabatur Jonathan Abenunciel; & translatio hæc fuit fidelissima. Et eâ frequenter utuntur Ecclesiæ Orientales; videlicet Armeni, Caldæi, & Ægyptii. Translata quoque est in linguam Syriacam.

Quare libri Moysis, & Prophetarum translati erant in varias linguas, & orbis erat plenus his libris. Omnes autem istæ translationes continent prophetiam Danielis, quæ prædixit Christum occidendum: & continent alia multa contraria his, quæ in Alcorano habentur. Et translationes istæ hucusque perseverant. Nec fieri potuit, ut omnia exemplaria ab aliquo, vel aliquibus corrumperentur. Ergo est falsissimum, Judæos ante Christum, vel post Christum adulterâsse Scripturas.

Sanè Religio Judæorum erga sacros libros tanta fuit, ut scribat Philo in libro de egressu filiorum Israël ab Ægypto, usque ad sua tempora per spatium plusquam duorum millium annorum, ne verbum quidem fuisse unquam in lege Hebræorum immutatum, & quemlibet Judæum centies potiùs moriturum, quàm ut pateretur, legem in aliquo mutari.

XXII. Idque ipsum aliis argumentis convincitur: quia si Judæi falsare voluissent Scripturas in odium Christianorum, sine dubio præcipua vaticinia sustulissent; id autem minimè fecerunt, quia, ut probat Bellarminus, ea, in quibus discrepant exemplaria Hebræa à Græcis, & Latinis, sæpè nullius momenti sunt, quantum attinet ad fidem, & Religionem: *Et sæpè codices Hebræi magìs Judæos vexant, quàm Græci, aut Latini.* Ipsáque dispersio Judæorum per universum orbem cum libris sacris probat, in illis libris contineri ea, quæ de Christo prædixerant Prophetæ circa ejus mortem, & resurrectionem, aliáque mysteria, in quibus Religio Christiana opponitur Mahumetanæ. Ut enim observant S. Justinus in oratione exhortatoria, & S. Augustinus lib. 18 de Civit. Dei cap. 46. & manifestè deducitur ex illis verbis Psalmi 46. *Ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei, disperge illos in virtute tua.* Ideo dispersi sunt Judæi Sacras Scripturas circumferentes, ut, cùm Pagani nolunt credere ea, quæ dicimus de Christo esse prædicta, sed dicunt, ejusmodi vaticinia à Christianis fuisse conficta, eos mittamus ad inimicos nostros Judæos, qui vaticinia illa secum ferunt. Ergo mysteria Religionis Christianæ, in quibus opponitur Mahumetanis, & ex quibus probatur, Christum à Judæis occi-

occisum, tertia die surrexisse, & esse verum DEUM, continentur in Scripturis veteris Testamenti, prout à DEO dictatæ fuerunt.

Denique probatur, esse manifestum mendacium, quòd Scripturæ veteris Testamenti sint à Judæis falsatæ; quia cùm certum sit, DEUM habere providentiam suæ Ecclesiæ, verisimile non est, passurum fuisse, ut verba tot illustrium Prophetarum generaliter falsarentur, præsertim cùm ad hunc finem Judæos disperserit per totum orbem terrarum, ac circumferre eos voluerit libros legis, & Prophetarum, ut inimici nostri Christianæ Religioni testimonium perhiberent.

CAPUT SEPTIMUM.

Demonstratur, novum Testamentum non esse corruptum: & inde convincitur, doctrinam Alcorani ipsi contrariam esse falsam. Ubi recensentur Hæreses præcipuè contra Trinitatem, & Incarnationem, & Concilia Generalia, in quibus damnatæ sunt.

XXIII. Liber Alcorani Azorâ, seu capite 5. hæc habet: *Hic liber*, videlicet Alcoran, *nec mendacium aliquod*, *nec aliquid præteritis Prophetis contrarium nuntiat*. Verùm hæc verba dolosè dicta esse à Mahumeto, ad seducendam barbaram illam gentem, & falsissimam Alcorani laudem continere, facilè convincitur, tum ex dictis, tum ex dicendis: quia liber ille continet doctrinam evidenter contrariam doctrinæ Evangelii, quod à DEO descendisse, & scriptum esse impulsu, & directione Spiritûs Sancti, ipse Mahumetus fatetur.

Quòd autem Evangelium Christi, quod modo habemus Christiani, sit illud ipsum, quod ex impulsu divino conscriptum fuit ab Apostolis; neque fuerit adulteratum à Christianis, nunc demonstrandum est. Et in primis onus incumbebat Mahumetanis, producendi in medium aliquod exemplar Evangeliorum, conscriptum ante adventum Mahumeti, quod concordaret cum Alcorano; at id non præstant, nec præstare possunt; sed potiùs omnia exemplaria Evangeliorum ante Mahumetum conscripta, Hebraicè, Græcè, Latinè, & in aliis linguis, quæ erant per totum orbem dispersa, manifestè attestantur Religioni Christianæ. Quærantur exemplaria antiqua Evangeliorum inter Christianos, inter Judæos, inter Gentiles, & nullum invenietur, quod non eam contineat doctrinam, quam Christiani credimus: neque hujus depravationis, & corruptionis universalis Evangeliorum omnium, quæ narrant Passionem Christi, & mortem Crucis, &

tertia die resurrectionem, & miracula, quæ fecit in confirmationem illius doctrinæ, quam prædicabat, quòd ipse sit Filius Dei naturalis, verúsque DEUS, nullus unquam scriptor mentionem fecit usque ad Mahumetum, & Mahumetanos; neque post Mahumetum ullus Doctor Christianus, vel Judæus, vel Gentilis mentionem aliquam facit tam horrendæ hæresis, qualis foret, Evangelia omnia subvertere, & doctrinam falsam in mysteriis tam principalibus illis affingere, & universo orbi tanquam articulos fidei proponere: quod signum evidens est, talem hæresim non extitisse; nam de omnibus, & de earum authoribus, tempore, & loco, quo incœperint, habemus certas historias; & tamen de hac re altum est silentium apud omnes omnino Scriptores, præter Mahumetanos: cùm tamen silentio non esset omnino prætereunda tam nefaria hæresis, & tam horrendum delictum. Quis enim credat, hoc in mundo accidisse, quòd omnia Evangelia à Christo tradita, & ab Apostolis scripta fuerint depravata, & falsata; & tamen quòd nullus extiterit in toto orbe Christianus, qui zelum veræ doctrinæ haberet, & litteris proderet posteris tantum nefas, ut à doctrina falsa caverent?

XXIV. Unde hoc dilemma conficitur: si extitit revera hæc universalis omnium Evangeliorum depravatio, & falsatio: vel Summus Pontifex cum omnibus Patriarchis, & Episcopis, & Christianis in hanc depravationem consensit, vel illi restitit Summus Pontifex cum aliquibus Prælatis, vel saltem aliqui Prælati illi obstiterunt? Si primum, ergo periit Christi Ecclesia, siquidem omnes Prælati successores Apostolorum, apostataverunt à fide vera, & amplexati sunt fidem falsam, & secum traxerunt reliquos Christianos. Ergo Christus fuit Propheta falsus, dum dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam:* Christum verò fuisse Prophetam veracissimum, Mahumetani confitentur. Si secundum: ergo veri Christi fideles congregâtunt Concilium, ut se opponerent tantæ impietati, & tam nefariam hæresim damnarent, & omnes fideles per litteras monerent, ut à tam pestilenti doctrina fugerent. Si enim non obsisterent impietati, & non pugnarent pro defensanda veritate Evangeliorum, sed sinerent, ut illa adulteraretur, & corrumperetur, non essent vera Christi Ecclesia; ac proinde vera Christi Ecclesia funditus periisset. At certum est, nunquam in Ecclesia Christi congregatum fuisse Concilium ad damnandos, tanquam hæreticos, eos, qui dicunt, Christum mortuum esse, & resurrexisse, & se Filium DEI appellâsse; sed potiùs dantur multa Concilia, quæ illam doctrinam stabiliant, nullúmque congregatum est Concilium in Ecclesia Christi, quod non stabiliêrit doctrinam contentam in symbolo Apostol. Ergo manifestum est, Evangelia non esse falsata, & depravata.

XXV. Deinde argumentor: Si Christiani falsaverunt Evangelia, vel id fecerunt post adventum Mahumeti, quasi in odium illus, & ut Alcorano autho-

ritatem detraherent, vel ante adventum illius. Neutrum autem dici potest: ergo est insigne mendacium, quòd Christiani falsaverint Evangelia, falsò illis affingentes narrationem Passionis, & Resurrectionis Christi, & ea, quæ significant Divinitatem Christi, & Trinitatem Personarum Divinarum. Quòd non falsaverint post adventum Mahumeti, & in odium illius: probatur primò, quia, ut in simili arguit S. Augustinus lib. 15. de Civit. cap. 13. incredibile est, quòd Christiani sibi abstulerint veritatem, dum invident Alcorano authoritatem, & quòd fundamenta suæ Religionis voluerint subvertere, ut aliquantulum authoritatis detraherent Alcorano; hoc enim perinde esset, ac si quis sibi ipsi brachium amputaret, vel lethale vulnus infligeret, ut inimicum suum leviter vellicaret. Sanè neque Mahumetus, nec ullus unquam hæresiarcha tantum damnum intulisset Ecclesiæ Christi, quantum ipsa inferret sibi, mutando & pervertendo Evangelia; nam hæreses Ecclesiam Christi impugnant, sed non expugnant, quatiunt, sed non subvertunt: at Ecclesia depravans Evangelia, & mendacia proponens ut articulos fidei, seipsam expugnaret, & subverteret.

Prob. 2. quia evidens est, Ecclesiam Christi habuisse eadem Evangelia ante adventum Mahumeti, quæ habet modò: nam Evangelia, quæ habuit ante adventum Mahumeti, narrabant historiam Passionis & Mortis Christi, ejúsque Resurrectionem, & doctrinam eandem continebant, de Divinitate Christi, & Trinitate, quam modò continent, ut constat ex omnibus Doctoribus Ecclesiæ Christi, tum Latinis, tum Græcis, qui ante Mahumetum floruerunt, quorum scripta continent expositionem eorundem Evangeliorum, quæ modò habemus, & leguntur eorum homiliæ, & sermones in Breviario Romano. Nam præter S. Dionysium Areopagitam, S. Ignatium Martyrem, S. Clementem Papam, S. Polycarpum, & alios, qui cum Apostolis egerunt, & præter S. Justinum Philosophum & Martyrem, & Sanctum Egesipum, & Sanctum Theophilum Episcopum Antiochenum, sextum ab Apostolo Petro: & S. Irenæum Episcopum & Martyrem, auditorem Sancti Polycarpi, & S. Melitonem Sardensem Episcopum, & Clementem Alexandrinum, Originis Præceptorem, aliósque illustres Scriptores, qui propè tempora Apostolorum vixerunt, & ad secundum Ecclesiæ sæculum pertinent, suísque scriptis Divinitatem Christi, ejúsque post mortem resurrectionem, aliáque mysteria nostræ fidei defenderunt: & præter Tertullianum, & Origenem, qui floruerunt sub initium tertii sæculi, & suis scriptis Divinitatem Christi, & Trinitatem Personarum Divinarum propugnârunt; in medio tertii sæculi floruerunt S. Gregorius Taumathurgus Originis auditor, & Sanctus Cyprianus Episcopus, & Martyr, aliíque illustres sanctitate, & sapientiæ lumina. In quarto sæculo floruerunt magna illa Ecclesiæ lumina Athanasius, Basilius Magnus, Ambrosius, Hilarius Pictaviensis, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nissenus, & ad finem hujus sæculi,

& sub

& sub initium quinti Hieron. Chrysost. Augustin. Cyril. Alexandrinus, Leo Magnus, aliíque Illustrissimi Doctores, quorum opera nunc extant, & mysteria Christianæ Religionis, quæ modò profitemur, explicârunt. Et sic ab Apostolis usque ad hæc tempora semper in Ecclesia Christi floruerunt Doctores, qui Divinitatem Christi, Trinitatem divinarum Personarum, aliáque mysteria omnia, quæ Mahumetus negat, suis scriptis illustrârunt, ut contenta in Evangeliis Domini nostri Jesu Christi.

Id ipsum secundò probatur ex symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Christi ab Apostolis accepit, & semper retinuit, in quo continentur omnes fidei articuli, in quibus liber Alcorani opponitur Evangeliis.

Tertiò, quia errores illi, quos Mahumetus in Alcorano docet, damnaverat jam Ecclesia in quinque Conciliis Generalibus, & in aliis Provincialibus. Sub Imperatore Gallieno ad annum Christi 255. Sabellius Hæresiarcha apud Ptolemaydam Ægypti docuit, in DEO unam tantùm esse Personam, diversis tantùm nominibus significatam, ob diversa munia, quæ scilicet dicatur Pater, quatenus est principium creaturarum; Filius, quatenus carnem assumpsit, & Spiritus Sanctus, quatenus animas sanctificavit. Paulò pòst Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus Divinitatem Filii oppugnare cœpit, contra quem prima Antiochiæ Synodus est habita sub annum Christi 260. cui inter alios insignes viros interfuerunt S. Gregorius Taumathurgus Episcopus Neocæsareensis, & ejus Frater Athenodorus. Sed tunc subdola tergiversatione Patrum studia Paulus elusit. Postea verò altero in Concilio, Antiochiæ celebrato, damnatus, ac sede deturbatus est.

Postea ad annum Christi 314. tempore Constantini Magni Imperatoris surrexit Alexandriæ impius hæresiarcha Arrius, qui, licèt contra Sabellium assereret, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse Personas inter se realiter distinctas, tamen ajebat, non esse ejusdem naturæ, ac proinde dicebat, Verbum, & Spiritum Sanctum, non esse Personas divinas: ac per consequens unam duntaxat Personam intra DEUM admittebat. Hæc hæresis damnata est sub Sancto Silvestro Pontifice, & Constantino Magno Imperatore in prima Synodo Generali 318. Episcoporum, habitâ in Nicæa Bythiniæ urbe anno Christi 325. & in ea damnata est hæresis Sabelliana, & Arriana; & declarata est veritas Catholica, quam vera Ecclesia Christi nunc tuetur, & semper tenuit; nempe in DEO dari tres Personas realiter distinctas inter se, ejusdem tamen naturæ; ac proinde definitum est, Christum esse verum DEUM; & in hoc Concilio editum est symbolum illud, quod Ecclesia canit in Missa. Interfuêre huic Concilio Episcopi sanctitate, & miraculis illustres, inter quos eminuêre S. Nicolaus Episcopus Miræ in Lyciâ, & S. Spiridion Episcopus Trimituntis in Cypro, S. Alexander Episcopus Alexandrinus, & S. Panuphius Thebaydis superioris Episcopus: & S. Spiridionem,

dionem, & S. Panuphium, aliósque insignes viros sacra stigmata decorabant, quæ pro testificatione Fidei Divinitatis Christi, & Trinitatis Personarum magnâ constantiâ acceperant in persecutione Imperatorum.

XXVI. Deinde contra Macedonium Episcopum Constantinopolitanum, qui negabat Divinitatem Spiritûs Sancti, congregata est secunda Synodus Generalis Episcoporum 150. sub S. Damaso Papa, & Gratiano, atque Theodosio Imperatoribus anno Christi 381. Constantinopoli; & secunda Synodus appellatur Concilium Constantinopolitanum primum. In hoc Concilio iterum damnatæ sunt hæreses Sabellianorum, & Arrianorum, & publicatum fuit illud Symbolum, quod canitur in Ecclesia, in quo addita sunt aliqua verba symbolo Nicæno. Inter alios Prælatos sanctissimos interfuêre huic Concilio, Nazianzenus, & S. Gregorius Nyssenus frater S. Basilii.

Quamvis in iis Conciliis definitum fuerit, Verbum DEI esse Personam Divinam æqualem Patri, & ejusdem naturæ cum illo; ex quo necessariò sequebatur, Christum Dominum esse verum DEUM, siquidem Christus nihil aliud est, quàm Verbum Dei indutum Carne, seu Filius naturalis DEI factus Homo, tamen postea Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus, nesciens distinguere inter Naturam, & Personam, asseruit, sicut in Christo est duplex natura, divina scilicet, & humana, ita esse in Christo duplicem personam, alteram humanam, & purè creatam, alteram divinam, & increatam; asserebátque, Personam Divinam Verbi habitâsse in persona creata Jesu Nazareni, seu Christi speciali quodam modo, quem explicui disp. 22. sect. 3. proindéque asserebat, Beatam Virginem, non esse dicendam Theotocon, sed Christotocon, idest non Matrem Dei, sed Matrem Christi, seu puri hominis, in quo speciali modo habitabat DEUS. Contra hanc hæresim congregata est tertia Synodus Generalis, idest Concilium Ephesinum sub Cælestino primo Papa, & sub Theodosio minore Imperatore anno 431. éique præfuit S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus, nomine Summi Pontificis; ad illúdque confluxêre ultra ducenti Episcopi, & inter eos multi sanctitate, & miraculis illustres, quos Baronius enumerat. In hoc Concilio Nestorius sede sua pulsus est, & definitum est, in Christo dari unicam Personam, divinam scilicet cum duplici natura, alterâ divinâ, quam ab æterno habuit per identitatem, & à Patre accepit per generationem æternam; alterâ humanâ, quam in tempore sibi copulavit per unionem physicam & realem, & quam accepit in tempore à Matre per generationem temporalem miraculosè factam sine opera viri: ac proinde definitum est, Christum esse verum DEUM, & verum hominem, & Beatam Virginem esse DEI genitricem, quia nimirum genuit humanam naturam, quam DEUS sibi conjunxit unione hypostatica, seu personali: *Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita DEUS & homo unus est Christus*, ut dicitur in symbolo Athanasii. Et sancta hæc Synodus Nestorium, negantem

gantem Christi Divinitatem, appellavit *novum Judam*, & decrevit, ut scripta Nestorii flammis absumerentur: renovavítque symbolum Nicænum, & sub anathemate præcepit, ne quis aliquid præter id, quod per illud definitum est, ad fidem adjicere ullo modo tentaret.

XXVII. Et hæc eadem fides Catholica confirmata rursus est in quarta Synodo Generali, idest in Concilio Calcedonensi celebrato sub Leone I. Pontifice, & Marciano Imperatore anno 451. contra Eutychianos, & Nestorianos, in quo definitum est, esse in Christo duas naturas in una persona. In hoc Concilio simul cum Eutychete Constantinopolitano Archimandrita, damnatus est Dioscorus Episcopus Alexandrinus, & Cyrilli immediatus successor, qui hæresim Eutychetis, tollentis in Christo naturarum omne discrimen, probabat, & relegatus est in Gangram Paphlagoniæ urbem, ibidémque infeliciter obiit. Et hæc quatuor Concilia Generalia S. Gregorius Papa, ut quatuor Evangelia venerabatur. Eadémque fides denuo confirmata est in quinta Synodo Generali, idest in secundo Concilio Constantinopolitano celebrato anno Christi 553. sub Vigilio Papa, & Justiniano primo Imperatore, iterúmque Nestoriani, & Eutychiani damnati sunt, & definitum est contra Monothelitas, in Christo dari duplicem voluntatem, divinam, & humanam, quia cùm esset Deus & homo, habebat operationes divinas & humanas, & omnia in ipso erant duplicia, duplex natura, duplex intellectus, duplex voluntas, duplex operatio intelligendi, & amandi.

XXVIII. Constat ergo evidentissimè, non fuisse corrupta Evangelia à Christianis post Mahumeti adventum; ideo enim id dicunt, quia Evangelia Ecclesiæ Catholicæ, quæ leguntur post Mahumetum, continent Divinitatem Christi, & Trinitatem Personarum, & narrant Christi Mortem, & Resurrectionem. At hanc doctrinam, ut contentam in Sacris Scripturis, Ecclesia multis sæculis ante Mahumetum definivit contra Sabellianos, contra Arrianos, & Nestorianos; & Mahumetus nihil aliud fecit, quàm renovare has hæreses. Ergo manifestum est, doctrinam illam de Divinitate Christi, ejúsque Morte, & Resurrectione, & de Trinitate Personarum non fuisse additam Evangelio à Christianis post Mahumeti adventum.

Et sanè cùm Patres Concilii Nicæni ad damnandos Arrianos argumenta sumerent ex Evangeliis; sanè si aliquod fundamentum daretur ad suspicandum, illa esse corrupta, qua parte significant Trinitatem Personarum, & Divinitatem Christi, illud non dissimulâssent Arriani: constat autem manifestè, nunquam Arrianos in favorem sui erroris hunc prætextum allegâsse; sed admisisse Evangelia illa, quæ modò habemus, & controversiam inter illos, & Catholicos non fuisse de verbis, sed de verborum sensu; quia hæretici verba Evangelii ad improprios sensus detorquebant, evidénsque est ex scriptis Augustini, Hieronymi, Basilii, & aliornm Patrum, Artianos confutatos fuisse à Patribus ex illis

illis verbis, quæ nunc legimus in primo capite Evangelii Joannis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt*, &c. Quæ verba hæretici admittebant, & ex ipsis contra ipsos insurgebant Doctores Catholici, eósque convincebant. Ergo planum est, tunc extitisse Evangelia, quæ modò existunt. Ergo falsum est, Christianos post adventum Mahumeti corrupisse Evangelia.

XXIX. Dicent forsan Mahumetani, se quidem idem nunc docere, quod docuerunt Arriani de Trinitate Personarum, & quod docuerunt Nestoriani de Christo; inde tamen non inferri, quòd ipsi à veritate aberrent: quia non probatur Arrianos, & Nestorianos justè fuisse damnatos, ut hæreticos: sed potiùs dicendum esse, errâsse Patres Concilii Nicæni, & Concilii Ephesini. Sed contra est primò, quia si Mahumetani fateantur, se esse Arrianos, & Nestorianos, fateri debent, Alcoranum esse librum mendacem, quia negat id, quod constanter affirmabant Arriani, & Nestoriani, nempe Christum verè mortuum fuisse, & tertia die surrexisse; circumcisionem jam cessâsse; & Baptismum esse necessarium ad salutem: item novum Testamentum esse purum, & incorruptum. Si ergo Arriani veram fidem habebant, sequitur, Mahumetanos habere fidem falsam, siquidem sectantur articulos omnino oppositos. Quod si Mahumetani dicant, Arrianos veram quidem fidem habuisse, quatenus negabant Trinitatem, & Divinitatem Christi; falsam tamen quatenus credebant Mortem, & Resurrectionem Christi, atque necessitatem Baptismi; sequitur, Arrianos habuisse absolutè fidem falsam, quia ut Fides sit falsa, non est necesse, ut nullum articulum verum habeat, sed sufficit, ut habeat aliquos falsos: fides autem falsa nequit esse fundamentum salutis æternæ; fuerunt ergo Arriani extra viam salutis. Aliunde verò dicis, Catholicos, qui damnârunt Arrianos, etiam habuisse fidem falsam: ergo sentis, omnes omnino Christianos tunc habuisse fidem falsam, quia Christiani, vel erant Catholici, vel Arriani. Ergo sentis, omnes Christianos fuisse tunc extra viam salutis; deinde etiam fateris, Judæos post adventum Christi esse extra viam salutis. Ergo nulla tunc erat in mundo Religio, & Fides vera: siquidem Religio Mahumetana nondum tunc advenerat. Ergo omnes damnabantur omnibus illis sæculis: quod est evidenter falsum, ut constat ex prima demonstratione suprà facta.

Contra secundò, quia facile est probare, non Catholicos, sed Arrianos errâsse; tum quia Christus verè promisit, Ecclesiam à se fundatam supra Petrum in perpetuum duraturam. Ecclesia autem Arriana penitus interiit per multa sæcula: ergo Ecclesia Arriana non erat Ecclesia Christi. Tum quia tanta fuit potentia Arrianorum, ut non minus miraculum sit, Catholicos prævaluisse contra Arrianos, quàm prævaluisse contra decem terribiles persecutiones Gentilium, quas per tria secula passa est Ecclesia Christi; DEUS autem

tem miracula nequit facere ad destruendam veram Ecclesiam.

Denique id ipsum clarissimè demonstratur, quia nullus eorum, qui Divinitatem Christi, & Trinitatem Divinarum Personarum negârunt, nec ullus hæreticus damnatus ab Ecclesia Catholica, postquam hæresim bibit & docuit, unquam miracula fecit; ut facile est comprobare per omnes hæresiarchas, qui Ecclesiam Catholicam oppugnârunt ab exordio ejus usque ad nostra tempora; cùm tamen omni sæculo floruerint evidenti gloria miraculorum multi viri, & feminæ ex iis, qui credunt, Christum crucifixum esse verum DEUM, & Trinitatem Personarum in DEO adorant; nam surdos, cæcos, mutos, claudos à nativitate mirabiliter curârunt, mortuos suscitârunt, aliáque innumerabilia prodigia operati sunt; in eisque ad litteram verificata est illa Christi promissio: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet, quia vado ad Patrem.* Specialique gloria miraculorum floruerunt multi sancti, qui infensissimi fuerunt hæreticis Arrianis, ut Athanasius, Basilius, Hilarius, Nicolaus, Antonius Magnus, Martinus, & alii innumeri: ut patet ex iis, quæ suprà diximus pag. 212. Martyrésque invocato nomine Jesu Filii DEI vivi, idola confregerunt, dæmones expulerunt, ora leonum obturaverunt, aliáque innumera signa ediderunt, ut constat ex eorum Actis.

XXX. Probavimus hucusque, Christianos non adulterâsse Evangelia post adventum Mahumeti: nunc probandum restat, nec antea hoc nefas commisisse. Et sanè ante Mahumetum id facere non potuerunt in odium ipsius, & ut Alcorano auferrent authoritatem, ut per se patet. Quo ergo fine tantum scelus committere potuerunt? Et imprimis incredibile est, adulterâsse Evangelium quoad eam partem, in qua tam latè, & ex instituto narratur Historia Passionis, & Mortis ignominiosissimæ. Si enim Christiani ad extollendum, & magnificandum Christum addidissent Evangelio ea, quæ testantur ejus divinitatem, falsóque scripsissent, illum esse verum DEUM, nullatenus confinxissent, eum tam ignominiosè ac turpiter crucifixum esse; quia hoc potissimùm augebat difficultatem credendi, quòd ipse sit Deus; nam Judæi scandalizabantur audientes DEUM fuisse crucifixum, & Gentiles hoc putabant stultitiam, ut testatur Paulus, quia indecens judicabant, Filium DEI tam turpiter fuisse trucidatum. Quare si ad commendationem sui Magistri aliquid conficturi essent, potiùs, quamvis reipsa fuisset crucifixus, confingerent, non ipsum, sed alium, cui impressit suam figuram, reipsa crucifixum fuisse, ut confingunt Mahumetani, quia indecens ipsis videtur, quòd Propheta sanctissimus, qualem credunt fuisse Christum, tam indignè tractatus fuerit à Judæis. Deinde si ea, quæ Evangelia dicunt de Divinitate Christi, & de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, & de Passione Domini, essent conficta à Christianis, certè obiter tantùm perstringerent ea, quæ attinent ad Passionem, & ignominiam Christi; & ea, quæ

quæ attinent ad ejus commendationem, & gloriam, lato calamo prosequerentur. Constat autem, Evangelia Historiam Passionis quoad omnes ejus circunstantias latissimè proponere, miracula verò, Divinitatem Christi, & alia quæ in oculis hominum gloriosa apparent, breviter tantùm, & quasi per transennam narrare: quod argumento est, Evangelia sincerè, & verè esse conscripta ex impulsu Spiritus Sancti, non autem mendaci artificio composita.

XXXI. Deinde probatur, Evangelia non fuisse corrupta ante adventum Mahumeti. Nec enim dici potest, fuisse corrupta ab ipsis Apostolis, qui ea scripserunt; nec dici potest, fuisse corrupta à Christianis post tempus Apostolorum. Ut primum probem, suppono ut quid certum, & exploratum, Christum non scripsisse manu suâ Evangelia; nec dum viveret, ea dictâsse exscribenda à Discipulis, sed Apostolos ea scripsisse post Mortem Christi diversis locis, temporibus, & linguis. Nam ut probat Baronius, Matthæus scripsit Hebraicè Hierosolymis anno Christi 41. Judæis, qui crediderant, exposcentibus. Marcus scripsit Latinè Romæ anno Christi 45. ut interpres Petri. Lucas scripsit Græcè in Achaia anno Christi 58. Joannes scripsit Ephesi anno Christi 99. linguâ Græcâ. Suppono secundò, Evangelistas cùm primùm scripserunt Evangelia, ut veritatem scripsisse, & nullas eis immiscuisse falsitates: quia Mahumetus ipse jubet credere Evangeliis, aitque, illa de cœlo descendisse, idest ex impulsu divino conscripta esse. Cùm ergo exploratum sit, nulla unquam fuisse in Ecclesia Christi Evangelia, nisi quæ conscripta sunt ab Apostolis, manifestè sequitur, Apostolos veridicè primò scripsisse Evangelia. Hoc supposito probo, Apostolos non adulterâsse Evangelia: quia cùm dispersi fuerint per universum orbem, & veram Christi fidem invexerint multis editis signis, & miraculis in confirmationem doctrinæ illius, quam prædicabant; & volumina Evangeliorum, verè & sincerè conscripta, per totum orbem fuerint dispersa: quomodo potuerunt postea Evangelia illa adulterare, aut quo fine? Sanè Apostoli, ipso Mahumeto teste, fuerunt viri sancti, ac proinde tantum nefas subvertendi veram fidem, quam tot miraculis plantaverant, in eos cadere non potuit. Constátque, eos immensos labores sustinuisse in prædicatione Evangelii, potiúsque ignominiosam, & crudelem necem subire voluisse, quàm eam fidem deserere, quam prædicabant: quomodo autem tam constanter martyrium subirent pro doctrina falsa, & dolosè confictâ, sine ullo emolumento temporali, & cum certo salutis æternæ detrimento?

Rursus licèt ipsi vellent, Evangelia à se conscripta mendaciis, & fabulis corrumpere, id minimè obtinere possent: tum quia obsisterent fideles, qui cum Domino nostro Jesu Christo conversati fuerant, & non finerent corrumpi Evangelia, sincerè & fideliter conscripta, & veridicè narrantia Christi gesta, & doctrinam; manifestéque convincerent, esse commentitia, & falsa ea,

quæ de novo adjiciebantur: unde mendacium non posset prævalere. Deinde quomodo pauci homines poterant omnia exemplaria Evangeliorum, per totum orbem dispersa, colligere, & comburere, & loco illorum nova exemplaria mendacia, & fabulosa reponere, quin vel unum exemplar superfuerit veridicum? Præterea cùm Evangelistæ prædicaverint in Provinciis inter se adeo distantibus, quomodo communi consilio potuerunt tam uniformiter narrare mendacia, & fabulas? Evidens ergo est, Apostolos ipsos, & Evangelistas non adulteràsse Evangelia.

Quod etiam alio argumento convincitur: Nam inter Evangelistas nullus tam apertè testatur Christi Divinitatem, ac Joannes. Constat autem, Joannem, cùm primùm scripsit Evangelium, Divinitatem Christi declaràsse: nam ut testatur Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Joannes scripsit Evangelium suum, ut confutaret Cherinthum, Ebionem, aliósque hæreticos negantes Divinitatem Christi, quam Apostoli per universum orbem prædicaverant. Narrátque Hieronymus ex fideli historia, quam citat, Apostolum rogatum ab omnibus penè Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus de Divinitate Salvatoris altiùs scribere, ita facturum respondisse, si indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur; jejunio verò expleto, revelatione Divina saturatum, illud procemium de cælo veniens eructâsse: *In principio erat Verbum*, &c. Ergo Evangelium Joannis ita ab illo conscriptum est, sicut modò legitur. Ergo quod Evangelium dicit de Christi Divinitate, non est confictum, sed verissimè scriptum. Ergo Evangelia non sunt corrupta ab ipsis Evangelistis.

XXXII. Sed nec dici potest, esse corrupta à posterioribus Christianis, qui Apostolis successerunt. Primò, quia oppositum evincit argumentum proximè factum, quia constat, Joannem scripsisse suum Evangelium ad declarandam æternā generationem Christi, ejúsque Divinitatem. Secundò, quia D. Dionysius Areopagita, qui cum Apostolis conversatus est, & ab eorum ore audivit mysteria nostræ fidei, édidit libros multos, in quibus loquitur de Trinitate Divinarum Personarum, de Divinitate Christi, ejúsque Morte, & Resurrectione, & de ejus præsentia reali in Eucharistia, & reliquis mysteriis, quæ continentur in Evangelio, quod modò legitur. Et similiter S. Justinus Philosophus & Martyr, qui prope tempora Apostolorum floruit (siquidem obiit anno Christi 165.) & S. Egesippus Justino coæqualis eandem doctrinam suis scriptis tradiderunt, quam modò habent Evangelia: & similiter reliqui omnes Doctores Christiani, qui continuata serie post Apostolos floruerunt.

Tertiò, quia, ut testatur Baronius ad annum Christi 185. S. Pantænus Christianus Philosophus, & Clementis Alexandrini magister, vir omni eruditionis genere præstantissimus, cujus memoriam ob insignem vitæ sanctitatem Ecclesia celebrat die 7. Julii, qui summa cum laude litteras sacras Alexan-

 driæ

driæ interpretatus est, desiderio flagrans propagationis fidei ad Indos profectus est; ubi Evangelium Matthæi, Hebraicè scriptum à Bartholomæo Apostolo, illùc delatum reperit in manibus quorundam, qui hactenus ibi Christum profitebantur: erátque planè illud ipsum, quod nunc habemus, & quod ipse exposuit Clementi Alexandrino, & Clemens Origeni, & Origenes Gregorio Taumathurgo, & usque ad nos pervenit.

Quartò, quia anno Christi 485. repertum est in insula Cypri Corpus Sancti Barnabæ Apostoli cum Sancti Matthæi Evangelio ad pectus apposito, quod manu sua exscriptum secum tulerat ad annunciandam Fidem Christi in illa insula; repertum, inquam, est ex revelatione ab ipsomet Apostolo factâ Arthemio Salaminæ Episcopo. Et hoc Evangelium manu Sancti Barnabæ exaratum Constantinopolim delatum est, petente Zenone Imperatore, & auro exornatum in Palatio Imperiali positum est, ut scribit Baronius ex fidelissimis historicis rem comprobans. Erat autem Evangelium illud ipsissimum, quod tunc habebat Ecclesia. Ergo certum est illud Evangelium permansisse purum, & incorruptum, & prout à Matthæo fuerat scriptum.

Quintò, quia Apostoli, antequam dispergerentur per Universum Orbem ad prædicandum Evangelium Christi, composuerunt brevem illam formulam articulorum, quam vocamus Symbolum Apostolorum, quam uniformiter proponerent Judæis, & Gentilibus; ut vidimus suprà cap. I. & ideo fides Christi ubique terrarum introducta est cum mira uniformitate, ita ut Regna, & Provinciæ inter se valde dissitæ omnino convenirent in articulis fidei, quos credebant. In illa autem brevi formula, seu symbolo continentur præcipua mysteria Religionis Christianæ, in quibus ipsa differt à Religione Mahumeti; nempe Incarnatio Filii Dei, ejus Mors, & Resurrectio, & Trinitas Divinarum Personarum: ergo Evangelium, quod Apostoli prædicaverunt in Universo Orbe, continebat hanc eandem doctrinam: nec enim Apostoli vulgârunt per orbem Evangelium, quod in sua doctrina opponeretur symbolo. Ergo certum est, doctrinam de Incarnatione Verbi Divini, & Divinitate Christi, & de ejus Morte, & Resurrectione, & Trinitate Personarum, contentam fuisse in Evangeliis, quæ scripserunt Apostoli. Ergo non sunt corrupta Evangelia, quatenus hanc doctrinam continent.

Sextò, quia pro asserenda Divinitate hominis crucifixi à Judæis, ejúsque gloriosa Resurrectione, cæterísque mysteriis, in quibus Evangelium differt ab Alcorano, passi sunt innumerabiles Martyres à Nerone Imperatore usque ad Constantinum Magnum, idest ab anno Christi *66.* in quo sub Nerone Petrus, & Paulus Romæ, & Andreas in Achaia passi sunt martyrium, usque ad annum Christi 312. in quo Signum Crucis Constantino apparuit, & Religioni Christianæ favere cœpit, donec anno 324. baptizatus est. In iis persecutionibus Fides Catholica innumeris est confirmata miraculis; ideóque tam

ditæ

diræ persecutiones non minuebant, sed potiùs augebant credentium numerum, quia Gentiles videntes constantiam Martyrum, & in perferendis tormentis atrocissimis alacritatem, & miracula, quæ Martyres edebant, hinc movebantur ad eam fidem suscipiendam; ut vidimus suprà 1. p. lib. 1. cap. 10. Satis hoc comprobatur ex Actis Sancti Januarii, quæ habentur in Breviario Romano die 19. Septembris: ex quibus constat, quinque hominum millia conversos fuisse ad confitendam Crucifixi Divinitatem, propter constantiam Martyris, & miracula, quæ faciebat. Et miraculum usque adhuc perseverans, planè evincit, veram esse Christi Divinitatem, pro qua asserenda Januarius mortuus est. Ut enim inquit Martyrologium Romanum: Neapoli *Beatissimi Martyris sanguis in ampulla vitrea adhuc servatur, qui in conspectu capitis illius positus, velut recens liquescere, & ebullire conspicitur*. Constátque ex Actis Sanctæ Martinæ Virginis, & Martyris die 30. Januarii, propter constantiam Sanctæ Virginis, & miracula manifesta, quæ Deus operatus est in ejus martyrio: *Ex ejus tortoribus nonnullos miraculi novitate correptos, Dei adspirante gratia, Christi fidem amplexos, post cruciatus gloriosam martyrii palmam capitis abscissione promeruisse.*

Constantiáque ipsa, & alacritas in perferendis atrocissimis tormentis pro asserenda Christi Divinitate, in ætate vel nimis tenera, vel nimis senili, & in sexu fragili, clarissimum argumentum est, quòd Fides illa vera erat; ac proinde quòd Evangelia, testantia Christi Divinitatem, Mortem & Resurrectionem ejus, non erant corrupta. Prædicator Christi in medium producat Acta S. Agnetis Virginis trecennis, & S. Eulaliæ Meritanæ, quæ cùm duodecim esset annorum, decem & novem pro Christo pertulit tormentorum stupenda genera, cujus memoriam habes in Martyrologio Romano die 10. Decembris. *Item S. Agapiti Martyris, qui cùm esset annorũ quindecim, & amore Christi ferveret, jussu Aureliani Imperatoris tentus est, ac primò nervis crudis diutissimè cæsus, deinde sub Antiocho Præfecto graviora supplicia passus, exinde cùm ex imperio Imperatoris leonibus objiceretur, & minimè læsus esset, gladio ministrorum coronandus percutitur, ut ait Martyrologium Romanum die* 18. *Septembris.* Et Acta Sanctorũ Martyrum Complutensium Justi, & Pastoris fratrum: *Qui cùm adhuc pueri litteris imbuerentur, projectis in schola tabulis, sponte ad martyrium cucurrerunt, & mox à Daciano Præside teneri jussi, & fustibus cædi; & cùm se mutuis colloquiis constantissimè roborarent, extra civitatem perducti, à carnifice jugulati sunt.* Proponat Acta S. Simeonis Episcopi Hierosolymitani, qui cùm centum, & viginti esset annorum, ita fortiter & hilariter sustinuit ea tormenta, quæ Dominus noster Jesus Christus passus est, ut omnibus esset admirationi, ut habes in Breviario Romano 18. Februarii. Proponat constantiam S. Polycarpi jam senis, ut eam narrat P. Ribadeneyra in ejus vita. Hæc, & alia exempla, quæ passim occurrunt in Breviario, & Martyrologio, manifestè probant, illam constantiam & hilarita-

tem inter atrocissima tormenta, quam Martyres ostenderunt, ut contestarentur, Jesum crucifixum à Judæis esse verum Deum; & miracula, quibus Deus illorum fidem approbavit, à Deo fuisse, & Deum habuisse Authorem. Deus autem nequit miracula facere in confirmationem doctrinæ falsæ, nec constantiam, & hilaritatem tribuere in sustinendis tormentis pro mendaciis, & erroribus. Verissima ergo est fides, quæ confitetur, Christum esse verum Deum, & pro hominibus fuisse crucifixum, & tertia die surrexisse. Delirant ergo Mahumetani, dum dicunt, esse corrupta Evangelia, quæ hanc doctrinam continent.

Septimò probatur, Evangelia non fuisse adulterata, & corrupta post tempora Apostolorum. Quia unaquæque Provincia, vel natio à suo Apostolo conversa, ab eodem accepit Evangelium Christi, sive in scriptis, sive in tabulis cordis; & post fidem susceptam procuravit sibi descripta quatuor Evangelia, aliósque libros sacros novi, & veteris Testamenti, qui confirmati, & roborati erant per divina miracula. Si ergo in illis Evangeliorum libris, quos primò per Apostolos suscepit, nihil continebatur de Passione, ac Resurrectione Christi, nihil de ejus Divinitate, & præsentiâ in Eucharistia, nihil de Trinitate Divinarum Personarum: quis ex universis regionibus, & Provinciis ad Christum conversis, vel in toto, vel ex parte, potuit in unum colligere omnes libros sacros novi, & veteris Testamenti, & illos immutavit, corrupit, & infecit, quin vel unum exemplar purum, & incorruptum ex innumeris, quæ per universum erant dispersa, superfuerit? Quis non videat hoc esse incredibile?

Sic enim arguo: Nam cùm Apostoli fidem Christi invexerint editis multis signis, & miraculis, vera Christi Evangelia, & sinceram doctrinam libris in sacris contentam, sparserunt per orbem. Quis ergo potuit omnes illos libros colligere, & comburere, vel dilacerare, & loco illorum ponere nova exemplaria corrupta, & adulterata? Vel enim tantum opus aggressi sunt pauci aliqui viri sceleratissimi: vel tota Christi Ecclesia simul hoc consilium sumpsit destruendi Evangelia pura, & immaculata, quæ à Sanctis Apostolis acceperat, & tot signis, & miraculis erant confirmata, & loco illorum reponendi Evangelia corrupta, & depravata? Neutrum autem dici potest. Non primum, quia impossibile est, paucos aliquos homines potuisse à toto orbe Christiano penitus exterminare exemplaria omnia sincera, & vera Evangeliorum, & quamvis physicè possent, est penitus impossibile, quòd Christiani hoc permitterent. Si enim tanto ardore Christi fidem complectebantur, ut mille mortes mallent pati, quàm Christum negare: quomodo permitterent, quòd divina Christi doctrina penitus interiret? Hoc non est minùs incredibile, quàm quòd omnes cives unius Regni sponte consentiant, ut omnes fontes, & putei, & flumina, è quibus bibunt, veneno inficiantur.

Nec potest dici secundum: Ecclesia enim, quæ tantum zelum habuit, ut pro

pro conservanda incorrupta, & pura doctrina Christi tot Concilia Generalia summis sumptibus, & laboribus congregaverit; quomodo, nemine cogente, ipsa suâ sponte divinissimam Christi doctrinam, ab Apostolis acceptam, & tot Miraculis confirmatam, & sanguine tot Martyrum illustratam, corrumperet & inficeret? Hoc est evidenter incredibile: rursus est apertè impossibile; quia hoc ipso penitus intra aliquot annos perdita fuisset, & omnino interiisset Fides illa, quam Christus per Apostolos plantavit; & Ecclesia Christi conversa fuisset in Synagogam sathanæ, & magistram errorum. Quod & Christum facit mendacem, siquidem promisit Petro, fidem ipsius & successorum non defecturam; *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. v. 32. Et Matth. 28. v. 2. promisit, se futurum in sua Ecclesia usque ad finem mundi: *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi.* Et promisit, inferni portas non prævalituras adversùs Ecclesiam. Rursus facit DEUM improvidum; est enim res DEO indigna, quòd legem novam perfectissimam tot retrò sæculis promiserit, quòd illam tot prodigiis & miraculis per Christum in mundum invexerit, & tamen citò permiserit illam penitus aboleri.

XXXIII. Denique delirium impugnatur: Quia si fides de divinitate Hominis à Judæis crucifixi, & Trinitatis Personarum in una essentia, & præsentiæ realis Christi integri, & perfecti sub qualibet particula Hostiæ consecratæ, falsa est, sequitur, fidem falsam fuisse introductam in mundo per vera miracula; quia lex proponens credendà fide infallibili mysteria tam ardua, & quæ præcipit concupiscentias omnes frænare, & vitia resecare, eximiámque puritatem sectari, & omnia in futurum reservat, non potuit mundo persuaderi, nisi signis, & miraculis: Deus autem miracula nequit facere ad introducendam fidem falsam; ergo delirium est, asserere, quòd hæc fides est falsa.

Postremò in hac Fide de Divinitate Christi, & Trinitate Personarum, & aliis mysteriis, quæ Ecclesia Catholica credit, omni sæculo floruerunt eximiâ sanctitate viri, & fœminæ, & gloriâ miraculorum illustres; & extra Ecclesiam Catholicam hoc non invenitur. Hoc autem est manifestum argumentum, quòd illa est vera; reliquæ autem sectæ oppositæ sunt falsæ. Ex quibus omnibus apertè concluditur, Mahumetanos asserentes, Evangelia esse corrupta, manifestè falli.



LIBER QUINTUS.

IN QVO EX CONTRADICTIONIBVS Alcorani, ex fabulis, quibus est refertus, ex erroribus manifestis contra historiam, contra Mathematicam, & Philosophiam, ex impura Mahumeti vita, & moribus eorum, quos Mahumetani Sanctos *appellant, evidenter demonstratur, legem contentam in Alcorano non esse legem Dei, nec illi convenire ullam ex proprietatibus legis Divinæ, quas David descripsit.*

CAPUT PRIMUM.

Evidentes contradictiones in Alcorano contentæ manifestè probant, Mahumetum non fuisse Dei Prophetam, sed diaboli ministrum. Ubi cur vinum Mauris prohibuerit:

I. ALCORANUM Manifestas continere contradictiones, facile est probare. Imprimis contradictio est, quòd ex una parte dicit, Christum Filium Mariæ esse *Verbum Dei missum Mariæ*; & ex alia parte docet, Christum non esse Deum. Hæc contradictio constat ex dictis.

Secundò constat; quia ex una parte dicit, cap. 5. *Hic liber* (videlicet Alcorani, vel Alcoranum) *neque mendacium aliquod, neque aliquid præteritis Prophetis contrarium nuntiat.* Et ex alia continet doctrinam manifestè contrariam doctrinæ Christi, & Prophetarum; ut demonstravimus suprà. Continétque evidentia mendacia contra rationem naturalem, contra historiam, contra Mathematicam, & contra Scripturas divinitus revelatas; ut infrà probabimus.

Constat tertiò, ex libro 1. Azorâ 2. cujus titulus est, de bove, seu vacca: ubi ait: *Deum dixisse Christo: sinam, ut patiaris, & mortem subeas; cæterùm tertia die te suscitabo, & supra omnes cœlos exaltabo.* Et Azorâ 3. inquit: *Jesum Christum Passionem, & Mortem voluntariè sustinuisse pro salute multorum, & tertia die surrexisse, & in corpore suo redivivo ad cœlos ascendisse.* Unde Glossatores Alcorani *Abuatia*, & *Acamajari* hunc textum exponentes dicunt, Chri-

Christum habuisse transitum trium dierum, idest tribus diebus mortuum jacuisse, postea autem ad cœlos ascendisse; mortem vero voluntariè obiisse, quia facili negotio poterat ab illa se liberare. Et tamen postea in eodem Alcorano lib. 6. Azorâ 6. cui titulus *de Josepho*, apertè dicit, Christum, nec mortuum, nec crucifixum, sed alium hominem, cui Christus suam figuram ita impressit, ut idem cum Christo videretur; ut constat ex dictis.

Hinc apud Mahumetanos oppositæ dantur opiniones de Christi Morte: siquidem alii dicunt, Christum revera crucifixum, & mortuum fuisse, & tertia die resurrexisse; alii verò id constanter negant, asserentes non Christum, sed Christi umbram, vel potiùs hominem ejusdem figuræ cum Christo, tormenta illa sustinuisse; & inter hos sunt aliqui ex Glossatoribus Alcorani, qui testantur, Christum transfiguràsse Judam proditorem in sui imaginem, atque ita Judam, non Christum crucifixum fuisse. Et jam hoc mihi testatus est Christianus novus Africanus Matriti anno 1670.

II. Sed hæc ridicula fabula de transmutatione, & metamorphosi Christi in Judam lib. 4. c. 1. impugnata manet. Constat enim manifestè, Judam proditorem laqueo se suspendisse: & id fecisse, antequam Christus in Crucem ageretur, satis innuit Matthæus c. 27. v. 6. & id approbat Maldonatus: sunt tamen qui dicant, non nisi post Christi resurrectionem id eum fecisse, cùm audîsset Christum resurrexisse, quod minimè sperabat; tunc enim abjecta omni spe salutis, quòd humani generis Redemptorem vendidisset, laqueo sibi vitam eripuisse, ut historiæ Scholasticæ Author scribit. Quomodocumque tamen res acciderit, certum est, Judam laqueo se suspendisse: *Et suspensum crepuisse medium, & diffusa fuisse omnia viscera ejus*, ut dicitur Actor. 1. vers. 19. Et loco ejus electum esse Matthiam in Apostolum, ad prædicandam Christi Resurrectionem, & Evangelium ejus annuntiandum.

Rationem hujus contradictionis in Alcorano circa Christi mortem reddit Lupus de Obregon in confutatione Alcorani cap. 9. folio mihi 93. quia initio cùm Mahumetus cœpit in schedulis scribere, tanquam revelationes sibi factas à Deo per Angelum Gabrielem, ea quæ audierat à Christianis gladiatiis (ut vidimus suprà libr. 1. cap. 2.) vera scripsit de Christi Morte, & Resurrectione, prout illi enarraverant Christiani. Sed postea Almèdinæ, quia Judæi, ipsi valde infensi ob laudes Christi, quas prædicabat, jactitabant Jesum Nazarenum Mariæ Filium non fuisse Sanctum, nec Messiam in lege, & Prophetis promissum, ut Mahumetus prædicabat, sed hominem blasphemum, qui cùm esset simplex homo, sicut reliqui, Filium Dei se faciebat; & ideo à majoribus suis jure merito fuisse occisum. Ut se vindicaret de Judæis, illos confundere cœpit, hanc fabulam in vulgus spargendo, & contra Judæos sic prædicando: *Judæi dicunt, se Christum crucifixisse; sed hoc mendacium est, quia non illum, sed pro illo alium ipsi similem crucifixerunt; & Jesus Christus se*

se in cœlum sublevavit; & ideo Judæi existimantes se illusisse Christum, potiùs illusi sunt ab eo.

III. His adjungamus alias Alcorani contradictiones. Multas enumerat Joannes Andreas, antea Maurorum Alfaquinus, de quo mentionem fecimus libr. 1. cap. 1. in confutatione Sectæ Mahumetanæ cap. 10. Nam lib. 1. Alcorani capite, seu Azorâ 1. dicitur: *Alcoranum descendisse de cœlo in mense Aramadan.* Et lib. 4. capite *de Fumo*, & capite *de Nocte Sancta* dicitur, *una nocte descendisse.* Et tamen constat, Mahumetum in componendo Alcorano viginti tres annos consumpsisse, decem in Mecca, & tredecim in Almedina: existúntque in Alcorano capita, quæ appellantur *Mequiya*, & alia, quæ appellantur, *Mediniya*, idest capita edita Meccæ, & capita edita Almedinæ.

Item lib. 2. cap. 11. inquit. *De fructu palmarum, & de uvis vitium comedite, & bibite*, idest, *dactylos comedite, vinum de vite bibite*, idque tanquam Dei oraculum suis Discipulis proposuit. Et propterea duodecim annis licitum fuit Mahumetanis vinum bibere. Postea verò contra Dei permissionem usum vini suis prohibuit. Quam autem hujus prohibitionis causam reddiderit, narrat Carthusianus lib. 3. in Sectam Mahumetanam art. 13. p. 331. verba Alcorani transcribens. In articulo primo illius libri pag. 264. proponit Carthusianus procemium Alcorani, seu exordium, in quo hæc verba leguntur: *Erat Nuncius Dei (scilicet Mahumetus) sedens inter socios, & descendit super eum Angelus Gabriel, dicens: Salutat te Deus, Mahumete; veniunt ad probandum te tres, vel quatuor viri peritissimi, Principes Judæorum, & Magistri in Israël.* Et narrat Alcorani liber, Magistros illos Judæorum varias quæstiones proposuisse Mahumeto; illorum autem Judæorum peritissimus vocabatur Abdias, qui cum Mahumeto loquens, sic interrogavit: *Cùm in paradiso vinum esse describas, quid operis ibi habet, si vinum illicitum est? Si autem licitum est, cur in hoc sæculo prohibes vinum? Respondit: tam arguté quæris, ut una interrogatione geminam necessariò responsionem extorqueas. Utrumque ergo exponam, & illic esse licitum, & hîc illicitum.*

Erant enim Angeli Dei duo, Horoth, & Maroth, missi olim à Deo de cœlis in terram, gubernando, & instruendo generi humano tributi, his interdictis, ne occiderent, neque injustè judicarent, neque vinum biberent. Multo itaque tempore sic habito, cùm noti judices essent universo orbi, venit ad eos quadam die mulier præ cunctis fœminis omnino pulcherrima, causam habens adversùs maritum: quæ ut causæ suæ accommodaret judices, quadam die invitavit eos ad prandium. Quibus epulantibus ipsa epulas & pocula vini apponit, astat ministrans, affert crebrò, instat, ut sumant. Quid plura? Vicerunt blanditiæ mulieris. Inebriati poculis in hospitam formosam incaluerunt: victi accubitum petierunt. Spondet conditione, dummodo alter verbum doceat, per quod ascendebant in cœlum: alter verbum, per quod descendebant. Placet conditio.

Cùm ergo didicisset, elevata est subitò, & ascendit in cœlum. Quod cùm vidisset Deus, exploratâ causâ posuit eam Luciferum, ita pulcherrimam inter stellas, ut fuerat inter mulieres. Illis in judicium evocatis proposuit eis Deus, ut eligerent inter pœnas sæculi hujus, & alterius. Elegerunt hanc. Suspensi sunt ergo per catenas ferreas, demissis capitibus in puteo Bebil usque in diem judicii. Quid ergo Abdia? Nonne sufficiens videtur causa, cur in paradiso licitum sit vinum, & hîc illicitum? Ait: vera satis, & meritò. Hucusque Alcorani textus.

IV. Quis hæc audiens non miretur, vel potiùs intimè doleat, quòd tam ingens pars mundi, ut Prophetam Dei veneretur tam ridicularum fabularum artificem? Oportet, ut Christi prædicator hanc fabulam coram Mahumetanis narret, & quòd certam fidem faciat, quòd illam Mahumetus in Alcorano scripserit, ut certum est scripsisse, ut confundantur, & erubescant, & qualis fuerit Mahumetus, tandem agnoscant, & intelligant, Alcoranum fabulis & mendaciis esse plenum, & erroribus manifestis. Nonne error est manifestus, Angelos bonos, qui statim post casum malorum confirmati sunt in bono, tam turpiter deliquisse? Nonne error est, eos corporeos facere, & capaces comedendi verè, & utendi feminis eo pacto, quo homines utuntur? Oppositum namque constat, tum per rationem, tum ex scriptura Tobiæ 12. *Ego sum Raphaël Angelus: etenim videbar vobiscum manducare, & bibere, sed ego invisibili cibo & potu utor,* videlicet clara Dei visione, & fruitione. Quis non rideat audiens, fœminam in præmium patrati sceleris illud præmium à Deo accepisse? Quis non sciat, stellam illam, quæ Lucifer appellatur, cum aliis fuisse in principio creatam? Audiant hæc Mahumetani, & erubescant, quòd librum Alcorani, in quo ejusmodi fabulæ continentur, pro libro divinitus inspirato recipiant.

Quamvis Mahumetus eam rationem reddiderit Abdiæ de prohibitione vini; aliam tamen reddit Author quidam, qui inter Sarracenos diu conversatus est, ut refert Carthusianus illo articulo 13. paginâ 335. Narrat itaque Author ille, Mahumetum visitare solitum quendam eremitam; ejus autem ministros super hoc tædio affectos, & tam frequentes visitationes ægrè ferentes decrevisse, occidere eremitam: cúmque quadam vice tam Mahumetus, quàm eremita, vino fuissent inebriati, & gravi somno opprimerentur, satellites principis sui gladium extrahentes eremitam occidisse, cruentatúmque gladium in locum reposuisse priorem; Mahumetum verò à somno excitatum, suis ministris imputâsse eremitæ mortem, & eos punire statuisse; eos verò concorditer testatos fuisse, Mahumetum ipsum in ebrietate necem eremitæ intulisse; & in hujus dicti comprobationem, ostendisse ipsi proprium gladium cruentatum, eóque viso erubuisse Mahumetum, & de cætero renuntiâsse vino, ejúsque usum suis discipulis prohibuisse.

Ut testatur citatus Joannes Andreas, & refert Carthusianus lib. 2. art. 9. pag. 103. Mahumetus in Alcorano in-

troducit Deum sic loquentem cum ipso: *Si ambiguus fueris de his, quæ descendere fecimus* (*idest de Alcorano*) *interroga eos, qui legunt legem ante te. Noli esse de iis, qui nolunt credere signis Dei, ne fortè damneris.* Super quem textum dicunt omnes glossatores Alcorani, Mahumetum nomine eorum, qui scripturas legunt ante ipsum, intellexisse Judæos, ac Christianos; ac proinde docuit ibi, Judæos, & Christianos habere legem à Deo datam. Ex alia verò parte in Alcorano lib. 1. cap. 1. affirmat: *Neque Judæos, neque Christianos legem habere.* Quæ sunt dicta manifestè inter se opposita.

V. Alia evidentissima contradictio in dictis Alcorani constat, quia sæpe cultores suæ legis hortatur Mahumetus in Alcorano, ut eant præliatum contra incredulos, præsertim contra participatores, idest, Christianos, quatenus timore, & virtute gladii eos inducant, & cogant ad credendum Mahumeto, illúmque recipiendum tanquam Dei Nuncium, & Prophetam. Idque opere exequuntur usque modò perfidi hujus Legislatoris discipuli: Ipséque sæpè dicebat, se in virtute gladii missum esse; & ut vidimus lib. 1. cap. 1. Alcorani habet caput, cujus titulus est: *De ense, seu gladio, in quo sic jubet: occidite omnes incredulos. Item: omnes occidite, donec Mahumetani fiant.* Et in capite decimo Alcorani, ut testatur Carthusianus pag. 496. sic ait: *Quid cum illis incredulis communicatis? Vos itaque neminem eorum vobis associate negociatorem aut socium, vel amicum, nisi priùs rectâ viâ Dei inierit vobiscum pugnatum, sive prædatum: sin autem, eos ubicumque repertos (si sit possibile) capite, & interficite.* Hinc iterum jussit, ut non credentes, eum esse Dei Nuncium, & Prophetam, occiderentur, vel saltem tributum solverent.

Et tamen his dictis in Alcorano sæpe contradicit, nam cap. 4. sic inquit: *Vim nequaquam propter legem inferatis, cùm recta, pravâque via patefactæ sint.* Et cap. 5. *ex Dei persona: Tuum est mea præcepta tantummodo gentibus patefacere.* Et cap. 24. *Nuncio nihil attinet, nisi præceptum cuique gentium applicare.* Et cap. 21. *Nos non misimus te custodem vel coactorem digredientium à lege: tuum enim non est, nisi tantùm rem annuntiare.* Et cap. 19. *An tu gentes ad fidem, & credulitatem cogere studes, cùm nisi Deo volente nemo credere possit, qui malos atque incredulos in sua sorte dimittit?* Quis non videat inter hæc dicta apertissimam contradictionem?

Deinde Mahumetus in Alcorano in Azora, quæ inscribitur *de Vacca, seu juvenca*, affirmat, *Judæos, Christianos, & Sabæos, unumquemque salvari posse in sua lege.* Et Azorâ 2. *Omnes gentes, quæ bene vivunt, sive sint Judæi, sive Christiani, sive quicumque alii, quamvis propriam legem dimittat, & aliam accipiat, si bona opera faciat, certissimè salvabitur.* Et capite seu Azorâ 32. (ut refert Carthusianus pag. 7. & pag. 170.) introducit Deum sic loquentem. *A nobis cuique gentium lex, quam sequatur, est posita.* Et cap. 32. inquit: *Deus singulis gentibus nuntios misit, unicuique ex gente sua.* Et cap. 12. intro-

ntroducit Deum sic loquentem: *Sua unicuique à nobis posita sunt lex atque judicia.* Quod perinde est, ac dicere, unumquemque salvari posse in lege sua: quod certum est Mahumetum docuisse, ut constat ex dictis à nobis libro 2. capit. 3. Cui doctrinæ apertè contradicit in Azora de Abraham, ubi ait: *Nullum posse salvari, nisi in lege Mahumeti.* Et Azorâ 5. ubi docet: *Eos, qui non receperint Alcoranum, gravissima tormenta passuros.*

Illi etiam doctrinæ, qua universaliter docet, unumquemque salvari posse in sua lege, manifestè opponitur, quod docet Azorâ 12. ubi hæc habet: *Secundùm viros legum nullius legis fidem vel perfectionem assequi, nisi Testamenti* (veteris scilicet, seu legis Mosaicæ) *&* *Evangelii, & hujus libri* (nempe Alcorani) *à Deo dati præceptis obediant.* Quæ doctrina non solùm pugnat cum eo, quod universaliter alibi docet, unumquemque salvari posse in sua lege, sed etiam repugnantia inter se dicit, quia docet, neminem posse salvari, nisi obediat præceptis Evangelii, & Alcorani: ergo cùm in Evangelio præcipiatur Baptismus, & fides in Divinitatem Christi, & Trinitatem Personarum Divinarum, nemo poterit salvari, nisi hæc præcepta adimpleat: unde si ad salutem necessarium quoque est, obedire præceptis Alcorani, impossibilis redditur omnibus salvatio; cùm Alcoranum oppositum præcipiat, & nemo possit præcepta contradictoriè opposita simul observare. Unde patet, Mahumetum insigniter mentitum esse, dum capite, seu Azorâ 1. Alcorani dicit: *Hic liber veridicus est, & sine contradictione falsitatis.*

CAPUT SECUNDUM.

Cur tot in Alcorano reperiantur contradictiones?

VI. SED meritò quis interrogabit, quomodo Mahumetus, qui vir erat astutus, & sagax, tot contradictiones in Alcorano reliquit? Respondeo primò, rationem generalem petendam esse ex Dei providentia: cùm enim Deus sit summè bonus, & hominum salutem verè, & sincerè desideret, nunquam permittit, ut seductor aliquis ita falsam sectam colore veritatis vestiat, ut ab amatoribus Dei, & veritatis nequeat deprehendi ejus falsitas. Permisit Deus, ut diabolus appareret Evæ ad illam seducendam, sed non permisit, ut in forma honesta Angeli appareret, sed in forma serpentis, ut faciliùs posset Eva mendacium detegere. Ut enim inquit Augustinus lib. 11. de Genesi ad lit. *Non debemus opinari, quòd serpentem sibi, per quem tentaret, diabolus eligeret; sed cùm esset in illo decipiendi cupiditas, non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est.* Nec permisit, ut deciperet falsitatibus nimis occultis, quas Eva non posset deprehendere, sed mendaciis

ciis ita clarè oppositis iis, quæ Deus dixerat, ut facilè posset ea discernere, & agnoscere, diabolum esse, qui in serpente loquebatur. Permisit, ut diabolus ingrederetur simulacra idolorum, & inde responsa præberet, & idololatriam suaderet: ita tamen hoc temperavit, ut homines facilè possent cognoscere, non esse spiritum bonum, & veracem, qui in statuis idolorum loquebatur, quia nimirum dæmones respondebant res tam clarè falsas, & præcipiebant res tam apertè malas, ut solo rationis naturalis lumine possent homines mendacium detegere. Permisit, ut Rabini Talmudi inventores deciperent Judæos, qui in sua infidelitate perseverant; sed tales fabulas, & res adeo absurdas in Talmud miscuerunt, ut Judæi facilè possent cognoscere, libros illos Talmudi non habere Deum Authorem. Ad hunc ergo modum permisit, ut Mahumetus se Dei Nuncium, & Prophetam simulaverit ad decipiendum: cæterùm tot fabulas, & contradictiones in Alcorano immiscuit, & res adeo fœdas præcepit, & fecit, ut sint inexcusabiles, qui Alcoranum tanquam librum divinitus inspiratum venerantur, & Mahumetum ut Dei Prophetam suscipiunt.

Harum verò contradictionum caussa magìs immediata fuit, quòd Mahumetus revelationes fingebat, prout opus erat illi ad decipiendum, & captandam populorum gratiam, & vitia sua occultanda, & sic secundùm opportunitatem temporum fingebat revelationes contrarias, quia illis indigebat ad fines suos obtinendos. Et revelationes illas in schedulis scriptas in arca quadam servabat. Disposuitque Deus, ut moreretur, antequam schedulas illas recognosceret, & contradictiones deleret, & Alcoranum in unum volumen digereret. Vt enim constat ex dictis, non Mahumetus, sed Homar ejus socer, & tertius Arabum Ahalypha, schedulas ex arca *legationis* extraxit, & ex iis librum Alcorani composuit. In his autem, quæ de Persona Christi scripsit, propterea doctrinas contrarias habuit, quia initio, cùm se ut Prophetam venditare cœpit, ea ut revelata prædicabat, quæ à Christianis audîerat: unde cùm ab illis audivisset, Christum esse Verbum DEI, factum hominem, seu indutum naturâ humanâ; in principio suæ prædicationis Divinitatem Christi agnovit: postea verò à Sergio Monacho, Hæretico Nestoriano, & Arriano deceptus, impiè docuit, Christum esse purum hominem.



CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Ostenditur, inexcusabiles esse Mahumetanos, qui legentes Alcoranum, & percipientes quæ docet, non deserunt Mahumeti legem.

VII. Hoc ex dictis clarè deducitur: Cùm enim Alcoranum plenum sit fabulis ridiculis, contradictionibus manifestis, & erroribus crassissimis contra rectam rationem, fieri non potest, ut homines perspicacis ingenii librum illum legant, quin saltem in dubium prudens inducantur, an liber ille sit à Deo inspiratus, an diaboli suggestione compositus; & in hoc dubio tenentur à Deo lucem enixè postulare ad cognoscendam veritatem: quod si seriò facerent, abs dubio à Deo illuminarentur, & traherentur ad Christi fidem suscipiendam. Hanc obligationem Mahumetanorum ob oculos ponet utilis valde quæstio, quam proponit, & solvit Guilielmus Parisiensis lib. de legibus cap. 21. his verbis.

VIII. *Si quis quærat de illo, qui invenit Doctores, vel Prædicatores contrarios, videlicet unum fidelem, & alium infidelem, neque sufficiat ex proprio sensu, vel ex dictis eorum, vel ex vita, cui eorum magis credere debeat, an requiret Deus ab illo, ut divinet fidem? Hic proculdubio, quia non habet de humana ratione, quid faciat, implorare debet divinum auxilium, ut dicit Augustinus, & totâ instantiâ deprecari, ut illuminator animarum Deus viam veritatis ei ostendat, & cor ejus applicet ei parti contradictionis, quæ vera est, & ei accepta. Piè autem credendum est de misericordia Dei, quia sic pulsanti aperiet, & quòd, nisi vel negligentia quærendæ veritatis, vel alia culpa obsistat, cor ejus avertet Deus, ne impietatis errori consentiat. Idem sentiendum est & in alio casu. videlicet si seductor sub prætextu veri Catholicique Doctoris, simplici alicui & indocto errorem aliquem impietatis prædicet, quia Deus cor ejus avertet, ne illi credat, nisi hoc, vel negligentia ejus, vel alia culpa impediat; custodit enim Dominus diligentes se. Dicimus etiam, quia cùm intellectus humanus creatus sit ad inquirendam, & cognoscendam veritatem salutarem, maximè debet esse studiosus, atque solicitus. Quare negligentia ejus in hoc atque desidia maximè culpabilis est, atque damnabilis.*

IX. Unde deduces, justissimè à Deo damnari omnes Gentiles, omnes Mahumetanos, & omnes Judæos, qui fidem Christi non quærunt, & quæsitam amplectuntur; quia cùm Deus illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, omnes homines rationis compotes cognoscere possunt, ac debent, existere Numen aliquod, cui inservire debeant, & tenentur quærere veritatem salutarem, & legem natu-

ralem observare; quod si præstarent, abs dubio Deus illos traheret ad fidem Christi, quæ necessaria est ad salutem, unde quòd non trahantur, culpa illorum est. Hinc Augustinus loquens de Religione Christiana Epist. 49. *Ad Deo gratias*, protulit celebrem illam sententiam: *ita* (inquit) *Salus Religionis hujus, per quam solam veram salus vera veracitérque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.* Vocat autem dignos Religionis Christianæ eos, qui observant legem naturalem, scriptam in cordibus hominum, quæ dictat, Deum esse colendum, honestè vivendum, & proximo non inferendum malum: non quia homines per opera merè naturalia mereantur positivè illuminari à Deo per donum fidei; sed quia per opera naturalia honesta, impedientes peccata, adquirunt aliquam dispositionem, quâ positâ abs dubio illuminantur: *Facienti enim, quod in se est, Deus non denegat gratiam:* ac proinde, licèt per actus naturales honestos observationis legis naturalis non constituerentur positivè digni, ut illis Deus retribueret fidem; quodam modo constituerentur digni, quibus Deus misereatur.

Ut autem exemplo monstremus, Mahumetanos lumine rationis naturalis posse cognoscere falsitatem sectæ Mahumetanæ, vel saltem in prudentem dubitationem induci, an sit falsa, hîc appendam colloquium, quod habuit P. Ignatius de las Casas nostræ Societatis (cujus memoriam fecimus suprà cap. 6.) cum Mauro quodam, dum iter faceret per Turcarum terras, illúdque referam ipsius verbis.

CAPUT QUARTUM.

Colloquium inter Patrem Ignatium de las Casas, & Mahumetanum quendam: ex quo probatur, Mahumetanos solo rationis ductu posse cognoscere Alcorani falsitates.

X. Pater Casas. Mihi Tripolim versùs pergenti se adjunxit Maurus ex comitatu nostro; & jam mihi propior factus, benevolè urbanéque salutem mihi impartitus est, dixítque mihi: audivi te Idiomate Arabico loquentem, quapropter placet mihi tecum sermonem facere. Tunc ego, placet, inquã maximéque delector, quòd, qualis qualis fuerit peritia, tibi deservire possit.

Maurus. Quod primum scire velim abs te, sit, an Arabicè loqui, scriberéque scias?

Pater. Quid tibi proderit hoc scire? Nullum commodum video profecturum, nî velis falsa crimina mihi impingere, & ita me in vitæ discrimine constituas.

Maurus. Ego sum prædives mercator, & probus, & inter Alfaquios

magnæ notæ; absit ut judices, me improbum esse, paraturúmque malum alicui; quin potiùs hoc à te sciscitatus sum, ut te mearum cogitationum, curarúmque conscium faciam, & hoc juramento firmo.

Pater. Ego non omnino ignarus sum lectionis, Scriptorúmque Arabum.

Maurus. Legistíne nostrum Alcoranum?

Pater. Majorem curam ingeris mihi hac interrogatione: si ego affirmem, tu quidem coram judice me coges, ut mortem subeam, vel Maurorum legem amplectar.

Maurus. Jam quidem tibi subirascor; testor Deum, me nolle tibi parare insidias, neque tibi ex colloquio meo aliquid mali obventurum esse; & hoc sincerè, & amicabili animo tibi dico.

Pater. Legi quidem Alcoranum.

Maurus. Nonne tibi placet?

Pater. Si mihi placuisset, jam Mahumeti legem amplexus fuissem. Ne nos legis concertationibus immisceamus: nam tu servas tuam legem, & ego meam: nec ego infructuosè disceptare de legibus volo; sin verò aliquid me tibi profuturum sperarem, non dubitarem, caput meum pro veritate opponere.

Maurus. Cupio certè scire, quid sentiant Christiani Alcoranum legentes.

Pater. Aperi tu mihi tuam mentem, & ego tibi respondebo.

Maurus. Ego in illo multa sibi adversantia reperio: nam jam hîc aliquid dicit, & illi oppositum alibi asserit. Profectò attentè considero, quid sibi velit tot rerum diversarum, & inter se contrariarum varietas ore Dei prolata; & hærentem dubitantémque me trahit, an lex Dei sit nostra, quæ tam facilè plures uxores admittit, & dimittit.

Pater. Si tu hoc sentis, quid tibi addere possum? At siquidem aperta fronte mihi loqueris, ego tibi dico, Alcoranum, nec legem datam à Deo esse, nec ejus Authorem Prophetam fuisse, sicut nec tu Imperator Turcarum es: & rectè arbitratus es, nam ille Mahumet, cùm nebulo insignis foret, ingentiáque mendacia comminisceretur, cuncta Deo loquenti sibi falsò attribuit.

Maurus. Sed quid dices ad illa, quæ certè bona, & pia, precésque sanctas, quæ in illo reperiuntur? Hoc quidem ostendit ejus Authorem Deum fuisse.

Pater. Ne mireris, si inter plurima nefanda, & mala dogmata, aliquid boni intermisceatur: hæc versutia est dæmonis semper nobis infesti; sub velamento alicujus boni, aut veri vult decipere incautos. Veritas, ubicunque refulgeat, Deum habet Authorem; mala, & pessima diabolum, & ejus asseclas: nec à Deo lata lex est, quæ veris & falsis tessellata est.

Maurus. Quomodo lex vestra Deum Trinum facit, & Christum Mariæ Filium Deum dicitis esse, cùm homo sit, & Propheta? Et quod mihi absonum videtur, est, Christianos minimè juxta suam legem vivere.

Hinc arrepta occasione: ego (inquit Pater Casas) de Divinis Personis, de

de Incarnatione Verbi, de ejus necessitate ad delendum originale peccatum, claritate, qua potui, disserui cum illo. Attentè me excepit, dubitavit prudenter, & tandem rationibus victus ingenuè fassus est, Alcoranum non esse legem à Deo datam, nec Mahumetum Prophetam fuisse; alacríque animo decrevit, collectis in unum opibus suis cum uxore, & filiis Venetias navigare prætento titulo negotiationis. Tripolim inter hæc pervenimus, ubi cùm in eum offenderem in hospitali domo mea, cum illo egi de suis sanctis desideriis: at ille lachrimans, heu! respondit, vereor, ne uxores, & filii mei me in infernum trahant; tum ego, noli te ipsum obcæcare, & irretire his illecebris; plus his animus æstimatur tuus; de his curare non debes; Deus, qui te creavit, vocavítque ad se, non te deseret, dummodo, quod tuum est, præstes. Tunc ille sic facturum promisit: meíque coram Deo memor esto, *respondit.* Hucusque Pater Casas.

CAPUT QUINTUM.

Impura Mahumeti vita clarè probat, eum non fuisse Dei Prophetam, sed sagacem Regnorum deprædatorem.

XI. Quia falsa persuasio, quòd Mahumetus fuerit Dei Apostolus, & Propheta, cæcos Arabes detinet in Alcorani tenebris, Christi Prædicator, ut ab his tenebris ad lumen Evangelii eos traducat, debet ipsos perurgere, ut dicant, quo fundamento credant, Mahumetum fuisse DEI Prophetam, & legem ab ipso latam, fuisse Dei jussu, & impulsu promulgatam? Et facilè convincere poterit, Mahumetum nullo argumento probâsse, se fuisse à Deo electum; & temere Arabes illum ut Dei Prophetam venerari, cùm nullum ad hoc credendum habeant prudens fundamentum, quia nec vitæ puritate, & gloriæ mundanæ contemptu, neque miraculis, neque dono prophetiæ, neque aliquo alio argumento Mahumetus suam electionem comprobavit; sed potiùs dantur evidentia signa ad credendum, illum fuisse callidum impostorem, & sagacem Regnorum deprædatorem. Constat enim, non rationabili prædicatione, non divinarum Scripturarum allegatione, non miraculorum soli Deo possibilium operatione, non sancta & exemplari conversatione, omniúmque terrenorum contemptu Mahumetum, ejúsque socios, discipulos, successores, ac ministros legem suam introduxisse, sed manu hostili, fortitudine populari, violentiáque crudeli hoc egisse; ideóque homines viles, ac bestiales pronos fuisse ad ejus legis susceptionem, quia tota illa lex carnalis, atque venerea est.

Chri-

Christus Dominus nobis præscripsit veram formam, cognoscendi, quisnam sit verus Dei Nuncius, ac Propheta; quisnam Pseudopropheta, verúsque deceptor. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Matth. 7. 16. & 20. *Omnis arbor bona bonos fructus facit, mala arbor malos fructus facit.* Ex operibus, ex moribus dignoscendus est Propheta, an à Deo sit missus, an spiritu humano, vel diabolico se ingesserit?

Et Propheta Isaias nobis præscribens modum, dignoscendi, quisnam sit Propheta à Deo verè internè illuminatus, & supernaturaliter instructus, & à Deo missus, ad tradendam hominibus legem Divinam, & viam Cœli persuadendam, inquit cap. 28. 9. *Quem docebit Dominus scientiam, & quem intelligere facit auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Id est, quis erit dignus, à Deo supernaturaliter informari, & divinorum secretorum intelligentiam veram ab ipso accipere? *Ablactatus à lacte, avulsus ab uberibus*, id est homo abstinenter, & sobriè vivens, carnales delectationes, mundanas consolationes despiciens, & à terrenis, & sensibilibus se abstrahens, ut ad Cœlestia, & spiritualia mentem levet, ut Deo omnis puritatis fonti adhæreat, & in amore Creatoris cor suum stabiliat. Ex quibus verbis constat, quàm longè fuerit Mahumetus à munere Nuncii, & Apostoli Dei, & Legislatoris divinitus missi; cùm luce meridiana constet, eum toto cordis affectu ad principatum terrenum, ad pulchrarum fæminarum, non solùm sibi nuptarum, sed aliis legitimè conjunctarum, propriarúmque cognatarum amplexum, & ad temporales divitias anhelâsse. Id autem manifestè probabimus ex ipso Alcorano, & Mahumetanorum libris authenticis.

Antequam autem adhoc probandum descendam, priùs in medium proferam fabulam, quam in sui commendationem confinxit, & tanquam Dei gratiam, & favorem miraculosum sibi factum rudibus Arabibus credendum proposuit. Dicebat Mahumetus, sibi, cùm esset quatuor annorum, Angelum Gabrielem aperuisse pectus, & cor extraxisse, & mundâsse à gutta nigra, quam omnes homines in corde habere credunt Arabes, & dicunt, esse quasi fomitem peccati; quia existimant, ratione illius guttæ nigræ homines à diabolo tentari. Ita habetur in Alcorano lib. I. cap. I. & tanquam res certa refertur in libro *Azear*, qui est valde authenticus apud Mahumetanos, & in illo continetur vita Mahumeti, & Alchalifarum, seu Regum aliorum, qui illi in Regno successerunt, ut testatur Joannes Andreas in sua confutatione sectæ Mahumetanæ cap. I. Consequenter ad hanc fabulam introducit Mahumetus lib. 4. Alcorani in cap. quodam, quod intitulatur de *Stellis*, Deum sic loquentem cum Mahumetanis: *Deus jurat per stellas, quòd vester Propheta Mahumetus nunquam fuit tentatus à diabolo, neque falsum, aut mendacium ore suo unquam protulit, nec vanè locutus est, sed per veram revelationem Dei omnipotentis: & quòd fuerit propè Deum ad duplicem ballistæ jactum.*

Et in proœmio Alcorani hæc habet: *Hic liber absque falsitatis, vel erroris annexu veridicus est eis, quibus inest amor divinus, Deitatísque timor, & cultus*, & in cap. 1. inquit: *Hunc librum veracem esse penitus credite.* Et cap. 17. introducit Deum sic commendantem librum Alcorani: *Si hanc legem fecissemus descendere super montem, inclinaret se mons ille, & adoraret eam præ timore Dei.*

Verùm omnes has laudes Mahumeti, & Alcorani esse fabulas, & insignia mendacia, artificiosè composita ab ipso ad seducendos barbaros illos Arabum populos, evidenter comprobatur: quia manifestum est, Alcoranum esse plenum fabulis, mendaciis, & erroribus, & Mahumetum, qui tantopere se extollit, fuisse hominem mendacem, perjurum, & vitiosissimum; quod nunc liquidò constabit ex ipso Alcorano, & libris authenticis Maurorum.

Nam Mahumetus ipse Azorâ, vel cap. 44. Alcorani introducit Deum sic loquentem cum ipso: *O Propheta, mulieres omnes, quibus donanda dederis, omnes tuæ manui per emptionem subditas, & amitæ tuæ, materteræq; filiarúmque filias, omnésque item bonas mulieres tibi gratis succumbere cupientes, licitas tibi constituo: ídque tibi soli permittitur; has à te remove, illas adjunge pro libito tuo: nec propriis abjectis, nisi dilexeris, molesteris, illæ námque tuo voto carere debent.*

Quis, etsi cæcus sit, non videat, hanc non fuisse concessionem Dei, sed fictionem Mahumeti, ut palliaret effrænem suam libidinem? Quis dicat, Deum, qui universaliter dixit: *Uxorem proximi tui non concupisces: & non mœchaberis*, huic homini tribuisse amplam facultatem, cognoscendi aliorum hominum conjuges, & consanguineas, & affines suas, & omnes ancillas, & universaliter omnes fœminas sibi placentes, quarum voluntates oblatis donis ad sui amorem flecteret? Quomodo non erubescunt Arabes, venerari ut Dei Prophetam, hunc equum emissarium potiùs, quàm hominem temperatum, & modestum?

Id autem meliùs constabit, si detegamus causam, ob quam hanc concessionem Alcorano inseruit tanquam Dei revelationem. Rem narrat Lupus de Obregon ex Joanne Andrea. Jam vidimus capit. 2. Mahumetum non contentum una uxore, & quia probè noverat, quòd cum munere Prophetæ, quod sibi ambitiosè assumpserat, non benè cohærebat, alias fœminas cognoscere extra Matrimonii honestum titulum, finxit revelationem, in qua Deus concedebat facultatem, ut unusquisque Maurus posset Matrimonium contrahere cum duabus, tribus, quatuor, vel etiam pluribus fœminis, si eas posset sustentare, quæ lex inserta est Alcorano lib. 1. cap. 3. Postea verò, quia idololatræ obmurmurabant, novam legem promulgavit, in qua Deus jubebat, ut nullus vir posset ultra quatuor uxores sibi associare: & simul præcipiebat ad vitandas rixas, & contentiones, ut æqualitatem servaret vir cum singulis uxoribus: & jus tribuebat fœminis, ut coram judice possent conqueri de

marito,

marito, si æqualitatem non servaret in thoro, & reliquis; simúlque præcepit viris, & fæminis, ut fidem consortibus servarent, & jussit, ut lapidaretur quicunque ex consortibus adulterium committeret. Publicatis his legibus, Mahumetus præter Adixam, quam dudum duxerat, matrimonium de novo contraxit cum Axa, puellâ octo annorum filiâ Ubequaris; cum Hafiza, filiâ Omaris, & cum Aguada, filiâ Zambi.

Liber Azear narrat, quòd, cùm à Civitate abesset Zeidin olim Mahumeti servus, Mahumetus amore captus uxoris ejus, quæ pulcherrima erat, eam visitavit, & blandè eam allocutus, significavit, se velle illam ducere uxorem; & præcepit, ut, cùm Zeidinus domum reverteretur, hoc ei mandatum daret, *Propheta Mahumetus jussit, ut statim coram illo compareas, quia jam optimum cardinem pro tua janua elegit.* His verbis significans paræmiam quandam inter lenones frequentem, quâ uti solebat Mahumetus ipse, cùm mercaturam exercebat, & seriem Camelorum in Ægyptum cum mercibus ducebat; & per illam loquendi formam significabat, sibi aliquam fæminam placuisse, velléque eam sibi capere. Auditis iis verbis contristatus est valde Zeidinus, quia bene cognovit, Mahumetum velle sibi uxorem, vel vi, vel dolo auferre. Et timens insidias, & mortem sibi parandam ab illo, si ei resisteret, Mahumetum adit, qui palam illum hortatus est, uxorem repudiare, ut eam sibi matrimonio jungeret. Potentiam Mahuti timens Zeidinus invitus repudiavit uxorem, quam vehementer amabat; eámque Mahumetus clandestinè sibi copulavit, libidinem suam sub honesta Matrimonii larva expleturus: vulgatum est hoc Mahumeti scelus; & consanguinei uxoris Zeidini domum Mahumeti armati invadunt, eum occisuri, si uxorem marito legitimo non restitueret: timuit ille tumultum, & uxorem Zeidino restituit, sed amore illius fæminæ captus, ad suas artes confugit, finxit sibi Angelum Gabrielem apparuisse, & adduxit scripta in schedula verba, quæ sibi Angelum locutum fuisse dicebat, illáque legi jussit coram suis Discipulis, & postea inserta sunt Alcorano lib. 3. cap. 17. verba autem sunt hæc: *O Mahumete, quare jussisti, ut servus tuus Zeidin uxorem suam iterum acciperet, quandoquidem tu illam diligebas? Deus vult, ut illam iterum accipias, & ut tuam possideas: contentus sit Zeidin sua sorte, quòd scilicet per aliquod tempus voluptatem cepit cum illa fæmina: nunc Deus vult, ut tu illâ fruaris, & ne ob timorem hominum illam relinquas, & ut sine stomacho, & iræ æstu quiescas.* Publicato hoc capitulo inter Mahumeti discipulos, testatur Alcorani liber, & Azear, ipsos Mauros fæminam illam in domum Prophetæ reduxisse, & eum illam sibi in uxorem accepisse. Zeidinus tamen noluit aliam sibi fæminam matrimonio jungere, ne similem violentiam à Mahumeto iterum pateretur. Idolatræ Meccæ irâ incensi sunt contra Mahumetum, palam obmurmurantes, eum lenonis potiùs officium, quàm Prophetæ munus obire; & tumultum commoventes, illum absque

dubio occidissent ob injuriam illatam Zeidino, nisi ejus Soceri Ubequar, & Homar, & alii Viri nobiles tempestatem hanc sedâssent, & tumultum compescuissent. Hanc historiam referunt ipsi libri Mahumetanorum, tanquam persecutionem sui Prophetæ.

Sed quamvis Cives Meccani necem non intulerunt Mahumeto, tamen publicè ejus famam corradebant, dicentes, eum dignum esse, qui lapidaretur, tum propter injuriam illatam Zeidino, tum quia violavit legem Matrimonii, plus quàm quatuor uxores assumendo. Ille verò cognito scandalo, & populi tumultu, ad suas artes confugit; finxit, sibi Archangelum Gabrielem locutum, & novum capitulum Alcorano addendum dedisse; illúdque jussit legi Mauris: sic autem habet: *O Propheta, Deo placet, ut lex communis Matrimonii te non comprehendat; vult ut tu solus possis nubere cum omnibus fœminis, quæ tibi placuerint; & quæ se tibi obtulerint, ídque sine charta dotis* Caput hoc insertum est Alcorano in lib. 3. cap. 17. Hac arte persuasit populo barbaro, voluntatem Dei esse, quòd Prophetæ non ligarentur lege communi circa numerum uxorum, sed possent sibi Matrimonio jungere, quotquot vellent. Et post hanc dispensationem à Deo concessam Prophetæ, refert liber Azear, Mahumetum alias octo uxores duxisse, quarum nomina refert Lupus de Obregon in suo libro contra Mahumetanos. Unde præter ancillas habuit eodem tempore duodecim, vel tredecim uxores. Liber Azear citatus dicit, Mahumetum nupsisse cum quindecim mulieribus, & eodem tempore habuisse undecim uxores, præter ancillas. Ita testatur Joannes Andreas in suo libr. cap. 7.

Sed cùm Mahumetus aliquas ex uxoribus ardentiùs amaret, & pluribus noctibus cum illis dormiret, duæ ex principalioribus, nempe Zaynex filia Sahiz, & Maymona filia Alariz, conquestæ sunt, dicentes, Mahumetum non servare eam cum uxoribus æqualitatem, quam in sua lege præcipiebat, ipsásque injuriâ affecisse, & contempsisse. Et cùm ex hac querimonia scandalum suboriretur, novam confinxit Mahumetus revelationem sibi à Gabriele factam, novúmque adduxit capitulum, quod insertum est lib. 3. cap. 17. Alcorani, & ita ad verbum habet: *O Mahumete, uxores tuæ de te conqueruntur. Sed Deo placet, ut tu frequentiùs utaris illis, quæ tibi magìs placuerint: & jubet, ne reliquæ idcirco de te conqueri possint.*

Hæc omnia constant manifestè ex ipso libro Alcorani, & ex libro Azear, ut testatur Joannes Andreas, factúmque ipsum negari non potest. Ex iis verò planè convincitur, Mahumetum adulterum fuisse, & sæpe mentitum esse, atque fabulosam esse laudem illam, quam in Alcorano legimus, nempe *Deum per stellas Cœli jurâsse, nunquam Mahumetum fuisse tentatum, &c.* Quis non miretur, Mauros venerari, ut Sanctum, & Dei Prophetam, hominem vitiosissimum, & delectationibus carnis penitus deditum? Hæc expendere, & amplificare debet Christi prædicator, ut pudore suffundat Mahumetanos, &

cos

eos agnoſcere cogat, Mahumetum Virum fuiſſe ſceleratiſſimum.

His adjungo aliam hiſtoriam, quam ex libris Mahumetanorum refert S. Petrus Paſchaſius pag. 25. num. 21. hiſtoriam hanc de uxore Zeidini à Mahumeto uſurpatâ narrans, ait, Mahumeto cum aliis deambulante manus pedéſque ejus repentè intortos apparuiſſe, eúmque in terram cecidiſſe, uti ſolebat, cùm ſpiritus eum arripiebat: tunc circunſtantes illum operuiſſe, dicentes, ejus amicum Angelum ei apparuiſſe. Et poſtquam pauliſper in terra jacuiſſet, ſurrexiſſe, & dixiſſe, ſibi dictum & inſpiratum fuiſſe, quòd Zeineb uxorem Zeidini Matrimonio ſibi copularet, & inſuper Deum illam ſibi in Matrimonio collocâſſe, quia illius flagrabat amore: & iſtius Matrimonii teſtes eſſe Michaëlem, & Gabrielem. Addítque Sanct. Martyr, prædictam Zeineb aliis uxoribus Mahumeti inſultare ſolitam, cum jactantia dicendo: *Se meliorem eſſe illis, ſi quidem nupta uxoratáque erat cum Propheta, non ab hominibus, ſed à Deo.* Finítque narrationem S. Martyr, his verbis: *Et hæc hiſtoria in Alcoran ſcripta manet, tanquam maxima, & præcipua Mahumeti laus.*

Quis eſt adeo vecors, & ſtupidus, qui non agnoſcat, hoc dolo & hac arte uſum fuiſſe Mahumetum, ſimulâſſéque revelationem, ut potiretur uxore Zeidini ſine nota adulterii, & incæſtûs? Nam Mahumetus Zeidinum adoptaverat in filium, ut teſtatur ibidem S. Petrus Paſchaſius. Unde manifeſtè conſtat, Mahumetum adulterum, & incæſtuoſum fuiſſe, & revelationes finxiſſe ad explendam impotentem libidinem.

Et ut ait Joan. Andr. in ſuo libro contra ſectam Mahumetanam cap. 7. Jacobitarum Rex, tanquam munus magni pretii, obtulit Mahumeto Virginem pulcherrimam, natione Judæam, Marinam nomine: ſtatim ejus amore captus eſt Mahumetus, eámque ſolicitavit, & conſequutus eſt. Et cùm duæ ex principalioribus uxoribus Mahumeti adulterium ſuſpicarentur, ſtimulis Zelotypiæ agitatæ, diligenter eum obſervabant, per rimas & cancellos auſcultantes maritum ſuum, & ancillam. Tandémque eos in adulterio deprehenderunt, & acriter utraque Mahumetum reprehendit, exprobrantes delictum, & dicentes, eum non ſe geſſiſſe ut Prophetam; nec facere, quod prædicabat, ſed violâſſe fidem matrimonii, quam in ſua lege præcipiebat. Ille verò timens, ne res tam fœda in vulgus ſpargeretur, enixè ab eis poſtulavit, ut rem ſilentio premerent, & jure jurando promiſit, ſe nunquam deinceps fidem matrimonii violaturum. His promiſſis placatæ ſunt. Cæterùm cùm ſecundò eum quadam die cum ancilla peccantem offendiſſent, in iras effuſæ conqueſtæ ſunt apud ſuos conſanguineos de Mahumeti infidelitate, dicentes, Mahumetum eas repudiâſſe, & fidem matrimonii, & juramenti iniquè fregiſſe. Res publicata eſt, & Mauri ſcandalizati ſunt. Mahumetus verò, ut notam, & ignominiam effugeret, ad communes ſuas artes fingendi revelationes confugit. Finxit, Deum per Angelum Gabrielem ſibi locutum, & novum capitulum legis

sibi dedisse Alcorano inserendum, in quo *Deus præcipiebat, quòd Mauri possent ancillas cognoscere licitè, & absque ullo peccato, etiam uxoribus invitis.* Et hoc mandatum posuit initio capitis, ut gratiam Maurorum captaret. Et legitur in Alcorano lib. 4. & caput illud appellatur *Capitulum de prohibitione, capitulo del vedamiento*, ut ex Arabico vertit Joannes Andreas. Introducitúrque in eo capite Deus excusans Mahumeti factum, & testificans, *Eum in hoc opere non peccâsse*, & præcipiens uxoribus Mahumeti, ut veniam à Propheta petant. Viderint nunc Mahumetani, quàm verum sit, quod Alcoranum testatur, Mahumetum nunquam peccâsse, neque falsitatem dixisse; cùm constet evidenter, eum adulterum, & perjurum fuisse. Hanc eandem historiam narrat etiam S. Petrus Paschasius p. 35. num. 34. dicítque, illam Mahumeti concubinam appellatam fuisse *Meriam*.

Ut autem constet, quàm carnalis fuerit Mahumetus, audiant Mahumetani, quod narrat liber *Azear*, nempe Mahumetum nupsisse cum filia Ubequar puellâ sexenni, & in illa tenera ætate consummâsse cum illa matrimonium. Ita testatur Joannes Andreas cap. 12. sui libri in fine. Alii autem Autores dicunt, octo annos habuisse puellam illam, quando Mahumetus cum ipsa concubuit. S. Petrus Paschasius p. 23. num. 20. ait, Axam septem habuisse annos, quando Mahumetus duxit illam; decem verò, cùm eam defloravit.

Audiant, quod narrat S. Petrus Paschasius ex Maurorum libris pag. 36. num. 36. *Mahumetus* (inquit) *in diebus menstrualibus suarum mulierum utebatur illis vase præpostero. Et sic Axa uxor illius circa hoc dedit contra Mahumetum testimonium pessimum, & vile.* Audiant, quod idem Sanctus Martyr narrat ex Mahumetanorum libris p. 27. num. 23. *In Maurorum* (inquit) *libris scriptum habetur, quod Mahumetus veste utebatur purpurea, ungebátque se unguentis odoriferis, ut bene oleret, optimúsque à se odor exiret: etiámque oculos, & labia tingebat, sicut hac tempestate Maurorum prætores, & alii multi, & multa faciunt. Unde cùm aliqui suorum sectatorum Mahumetum de his rebus reprehenderent, & objurgarent, dicentes, quòd talia Dei Nuntio non convenirent.* Respondit (falsè se excusando:) *Datum mihi est, & concessum, quòd delecter, voluptatémque capiam in tribus: Primum unguentis, secundum mulieribus, tertium oratione.* Sed in hoc tertio palam mentitus est, quia cum duobus prioribus non convenit: nihil enim ita mentem avertit à Deo, rebúsque divinis, neque orationem ita impedit, ac carnales delectationes, quæ mentem obcæcant, & hominem similem jumentis insipientibus reddunt. Et duo priora manifestè ostendunt, Mahumetum non fuisse Dei Prophetam, neque Virum spiritualem. Nam, ut inquit S. Gregorius, *Gustato spiritu, desipit caro:* & quantò quis Deum gloriosum, & excelsum profundiùs contemplatur, ardentiùs amat, dulciùs gustat, tantò plus fastidit carnalia, & delectamenta aspernatur venerea. Idcirco si Mahumetus fuisset vir spiritualis,

& consolationes divinas expertus, nusquam usque adeo insipienter fuisset locutus. Proptereáque Paradysum posuit in delectationibus gustûs, & tactûs, quia ejus spiritus semper carnalibus delectationibus inhians, veluti in carnem mutatus erat; & quia caro erat, Spiritus Dei in illo commorari non poterat.

Audiant, quod narrat Dionysius Carthusianus in suo opere contra Mahumetanos p. 487. id deducens ex libris authenticis Mahumetanorum, nimirum Mahumetum fassum esse: *Quòd tantum potuerit cum mulieribus agere, quantum alii viri quadraginta ad coitum fortes.* Unde unâ horâ poterat cum quadraginta fœminis consummatam, & perfectam copulam habere. Hoc de seipso dixisse Mahumetum, & se laudâsse de hac monstruosa potentia, testantur tres libri apud Mahumetanos valde authentici, nempe liber *Asamail*, in quo agitur de bonis qualitatibus Mahumeti: & liber *Azear*, in quo scribuntur vitæ Alcalifarum, & alius liber, qui appellatur *Almazhodi.* Ita refert Lupus de Obregon in suo tractatu contra Mahumetanos, ex Joanne Andrea, & aliis. Ex his verbis planè convincitur, Mahumetum non fuisse Dei Prophetam, & Virum Sanctum, ut cæci Arabes credunt: quia vel falsum dixit, vel verum? Si falsum, mendax fuit, & insuper carnalissimus, quia magnam sui laudem existimavit, habere potentiam ad coëundum valentiorem, quàm habeant tauri, vel asini emissarii. Si verum, evincitur, diabolum ei subministrâsse fomenta libidinis, quia naturale nequit esse, quòd unus homo possit cum tot mulieribus intra brevem temporis moram copulam consummare.

Quare meritò S. Petrus Paschasius, postquam ex libris ipsis Mahumetanorum, enormia Mahumeti comprobavit delicta, *tandem p. 50. num. 60. concludit, quòd doctrina, quam tribuit, & docuit suos credentes Mahumetus, fuit, occidere homines, stuprare, & captivas ducere mulieres cum parvulis, alienum prædari, sub illorum potestate redigere terras, & aliena regna sortiri, incantationes, & conjurationes facere, augurari, ominari, & auspicari, divinis & incantatoribus uti; propter concupiscentiam & luxuriam, propter cupiditatem & ambitionem omnes rationis metas transilire, habenas vitiis laxare, nihil mali prohibere, omnia mala tolerare, non custodire, neque servare legem, verbis & promissis non stare, & quod plus est, omnia juramenta faciliter frangere, nisi in illorum utilitatem cedere conspexerint. Denique in ejus Alcorano, ejúsque dictis multas vanitates fabulas, mendacia contrarietates, & hæreses viles, & impuras invenietis insertas, & alia multa, quæ minimè dicere, nec facere debuisset homo, qui se Nuncium Dei esse dicebat. Et si se ab hoc inaniter jactabat, quare uxores accipiebat alienas, non solùm exterorum, sed etiam suorum, & viliter, & petulanter se excusans, dicebat, quòd illi Deus omnia, quæ appetebat, concedebat: Et quòd in hoc mundo suæ deliciæ, ac voluptates erant, unguentis pretiosis, & odoriferis, vestibus purpureis, & mulieribus uti ad nutum suæ voluntatis. O stultitia miserorum, qui crediderunt, & credunt*

in

in talem nuncium, tam manifestè infrontem, & inverecundum, tam publicum peccatorem, Hæresum, mendaciorum, errorum, abusionum, amentiarum, & vanitatum seminatorem! Hucusque Sanctus Martyr. Lege, quæ à nobis suprà dicta sunt cap. 1. & 2. de modo, quo Mahumetus suam sectam invexit, & facilè constabit, Mahumetum non fuisse Dei Prophetam, sed sagacissimum regnorum deprædatorem, qui ut regnum sibi, & suis successoribus relinqueret, legem composuit, quæ nihil difficile intellectui proponit, & nihil arduum voluntati præcipit, sed habenas laxat cupiditati, ambitioni, & luxuriæ.

CAPUT SEXTUM.

Ideo diabolus Mauris persuadet, Mahumetum fuisse Virum Sanctum, ut ejus vitia sub larva virtutum imitantes, in infernum cum ipso detrudantur.

XII. QUI seriò meditatus fuerit, quomodo tot Arabes, & Persæ, & aliarum nationum homines ingenii acumine præditi Alcoranum legere possint, quin statim cognoscant, Mahumetum non divino consilio, sed astutiâ humanâ librum illum composuisse, & legem dedisse carni, & sanguini conformem, ut homines faciliùs ad se traheret, & regnum sibi pararet: facilè deprehendet, diabolum tenebras offundere menti eorum, ut, dum Mahumetum Virum Sanctum fuisse credunt, facilè ejus vitia imitentur. Ut enim expendit Theodoretus lib. 7. de Græcarum affectionum curatione, inter technas, & astutissimos diaboli dolos ad præcipitandos homines in fœdissima flagitia, unus ex præcipuis fuit, persuadere hominibus, ut tanquam Deos colerent, & venerarentur homines flagitiosos, plenos sævitiis, libidinibus, injustitiis, & omnium generum delictis; ut Saturnum homicidam & parricidam, Jovem incæstuosum & nefandum; Apollinem nefandum adulterum, Mercurium seductorem, Venerem & Floram meretrices, Plutonem Proserpinæ raptorem, & alia hujusmodi monstra; & ut omnibus manifesta fierent suorum Deorum flagitia, etiam persuasit Poëtis, ut illa carminibus suis depingerent, & mentibus hominum ad imitationem blandè insinuarent. *Quia verò maxima pars hominum litteras nescit, neque idonei sunt, qui Poëtarum, ac Philosophorum verba sensúsque percipiant, alia quædam retia rudioribus his capiendis, retinendísque comparavit. Instituit enim pictores, fabrósque ferrarios, quíque faciendis simulachris opifices ligno lapidéque utuntur, tales eorum figuras, qui vocantur Dii, pingere, cudere, conflare, effingere, quales illi fabu-*

fabulatores suis pridem verbis expresserant, ut haberent hi quoque proposita flagitiorum exempla, quique participes lectionis, sermonúmque esse non poterant, ita saltem fœdissimas imagines intuendo execrabili doctrina minùs carerent. Atque horum artificum simulachris, non solùm templa complêrunt, sed fora, sed vicos, sed locupletum Virorum domus; quoquò enim te vertas, est videre eos, qui falsò Dii nominantur, amatorum facta exprimere, præ libidine rabidos ferri, in venerem concitari, Patrémque Deorum tauro, aquilâ, cygnóque dissimulatum, eóque pacto amicis fœminis commisceri: Mercurium verò sermonis præsidem, hircum effectum Panà, filium genuisse caprinis fultum cruribus, & cornibus præmunitum, &c.

XIII. Hincque effectum est, ut miseri homines, qui in suis peccatis interioribus conscientiæ stimulis pungebantur, & remorsu conscientiæ aliquantulum detinebantur, ne tam proni in vitia ruerent, in tantam dissolutionem devenerint, ut sine fræno in omne flagitiorum genus suorum Deorum facta imitantes prolapsi sint: Ut optimè notavit Julius Firmicus in eo libro, quem composuit de errore Religionum profanarum. *Adulterio delectatur aliquis? Jovem respicit, & inde cupiditatis suæ fomenta conquirit, probat, imitatur, & laudat, quòd Deus suus in cygno fallit, in tauro rapit, ludit in satyro.* Erant quippe quasi canonizata flagitia, dum tanquam Dii colebantur, qui similia commiserant peccata, & ideo non fugiebantur, ut probrosa, quia patrata cernebantur ab iis, quos ut Deos colebant. Unde cùm Chreas apud Terentium in Eunucho reprehenderetur, quòd dolo, & violentiâ virginem quandam defloraverat, respondit. *Si princeps Deorum Jupiter hoc fecit, cur non facerem ego, qui homo mortalis sum?* Si enim jure merito dixit Firmicus: *Desinunt esse probri loco purpurata flagitia*: à fortiori desinebant apud Gentiles esse probri loco *quasi deificata flagitia*, id est, à Diis commissa.

Et ideo æterna Dei sapientia, Dei Filius, in hunc mundum venit, ut dissolveret hæc opera dæmonum. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*, inquit Joannes Epist. 1. cap. 3. v. 8. Ideo enim Filius Dei factus est homo, ut se nobis omnium virtutum exhiberet perfectissimum exemplar: ut qui Deorum falsorum vitia imitantes præcipitabantur in infernum, Veri Dei apparentis in homine virtutes imitantes in Cœlum ascenderent, & ideo factus est homo, ut, sicut falsi Dii, qui fuerunt homines vitiosissimi, & exemplo suæ depravatæ vitæ in libris Philosophorum & Poëtarum publicatæ, & oculis repræsentatæ in statuis, & simulachris totum mundum corruperunt; ita verus Deus factus homo, exemplo visibili suæ vitæ, ab omni peccato mundissimæ, & omni virtute ornatissimæ, litteris traditæ summa authoritate, & sinceritate, & mundo prædicatæ per Viros Sanctissimos, & coram oculis hominum in imaginibus, & simulachris propositæ in templis, & domibus, magnâ efficaciâ moveret homines ad fugam, & detestationem omnium vitiorum, & ad amorem honestatis,

cunctarúmque virtutum validè pertraheret: *Atque adeo sapientissimus universorum Deus factus homo paucis viris, iisque piscatoribus, & publicanis, & uni funium contextori*, (inquit Theodoretus in procemio libri, quem inscripsit, Hæreticarum fabularum compendium) *universum terræ habitabilis orbem colendum tradidit. Scelestissimus autem dæmon hominum pernicies, cùm videret eos multorum Deorum adorationis errorem spinas radicitus evellere, séque iis, qui obedirent, privari ac destitui, cùm sit machinarum confarcinator, & improbitatis artifex, alias insidiandi rationes excogitavit. Cùm enim homines sua operatione dignos elegisset, & veluti personam quandam eis Christianorum appellationem imposuisset, & tanquam melle quodam os poculi illivisset, exitiale mendacii venenum hominibus obtulit: & cùm hominum perniciem sitiret, non expectavit, ut Apostolorum prædicatio confirmaretur, & invalesceret, & tunc fraudem offerret: sed cùm primùm illi terram colere cœperunt, & veræ pietatis, ac Religionis semina dejicere, is interea seminavit zizania.* Heresiarchas scilicet excitando, qui veritatem ab Apostolis prædicatam oppugnarent; & primum omnium elegit Simonem Magum; Deinde Basilidem, Carpocratem, Cherinthum, Ebionem, Marcionem, Arium, Nestorium, & alios ejusmodi Hæresum opifices. Cùm autem astutissimus dæmon videret, Ecclesiam Christi harum Hæresum zizania eradicâsse per Concilia, & Sanctissimorum Patrum scripta; excitavit Mahumetum hominem superbum, ambitiosum, carnalem, qui novam cuderet sectam, & sub specioso titulo cultûs unius veri Dei introducendi, & idololatriæ exterminandæ, mundum inficeret; & ut faciliùs finem intentum assequeretur, disposuit, ut Arabes, cùm sectam illam suscipiunt, tanquam summam, & compendium suæ fidei crederent, *Unum esse Deum, & Mahumetum esse ejus Prophetam*, Nuncium, & Apostolum. Et ideo ut vidimus supra capit. 3. cùm circunciduntur, faciunt fidei suæ professionem sub hac forma: *La illa illa, Alha Mahumed Rasualha*, id est: *unus Deus tantum est, & Mahumetus est ejus Propheta, & Apostolus.* Et dant operam, ut pueri non circunciduntur, usque dum possint verba illa proferre, & suæ fidei protestationem facere. Atque dæmon nullum detrimentum ratus est, quòd Mahumetani credant hanc primam veritatem, quòd non est nisi unus Deus, dummodo simul cum hac veritate credant maximam illam falsitatem, quæ omnium errorum Mahumetanæ sectæ origo est, nempe, quòd Mahumetus fuit maximus Dei Propheta à Deo in orbem missus, ut homines viam salutis doceret, & legislator sanctissimus. Hinc enim fit, ut credant, vera esse omnia, quæ in Alcorano credenda proponit, & licita, & sancta esse omnia, quæ præcipit, & permittit, & ut exempla sui Prophetæ sectentur. Unde, quia ille multas uxores habuit, & ancillas defloravit, & venerem præposteram cum uxoribus exercuit, & uxores dimittere docuit, & peccatum nefandum in lege sua non punit, & incantationibus, & auguriis usus est, & regna deprædatus est aliena,

& Christianas terras occupavit, aliáque execranda commisit scelera, hæc omnia Mahumetani imitantur; nec illos pudet facere, quod fecisse sciunt Mahumetum, quem Virum Sanctum, & Dei Apostolum credunt fuisse.

Quare Christi prædicator in conversione Maurorum laborans, debet in hoc maximè incumbere, ut ostendat, Mahumetum non Dei Prophetam, sed seductorem, non virum sanctum, sed hominem sceleratissimum fuisse, qui larvam illam legislatoris, & Prophetæ accepit, ut sibi regnum compararet: qui in suo Alcorano *mendaciis multa vera inservit, & malis bona commiscuit, malignitate fallendi, ut scilicet falsis propter vera crederetur, & mala propter bona reciperentur*, ut suprà observavimus ex Guilielmo Parisiensi: ejúsque propositum non fuit aliud, quàm difficultatem omnem profligare, quam Christiani homines in credendo, & operando patiuntur, ut constat ex verbis Bellarm. supra relatis, ut ita homines facilè susciperent legem, quæ nihil difficile intellectui credendum proponit circa divina, neque aliquid carni, & sanguini contrarium præcipit, sed januam aperit delectationibus carnis, & cupiditatibus animi.

CAPUT SEPTIMUM.

Pluralitas uxorum, & eas repudiandi licentia, quam lex Mahumeti præscribit, clarè demonstrat, eam non esse legem Dei.

XIV. MAhumetus in Alcorano lib. 4. Azorâ 3. sic loquitur: *Duas vel tres, aut quatuor uxores ducite, nisi timueritis, eas nullatenus pacificare posse; tunc enim quot sua manus castigare quiverit.* Jam autem usu receptum est apud Mahumetanos, ut unusquisque tot ducere possit, quot alere valet. Et ideo Magnus Turca in quodam Palatio, quod appellatur Serrallo, ducentas, vel trecentas mulieres sub titulo uxorum habet præter concubinas. Magnates autem & Dynastæ habent quadraginta uxores in diversis domibus, quas Eunuchi custodiunt. Ita testatur Thomas Bocius de signis Ecclesiæ tom. 1. signo 56.

Quia Mahumetus suam legem miraculis, & operatione virtutum introducere non potuit, per humanam astutiam excogitavit, quidquid erat acommodatum ad suæ legis divulgationem, & extensionem, & id tanquam sibi à Deo revelatum, & divinitus inspiratum barbaris Arabibus proposuit. Hinc se in virtute gladii à Deo missum perhibuit; hinc suos ad deprædationem, & pugnas hortatus est; hinc multitudinem uxorum, & repudiationem concessit; hinc licentiam cognoscendi fœminas in bello

captas indulſit, quò alacriores & promptiores ad bella faceret.

XV. Hanc verò legem de pluralitate uxorum injuſtam eſſe, eſt de fide Catholica, definitum in Tridentino ſeſſ. 24. Canone 2. his verbis: *Si quis dixerit, licere Chriſtianis, plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.*

Sed non ſolùm eſt illicitum Chriſtianis, ſed omnibus gentibus. Idque probatur contra Mahumetanos ex veteri, & novo Teſtamento, quæ Mahumetus admittit, & quibus jubet credi, ut vidimus ſupr. Nam Gen. 2. verſ. 24. dicit DEUS: *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Ut autem expendit Innocent. III. in cap. *Gaudemus* de divortiis, ad probandum paganum habentem plures uxores, dum convertitur ad fidem, non poſſe niſi unam retinere, nempe illam, quam primò duxit: in illis verbis continetur præceptum divinum de unica tantùm uxore; non enim dixit DEUS: *Adhærebit uxoribus ſuis, ſed adhærebit uxori ſuæ*: nec dixit, erunt plures in carne una; *Sed erunt duo in carne una*; iis verbis apertè ſignificans, à ſe ſancitum eſſe, ut unus vir unam dumtaxat, & non plures ſimul habeat uxores. Quòd autem illa ſint verba Dei, & non Adæ, apertè docuit Chriſtus Dominus Matth. 19. v. 4. Cùm enim Phariſæi tentantes eum, interrogâſſent ab eo, an liceret homini dimittere uxorem quacunque ex cauſa? Reſpondit Dominus: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Hæc verba dicta à Deo, & per os Adæ, tanquam per os præconis divini proclamata, legem apertiſſimam de unitate uxoris declarant. Ex illis enim verbis tanquam à Deo prolatis Salvator noſter contra Phariſæos probavit, non licere viro prima uxore vivente alteram ducere, neque primam dimittere. Ergo Chriſtus Dominus exponens mentem ſupremi legiſlatoris Dei, docuit, Deum unam tantùm uxorem uni viro conceſſiſſe: ergo polygamia multarum uxorum ſimul jure divino à Deo fuit prohibita.

XVI. Quod confirmatur ex illa explicatione Chriſti Domini Matth. 19. verſ. 6. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Hæc enim verba ſignificant, matrimonii initio inſtituti eum eſſe effectum, ut, qui conjunguntur, fiant una caro: at ſi unus multis jungatur, non erit una caro, ſed multæ, neque tam fiet unio, quàm diviſio per tale matrimonium. Expendénſque Hieronymus illa verba Chriſti: *Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit illum*, aſſerit, quòd, dicendo, *Maſculum, & fœminam*, oſtendit, ſecunda vitanda conjugia: non enim ait, maſculum, & fœminas, quod ex priorum repudio quærebatur, ſed *maſculum, & fœminam*, ut unius conjugis conſortia necterentur. Et ut communiter interpretantur Patres, Chryſoſtomus, Hieronymus, Beda, Theophilactus, Euthimius, Strabus, & Author imperfecti, Chriſtus illis verbis fecit hoc argumen-

mentum: si Deus voluisset unum virum plures habere uxores, non unam tantùm, sed plures fæminas initio fecisset. Neque enim Adamus aliam poterat habere uxorem, nisi quæ cum illo creata fuisset à Deo: quia omnino repugnat naturæ, ut pater ducat filiam, aut neptem: omnes autem fæminæ præter Evam, aut filiæ, aut neptes Adami fuerunt. Atque adeo Deus coëgit Adamum Monogamum esse. Quòd si tunc, quando propagandum erat genus humanum, noluit Deus, ut Adamus haberet nisi unam uxorem: multò minùs volet nunc, quando universus orbis plenus est jam hominibus, quòd unus homo habeat plures fæminas.

XVII. Idque iterum deducitur ex illis verbis Dei: *Et erunt duo in carne una.* Disputant Patres, & Expositores, quomodo vir, & mulier dicantur una esse caro. Hieronymus, & Beda ad liberos referunt, ut D. Thomas interpretatur in catena, & in commentariis ad hunc locum; quia nimirum ex viro, & uxore genitus filius una utriusque communis est caro. Alii ad corporum conjunctionem, quemadmodum videtur interpretari D. Paulus 1. ad Corinth. 6. dum ait: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* Alii ad amorem mutuum, de quo idem Paulus ad Ephes. 5. *Ita, & viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui uxorem suam diligit, seipsum diligit.* Alii ad potestatem, quam vir in uxorem, & uxor in virum habet; ut enim inquit D. Paulus 1. ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Alii verò, quorum sententiam maximè probat Maldonatus, ajunt, perinde fuisse, dicere: *Erunt duo in carne una*, ac si diceret: non jam duo sunt homines, sed unus. Notum est enim carnem ab Hebræis poni pro toto homine, ut vidimus supra. Significat ergo Christus, virum & uxorem non duos esse homines, sed unum; uxorem veluti corpus, virum veluti spiritum, & animam esse. Itaque non magìs debere virum ab uxore, quàm animam à corpore separari. Unde sicut eadem anima non potest duplex corpus simul informare; ita ex Dei institutione nequit idem vir duplicem uxorem habere.

XVIII. Probatur idipsum ex novo Testamento. Nam Christus Dominus Matth. 19. volens restituere Matrimonium ad eum statum, eámque perfectionem, & rectitudinem, quam habuit in sua primæva institutione, polygamiam omnino prohibuit, illis verbis: *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ex quibus verbis evidenter infertur, esse illicitum, transire ad secundas nuptias vivente prima uxore: si enim, qui primam uxorem dimiserit, non potest secundam legitimè ducere, sed mœchatur, dum alii mulieri conjungitur, quia nimirum priori injuriam facit, cui sui corporis potestatem fecit per primum & legitimum Matrimonium: ergo à fortiori mœchabitur, si retenta priore uxore novam duxerit: Ergo ex Christi declaratione, & institutione est omnino irritum secundum Matrimonium, vivente prima uxore.

XIX. Quod confirmatur: Nam Marcus hanc eandem historiam narrans, inquit cap. 10. v. 11. *Quicunque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Ubi non excipit fornicationis causam, sicut Matthæus exceperat. Ut autem notat Maldonatus, non potest excogitari alia causa, cur Matthæus exceperit fornicationem, Marcus verò non exceperit, nisi quia Matthæus voluit explicare, aliquando licere uxorem dimittere, si nimirum adultera sit; Marcus autem docere voluit, nunquam licere aliam uxorem ducere, etiamsi prior propter adulterium dimissa sit.

Animadvertítque Maldonatus, observatione dignum esse, quòd Marcus dicat: *Adulterium committit super eam*, id est contra eam, atque ideo Marcum hoc dixisse, ut indicaret, non magis licere, dimissa uxore adultera aliam ducere, quàm uxore contra ipsum adulterium committente, contra illam adulterium committere. Lucas etiam c. 16. v. 18. generaliter locutus est, sicut Macus, dicens: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mæchatur, & qui dimissam à viro ducit, mæchatur.* His verbis planè significans, Christum Dominum universaliter prohibuisse polygamiam.

XX. Deinde id ipsum probatur multiplici ratione. Quia quamvis uxorum pluralitas non sit contra primarium Matrimonii finem, qui est, filios procreare, & educare; cùm unus vir multis mulieribus fæcundandis, earúmque liberis educandis sufficiens esse possit: neque uxorum pluralitas sit contra prima juris naturalis principia, quæ certissimam ac inviolabilem rectitudinem continent, & in quæ nulla potest cadere dispensatio: tamen illa uxorum pluralitas est contra alios fines secundarios Matrimonii; & attento jure naturæ illicita est, nisi accedat Dei dispensatio, ut latè probat P. Thom. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 80. Idque persuadent rationes adductæ à D. Thom. 3. contrah. cap. 124. & à Bellarm. tom. 2. lib. 1. de Matr. cap. 10. & ab Alphonso de Castro lib. 11. adversùs Hæreses, verbo nuptiæ in 4. Hæresi.

Probatur autem primò, quia in omni Matrimonio intervenit quidam contractus, vi cujus conjuges mutuò transferunt in alterum sui corporis dominium. Neque mulier, dum viro nubit, gratìs tribuit viro corporis sui potestatem, sed propter æqualem compensationem, quia nimirum vir vicissim tradit mulieri sui corporis potestatem, & ideo Paulus 1. Corinth. 7. dicebat: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: Similiter autem vir, &c.* Ergo sicut mulier plenam sui corporis potestatem viro tradit, ita vir tradere debet plenam sui corporis potestatem mulieri: quod non contingeret, si idem vir plures haberet uxores, quia potestas in corpus mariti esset divisa inter plures, & ita nulla haberet plenam potestatem in illud. Quid enim si utraque simul debitum peteret? Tunc enim utrique maritus reddere non posset. Unde vel utraque fraudaretur usu dominii sui, vel altera alteri præferretur, & tunc illa, quæ postponeretur, injuriam pateretur:

Esset

Esset ergo contractus inæqualis, & injustus.

Secundò, quia finis secundarius Matrimonii est, remedium adhibere fragilitati virorum, & mulierum, ne, si consorte careant, prolabantur in peccatum incontinentiæ. Et ideo Apost. 1. Corinth. 7. v. 5. dicebat uxoratis: *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in ipsum, ne tentet vos sathanas propter incontinentiam vestram.* Est autem contra hunc finem pluralitas mulierum; quia unicus vir nequit multarum mulierum incontinentiæ remedium adhibere. Unde quò vir plures uxores acceperit, eò Matrimonium erit injustius.

Tertiò, quia uxorum pluralitas adversatur tranquillæ, ac pacificæ cohabitationi conjugum, quæ est finis secundarius Matrimonii, esserque multarum rixarum fomes, & contentionibus, & æmulationibus perpetuam præbet occasionem, ut constat ex contentionibus inter Saram, & Agarem uxores Abrahæ, inter Liam, & Rachelem uxores Jacob Gen. 16. & 30. & inter Annam, & Phenenam uxores Elcanæ 1. Reg. 1. connaturale enim est, & sexui fragili mulierum conforme, ut unaquæque uxorum virum sibi magìs propitium, & ardentiorem sui amatorem facere satagat, & aliis invisum, & infestum reddere, unde ex multitudine uxorum vitium zelotypiæ, rixæ, & discordiæ necessariò oriuntur. Cùm ergo Deus nihil magìs commendaverit hominibus, quàm concordiam, & pacem: consequens est, ut prohibuerit pluralitatem uxorum; quæ perpetuam discordiæ materiam facilè subministrat.

Quartò, quia uxor non subditur viro, tanquam famula, sed tanquam socia, & collateralis: & ideo ipsa quoque in domo principatum habet, ut fusè probat S. Chrysostom. Homil. 20. in Epist. ad Ephes. Idque deducit S. Th. 1. part. q. 29. art. 3. ex ipsa formatione mulieris: ideo enim nec ex capite, nec ex pedibus, sed ex latere formata est, ut neque dominetur viro, nec illi subjiciatur instar ancillæ; sed socia sit & collateralis. Quod etiam testantur honorum vocabula: & Regum enim uxores Reginæ, & Augustorum Augustæ dicuntur. Jam verò omnis principatus suâ naturâ diligit singularitatem, ut Augustin. docet lib. de bono conjugali, cap. 17. ergo repugnat Matrimonio, ut unius viri plures sint conjuges. Ut enim Aristotel. docet 8. Ethic. cap. 12. vir, & uxor non conjunguntur solùm ad procreandum, ut animalia cætera, sed etiam ad cohabitandum, & ut simul familiam regant, & officia domestica inter se dividant. Unde officia illa, quæ attinent ad uxorem, unius debent esse; unáque proinde dumtaxat debet esse uxor, ut illa quoad illa munia mulierum propria in familia principatum teneat.

Quintò, quia, ut inquit D. Thomas 4. contra gent. cap. 124. num. 2. *In omni animalis specie, in quo patri inest aliqua solicitudo de prole, unus mas non habet nisi unam fæminam: sicut patet in omnibus avibus, quæ simul nutriunt pullos; non enim sufficeret unus mas auxilium*

xilium præbere in educatione prolis pluribus fœminis. In animalibus autem, in quibus maribus nulla est solicitudo de prole, indifferenter mas habet plures fœminas, & fœmina habet plures mares: sicut in canibus, in gallinis, & hujusmodi. Cùm autem masculo inter omnia animalia sit magìs cura de prole in specie humana, manifestum est, quòd naturale est homini, quòd unus mas unam fœminam habeat, & è converso.

Sextò, quia inter Virum, & uxorem debet esse vera, & liberalis amicitia; amicitia autem in quadam æqualitate consistit: si autem liceret viro habere plures uxores, non esset liberalis amicitia uxoris ad virum, sed quasi servilis; & hæc ratio (inquit D. Thom.) experimento comprobatur, quia apud viros habentes plures uxores, uxores quasi ancillæ habentur.

Denique quia, ut ait idem D. Thom. amicitia intensa non habetur ad multos, ut patet per Philosoph. Ethic. 8. si igitur uxor habet unum virum tantùm, vir autem plures uxores, non erit æqualis amicitia ex utraque parte: non ergo erit amicitia liberalis, sed quodammodo servilis.

XXI. Sed Mahumetani se protegunt exemplo Patriarcharum, quos constat habuisse multas uxores. Hanc difficultatem copiosè, & eruditè tractat Cardinalis Bellarminus tom. 2. lib. 1. de Matrimon. cap. 11. Ex quo respondeo, sententiam esse Scholasticorum communem, Patriarchis antiquis licitum fuisse ex divina dispensatione, plures uxores simul habere. Et ut declarat Innocentius III. cap. *Gaudemus* de divort. nulli unquam fuit licitum sine divina dispensatione plures simul uxores habere. Et ita Chrysostomus Homil. 56. in cap. 30. Genes. dicit, consuetudinem plurium uxorum habendarum fuisse malam, & ideo à Christo abolitam; sed Patribus antiquis fuisse licitam, quia à Deo permissam.

Rationem autem, cur Deus cum Patriarchis antiquis dispensaverit, reddit optimam Alphonsus à Castro lib. 11. adversùs Hæreses, verbo Nuptiæ. *Nam sicut pro varietate temporum statuta etiam humana variantur, ita Deus pro varietate temporum varias condidit leges, & varias etiam ejusdem legis fecit dispensationes. Ab initio enim mundi (ut Salvator noster ait) masculum, & fœminam fecit eos Deus, & Matrimonium inter solos duos constituit, ut essent tantùm duo, & non plures in carne una. Et si illi primi parentes in justitia perseverâssent, semper in toto temporis successu Matrimonium inter duos tantùm, prout à principio conditum erat, celebraretur. At cùm postea hominum malitia adeò crevisset, ut ferè omnes idolis servirent, & falsos Deos colerent, paucissimis in cultu Dei permanentibus, decrevit Deus, viros servos suos pluribus fœminis per matrimonium copulare, ut cultores veri Dei multiplicarentur, & sic Angelorum ruinæ citiùs repararentur. Benignè igitur in hac dispensatione fecit Deus in bona voluntate sua cum humano genere, ut sic citò ex hominibus, tanquam ex vivis lapidibus, reædificaret muros cælestis Hierusalem, qui peccantibus Angelis rupti fuerant.* Innocent. III. in illo cap. *Gaudemus* de divort. dicit, *illos Sanct.*

Pa-

Patriarchas plures accepisse uxores propter revelationem divinam de hoc illis factam.

At Christus Dominus, qui legem novam tanquam perfectissimus Legislator mundo dedit, & verbis, & exemplis homines abstraxit à carnalibus desideriis, à terrenis affectibus, & ab occupationibus circa sensibilia & caduca, eósque induxit ad spirituales affectus, ad actiones internas, & ad virtuosas occupationes; matrimonium reduxit ad eam puritatem, & rectitudinem, in qua à Deo institutum fuerat, nimirum ut unus vir unam dumtaxat possit habere uxorem, & omnem dispensationem circa uxorum pluralitatem omnino abstulit, quia uxorum pluralitas magnum impedimentum erat ad eam perfectionem, quam lex nova intendit. Constat enim, quòd, quantò quis ad carnalia magis sensualiter, ac ferventer afficitur, tantò plus à spirituali, atque divino amore, atque ab omni virtutum perfectione impeditur. Certum est autem, nihil ita animum virilem ab arce virtutum dejicere, nihil ita cor viri effœminare, nihil ita mentem humanam deprimere, & absorbere, inebriare, ac tandem infatuare; sicuti effrænis facit concubitus, frequénsque mulierum amplexus. Meritò ergo Christus illam pluralitatem uxorum penitus abstulit. Jam enim post ejus adventum cessavit ratio dispensandi; cùm enim Sol iste divinus mundum universum illuminaverit, & errorum, & idololatriæ tenebras expulerit, veríque Dei cultum per Apostolos suos in universas orbis partes invexerit, non erat conveniens, ut cuiquam liceret, titulo propagandi cultores veri Dei, plures simul uxores habere.

XXII. Sed dicent Mahumetani, Deum dispensâsse cum Mahumeto, & cum omnibus sectatoribus suæ Religionis, ut plures possint habere uxores. Sed contrà, quia Mahumetus ipse in Alcorano Azorâ, seu c. 12. ait: *Deum commisisse Evangelium Christo Mariæ Filio, & Evangelium esse lumen, ac confirmationem, & castigamen veteris Testamenti, ac rectam viam timentibus Deum.* Et cap. 13. ait: *Deum tradidisse Christo Mariæ Filio animam mundam, ac benedictam, quâ cæcum natum, atque leprosum curavit, & mortuos suscitavit; eúmque edocuisse librum, & sapientiam, & Evangelium, & testamentum.* Ergo cùm Christus in Evangelio penitus abstulerit pluralitatem uxorum, tanquam legislator supremus à Deo datus hominibus, consequens est, esse insigne mendacium, quòd Deus cum Mahumeto, & ejus sectatoribus dispensaverit. Sed Mahumetus ipse, quia carnalissimus, & turpissimus fuit, talem legem suis dedit. Illa namque uxorum pluralitas fovet in viris concupiscentiæ ignem, libidinis vehementiam, sensualitatísque irrefrænationem: quantò enim concupiscentia carnis cum pluribus personis exercetur, tantò plus sævit, nec suis terminis coarctatur. Unde nulla hominum natio minùs abstinet à vitiis contra naturam, immò à commixtione cum brutis, quâm Mahumetani, quibus illa uxorum pluralitas, non remedium, sed incentivum est, atque adeò viri per illam uxorum

pluralitatem efficiuntur libidinosi, atque brutales; Fœminis verò occasionem præbet, alienos viros appetendi, & in fœdissima peccata contra castitatem labendi; cùm enim molles, ac fragiles sint, & suorum virorum exempla videant, qui tam frequenter Venere utuntur, & unus non sufficiat tot uxoribus satisfacere; necesse est, ut hoc sit eis occasio magna peccata committendi.

Contrà secundò; quia cùm certum sit, Deum instituisse matrimonium inter duos duntaxat, & nunquam pluralitas uxorum fuerit licita, nisi ex dispensatione Dei, consequens est, ut lex Mahumeti, omnibus viris licentiam præbens plures uxores simul habendi, non sit dispensatio, sed abrogatio legis divinæ: nam dispensatio non conceditur, nisi in quibusdam casibus particularibus, & aliquibus dumtaxat personis. Ergo Deus, qui per seipsum legem tulit de monogamia, & in illa dispensavit cum Patriarchis, & paucis quibusdam hominibus, & postea per Christum omnem dispensationem abstulit, non potuit postea legem illam justissimam, & aptissimam ad perfectionem assequendam, per Mahumetum penitus abrogare, condendo novam legem de polygamia.

Contrà tertiò, quia ratio, propter quam Christus abstulit dispensationem in lege illa de monogamia, seu de matrimonio cum una dumtaxat muliere ab uno viro contrahendo, militavit non solùm in illis sexcentis annis, quibus Christus Mahumetum antecessit, sed militat etiam nunc, & usque ad finem mundi militabit, ut consideranti patebit. Ergo Christi institutio omnino reddit illicitam pluralitatem uxorum.

Quare Mahumetani solùm verum matrimonium contrahunt cum prima uxore, reliquæ verò sunt concubinæ, & concubitus cum illis est adulterium, nec coram Deo excusationem habebunt, quia ignorantia, quâ laborant, vincibilis est. Hinc quando Mahumetanus, vel alius infidelis polygamus ad Baptismum venit, cogitur ab Ecclesia dimittere uxores omnes præter primam, quod argumento est, solam primam esse legitimam uxorem, reliquas verò esse illegitimas concubinas, jure divino omnes obligante prohibitas; si enim essent veræ, & legitimæ uxores, verùmque matrimonium intercessisset inter virum illum & omnes illas mulieres, Ecclesia non obligaret infidelem illum conversum, dimittere reliquas uxores præter unam, quia lex Christi prohibet dirimi vera matrimonia, ac proinde, si illa essent vera matrimonia, non dirimerentur ab Ecclesia, sed solùm præciperetur ejusmodi homini, ne deinceps alias uxores duceret, nisi priùs obiissent omnes priùs ductæ.

XXIII. Sed pro complemento hujus materiæ inquires, quo pacto Patriarchæ dicantur habuisse plures uxores, quandoquidem ex scriptura videtur constare, unam tantùm uxorem legitimam habuisse, cæteras verò mulieres, quibus adhæserunt, concubinas eorum fuisse. Siquidem Gen. 25. dicitur, *Dedit Abraham cuncta, quæ possederat Isaac; filiis autem concubinarum largitus est munera.* Respondeo ex Bellarmino,

mino, veras & legitimas uxores aliquando vocari concubinas, & ipsas concubinas dici uxores. Nam Genes. 16. Agar dicitur uxor Abrahæ: & Gen. 21. Cethura dicitur etiam uxor: & paulò pòst tam ipsa, quàm Agar dicuntur concubinæ. Et Judic. 19. uxor vera, & legitima, immò & unica cujusdam Levitæ, nunc uxor, nunc concubina nominatur.

Ait ergo Bellarminus, fuisse duo genera uxorum, tùm apud Hebræos veteres, tùm apud Gentiles: quasdam, quæ ducebantur, non solùm ad procreandos liberos, sed etiam ad societatem omnium bonorum, & totius domus gubernationem; atque harum tantùm filios esse hæredes, & has tantum dici matresfamilias. Quasdam verò fuisse etiam legitimas uxores, sed non admissas ad societatem bonorum, & domûs gubernationem: & has nequaquam matresfamilias appellari solitas, neque earum filios hæredes institui, & indifferenter appellatas fuisse, tùm uxores, tùm concubinas.

CAPUT OCTAVUM.

Facilitas repudiandi uxores, quam Mahumeti lex concedit, clarè ostendit, eam non habere DEUM Authorem.

XXIV. LEgem repudii introduxit Mahumetus ad occultandam iniquitatem, quâ Zeidinum servum suum, jam adoptatum in filium, propria uxore, quæ pulcherrima erat, expoliavit. Deum enim in Alcorano introducit sic loquentem in Azora, seu capitulo, quod inscribitur *Elazeb. Quia Zeidinus rixatus est cum uxore sua, eámque repudiavit; Ego, qui sum Deus vester, eam tradidi in uxorem vestro Prophetæ, & mea voluntas est, ut quilibet vir in posterum repudiare possit uxorem suam sine peccato.* Et ut testatur Carthusianus p. 478 *tricesimo quinto Alcorani capitulo datur lex de uxorum repudio, ita ut liceat maritis suas repudiare uxores, & eas rursus recipere usque ad tertiam vicem, sit ut quaternarium numerum non excedant in repudiando, & recipiendo.*

Hanc autem legem hoc pacto in praxim deducunt. Primò, ut Mahumetanus possit licitè uxorem repudiare, & matrimonium contractum dissolvere, debet solvere repudiatæ dotem, quam ei promisit, cùm eam duxit. Secundò, qui semel uxorem repudiavit, potest iterum cum ea de novo matrimonium contrahere, & potest secundò, & tertiò repudiare, & secundò, & tertiò cum ea nubere; si tamen per tres vices illam repudiavit, non potest quarta vice cum eadem uxore repudiata nubere, nisi priùs alius vir eam cognoverit.

 Unde

Unde antequam illam quarta vice recipiant, vocant hominem cæcum, vel aliam personam vilem, & illi pecuniam aliquam exhibent, ut cum ea congrediatur: hac autem præmissâ diligentiâ, eam in uxorem recipiunt. Ita refert Lupus de Obregon. Tertiò, licèt apud ipsos vir possit repudiare mulierem, mulier tamen non potest repudiare virum: & hoc repudium debet fieri coram Alfaquino, seu Sacerdote. Et quamvis à repudiandis uxoribus sæpe abstineant ob timorem consanguineorum mulieris repudiatæ, non tamen ob timorem Dei, vel ad fugiendam culpam, quia hoc licitum sibi existimant. Tempore autem famis, vel cùm annonæ caritas urget, Mahumetani facilè uxores domo pellunt, & matrimonium dissolvunt, ut testantur Christiani, qui in Algerio commorati sunt.

Inprimis clarè cernitur, Mahumetum ad palliandam suam injustitiam, & carnalitatem finxisse in Alcorano, Zeidinum voluntariè repudiâsse uxorem suam; constat enim cap. 5. non voluntariè, sed coactè, ob violentiam sibi illatam à Mahumeto, hoc fecisse. Secundò clarè cernitur, barbaram & injustam esse legem, quæ ad recipiendam uxorem jam per tres vices repudiatam exigit, tanquam conditionem, quòd illa cum alio viro priùs commisceatur.

XXV. Antequam verò argumentis probem, illam legem repudiandi uxores, & dissolvendi matrimonia esse iniquam, & contrariam juri divino, & naturali, suppono, inter Christianos repudia esse irrita, & esse veritatem Catholicam definitam in Tridentino session. 24. Can. 6. & 7. Sacramentum Matrimonii quoad vinculum esse indissolubile: siquidem ibi Concilium anathema dicit iis, qui sentiunt, Matrimonium quoad vinculum ulla de causa solvi posse.

Suppono secundò, certum esse inter Catholicos, conjugium infidelium solvi posse etiam quoad vinculum, si alter conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit cohabitare sine injuria Creatoris. Id constat ex doctrina Pauli 1. Corinth. 7. *Si infidelis discedit, discedat, &c.* Et ex doctrina Ecclesiæ 28. quæst. 2. cap. *Si infidelis*, & cap. *Quanto*, cap. *Gaudemus* de divortiis. Nec obstat illud Christi Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Nam hoc matrimonium non dirimitur ab homine, sed à Deo, cujus interpretem habemus Apostolum Paulum. Nec etiam obstat illud, *Qui dimiserit uxorem, exceptâ fornicationis causâ, & aliam duxerit, mæchatur.* Nam ut docet Augustinus lib. de adulterinis conjugiis cap. 1. & 2. Christus loquitur de matrimonio inter fideles, quod quia est Sacramentum, est omnino indissolubile quoad vinculum, licèt possint conjuges ob fornicationis causam separari quoad thorum, & cohabitationem. Paulus verò loquitur de matrimonio inter infideles, quod non est Sacramentum; cujus matrimonii vinculum dissolvendi potestatem fecit Deus conjugi, qui convertitur ad fidem, si alter converti nolit. Quamvis enim Paulus consulat conjugi converso, ut permaneat cum infideli, si

alter cohabitare velit sine injuria Creatoris, id est, quin ad infidelitatem pertrahere tentet, quia spes affulget, quòd sancta sua conversatione infidelem convertet ad Christum; tamen ad hoc non obligat, quia consulit, non præcipit, ut probat cum Augustino Cardinalis Bellarminus tom. 2. lib. de Matrimonio cap. 12. §. *Sed neque*.

Neque demum obstat, quòd propter Hæresim non dissolvatur vinculum matrimonii: nam matrimonium contractum inter Hæreticos post Baptismum, verum Sacramentum est, ac proinde est indissolubile; unde si alter conjugum convertatur ab Hæresi, non propterea potest, qui convertitur, transire ad alias nuptias; sed cohabitare debet cum conjuge Hæretico, si iste velit cohabitare sine injuria Creatoris, & non sit periculum, ut conjux Catholicus pervertatur ab Hæretico: si autem adsit periculum, separari debent, nullus tamen vivente alio potest ad alias nuptias transire.

XXVI. His suppositis probo, illam legem Mahumeti esse iniquam. Primò, quia est contra Evangelium Domini nostri Jesu Christi, cui Mahumetus jubet credi, ut vidimus suprà. Probatur assumptum: nam apud Marcum cap. 10. sic ait Christus: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mæchatur.* Et apud Lucam c. 16. sic inquit: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mæchatur, & qui dimissam à viro ducit, mæchatur.* Redditque rationem Christus, cur non liceat dimittere uxorem. *Quia qui fecit hominem ab initio*, masculum & fæminam creavit eos, & dixit; *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. 19. & cùm Pharisæi replicâssent: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Respondit Christus: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic.* Quæ verba exponens Hieronymus inquit: *Nunquid potest Deus sibi esse contrarius, ut aliud antè jusserit, & sententiam suo novo frangat imperio? Non ita sentiendum est: sed Moyses, cùm videret, propter desiderium secundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam, quàm odia, & homicidia perseverare.* Notàtque Chrysostomus hom. 33. operis imperfecti in Matth. Christum dixisse, quòd Moyses permiserit, non quòd præceperit dimittere uxorem: *Quod enim præcipimus, semper placet*; quod autem permittimus, non placet; sed permittimus illud, quamvis sit malum, ad majora mala vitanda. Bene itaque Moyses permisit illud, quod erat malum, nempe repudium, qui a permisit malum repudii ad vitandum majus malum homicidii; si enim Moyses non permisisset Judæis uxores dimittere ob causam adulterii commissi, illas occiderent, ut ad alias nuptias transirent.

XXVII. Notat autem Alphonsus à Castro lib. 11. columnâ mihi 744. tria in hoc negotio intervenire, quorum primum Deus prohibuit, secundum permisit, tertium præcepit. Prohibuit quidem, dimittere uxorem sine causa. Permisit, dimittere uxorem ex causa turpitudinis, si illa turpis fuisset, & contra maritum deliquisset. Præcepit, dare libellum repudii, si illam dimitteret, ut per illius libelli donationem averteret eos ab ejusmodi uxorum dimissione. Nam dato libello repudii, non poterat ampliùs ad illam uxorem redire, nec poterat uxori postea reconciliari, ut habetur Deuteronomii 24. In donatione libelli, quæ erat præcepta, non erat péccatum. In dimissione autem uxoris, quæ erat permissa, committebatur peccatum, quia solvebatur vinculum matrimonii, quod ex lege naturæ erat indissolubile. Hæc Castro; idque tenet communior sententia Theologorum cum Magistro in 4. dist. 33. cum D. Bonaventura, Ricardo, & Soto ibidem: nimirum repudium Judæis concessum illicitum semper fuisse, sed permissum tamē, ut impunè fieret ratione majoris mali evitandi, ac proinde conjugium contractum post repudium unius uxoris cum alia, non tam conjugium, quàm adulterium conjugii nomine tectum, fuisse.

Tamen Bellarminus lib. 1. de Matrimonio cap. 17. probabilissimum putat, post repudium uxoris, Judæis à Deo concessum, matrimonium de novo initum permissum fuisse à Deo ut licitum, & non tantùm ut minus malum. Et pro ea sententia præter Scotum, Durandum, Paludanum, & Eckium, citat S. Thom. qui in 4. dist. 33. quæst. 2. art. 2. quæstiunculâ 2. eam appellat probabiliorem. Cæterùm S. Doct. 4. contra G. cap. 23. in fine videtur sequi oppositam, ait enim, *Permissum fuisse minus malum ad excludendum majus malum.* Sed tamen Christus hanc concessionem Judæis factam apertissimè revocavit Matth. 5. *Qui dimissam duxerit, mœchatur*, & Matth. 19. *Ab initio non fuit sic. Et quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et Marc. 10. *quicunque, &c.*

XXVIII. Quarè repudium inter Mauros usitatum, illicitum & malum est, sive dicamus, licitum fuisse Judæis ex permissione divina, repudiare uxores, sive dicamus, nunquam fuisse licitum; sed solùm permissum fuisse, ut fieret impunè, tanquam minus malum, necessarium ad vitanda majora mala, quæ committerent Judæi ob duritiem cordis sui, si lex non permitteret, dimittere uxorem adulteram, & transire ad nuptias cum alia. Nam si adhuc post permissionem erat in se illicitum illud repudium inter Judæos: ergo à fortiori erit illicitum inter Mahumetanos. Si autem post permissionem erat licitum, etiam sequitur, esse illicitum repudium Maurorum. Nam apud Judæos solùm erat permissum repudium ob fornicationis causam: & semper fuit illicitum inter ipsos, repudiare uxores pro voluntate sua, & ad nutum. Mauri autem repudiare ad nutum possunt uxores, quamvis servaverint integrè matrimonii fidem; nulláque alia causa requiritur in eorum lege ad repudium, quàm

quàm quòd maritus velit; dummodo enim tribuat dotem promissam, ad nihil aliud obligat lex. Præterea apud Judæos, qui dimittebat uxorem, non poterat ampliùs cum illa contrahere matrimonium; quod Deus disposuit, ut Judæi rariùs dimitterent uxores. At inter Mauros potest quilibet post repudiatam uxorem primâ, secundâ, & tertia vice, illam denuo recipere, novum cum illa contrahendo conjugium; & hæc conditio legis facilitat repudia, ac proinde est injustissima ejusmodi lex. Potissima autem ratio, cur repudium sit illicitum, est, quia matrimonium ex natura sua debet esse perpetuum, nisi Deus jubeat dimittere uxorem (ut jussit Abrahamo, ut enim inquit Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 7. *Abraham jubente Deo repudiavit Agar, quam duxerat in uxorem*) vel saltem permittat, dispensando cum marito, ut possit dimittere uxorem ob aliquam gravem causam, qualis est causa adulterii: & hoc modo secundùm sententiam S. Thomæ, Scoti, & Durandi, Deus permisit Judæis, dimittere uxores ob fornicationis causam, & ad alias nuptias transire; Christus autem omnem ejusmodi dispensationem abstulit, & reduxit matrimonium ad eam puritatem, quam ex se habuit ab initio. Unde post adventum Christi est semper illicitum, repudiare uxorem, ita ut dissolvatur matrimonium, solúmque est licitum divortium ob causam fornicationis, vel aliam gravem: divortium autem non solvit vinculum matrimonii, nec reddit uxoratos habiles ad contrahendum cum aliis, sed solùm aufert obligationem cohabitandi cum consorte.

XXIX. Nunc probandum specialiter est, repudium illud usitatum apud Mahumetanos esse illicitum. Et imprimis quòd illud sit contra rationem, suadetur à posteriori, quia etiam apud Ethnicos, ubi morum disciplina vigebat, nulla fiebant repudia. Scribit enim Tertullianus in Apologetico c. 6. Romæ per annos ferè sexcentos ab urbe condita nullum scriptum fuisse repudium. Postea vero eversâ disciplinâ, cum aliis vitiis etiam repudia introducta.

Secundò probatur ratione naturali. Nam ut observat D. Thomas 3. contra gentes cap. 122. licèt in animalibus, in quibus sola fœmina sufficit ad prolis educationem, mas & fœmina post coitum nullo tempore commaneant, ut patet in canibus: *Tamen quæcumque animalia sunt, in quibus fœmina non sufficit ad prolis educationem, mas & fœmina simul post coitum commanent, quousque necessarium est ad prolis educationem, & instructionem: sicut patet in quibusdam avibus, quarum pulli, non statim postquam nati sunt, possunt cibum sibi quærere. Cùm enim avis non nutriat lacte pullos (quod in promptu est, velut à natura paratum, sicut in quadrupedibus accidit) sed oporteat, quòd cibum alienum pullis quærat, & præter hoc in cibando eos foveat, non sufficeret ad hoc sola fœmella; unde ex Divina Providentia est naturaliter inditum mari in talibus animalibus, ut commaneat fœmella ad educationem fœtûs. Manifestum est autem, quòd in specie huma-*

humanâ fœmina minimè sufficeret sola ad prolis educationem, cùm necessitas humana vitæ multa requirat, quæ per unum parari non possunt. Est igitur conveniens secundùm naturam humanam, ut homo post coitum mulieri commaneat. Et hac ratione probat ibi S. Doctor, simplicem fornicationem esse peccatum, & matrimonium esse naturale. Quia si indifferenter posset quis ad quamcumque accedere, & statim abscedere, ut faciunt fornicantes, id esset contra educationem prolis. Ex hoc autem naturali principio postea cap. 123. probat, matrimonium debere esse indissolubile; quia si sollicitudo patris de filio causat etiam in avibus commanentiam maris & fœminæ, ordo naturalis requirit, quòd in specie humanâ societas, & commoratio maris & fœminæ, quam matrimonium appellamus, non tantùm sit diuturna, sed etiam quòd sit per totam vitam. Nam possessiones ad conservationem vitæ ordinantur; & quia naturalis vita, quæ conservari non potest in patre perpetuò, quasi quadam successione secundùm speciei similitudinem conservatur in filio secundùm naturam, est conveniens, ut in iis, quæ sunt patris, succedat & filius; naturale est igitur, ut solicitudo patris ad filium maneat usque ad finem vitæ suæ.

Secundò probatur, quia, ut docet idem D. Thomas, necesse est, ut cætera omnia in homine ordinentur ad id, quod est optimum; quare conjunctio maris, & fœminæ in specie humana non solùm sic est ordinata legibus, secundùm quod ad prolem generandam pertinet, ut est in animalibus: *Sed etiam secundùm quod convenit ad bonos mores, quos ratio recta disponit; vel quantùm ad hominem secundùm se, vel quantùm homo est pars domesticæ familiæ, aut civilis societatis. Ad hos autem bonos mores pertinet individua conjunctio maris, & fœminæ: sic enim fidelior amor unius ad alterum erit, dum cognoscunt, se indivisibiliter conjunctos; erit etiam utriusque solicitior cura in rebus domesticis, dum se perpetuò commansuros in earundem rerum possessione æstimant. Subtrahuntur etiam ex hoc discordiarum origines, quas oporteret accidere, si vir uxorem dimitteret, inter eum, & propinquos uxoris. Et fit firmior inter affines dilectio: tolluntur etiam adulteriorum occasiones, quæ darentur, si vir uxorem dimittere posset, aut è converso: per hoc enim daretur via facilior solicitandi matrimonia aliena.*

Quarè lex Mahumeti tantam facilitatem dimittendi uxores concedens, est turpissima, & innumerabilium peccatorum incitamentum, & occasio. Cùm enim juvenes sint ad opera carnis proclives, si quis videat puellam pulchram, & sibi placentem, finget, se velle cum ea conjugium fixum contrahere, ut sic ejus amplexibus fruatur, quamvis habeat animum eam repudiandi, postquam eam defloraverit, & in flore juventutis eâ usus sit. Unde si repudium licitum sit, conjugium nihil aliud erit, quàm quædam fœminarum delibatio, & probatio: cùm enim connaturale sit, ut fœminæ fastidium afferant viris, postquam illis aliquo tempore usi sunt, & illæ pulchritudinem amiserunt; hinc dabitur

bitur occasio viris, ut alias fæminas adolescentes, & pulchriores quærant, si licet abjicere eas. Estque lex illa contra rationem naturalem, quæ non patitur, ut fæmina, quæ annos juventutis consumpsit inserviendo marito, & filios ei pariendo, & educando, postea si absque culpa sua deformis fiat, aut in morbum incidat, à viro deseratur, & dimittatur.

XXX. Probatur tertiò, quia si ob aliquam causam esset licitum, uxorem dimittere, præcipuè foret ob fornicationem, & adulterium, & in favorem innocentis, ne scilicet consors innocens cogeretur matrimonium continuare cum adultero. At hoc est falsum. Ergo nunquam est licitum, matrimonium dissolvere. Probatur minor. Quia si liceret parti innocenti in causa fornicationis, non solùm divortiari à parte nocenti, sed aliud matrimonium inire; vel id quoque liceret nocenti, vel non? Neutrum autem potest dici. Non primum, quia sic adulter commodum ex peccato suo reportaret; unde sæpe viri deditâ operâ adulterium committerent, ut possent ab uxore sibi fastidiosâ liberari, & aliam sibi gratam ducere. Non secundum: Quia si pars innocens ad alias nuptias transire potest, hoc ipso dissolvitur prius matrimonium; ac proinde pars nocens manet soluta à vinculo matrimonii: ergo poterit etiam matrimonium inire novum.

Quartò, quia, ut argumentatur Bellarminus, si esset licitum ejusmodi conjugium vivente altero conjuge, aperiretur aditus infinitis repudiis etiam injustis. Ubi enim conjuges sciunt, debere se aut cœlibes vivere, aut priori conjugi reconciliari, non facilè ad divortium adducuntur; at si scirent, mox repudiata uxore posse aliam duci, facillimè divortia fierent, & quærerent occasiones aliquando dissidiorum, & criminum.

Quintò, quia hæc repudiorum licentia in magnum vergit filiorum detrimentum. Vel enim filij cum patre manent, vel matrem dimissam sequuntur? Si primum, pro matre novercam coguntur accipere, à qua alieni indignè tractantur, & proprij totum ad se rapiunt matris affectum. Si secundum, aut educatione, & auxilio proprij patris carent, aut pro patre vitricum reperiunt.

Sextò, *quia*, ut arguit S Thomas, *Naturalis quadam solicitudo inest hominibus de certitudine prolis; quod propter hoc necessarium est, quia filius diuturna patris gubernatione indiget: quæcumque igitur certitudinem prolis impediunt, sunt contra naturalem instinctum humanæ speciei.* Si autem vir posset mulierem dimittere, vel mulier virum, & alteri copulari, impediretur certitudo prolis, dum mulier à primo cognita, postmodum à secundo cognosceretur. Est igitur contra naturalem instinctum speciei humanæ, quòd mulier à viro separetur. Ergo non solùm diuturna, sed individua debet esse in humana specie maris, & fœminæ conjunctio.

Septimò, quia, ut inquit idem Sanctus Doctor, amicitia, quantò major est, tantò debet esse firmior, & diuturnior: inter virum autem & uxorem maxima amicitia esse videtur; adunantur enim

non solùm in actu carnalis copulæ, quæ etiam inter bestias quandam suavem amicitiam facit, sed ad totius domesticæ conversationis consortium; unde in signum hujus homo propter uxorem patrem, & matrem dimittit, ut dicitur Genes. 2. & ut inquit Christus Matth. 19. v. 6. *Iam non sunt duo, sed una caro.* Ergo conjugium debet esse perpetuum, & sola morte alterius potest dissolvi. Vir enim, & uxor inter se legitimo matrimonio conjuncti debent esse, sicut anima, & corpus; quia, ut suprà vidimus ex Maldonato, verba Christi significant, virum & uxorem non esse duos homines, sed unum, virque se habet ut anima, & uxor ut corpus. Ergo sicut vinculum inter animam & corpus tam arctum est, ut sola morte dissolvatur; ita vinculum matrimonij tantum, taléque debet esse, ut sola morte viri vel uxoris dissolvatur.

Ex dictis constat, legem Mahumeti, quæ tam amplam repudiis januam aperuit, esse contra jus divinum, contra jus naturale, contra jus polyticum, contra bonos mores, & innumerabilium peccatorum radicem; inventámq; fuisse à Mahumeto ad palliandam effrænem libidinem.

CAPUT NONUM.

Demonstratur, nullam ex proprietatibus Legis Domini, assignatis à Davide, convenire legi Mahumetanæ.

XXXI. PROPHETA Regius Ps. 18. v. 8. legem divinam describens, ejúsque proprietates ob oculos ponens, inquit: *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Dicitur *immaculata*; idest, sine ulla macula, & fœditate, non solùm quia nihil injustum, & malum præcipit, sed quia nullum peccatum permittit, ut permittunt leges humanæ: & ut explicat Bellarminus, dicitur *convertens animas,* quia nimirum illas convertit ad se amandam, eásque rapit consequenter ad Deum, tam pulchræ legis Authorem. Eadem lex Domini dicitur *testimonium,* ut exponit Bellarminus, quia testificatur hominibus, quæ sit voluntas Dei, quid à nobis requirat Dominus, quas pœnas prævaricantibus, & quæ præmia observantibus præparaverit. Ait igitur *testimonium Domini fidele,* tum quia lex Domini nihil falsum docet, tū quia certissimè bonos præmiis, & malos suppliciis afficiet. *Sapientiam præstans parvulis,* idest, hominibus parvulis sensu dat lumē prudentiæ, ut sciant bona opera facere, & peccata vitare: Parvulos enim, inquit Bellarminus, vocat in hoc loco Propheta homines, qui non pollent judicio spirituali, quales sunt omnes amici hujus sæculi: & per sapientiam intelligit prudentiam spiritualem, quæ corrigit mores, & format ad præscriptum divinæ legis. Dilucidè,

dè, & breviter explicat hæc verba Psalmi S. *Thomas* 1.2.*q*.91.*art*. 4. *corp. Lex Domini immaculata, idest, nullam peccati turpitudinem permittens: convertens animas, quia non solùm exteriores actus, sed etiam interiores dirigit: testimonium Domini fidele, propter certitudinem veritatis, & rectitudinis: sapientiam præstans parvulis, in quantum ordinat homines ad supernaturalem finem, & divinum.*

CAPUT DECIMUM.

Ostenditur, legem Mahumetanam non esse immaculatam, quia multa injusta præcipit, & multa turpissima, ut licita permittit.

XXXII. IMPRIMIS assumptum probatur, quia lex Mahumetana Polygamiam, & repudium, ut licita permittit; cùm tamen sint jure divino, & naturali prohibita; ut vidimus capite præcedenti.

Secundò, quia reddit licitam simplicem fornicationem, contra id quod Deus præcipit Deuter 23. *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec fornicator de filiis Israël.* Et contra id quod Christus Matth. 15. v. 19. declarat; Ubi inter opera coinquinantia animam post adulteria ponit fornicationes: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, & hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Et contra id, quod Apostolus docet ad Galatas 5. *v*. 19. *manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia.* Et 1 *Corinth*. 6. *neque fornicarij, neque adulteri, neque molles &c. Regnum Dei possidebunt.* Circa quod videndus est S. Thomas 3. contra gentes cap. 122. & 2.2.q. 154. art. 2. ubi probat rationibus, simplicem fornicationem esse illicitam. Idque Philosophi ipsi Gentiles cognovêre. Et ideo volens Demosthenes cognoscere Laydem meretricem pulcherrimam, cùm illa pretium ingens turpitudinis priùs petivisset, respondit: *Ego tanti pœnitere non emo.* Ipsáque naturalis verecundia, quæ homines docet quærere latibula ad vacandum Veneri, probat, simplicem fornicationem esse peccatum. Quòd Mahumetus licitam faciat simplicem fornicationem, patet; quia lib. 4. Alcorani c. 9. & secundùm aliam editionem, in qua totum volumen Alcorani ponitur sine distinctione librorum, capite 32. inquit: *Castitatem observate, nisi cum propriis uxoribus, aut sibi subjectis, & ancillis: inde enim nulla fiet querimonia.* Unde cum ancillis vel pretio emptis, vel bello captis licitum esse coire docet.

Rursus in capite, seu Azora, quæ intitulatur Elmir, seu Lux, inquit: *Nulli mulieri vim inferatis; cæterùm si illa voluntariè consenserit; sine metu, & timore peccati potestis cum illa dormire.* Et in ca-

capite *Almetarem*, quod idem ſonat ac *excommunicatio*, inquit: *Deus omnipotens, & miſericors concedit omnibus vobis, qui erga Mahumetum devoti eſtis, & ejus legem obſervatis, quòd poſſitis communicationem carnalem cum veſtris ancillis, ac cum veſtris uxoribus habere.* Quam legem Mahumetus publicavit, quando ab uxoribus ſuis deprehenſus eſt adulterium committens cum ancilla Judæa, quam illi præſentaverat Rex Jacobitarum, ut ſuprà narravimus. Et hinc conſtat, Mahumetum non ſolùm facere licitum coitum inter ſolutum, & ſolutam, ſed inter uxoratum, & ſolutam, imò, & uxoratam, dummodo ſit ancilla bello capta, vel pretio empta: ac proinde non ſolùm facere licitam ſimplicem fornicationem, ſed adulterium.

Mahumetani verò legem illam, concedentem ſibi facultatem cognoſcendi ſolutas, ita intelligunt; ut non ſolùm ſit neceſſarium, quòd illæ non reſiſtant, & libentes conſentiant, ſed quòd eis exhibeatur aliquod *turpitudinis pretium.* Unde priuſquam commiſceantur, dicit mulier, *batyl, batyl*, ideſt, da pretium, ut ſine peccato poſſis me cognoſcere.

Tertiò, Mahumetus licitam facit Venerem præpoſteram cum propriis uxoribus, & ancillis. Nam in capite *Almetarem* nuper citato dicit: *Communicationẽ carnalem cum ancillis veſtris licitè habere poteſtis ſicut cum uxoribus, & utriſque poteſtis uti, prout libuerit, quia veſtræ ſunt, prædium veſtrum ſunt: unuſquiſque autem ſuum prædium ſuámve terram, ut libuerit, arare, & ſeminare poteſt.* Idque præter alios teſtatur etiam S. Petrus Paſchaſius pag. & num. 36. ubi ait: *legitur in libris Maurorum, quòd aliqui illorum Mahumetum interrogârunt: ſi licitum illis eſſet, & conceſſum, relictâ concipiendi naturâ, uti ſuis mulieribus ad nutum voluntatis ipſorum. Et reſpondit Mahumetus: Veſtræ mulieres ſunt, ſeminate, ubicumque vobis placuerit. Unde ipſemet Mahumetus in diebus menſtrualibus utebatur illis vaſe præpoſtero. Vide quæ narravimus ſuprà pag.* 403.

Quartò, Mahumetus licitam facit pollutionem. Ut enim refert S. Petrus Paſchaſius pag. 37. num. 40. cùm quidam ſuorum ſectatorum dixiſſent, maximum videri peccatum, quòd vir ſemen effundat extra vas connaturale uxoris, quia impeditur generatio; reſpondit Mahumetus: *Non ex tota aqua, vel ſemine eget, vel generabitur filius, & quando Deo aliquid creare placuerit, nullus eſt, qui poſſit illum impedire. Et alio loco dixit: Non dubitetis ſpargere, vel effundere veſtrum ſemen, quomodo volueritis; nam nulla anima poteſt ab eſſe ſuo impediri, & privari, ſi talis anima eſſe habere debeat.*

Quintò, licitam facit Sodomiam viri cum viro, *contra illud Levit.* 18. *Cum maſculo non commiſcearis coitu fœmineo, quia abominatio eſt.* Et contra illud Pauli: *neque molles, neque maſculorum concubitores Regnum Dei poſſidebunt.* Et contra ipſum lumen rationis. Aſſumptum probatur: nam in Alcorano in capite, cujus titulus eſt, *de Vacca*, ſic inquit: *Sarraceni carnaliter non maculentur cum infidelibus, donec credant.* Hinc inferunt Mahumetani, quòd, quamvis licitum non ſit, carnaliter commiſceri pue-

ris alienæ Religionis, licitum tamen ſit cum pueris Mahumetanis. Unde ortum duxit infernalis illa conſuetudo, quòd Turcarum Imperator non ſolùm in ſuo Palatio habeat ducentas, vel trecentas uxores, & concubinas ad explendam ſuam libidinem; ſed alia in domo aſſerventur ducenti, vel trecenti pueri formoſi, quibus nefandè abutitur barbarus ille Mahumeti diſcipulus, & in Imperio ſucceſſor. Idémque proportione ſervata faciunt Magnates, & Proceres regni, ut ſuprà cap. 7. diximus de uxoribus. Et in celebrioribus urbibus Monarchiæ Turcicæ extant Domus publicæ, in quibus pueri ejuſmodi cinædi proſtituuntur, ut nefandi pædicones præpoſterâ utantur Venere: ut teſtatur Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ, ſigno 56. fol. 544.

Sextò, Mahumetani, ut teſtatur ibidem Bozius, licitum putant, carnaliter coire cum beſtiis, dummodo ſint ſub proprio dominio. Quia enim Ubequar Mahumeti ſocer, & ſecundus poſt ipſum Sarracenorum Alcalifa legem ſtatuit, vel edictum promulgavit, in quo dicebatur: *Quemlibet Sarracenum poſſe licitè uti rebus, quæ ſunt ſub ejus dominio, & poteſtate, eo modo, quo ipſe maluerit:* hinc Mahumetani intulerunt, licitum eſſe Mahumetanis, communicationem carnalem habere, non ſolùm cum ancillis, ſed etiam ſervis, & mancipiis, non ſolùm quando ſunt ejuſdem Religionis, ſed quamvis ſint diverſæ Profeſſionis, & etiam licitum eſſe coire cum beſtiis, quia ratio legis eſt univerſalis, & ut ipſi exiſtimant, extenditur ad uſum in ordine ad Venerem etiam nefandam, & beſtialem: quod natura ipſa abhorret, & ſeveriſſimè à Deo prohibetur Levit. 18. *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum illo.*

Et quamvis Mahumetus expreſsè non permiſerit, tanquam licitum, coitum nefandum viri cum viro: tamen certum eſt, non præcepiſſe, ut hoc ſcelus graviter puniretur. Ut enim teſtatur S. Petrus Paſchaſius pag. 37. num. 38. loquens Mahumetus de peccato ſodomiæ, ait: *Si vir cum alio viro in ſodomiæ peccato convenerit, in talique culpa inventus, comprehenſúsque fuerit, ſtatim reprehendantur, & corrigantur; & ſi doluerint, & pœnituerint, non ideo puniantur, nam Deus pius, & miſericors eſt, & pœnitentiæ acceptator.* Hinc meritò infert Sanctus Martyr, propterea Mahumetum non impoſuiſſe pœnam acerbiſſimam mortis pro tam horrendo crimine, quod Deus tantopere execratur, ut illud punierit igne de cœlo emiſſo in Sodomitas; & in Levitico cap. 18. v. 29. dixerit: *Perituram de populo ſuo omnem animam, quæ fecerit abominationem ejuſmodi:* quia videlicet Mahumetus ab illo ſcelere putus non erat. Quod comprobatur ex teſtimonio, quod contra ipſum dederunt Axa, & Maymona uxores ejus, ut vidimus ſuprà cap. 7. teſtatúrque, hoc crimen valde dominari in Mauris, & poſſe abſdubio præſumi, quòd Sarraceni illud à Mahumeto acceperunt, & ad exemplum ejus deinceps operati ſunt.

XXXIII. Hinc deducitur, non eſſe Dei legem eam, quæ tantam abominationem impunitam relinquit. Cùm enim ſodomia ſit horrendum crimen,

quod Deus vehementer execratur; impunitatem illi indulgere, est ansam præbere, ut frequenter committatur, ut cernimus inter Mahumetanos: evincitúrque, zelum Dei non habere Rempublicam illam, seu Professionem, in qua severè solùm puniùntur furta, & alia peccata, quæ immediatè sunt contra proximum; impunita verò relinquuntur alia graviora peccata, quæ naturam humanam magìs maculant, & graviùs Deum offendunt. Idque contingit in secta Mahumetana. Quare colligitur, illam non esse sanctam: è contra verò Religionem Christianam, quæ flammis hanc maculam expiat, esse sanctam, & immaculatam, & Deum habere Authorem.

Rem comprobemus exemplo, quod in hunc scopum adducit P. Franciscus Arias nostræ Societatis tom. 1. de Imitatione Christi, tract. 6. cap. 3. quem edidit anno Christi 1598. In Urbe Valentiæ, ubi Sanctæ Inquisitionis Tribunal peccatum nefandum severissimè punit: Sacerdos de hoc crimine convictus publicè degradatus est in spectaculo Fidei, quod ibi habitum est; ad illud eductus est Apostata Mahumetanus, qui cùm esset Mauri neophyti filius, Baptismum in infantia susceperat, postea verò pertinaciter Mahumetanæ sectæ adhæsit; & quia illam abjurare noluit, sententia capitis in eum lata est. Comitabatur hunc perfidum Mahumetanum ad supplicium Religiosus è Societate Jesu, & in carcere, & per viam, & in loco ad publicè legendam sententiam delinquentibus destinato, multùm laboravit, ut ad Religionem Christianam eum pertraheret. Sed incassum: quía aures suas obturaverat, & obstinatissimè decreverat, in Religione suorum majorum vitam finire. Sed quod Pater persuadere non potuit, persuasit solemnis illa Sacerdotis degradatio, quæ in tabulato coram omni populo facta est. Attonito similis perfidus Mahumetanus Episcopum degradantem, & Sacerdotem degradatum attentè inspiciebat; & interrogavit à Patre Societatis, qui ei adstabat, quid hoc rei esset? aut cur ille Sacerdos ita puniretur? Responsum est, illum commisisse peccatum nefandum, & propter hoc peccatum execrabile flammis comburendum; priùs tamen denudari ornamentis, & insignibus Sacerdotalibus, ut Judici sæculari puniendus traderetur. Tunc enimverò Maurus mirari cœpit, tam severè puniri inter Christianos delictum, quod inter Mahumetanos passim impunè committitur: & Deo tangente cor illius cognovit, non posse non esse sanctam, & veram legem Christianam, quæ tam severè punit ejusmodi delicta; econtra verò falsam, & impuram sectam Mahumetanam, quæ tam nefanda scelera impunita relinquit, & solùm animadvertit in peccata, quæ utilitati hominum nocent; ad hoc enim proprium commodum movet; punire verò horrenda crimina, quæ nihil nocumenti temporalis afferunt, solùm quia sunt contra Deum, & naturam rationalem dedecent, non nisi verus Dei zelus efficit. Sic illuminatus vocat Patrem, & palam profitetur, se velle mori Christianum, & sectam Mahumetanam abjurat, & execratur: interrogat Pater hu-

jus

jus subitæ mutationis causam; ille id, quod narratum est, exponit. Quia Baptizatus jam fuerat, necesse non fuit illum Baptizare; sed generalem confessionem totius vitæ instituit, & peccata omnia cum dolore, & compunctione exposuit; & accepta Sacramentali absolutione, sæpe repetita fidei Christianæ professione, & deplorata præterita cæcitate, & elicitis ferventibus actibus contritionis, fidei, spei, charitatis, & resignationis, paulò pòst ultimo supplicio affectus est.

XXXIV. Septimò, ut testatur S. Petrus Paschasius pag. 37. num. 39. à Mahumeto suis Sectatoribus concessa facultas, & licentia est: *Quòd si duo homines habeant unam tantùm ancillam, non solùm unicuique debet in domesticis ancilla servire, sed etiam in lecto, & coitu, quem mulier cum viro habere solet: & sic concessit illis, quòd multi unam tantùm mulierem habere possint.* Hoc autem est contra prima juris naturalis principia: etsi enim aliquando Deus dispensaverit, ut unus vir plures uxores habeat; nunquam tamen dispensavit, ut una uxor plures viros habere possit: imò neque dispensare potest, ut probat Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Matrimonio capite XI. in secunda propositione, quia polygamia unius fœminæ cum multis viris pertinet ad prima principia juris naturæ, neque per ullam mutationem circumstantiarum potest fieri bona, quia repugnat omnibus finibus matrimonij. Quatuor enim possunt distingui fines matrimonij. Primus, & primarius est susceptio, & educatio prolis. Huic autem fini opponitur pluralitas maritorum respectu ejusdem uxoris; cùm enim semel tantùm in anno possit mulier parere, ab uno viro sufficienter fœtatur; si autem pluribus commisceatur, potiùs impeditur, quàm juvatur generatio; & ideo meretrices infæcundæ esse solent. Deinde, quia, ut inquit D. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 23. num. 3. *Naturalis quædam solicitudo inest hominibus de certitudine prolis, quod propter hoc necessarium est, quia filius diuturna patris gubernatione indiget: quæcumque igitur certitudinem prolis impediunt, sunt contra naturalem instinctum humanæ speciei.* Hæc autem certitudo prolis impeditur per pluralitatem virorum respectu ejusdem fœminæ. Nemo enim illorum certus esse posset, an proles esset sua. Ergo illa pluralitas virorum respectu ejusdem fœminæ est contra prima juris naturalis principia.

Secundus finis Matrimonij est, domestica societas, & communicatio operum, quæ ad vitam necessaria sunt; ut enim docet Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 12. vir & uxor non conjunguntur solùm ad procreandum, ut animalia cætera, sed ut simul familiam regant, & domestica officia inter se partiantur. Contra hunc finem autem est, quòd una fœmina plures viros habeat; essent enim plura capita, respectu ejusdem corporis: unde sicut non potest idem servus duobus dominis rectè servire; ita neque eadem fœmina duobus maritis subjecta esse.

Tertius finis est, ut sit conjugium in remedium concupiscentiæ; conjugium verò unius fœminæ cum multis viris

nonsolùm remedium non adhiberet contra concupiscentiam, sed etiam iras, rixas, & discordias implacabiles excitaret inter rivales; quas fœmina compescere non posset, cùm ei competat subjici, & obedire, non præesse, & dominari.

Quartus finis Matrimonij est, ut sit Sacramentum Christi, & Ecclesiæ. Huic autem fini maximè opponitur pluralitas virorum respectu ejusdem fœminæ. Unus enim est Deus, cui Ecclesia jungitur, non multi: nec potest Ecclesia, sive anima quævis multis Dijs conjungi, nisi fornicando.

Quare, ut observat D. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 12. & lib. de bono conjugali cap. 17. licèt inveniantur quidam sancti viri, qui plures uxores habuerint; nulla unquam extitit sancta fœmina, quæ multos simul viros habuerit.

XXXV. Octavò, Mahumetus, ut testatur S. Petrus Paschasius pag. 21. num. 18. asserit, licitum esse exteriùs profiteri fidem falsam, & veram negare; sic enim ait in Alcorano: *Qui Deum coactus, & compulsus negaverit, si corde non negaverit, quamvis ore neget, illi non imputabitur ad culpam; si autem corde simul & ore negaverit, Dei ira venit super eum.* Sed hic est error manifestus, ut docent omnes Christiani Theologi cum S. Thoma 2. 2. quæst. 3. art. 2. aliquando enim datur obligatio gravis, profitendi externè fidem veram, quam quis in corde habet; potiúsque subeunda est mors, quàm negandus Deus. Ut enim inquit Christus Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Unde Martyres elegerunt potiùs crudelissimam mortem, quàm externè negare Christum, & idola venerari.

XXXVI. Nonò docet, licitum esse juramentum falsum, & vanum; & solùm prohibet falsitatem juramenti promissorij. Ut enim testatur S. Petrus Paschasius pag. 34. num. 33. Sic Mahumetus suis sectatoribus dixit: *Vos non arguet Deus de vestris juramentis vanis, & mendacibus: sed arguet vos de juramentis promissorijs, & de peccatis inter vos cum juramento factis.* Hæc doctrina est error manifestus: quia adducere Deum in testem mendacij, est peccatum gravissimum. Et ideo Deus Levit. 19. v. 12. *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.* Et Exodi 20 v. 7. *Non assumes nomen Dei tui in vanum: neque enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Dei sui frustra. Quæ verba ex diametro opponuntur verbis Mahumeti. Et Christus Matth. 5. v. 34. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, &c. sit autem sermo vester, est, est, non, non; quod autem his abundantius est, à malo est.* Et Propheta Hieremias cap. 4. ponit tres conditiones juramenti, ut sit licitum; *in veritate, judicio, & justitiâ.*

XXXVII. Decimò docet, vindictam esse licitam, tantúmque abesse, ut illicitum sit, inimicos odio habere, ut potiùs, qui inimicum occiderit, ob hoc ipsum paradisum mereatur. Et lib. 1. Alcorani cap. 2. hæc habet: *Eis, qui vobis injurias, & molestias intulerint, alias æquales, & majores inferte.* Ut testatur Lupus de Obregon in suo libro con-

contra Alcoranum. Qui est error contra doctrinam Dei, Deuteron. 32. v. 35. quam expendit Paulus Rom. 12. v. 20. *Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.* Contra doctrinam Christi Matth. 5. v. 39. & 44. *Diligite inimicos vestros,* &c. Et contra illud Spiritûs Sancti, Ecclesiastici 28. *Qui vindicari vult, à Deo inveniet vindictam.* Conferat Christi minister tenebras cum luce, spiritum Mahumeti cum Spiritu Christi, ut cognoscant Mahumetani, virum illum non Dei, sed diaboli spiritum habuisse.

XXXVIII. Undecimò docet, licitum esse, alienas occupare terras, & ditioni sui Imperij quascumque subjugare Provincias, & prædari sine alio titulo, quàm prædandi, seu prædari, ut prædetis, debellare, ut debelles. *Sic enim ait in Alcorano Azorâ 34. & Azorâ 71. O bona gens, ego vobis ostendam optimum commercij genus, quod vos liberet à maximo malo. Ut nimirum credatis, non esse nisi unum Deum, & Mahumetum esse ejus Prophetam; & hoc pacto procedatis in nomine Dei ad diripiendum, ad prædandum, & debellandum: in hoc opere vires & divitias insumite, huic vitas ipsas impendite; notum enim vobis facio, si sapitis, & vobis providere vultis, nihil vobis posse utilius contingere, quàm prædari, regna debellare, urbes expugnare: in præmium enim hujus facinoris, vobis Deus vestra peccata remittet, & in paradiso vobis retribuet habitationes amœnissimas, & omnibus affluentes delitiis; & insuper vobis concedet quòd magna cum voluptate vindictam sumatis de hostibus vestris, & Imperium orbis adquiratis.* Hanc doctrinam ita amplexantur Mahumetani, ut licitum sibi putent, quascumque Provincias aggredi, quascumque urbes diripere, & Christianorum regna invadere, & quotquot possunt, Christianos in captivitatem redigere.

XXXIX. Duodecimò docet, licitas esse superstitiones, & divinationes, licita auguria, & veneficia. Ut enim inquit S. Petrus Paschasius *pag. 28. n. 23. Maurorum legite libros, in quibus reperietis, Mahumetum uti superstitionibus, & exorcismis vanis, & futilibus, sicuti vetulis contingere solet oscitando, expuendo, aliáve signa & figuras faciendo. Unde una ex orationibus quibus Mahumetus utebatur, hæc erat: Nostra terra pulvis, salivâque aliquorum nostrorum infirmitates aliquorum sanat, Dei nostri indulgentiâ, & remissione. Et observabat omnia & auspicia, fidémque dabat somnijs & quando aliqui suorum ad eum confluebant ut illis aperiret somnia, docebat illos, quomodo deberent illa cognoscere, qualéque somnium esset fœlix, qualéque infaustum. Et de hoc Mauri magnum, & copiosum tractatum habent, & hoc tanquam fide credunt, ab illóque summopere ducuntur, & reguntur. Unde inter Mauros non est prohibitum, omina & auspicia observare sortibus, & conjurationibus dæmonum uti, incantationibus, & divinationibus inniti, & assentiri; & multi istorum divinorum à suo maledicto propheta exemplum sumentes quando divinaturi sunt, pro asse vel nummo tantummodo uno in terram jaciuntur, & prosternuntur: dicúntque, quòd tunc illis demonstratur & manifestatur illud, quod scire, & divinare volunt, dum jacent tanquam*

quam obsessi, ore simul, & oculis incertis: & nec rubore afficiuntur, quando dicunt, sic contigisse prophetæ suo, quando divinare, & prophetizare volebat.

Idque docuisse Mahumetum, constat ex Alcorano in Azora Elaraph, ubi sic loquitur: *Præcipio omnibus Sarracenis, ut utantur auguriis, & divinationibus, & incantationibus: & qui aliter non potuerit divinare, saltem divinet per scissuram digiti.*

XL. Facile est, evincere, non esse legem à Deo datam, quæ hæc docet. Nam Deus oppositum omnino præcepit Levitici 20.6. *Anima, quæ declinaverit ad ariolos, & magos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi mei. Et Levit. 20. v. 27. Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriatur. Lapidibus obruent eos; sanguis eorum sit super illos.*

Faciléque est, comprobare, Magos & ariolos infœlicem mortem obire. Nam Zoroaster magiæ inventor, vivus fuit combustus à diabolo, quem consulebat, ut refert D. Clemens in libro Recognitionum. Simon Magus, quem dæmones in sublime egerant, in terram præcipitatus, fractis cruribus obiit plenus ignominia, & dolore. Jezabel, quæ etiam magiam exercebat, à canibus devorata est. Henricus Cornelius Agrippa morti propinquus à se abjecit diabolum familiarem, qui sub forma canis eum comitabatur, dicens: *Abi mala bestia, tu me perdidisti.* Faustum, insignem in Germania maleficum, dæmon quadam nocte è lecto extraxit, & suffocavit, flexa in dorsum facie: & vetulam maleficam, & sagam dæmon coram omnibus vivam rapuit, ut refert Pollidorus Virgilius. Idémque aliis multis accidit; præsertim insigni Malefico, de quo refert Franciscus Picus, quòd cùm vellet ad vivum coram Principe curioso Troiæ destructionem repræsentare, vivus raptus est à Diabolo, & ampliùs non comparuit. Alter verò, qui contra diaboli præceptum manum extraxit è circulo magico ad contrectandam amasiæ effigiem, quæ illic objecta est, illisus est parieti à diabolo, & miserè periit. Alij quoque iuvenes, qui contra dæmonis præscriptum pedem extra circulum moverunt, ab eodem suffocati sunt. Hæc omnia probant, Mahumetum, qui suis consuluit magiã dæmoniacam, maleficia, auguria, incantationes, consectationes, & vanas observationes, non fuisse Dei Prophetam, sed hominem nequissimum, & diaboli discipulum.



CAPUT

CAPUT UNDECIMUM.

Demonstratur, legem Mahumeti non esse immaculatam, quia Virginitatem prohibet; & omnibus imponit obligationem nubendi, cùm ad vigesimum quintum annum pervenerint.

XLI. PHilippus Lonizerus lib.2. Historiæ Turcicæ cap. 12. & Theatrum vitæ humanæ, verbo, *Castitas*, referunt, esse præceptum in Alcorano, quòd omnes, sive viri, sive fœminæ, cujuscumque sint conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ, conjugium ineant, cùm attigerint annum vigesimum quintum. Quod præceptum ita interpretantur Turcæ, ut sibi persuadeant, non posse homines sanctos esse, & Deo placere, si non nubant. Ajúntque, sicut arbores fructiferæ præstant sterilibus, & infructuosis, ita homines, uxoratos, & incumbentes generationi filiorum, excedere cælibes, & continentes.

Facile est, convincere, legem prohibentem Angelicam Virginitatis virtutem non esse à Deo, sed ab homine carnali ortum duxisse, ex diaboli suggestione, quamvis enim Matrimonium sanctum sit, & necessarium ad conservationem universi; Virginitas tamen, & perpetua castitas multò magis Deo placent. Christus enim, & Beata Maria ejus Mater Virgines fuerunt, teste ipso Alcorano, & eximia sanctitate floruerunt: ergo possunt homines maximè Deo placere, servando perpetuam Virginitatem.

XLII. Secundò, impugnatur illud iniquum præceptum, quia Virginitas apud omnes Nationes venerationem meruit, & admirationem. Inter Hebræos Virgines fuerunt Elias, & Elisæus viri sanctissimi, & multi Prophetarum filij. Inter Græcos Sybillæ illustri sanctitatis famâ floruerunt, & dono prophetiæ illustrari meruerunt, quia castitatem semper coluerunt, ut sentit Varro citatus à D. Hieronymo lib. 1. adversûs Jovinianum. Tantíque fecerunt Virginitatem Græci sapientes, tantóque in pretio castitatem habuerunt, ut Deas suas Dianam, & Minervam Virgines fuisse confinxerint; & inter duodecim cœli signa unum appelletur *Virgo*.

Inter Romanos eam æstimationem habebant Virgines Vestales, ut illis per vicos, & plateas transeuntibus, omnes loco cederent, & gradum sisterent, etiam Consules, & Imperatores ipsi, & qui triumphum agebant, ut viam transeuntibus sine offendiculo relinquerent; ut testatut ibidem S. Hieronymus. Inter Japones, & Sinas Boncij, qui sunt veluti Monachi, & Religiosi, ob prærogativam castitatis, quam creduntur servare, magnæ sunt venerationi omnibus.

XLIII. Sed quid de Republica Christiana loquar, ubi virtus castitatis, & virginitatis excellentia, viros, & fœminas eximia reddit laude dignos. Plena est Ecclesia Christi Virginum choris. Etiam in statu matrimonij inventi sunt multi, qui imitantes puritatem Beatissimæ Virginis, Mariæ & Josephi, virginitatem cum conjugio junxerunt. Tales fuerunt Eduardus Angliæ Rex, & ejus uxor: Henricus primus hujus nominis Imperator, & Chunegundis Imperatrix. Talis fuit Ediltrudis Angliæ Regina, quæ cùm tribus viris successivè nupsisset, tamen semper virgo permansit. Talis etiam fuit Emericus Esclavoniæ Dux, & Filius Stephani Ungariæ Regis, cum uxore sua. Talis Boleslaus, cognomine Castus, Poloniæ Rex, cum Cynge conjuge sua. Talis Catharina Sueca ex Regia stirpe, & Petrus Ursèolus Venetorum Dux. Alphonsus secundus Castellæ Rex. Eleazarus Ariani Comes cum uxore sua Delphina. Pulcheria Theodosij minoris soror, & Imperatoris Marciani uxor.

XLIV. Sed quid dicã de Imperatore Valentino, qui reliquos triumphos contemnens, de hoc uno triumpho gloriabatur, quòd scilicet illibatam Virginitatem servârit. Ut enim de illo scribit Hieronymus Epist. 49. *Valentinus Imperator octogenarius adhuc Virgo, cùm audiret die fati sui triumphorum præconia recoli, quibus frequentissimus erat, ait, unâ se tantùm gloriari victoriâ, & requisitus quâ? Respondit, quòd inimicorum nequissimum devici, carnem meam.* Quid de illis Anglis virginibus (de quibus mentionem facit Bocius tom. 2. signo 93. num. 18.) quæ facies suas pulcherrimas fœdaverunt, sibi ipsis amputantes nares, ne in potestatem Barbarorum venientes, virginitatem amitterent? Quid de Casimiro Poloniæ Rege, qui gravi pressus infirmitate, mori potiùs, quàm castitatis jacturam ex Medicorum consilio subire constanter decrevit, generosa illa proferens verba: *Nullam aliam vitam novi, nisi cœlestem illam, incontaminatam, immortalem, ob quam eligo virgo mori.* Candidissimam mustelam alpinam imitatus, quæ à venatoribus luto obsessam viam, quâ fugere posset, animadvertens, ne candidam pellem maculet, se capi sinit, & opere ipso dicit: *Malo mori, quàm fœdari.*

XLV. Quid de ingenti Sanctarum Virginum agmine dicam, quæ mille martyria potiùs subire, quàm virginitatem amittere maluerunt? Quid de Agnete, de Cæcilia, Agatha, Catharina, Lucia? quid de inclyta Tecla, quæ cùm nuda leonibus discerpenda objiceretur, in illis pudoris custodes invenit. Nam pedes Sanctæ Virgines osculantes, oculis in terram demissis corpus nudum neque tangere, nec aspicere ausi sunt, opere isto docentes, quid facere deberent homines, ut eleganter expendit Ambrosius: *Docuerunt Religionem, dum adorant Martyrem; docuerunt etiam castitatem, dum Virgini nihil aliud nisi plantas exosculantur, demissis in terram oculis, quasi verecundantibus, ne mas aliquis, vel bestia, Virginem nudam videret.* Jussa est postea vel Diis sacrificare, vel ad lupunar duci, ut ibi Virginitatem amitteret. Oravit Sancta Virgo cœlestem sponsum, ut sibi in tanto periculo opem

opem ferret. Tulit sanè, nam cor Christiani militis movit, ut domum illam infamem ingressus, vestes cum Tecla commutaret, quibus dissimulata periculum amittendæ castitatis evasit. Quid tandem de Sancta Ursula, & undecim mille sociis ejus dicam, quæ, ne fidem, & castitatem amitterent, vitam libentissimè amiserunt?

Quid quòd Mahumetani ipsi operibus ipsis testantur, virginitatem præferendam matrimonio, dum Morabitas suos venerantur, quia castitatem creduntur servare. Et ne legi suæ contradicant, dicere debent, Deum dispensâsse cum Morabitis illis in illo præcepto nubendi. Sed revera illi casti non sunt; nam ad tempus abstinent, ut postea effrænatius Veneri indulgeant.

Quare, ut inquit S. Gregorius super illud Genes. 19. *In monte salvum te fac: virginitas altus mons est, ad quam Angelus hortatur: sed qui videt, se non posse ascendere, maneat in Segor, id est in legitimo matrimonio, quia melius est, mediocri bono uti, quàm per abrupta libidinum præcipitari.*

XLVI. Quantùm Deo placeat virginitas, constat ex Apocalysis cap. 14. *Ecce Agnus stabat supra montem Sion, &c Et cantabant quasi canticum novum. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum, quocunque ierit.* Ut autem Viegas, & Alcazar exponunt, hac phrasi nihil aliud significatur, quàm quòd Agnus virginibus mirè delectetur, ita ut eos à suo latere nunquam velit discedere, sed eum comitentur, & sequantur quaquaversum; perinde ac Reginam Virginem, & Sponsam comitantur Virgines primariæ, & nobilissimæ, juxta illud Psalmi 44. *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Adducentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitia, & exultatione; adducentur in Templum Regis.* Sicut enim Regina omnem suam voluptatem, colloquium, & consolationem habet in suo puellarum gynæceo, & quod perpetuò eam stipat instar chori: ita eandem habet Christus in suo Virginum cætu. Rursum, sicut musici sequuntur principem, miróque concentu eum demulcent, eíque sunt in delicijs, ita Virgines Christo. Denique, sicut Sponsa Sponsum, ita Virgines sequuntur Christum; sunt enim Sponsæ Christi, ut ait Apostolus 2. Cor. 11. *Despondi vos uni viro, Virginem castam exhibere Christo.* Christus ergo amat Virgines, iísque oblectatur, uti Sponsus Sponsâ.

Quod P. Cornelius à Lapide in eum locum Apocalypsis explicat exemplis, ad quæ vult respicere S. Joannem in eo loco. Nam S. Clemens Pontifex Domitiani Imperatoris cognatus, perpetuam virginitatem coluit, uti docet S. Ignatius epistolâ ad Philadelphos. Idem eandem mirè extulit, aliósque docuit, ut patet ex ejus epistolis, & testatur Epiphanius hæresi 30. Qua propter ejus hortatu S. Flavia Domitilla, neptis & ipsa Domitiani, quam Aureliano desponsam, S. Clemens Virginem Deo consecravit, Euphrosina, Theodora, & aliæ nobilissimæ Virgines illustre pro fide, & Virginitate martyrium obierunt. Quo circa Cle-

Clemens à Trajano Imper. in Chersonam relegatus, cùm plurimos Christianos eò pariter ad metalla damnatos, & inopiâ aquæ laborantes invenisset, pro ijs preces fundens, vidit agnum stantem, qui dexterum pedem levavit, velut S. Clementi locum fontis indicans. Ergo Clemens ad locum, in quo Agnus stabat accedens, parvóque ictu locum, qui erat sub pede Agni pulsans, mox fontem pulcherrimum elicuit: qui magno impetu effusus fecit fluvium: ex quo omnes Christiani tunc, & deinceps sitim levârunt. Quo miraculo Gentiles indigenæ ad fidem Christi conversi sunt. Ita habet ejus vita, & Baronius anno Christi 100. Unde, & in officio Ecclesiastico S. Clementis Antiphonas has legimus: *Orante S. Clemente apparuit ei Agnus DEI.* Et, *vidi supra montem Agnum stantem, sub cujus pede fons vivus emanat: fluminis impetus lætificat civitatem DEI.* In Sancto ergo Clemente adhuc vivente impletum est illud, Apocal. 7. v. 17. *Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Fuit enim ipse Agni Dei assecla, id est Virgo, & ob Virginitatem Martyr, paulò postquam hæc scripsit Joannes, ut ad eum hìc allusisse videatur. Imò sub Clemente Pontifice, & hæc, quæ dixi, inchoante, scripsit Apocalypsin, & hæc ipsa S. Joannes. Videtur ergo, Domitillam, & alias Virgines tunc florentes, & pro Virginitate martyrium obituras, ad hoc fortiter obeundum, hac visione, & hisce encomijs Virginitatis animare, & roborare voluisse.

Ita sub idem tempus S. Petrus S. Praxedem, & S. Potentianam; S. Paulus S. Teclam, & plurimas alias; S. Matthæus S. Iphigeniam Regis Æthiopum filiam, ad Virginitatem Deo vovendam excitârunt: qua de causa S. Matthæus ad aram sacrificans ab Hirtaco Regis fratre, qui Iphigeniam conjugem ambiebat, occisus, Virginitatis factus est victima, ut ait Hippolytus lib. de duodecim Apost. Paulus quoque à Nerone truncatus est, quòd Virgines Christianas suæ libidini subtraheret, & Deo dicaret, ut testatur Chrysostomus.

Ita S. Agnes post mortem laureata apparuit cum Virginibus radiantibus, & splendidissimè vestitis, sequens Agnum, ut testatur S. Ambrosius lib. 5. Epist. 34 & habetur in Breviario Romano, die 28. Januarij. Ita Agnum secuta est B. Catharina Senensis, cui hoc datur elogium:

Transijt ad sponsum tribus ornata coronis.

Et illud:

Dulce signum charitatis,
Dum amator castitatis
Cor mutat in Virgine.

Quæ proinde ex hoc corde Christi igneo in suis epistolis ardentes Christi flammas in omnes ejaculatur, atque in omnibus non aliud facit, quàm ut Pontifices, Cardinales, Prælatos, Principes, Urbes, Doctores, &c. ad quos scribit, inflammet amore Christi, ad ejúsque perfectam sequelam incitet, & extimulet: quem proinde crebrò Agnellum nuncupat, ideóque singulas epistolas

las incipit pariter, & concludit: *In Jesu dulci, Jesu amore.*

Denique suis ipse verbis ad Christum Agnum ad cœlum evocavit S. Joannes Sanctum Eduardum Regem Anglorum, anno Domini 1106. ut scribit in ejus vita Alredus Abbas Cisterciensis, qui floruit, anno Domini 1164. *Sanctus Eduardus* (inquit) *nulli petenti nomine Sancti Joannis Evangelistæ, aliquid denegabat: hunc enim post Apostolorum Principem arctiùs diligebat. Unde contigit, quòd quidam peregrinus, absente ejus ærario, in nomine Sancti Joannis Evangelistæ importunè eleemosinam postularet. Cui Rex pretiosum annulum, cùm nihil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit post hæc, duos Anglicos ad adorandum Salvatoris sepulcrum Hierosolymam proficisci. Qui die quadam à publica strata declinantes, de via quaque sectati sunt; & sole ruente, nox obscura adducta est. Et cùm nescirent, quid agerent, quò se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos ad civitatem reducit. Susceptis autem hospitio mensa paratur; lautissiméque refecti dant membra quieti. Mane autem facto egressis illis de civitate, ait senex: viri fratres, cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitetis; quoniam prosperum iter faciet vobis Deus, & ego ob amorem Regis vestri in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi. Joannes, qui regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate, denuntiantes ei obitûs sui instare diem, quem infra sex menses visitans visitabo, ut mecum sequatur Agnum, quocumque ierit. His dictis disparuit: & illi ad patriam prosperè redeuntes, quæ viderant, Regi seriatim retulerunt.*

Addit Ioannes in laudem virginum: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.* Empti dicuntur, quia pretio Sanguinis Christi acceperunt hanc perfectam corporis, & animæ puritatem, ut hominibus altiores cælestem hîc agerent vitam. Ideóque Deo, & Agno sunt *primitiæ*, id est selectissimi, & gratissimi fructus, & oblationes, quales in veteri testamento erant primitiæ frugum, & hominum. Sicut enim primi fructûs suî novitate sapidissimi, & gratissimi sunt; ita & virginitas Deo, & sicut per primitias frugum Deo oblatas, reliquæ fruges omnes censebantur Deo oblatæ, ac ab eo benedictæ; ita pariter per Virgines, quasi per primitias Deo oblatas, Deus totis earum familijs, totíque Ecclesiæ benedicit, & benefacit. Unde præclarè S. Hieronymus contra Iovinianum, qui Matrimonium æquabat virginitati: *Si Virgines* (inquit) *primitiæ Dei sunt: ergo viduæ, & in Matrimonio continentes erunt post primitias, id est in secundo, & tertio gradu: nec priùs perditus populus salvari poterit, nisi tales Hostias castitatis Deo obtulerit, & immaculatum Agnum purissimis victimis reconciliaverit.*

XLVII. Ex dictis constat, quàm carnalis, & fœda sit Mahumeti lex, quæ cœlestem virginitatis virtutem prohibet. Ideo autem prohibuit Angeli-

cam istam virtutem, quia impossibilem judicavit. Sic enim ait in secundo Alcorani capitulo: *Nocturnos cum mulieribus coitus Deus communiter nobis permittit, cùm hujusmodi abstinentiam tùm difficilem, tùm impossibilem esse agnoscat.* Quàm verò falsum sit, impossibilem esse abstinentiam à rebus venereis, constat exemplo tot Virginum, quot habet Ecclesia Christi, & eorum, qui in Matrimonio castitatem servârunt. Mahumetus ex se alios judicabat; cùm verò ipse esset turpissimus, impossibile censebat, sine commixtione fœminarum vitam agere.

CAPUT DUODECIMUM.

Ostenditur, Alcoranum non esse legem, & testimonium Dei, quia testimonium Domini fidele, Alcoranum verò plenum est erroribus, mendacijs, & fabulis.

XLVIII. UT hoc evincam, discurram per Alcorani errores contra Historiam, contra Mathematicam, contra Philosophiam, contra rationem naturalem, & contra Divinam Scripturam; pauca seligens ex multitudine errorum, quibus Alcoranũ scatet.

Errores Alcorani contra Historiam.

Alcoranum lib. 3. capite 1. affirmat, Beatam Virginem Mariam, Matrem Domini nostri Iesu Christi, fuisse illam Mariam sororem Aaronis, & Moysis, æquivocans unam Mariam cum altera Maria, cùm tamen manifestè constet, inter unam & alteram Mariam intercessisse ultra mille, & quinguentos annos. Nam à nativitare Moysis, ad Nativitatem Christi transierunt 1598. anni. Hunc errorem notârunt Ioannes Andreas in suo tractatu contra sectam Mahumetanam cap. 4. & Cardinalis Cusanus in Cribratione Alcorani lib. 1. cap. 4.

Glossatores Alcorani respondent, sicut Deus miraculosè fecit, quòd Sara sterilis pareret, ita miraculosè conservâsse Mariam sororem Moysis, ut esset Mater Christi. Sed hæc fabula facilè falsitatis convincitur ex ipso Alcorano lib. 2. capite 1. ubi mentionem facit Conceptionis, & Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, dicitque fuisse in Templo præsentatam, & Sacerdotes Templi sortitionem fecisse, quis eorum curam habiturus esset illius Virginis, & sortem cecidisse supra Zachariam: quæ in Mariam sororem Moysis cadere non possunt. Unde manifestè deprehenditur falsitas, & contradictio Alcorani. Deinde Maria Christi Mater fuit, *omnibus viris & mulieribus splendidior, mundior, atque jucundior*, ut testatur ipsum Alcoranum cap. 5. talis autem non fuit Maria soror Moysis, & Aaronis,

nam quia contra Moysem locuta est, Deus immisit illi lepram. Num. 12. *Et ecce Maria apparuit candens leprâ quasi nix : separatáque est septem diebus extra castra.*

XLIX. Secundò cap. 35. Alcorani confundit Regem Pharaonem, qui regnabat, quando Moyses eduxit filios Israël de Ægypto, cum eo, qui regnabat, quando Moyses natus est, & educatus in domo Pharaonis, cùm constet fuisse diversos. Textus Alcorani, ita habet : *Cùm Moyses Pharaoni dixisset, ut filios Israël secum de Ægypto egredi sineret, Pharao respondit. Nonne tu es, quem nutrivi puerum, & nobiscum per annos plures moratus es, illúdq; perpetrâsti* (occidendo scilicet Ægyptium) *unde malus reus factus es?* Cæterùm Mahumetum deceptum fuisse æquivocatione nominum, & falsum narrâsse, constat manifestè ex Scriptura. Cùm enim Deus misit Moysem ad Pharaonem Exodi 4. v. 19. dixit ei; *Vade, & revertere in Ægyptum; mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.* Quare Pharao iste, ad quem missus est Moyses, alius fuit ab eo, cum quo Moyses habitavit, & sub quo in Ægypto vixit : siquidem Moyses Exodi 2. v. 15. ob occisum Ægyptium fugit in terram Madian, & ibi commoratus est quadraginta annis; & dum ibi commoraretur, mortuus est Rex Ægypti, ut dicitur Exod. 2. v. 23. & postea, quando missus est in Ægyptum, regnabat alius Rex ejusdem nominis.

L. Tertiò, Mahumetus in Alcorano (ut testatur S. Petrus Paschasius pag. 31. num. 29.) asserit, Zachariam patrem Baptistæ tribus tantùm diebus, & tribus noctibus mutum fuisse in pœnam incredulitatis suæ, quia nimirum Angelo annuntianti, Elisabeth parituram ipsi filium, credere noluit. Cùm tamen ex Luc. cap. 1. v. 20. constet, fuisse mutum, usque dum Elisabeth peperit : *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, usque in diem, quo hæc fiant.* Illa autem narratio habetur in Alcorano capite 5.

LI. Quartò in primo Alcorani capitulo scriptum est : *Deus suos ad se benevolos, nequaquam hostes & erroneos adduxi.* Hoc autem assertum esse falsum, clarè probatur, cùm multos idololatras, & vitiosissimos homines Deus converterit : quemadmodum Isaias cum Deo loquens dicit cap. 55. *Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, & gentes, quæ non noverunt te, ad te current.* Hinc Dominus per Oseam loquens, inquit cap. 2. *Vocavi non plebem meam plebem meam, & non dilectam dilectam* Et in Psalmo inquit: *Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.*

LII. Quintò, in tertio Alcorani capitulo tribuit Saul Regi factum Gedeonis : sic enim ait : *Saul cum exercitibus sic accedens ait : Vos rivos visuri, nihil nisi quantum manus simul hausit, gustetis : quod quidem transgrediens de meis viris esse desistet. Omnes verò præter paucos præceptum potando transgressi sunt.* In ijs verbis videtur Mahumetus tangere historiam, quam habet Scriptura Judic. 7. v. 5. ubi ait : *Cùmque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeonem : Qui*

linguâ lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſim: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os proijciente lambèrant aquas trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite bibit. Si autem illud dictum Alcorani intelligatur de Saule, quando inſequebatur Philiſtæos (tunc enim adjuravit populum Iſraël, ne manducarent, donec ulciſceretur de inimicis ſuis) ſi, inquam, hæc narratio ſic intelligatur, eſt fabuloſa; hoc enim præceptum omnis populus obſervavit præter Jonatham filium Saulis, qui illud ignoranter tranſgreſſus eſt, guſtando parùm mellis, quia ſcilicet illud præceptum non audivit. Vt conſtat ex 1. Reg. 14. v. 14. *Et adjuravit Saul populum, dicens, Maledictus vir, qui comederit panem uſque ad veſperam, donec ulciſcar de inimicis meis;* & non manducavit populus panem, &c.

LIII. Sextò, in quinto capitulo, ſic inquit Alcorani liber: *Chriſtus ſciens Judæos in ſua incredulitate pertinaces, dixit: Quis in Dei nomine me ſequetur? Viri quidam albis veſtibus induti dixerunt: Nos in Dei nomine te ſequentes in Deum credimus. Et dixerunt: O Creator nos huic libro adhibentes fidem, legatúmque tuum imitantes fidelibus adſcribe.* Vbi per viros indutos veſtibus albis intelligit Apoſtolos, per legatum intelligit Chriſtum, & per librum Evangelium litteris viſibilibus ſcriptum. Et hæc fabuloſa ſunt, quia nec Apoſtoli veſtibus albis induti incedebant, neque Chriſtus librum Evangeliorum à ſe ſcriptum, & compoſitum oſtendit Apoſtolis, ſed ore tantùm docuit, & poſt ejus Aſcenſionem in Cœlum, & Spiritûs Sancti miſſionem Sancti quatuor Evangeliſtæ divinitus inſpirati diverſis locis, & temporibus Evangelium ſcripſerunt.

LIV. Septimò, in duodecimo Alcorani capitulo fabuloſè narrat hiſtoriam Sacrificij Abelis, & Caini. Sic enim ait: *Illis* (ſcilicet Cain, & Abel) *holocauſtum Deo igni ſuppoſito facientibus, alterius holocauſtum minimè Deo collectum eſt. Vnde alteri* (ſcilicet Cain) *dicenti fratri ſuo, ego te interficiam; alter reſpondit: licèt manum tuam ad inferendam mihi mortem extenderis, ego nequaquam manum meam ad te extendam. Hæc narratio fabuloſa eſt. Nam* Geneſ. 4. v. 5. *legimus, quòd obtulit Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain verò, & ad munera ejus non reſpexit.* Porro ubi nos legimus, *reſpexit Dominus ad Abel, &c.* Theodotio tranſtulit: *Inflammavit Dominus ſuper Abel, & ſuper munera ejus.* Circa quod uniformiter docent Doctores, quòd Abel offerente ignis de Cælo veniens oblationem ejus incendit: quemadmodum 1. Paralipomen. 7. v. 1. de oblatione Salomonis, & 3. Reg. 18. v. 38. de oblatione Eliæ ſcriptum eſt. Non itaque Abel, & Cain ignem ſuppoſuerunt oblationibus ſuis: ſed illis offerentibus, Deus ignem de Cœlo miſit ſuper oblationem Abelis, & non ſuper oblationem Caini. Rurſus,

ſus, quod dicit de colloquio inter fratres illos, fabuloſum eſt: nam ex Scriptura conſtat, quòd Cain dixit dolosè fratri: *Egrediamur in agrum; cúmque eſſent in agro, occidit eum.* Si autem priùs minatus fuiſſet mortem, non egrederetur Abel cum illo in agrum.

LV. Octavò, in decimoſexto Alcorani capitulo ſignificat, peccatum Angeli fuiſſe, quia noluit ſe humiliare, & proſternere coram Adamo, ut Deus præcipiebat. Sic enim Deum loquentem introducit: *Ego præcepi, ut Angeli patri veſtro (ſcilicet Adæ) ſe humiliarent, præceptóque meo omnes, excepto Beelzebub, paruerunt.* Quod ſæpe repetit in Alcorão: nam alio loco aſſerit, Deum Angelis præcepiſſe, ut ſe in terram proſternerent coram Adam. Sed iſtud non conſonat Scripturis, in quibus aliæ cauſæ ruinæ Angelorum docentur, ut Iſai. 14. 1. Ezechielis 28. Deinde ſi unus duntaxat Beelzebub inobediens fuit, unus tantùm eſſet diabolus, ſiquidem Angeli boni poſt adimpletionem præcepti, ſtatim beatificati ſunt: conſtat autem, diabolos eſſe in magno numero. Nam Marci 5. Chriſtus ab uno obſeſſo legionem dæmonum abſtulit. Et Job 4. aſſeritur, quòd DEUS in Angelis ſuis reperit pravitatem. Et in Apocalipſi Draco dicitur traxiſſe ſecum tertiam partem ſtellarum, quia nimirum Lucifer tertiam partem Angelorum decepit.

Addit præterea in eodem capitulo: *Deo autem illum, ſcilicét Beelzebub, interrogante, qua de cauſa non obediret, reſpondit: Ego factus de igne, illi de terra limo plaſmato prævaleo.* Cæterùm hoc eſſe mendacium non ſolùm contra Hiſtoriam, ſed contra Philoſophiam conſtat, nam ut docent Averoës, Avicenna, & omnes Peripatetici Philoſophi cum Ariſtotele, Intelligentiæ, ſeu Angeli carent materiâ, & ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, & immateriales.

LVI. Nonò, in eodem capite 16. dicit: *Quòd Deus præcepit Noë, ut hominibus perſuaderet, unum ſolum invocare Deum adoraréq;, & quòd ei plurimi contradixerunt, quaſi multorum deorum cultores, quos idcirco Deus ſubmerſit.* Sed hæc narratio fabuloſa eſt; conſtat enim in prima mundi ætate, quæ duravit ab Adam uſque ad Noë, idololatriam non fuiſſe. Et Geneſ. 6. dicitur, Deum immiſiſſe diluvium, non ob peccatum idolalatriæ, ſed ob nefanda carnis ſcelera: *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* In illa namque prima mundi ætate ptopter recentem creationis mundi memoriam, unum duntaxat DEUM mundíque creatorem homines adorabant. Idolalatria autem poſt diluvium à Nino Rege cœpit, ut tangitur Sapientiæ 14. v. 15. *Acerbo enim luctu dolens pater, citò ſibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra, & ſacrificia.* Vel ut dicunt alij, idololatria cœpit à Nembroth.

LVII. Decimò, eodem capite fabulosè narrat miracula Moyſis per virgam facta: ait enim, *quòd cùm ſerpens Moyſis devoráſſet ſerpentes Magorum Pharaonis, omnes Magi ſuperati genua ſua*

coram Moyse flectebant, confitentes se DEO Moysis subjacere. Idcirco Pharao indignatus dixit eisdem: Manibus vestris, pedibúsque abscissis suspendam vos. Hanc narrationem esse fabulosam constabit legenti cap. 7. 8. & 9. Exodi.

Undecimò ex dictis ejusdem capitis manifestè evincitur, Mahumetum has Historias imperitè & sine luce veritatis Alcorano inseruisse. Nam ibidem legitur: *Homines Pharaonis dixerunt ad eum, si Moysem, & Fratrem ejus terram tuam sic vastare, tuámque gentem sibi allicere dimiseris, Idolum tuum, & te prorsus negligendo dimittent. Respondítque Pharao: Ego fortis, & potens super eos, eorum infantes occidam, fœminásque custodiam. Hìc manifestè cernitur Mahumeti imperitia, & ignorantia.* Constat enim ex capite decimo Exodi, occisionem masculorum infantum, & custodiam, seu reservationem fœmellarum, cœpisse, antequam Moyses natus esset; & illum Pharaonem, qui eam occisionem præcepit, alium fuisse ab eo, coram quo Moyses miracula operatus est.

Addit Mahumettus in eodem capite 16. quòd, *postquam filij Israël* mare rubrum miraculosè transiêrunt, submersis Ægyptijs, *invenientes homines idolorum cultores, precati sunt Moysem, ut eis similiter imagines constitueret.* Sed hoc fabulosum esse, facilè evincitur. Constat enim ex cap. 13. Exodi, quòd filios Israël de Ægypto eductos non duxit DEUS per terram Philistiim, quæ vicina erat, sed circumduxit per desertum, usque ad montem Sinai, quin in toto illo itinere civitatem aliquam, vel populum invenerit: constátque, eos vitulum conflatilem adorâsse propè montem Sinai, & ob peccatum occisa fuisse viginti tria millia hominum, & non devenisse ad terras habitabiles, & ad gentes idololatras, nisi post multum temporis. Et incredibile est, quòd filij Israël statim post transitum maris rubri, in quo tam diram DEI ultionem contra idololatras viderant, petivisse à Moyse, ut ipsis constitueret idola.

Decimotertiò, ex eodem capite deprehenditur alius error Mahumeti contra veritatem Historiæ: ait enim, *quòd Loth increpavit gentem suam, videlicet Sodomitas, ob scelus inauditum à nemine priùs perpetratum.* Constat enim, ante diluvium hoc peccatum fuisse commissum ab hominibus, ut enim dicitur Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.*

Quartodecimò, in eodem capite affirmat, Moysé reliquisse Aaronem, tanquam sui Vicarium, & cùm primùm in montem Sinai ascendit, instanter Deum orâsse, ut ostenderet sibi faciem suam, Deũ verò ipsi respondisse: *Me non videbis, si mons à te visus loco suo permânet: eo autem montem ascendente, ipsum montem in minimum atque minutum pulverem redactum esse: unde Moysem quasi mortuum cecidisse; postquam autem curatus est, dixisse:* DEUS ego tuus sum, & primus inter credentes. Verùm hoc fabulosum esse, constat ex cap. 33. Exodi, in quo legimus, post tabularum digito DEI scriptarum collationem, & vituli aurei confractionem, legísque lationem, Moysem hoc modo DEUM orâsse. *Ostende mihi faciem tuam.* Falsum

ſum eſt ergo, quod Mahumetus narrat, nempe illum hoc poſtulâſſe, antequam legem, & tabulas ſuſciperet.

Præterea ex Scriptura 2. Exodi 19. conſtat, DEO in montem deſcendente, montem ipſum fumâſſe, & terribilem apparuiſſe; verumtamen integrum permanſiſſe, Moyséſque ſæpè in illum aſcendiſſe, & ex illo deſcendiſſe; abeuntibúſque filijs Iſraël, montem integrum fuiſſe relictum. Et dato, quòd in pulverem fuiſſet redactus, veriſimile non eſt, DEUM voluiſſe, ut Moyſes vir ſanctiſſimus ita læderetur; cùm poſſet illum in aëre ſuſtinere, ſicut tenuit filios Core, igne partem eorum deglutiente, Num. 26. vel ſaltem illum cadentem præſervare à læſione, ſicut novo Teſtamento aliquos ſanctos ab alto ruentes ab omni læſione ſervavit immunes. Quis deinde non videat, eſſe inſigne mendacium, quòd Moyſes fuerit primus in DEUM credens, cùm ante illum Abraham, Iſaac, Jacob & multi alij in ipſum crediderint.

Quinto decimò, in eodem capite 16. affirmat, *auream ſtatuam à filiis Iſraël conflatam, ſonitum quaſi ſtertentis emiſiſſe; filios autem Iſraël ſonitum illum audientes, confeſſos fuiſſe, ſe errâſſe, & ſtatim dixiſſe: Niſi DEUS miſericordiam fecerit, nos perdendis annumerabimur.* Hanc narrationem eſſe falſam conſtat ex capite 32. Exodi, ubi dicitur, quòd, cùm Moyſes de monte deſcendit, & appropinquavit ad caſtra, vidit vitulum, & filios Iſraël ducentes choros in honorem Idoli. Non ergo pœnituerant, antequam Moyſes de monte deſcenderet.

LVIII. Decimoſextò, in eodem capite narrat, Moyſem reverſum multâ commotum iracundiâ increpuiſſe filios Iſraël propter peccatum vituli, *& Fratrẽ ſuum arripuiſſe cum capillis.* Et addit: *Illi, qui taurum adoraverunt, pœnituerunt.* Verùm ex textu Exodi 22. v. 26. conſtat, jubente Moyſe occiſa fuiſſe viginti tria millia hominum ex ijs, qui vitulum adoraverant: & altera die orâſſe Dominum, ut parceret populo ſuperſtiti.

LIX. Decimoſeptimò, Mahumetus in eo capite de ſeipſo teſtatur, *ſe Nuncium DEI*, eſſe legendi, & ſcribendi neſcium, ſui tamen mentionem reperiri in Teſtamento veteri ac novo, ibíque eſſe prænuntiatum: ſic enim habet Alcorani textus: *Imitatores Nuntij atque Propheta ſcribendi neſcij, cujus nomen atque mentio reperitur in teſtamento ac Evangelico.* Ex his duobus primum eſt verum, Mahumetum fuiſſe legendi, & ſcribendi neſcium. Et propterea, quia fuit omnio imperitus, non aliam habuit notitiam Hiſtoriarum veteris, & novi Teſtamenti, niſi eas, quas à Judæis, & Chriſtianis accepit, & ideo illas confusè percipiens, mille fabulis fœdavit.

Quòd autem dicit, ipſum fuiſſe prænuntiatum in veteri, & novo Teſtamento,, & tanquam Prophetam DEI promiſſum, eſt inſigne mendacium, ut ſuprà oſtendimus cap. 13. Verum tamen eſt, Mahumetum in Scriptura fuiſſe prænuntiatum à Chriſto Mathæi 24. dicente: *Surgent multi Pſeudo-Prophetæ, & ſeducent multos.* *Et* Luc. 21. *Hierusalem calcabitur à gen-*

tibus, donec impleantur tempora nationum. Et Cornelius à Lapide exponens verba illa Apocalypsis 6. 8. *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor patres terræ, interficere gladio, &c.* Cum Joachimo Seraphino, Firmiano, Pannonio, & Pererio, ait, per equum pallidum intelligi sectam Mahumetis, Turcas, & Sarracenos, infensissimos & celeberrimos jam à mille annis hostes Christianorum.

Hi enim (inquit) *post Gothos, Arianos, aliósque priscos hæreticos mox Ecclesiam gravissimè infestârunt, & jugiter infestant: éstque hac quasi quarta ætas Ecclesiæ. Hæc secta rectè comparatur equo, quia planè irrationalis est, brutalis, & carnalis. Hic equus est pallidus, quia respondet sessori suo; sessor enim ejus est pallida mors. Rursus pallor significat Sarracenorum invidiam, livorem, & odium in Christianos, eorúmque nequitiam, & malitiam, insuper libidinem: in hac enim suis præcelluit Mahomet, eámque lege sua permisit, imò promisit: unde & polygamiam induxit. Libido enim spiritus & sanguinem exhaurit; itaque facit pallidos, & luridos. Denique pallor notat eorundem avaritiam, uti videmus, Turcas auri esse cupidissimos, ideóque apud ipsos auro venalia jura. Avari enim ob curas & metus, congerendi & conservandi opes, pallescunt. Quocirca arguitè Diogenes rogatus, cur aurum palleret? Quia multos, inquit, habet sibi inhiantes, & insidiantes, teste* Laërtio lib. *6. Hujus sessor est Mors, id est Mahomet, qui deficiente secta Arrij, mox ortus est regnante Heraclio Imperatore, suámque sectam propagavit gladio, nimirum omnes sibi resistentes occidendo: hoc enim erat Mahumetis symbolum, quod quotidie Sarraceni in suis Moskæis sive fanis usque ad rabiem inclamant: Non est Deus nisi unus, & Mahomet Apostolus ejus. Quicumque hoc recipere, & profiteri nolebant, necabantur ab eo; qui verò recipiebant servabantur, ideóque dicti sunt Muselmanni, idest servati & liberati à morte (à radice schalam, quæ Hebraicè, & Arabicè significat, esse salvum, incolumem, prosperum) sed hi pejore, scilicet spirituali morte ab eo occidebantur: sequitur eum infernus, idest Anti Christus: est enim ipse præcursor Anti-Christi, qui erit vitiorum abyssus, & quasi infernus, illiquè viam præparat; putatur enim secta Mahumetana duratura usque ad Anti-Christum, ait Firmianus; adeóque Ioannes Annius, & alij putârunt, ipsum Mahumetum esse Anti-Christum. Rursum, totus infernus, omnésque dæmones ad juvandum Mahometem, ejúsque sectam propagandam videntur concurrisse. Tertiò propriè sequitur eum infernus, quia plurimos ipse præ Gothis, aliísque hæreticis ad infernum detrusit. Ipsius enim secta victorijs plurimis non tantùm Trapezuntinum, & Constantinopolitanum, duo Orientis Imperia, sed & majorem orbis partem occupavit, & plura in dies occupat; adeò ut nuper, subacta majori Hungaria, & Transilvania, jam Germaniæ, Italiæ, & Poloniæ immineat, ídque per Christianorum Principum dissidia; hisce enim crescit, & Christiani quasi excæcati non vident, aut non curant. Unde dicitur*

hic per quatuor partes terræ grassata; huic proinde datum est interficere gladio, fame, morte, & bestijs terræ incolas orbis. Hæ enim sunt quatuor plagæ Dei, de quibus ait Ezechiel capite 14. 21. *Si quatuor judicia pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam (quam Joannes vocat mortem) immisero in Hierusalem, ut interficiam de ea hominem, & pecus. Sarraceni enim multos Christianos gladio, alios fame, alios ærumnis, indéque consequente peste, alios alijs generibus mortis, alios etiam leonibus, ursis, aliisque bestijs objiciendo occiderunt.* Hactenus P. Cornelius.

LX. Decimo octavò Mahumetus in capite 20. Alcorani, ait: *Quòd DEUS præcepit Noë fabricare arcam, non præmonendo incredulos, ac injustos, quatenus mergerentur.* Hoc constat esse falsum, quia omnes Doctores tam Christianorum, quàm Hebræorum, sanctíque Patres concorditer dicunt, DEUM per Sanctum Noë hortatum fuisse peccatores ad pœnitentiam, eísque minatum fuisse diluvium, nisi vitam emendarent. Et cùm certum sit ex cap. 6. & 7. Genesis, Noë in fabricanda arca centum, & ampliùs consumpsisse annos, dubitari non potest, interrogatum fuisse à plurimis toto illo tempore, ad quid arcam fabricaret; & virum DEI eis veritatem aperuisse, & illo tempore præconem fuisse Divinæ Justitiæ imminentis. Quod Christi prædicator facilè amplificare poterit; præsertim cùm semper fuerit consuetudo DEI in veteri Testamento, præmonere homines de futuro supplicio, nisi à peccatis desisterent, & pœnitentiam agerent.

LXI. Decimo nonò, in eodem capite 20. sic ait Mahumetus: *Noë in arcam conscendens filium suum ex alia parte stantem advocans ait: fili nobiscum equita, ne sis ultra incredulus. Qui respondit: ad montem, qui ab aqua me proteget, proficiscar. Cui Noë: Nihil, nisi cui Deus misericordiam fecerit, hodie salvari poterit. Eos ita colloquentes unda disgregavit.* Sed hoc fabulosum esse convincitur ex Scripturæ testimonio Genes. 7. ubi ait: *Et ingressus est Noë & filij ejus, uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eo, in arcam propter aquas diluvij.* Constátque ex cap. 6. v. 31. Noë tres tantùm habuisse filios, Sem, Cham, & Japhet, & hos omnes cum illo ingressos, & egressos fuisse ex arca Genes. 7. v. 18.

LXII. Vigesimò, in eodem cap. 20. hæc habet in DEI persona: *Abraham meis nuntijs sibi missis gaudium, atque salutem afferentibus vitulum attulit saginatum; sed illis manum non apponentibus, hic stupidus, & timidus factus est.* Loquitur hîc Mahumetus de tribus Angelis, qui venerunt ad Abraham. Constátque evidenter, hanc narrationem esse fabulosam: nam Genesis 18. dicitur: *Tulisse Abrahamum vitulum tenerrimum, & coxisse illum: tulisse quoque butyrum, & lac, & posuisse coram eis.* Additque textus vers. 9. *Cùmque comedissent, dixerunt ad eum, &c.* Ergo falsum est, non comedisse, nec apposuisse manum; & fabula est, quòd Abraham stupidus factus, quia illi comedere noluerunt.

LXIII. Vigesimoprimò, in eodem cap. 20. ait Alcoran: *Tres illos Dei nuntios*

tios Abrahamum admonuisse, ne causam Sodomorum ulteriùs tractaret. Verùm hoc quoque constat esse falsum: nam eo cap. 18. v. 23. dicitur, Abrahamum obsecrâsse Dominum, ut parceret Sodomitis, si inter eos invenirentur quinquaginta justi, & id obtinuisse; rursus obsecrâsse, ut parceret propter quinquaginta quinque: & tertiò, ut parceret propter quadraginta; & quartò, ut parceret propter triginta. Quintò, ut parceret propter viginti. Sextò, ut parceret propter decem, si ibi invenirentur. Et his omnibus vicibus exorâsse, quod oraverat. Quis non videat, Abrahamum Virum Sanctissimum non toties, & cum tanto charitatis ardore oraturum fuisse pro Sodomitis, si Angeli id prohibuissent?

LXIV. In eodem cap. asserit Mahumetus, Angelos dixisse Loth, ut egrederetur cum tota gente sua, *Præter unam mulierem, id, quod cæteri, passuram.* Significans, Loth non abduxisse secum uxorem suam. Quod constat esse falsum. Nam Angeli apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, & filiarum, & eduxerunt eos. Et postea uxor Loth conversa est in statuam Salis, quia respexit retro Gen. 19. v. 26.

LXV. Vigesimotertiò: in capite vigesimo primo Alcorani narrat Mahumetus historiam de somnio Joseph, quod refertur Genes. 37. persecutionem, quam passus est à fratribus, ejus venditionem, & reliqua, & innumera miscet mendacia, contra id quod textus sacer habet. Chartusianus enumerat in narratione hujus Historiæ Josephi, prout habetur in illo cap. Alcorani triginta mendacia, & fabulas. Inter alia dicit Mahumetus, DEUM manifestâsse Jacob, filium suum esse positum in cisterna, quod cóstat esse falsum: quia si sciret, operam daret, ut eum liberaret.

Secundò dicit, mulierem emptoris Josephum reperisse in suo thalamo, ipsúmque precatam esse, ut secum concumberet. Constat autem ex cap. 39. Gen. vers. 7. & 11. id esse falsum. Tertiò dicit, Josephum à domina sua solicitatum parùm abfuisse à consentiendo, *Ferè tamen utriusque consensus fuit*, inquit Mahumetus; licèt postea à DEO inspiratus fugerit. Sed ex cap. 39. v. 8. constat, ab initio acriter ipsam reprehendisse. Quartò dicit, mulierem illam, quando fugientem Josephum sequebatur, apprehendisse subuculam ejus, eámque rupisse, quasi ille nudus è lecto surrexisset ad arripiendam fugam. Constat tamen ex textu, non tunicam interiorem, sed pallium exterius apprehendisse: nam ille *relicto in manu ejus pallio fugit.* Mitto alia fabulosa, quæ hîc interserit. Christi prædicator, si aliquem Mahumetanum Alcorani peritum inveniat, postulet ab eo, ut Historiam Josephi, prout in illo libro legitur, enarret, & mendacia facilè redarguet.

LXVI. Vigesimoquartò, in cap. 27. Alcorani dicit Mahumetus: *Deus Alexandro Regi, omnium rerum scientiam dedit.* Hoc fabulosum esse constat, quia Alexander Aristotelem habuit præceptorem, & quamvis multa ab illo didicerit, multò plura ignoravit; & passim ab illo interrogabat, quæ ipse nesciebat. Constátque Alexandrum idololatram ambitiosum, & libidinosum fuisse: quo-

quomodo ergo à Deo omnium rerum ſcientiam accepit?

LXVII. Vigeſimo quintò, in cap. 28. ait: *Deus dixit ad Zachariam, habebis filium nomine nunquam antè cuiquam impoſito*, videlicet Joannem vocandum. Sed hoc eſt apertè falſum, quia nomen Joannis frequens erat apud Hebræos. Ibidem ait: *Iſmaël fuit Propheta.* Quod tamen confictum videtur; Nam Geneſ. 16. v. 12. de eo dixit Angelus: *Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.*

LXVIII. Vigeſimo ſextò, cap. 46. Alcorani aſſerit; quòd Abraham, ducens filium ſuum ad immolandum, dixit ei: *O fili, mihi in viſione nuntiatum eſt, quòd te decollarem*: ſed hoc eſt contra textum Geneſ. 22. v. 7. nam Iſaac dixit patri ſuo. *Ecce ignis, & ligna, ubi eſt victima?*

Mitto aliqua dicta Alcorani, quæ manifeſtè contradicunt Hiſtoriis Sacris; quorum aliqua in ſuperioribus ſectionibus attigimus; ut mendacium illud, quòd Chriſtus non ſit crucifixus. Duo tamen inſigniora mendacia circa Annuntiationem, & partum Virginis ſeorſim confutanda ſunt.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Confutatur fabula Alcorani aſſerentis Angelum Gabrielem apparuiſſe B. Mariæ Virgini deſcendenti è domo parentûm in terram Orientalem, & tunc illi annuntiâſſe Chriſti miraculoſam Conceptionem. Ubi recenſentur laudes, quæ in Alcorano de B. Virgine dicuntur.

LXIX. SEipſum Mahumetus Prophetam ignorantem appellavit; ſiquidem in cap. 16. Alcorani, Se ipſum vocat *Nuntium Dei, legendi ſcribendíve neſcium.* In eo, quòd ſe ipſum Prophetam appellavit, mentitus eſt; in eo autem, quòd ignorantem dixit, veriſſimè pronuntiavit: nam cùm Hiſtorias Sacras ſolùm ex relatione Chriſtianorum confusè nôſſet, eis poſtea immiſcuit mille mendacia, dum tanquam ſibi revelatas ruſticis Arabibus propoſuit. Ut inter alia cernitur in Hiſtoria Annuntiationis, & Nativitatis Chriſti, de quibus nunc agendum.

Igitur Pſeudo-Propheta iſte ſic in cap. 28. Alcorani rem narrat: introducit Deum ſic loquentem: *Mariæ versùs locum orientalem à ſua gente diſcedenti ſpiritum noſtrum, id eſt, Angelum miſimus, cujus viſu illa pavefacta, Deum rogat, ut ſe ab illo tueatur. Quam ſpiritus ille affatus eſt: nihil niſi Dei nuntius ſum, qui tibi puerum optimè creſcentem promittit. Reſpondit ipſa, cùm virum non tetigi, puerum quomo-*

do habebo? Ait ille: Hoc Deo leve est atque possibile.

Verùm ex Evangelio Lucæ constat, Beatam Virginem fuisse intra domum, cûm illi Angelus apparuit: id enim satìs apertè ostendunt verba Lucæ cap. 1. v.26. *Missus est Angelus Gabriel à* Deo *in Civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem, &c. Et ingressus Angelus ad eam dixit, &c.* Ut enim ponderat Venerabilis P. Petrus Canisius. lib.3. de Maria Deipara Virgine cap. 1. significanter dixit Evangelista, *Ingressus Angelus ad eam*, ut palam nobis indicet, Virginem suo decoro servientem, id est, non foris vagantem, sed domi potiùs latitantem, privatímque sua curantem, & sacris vacantem studijs. Hinc Maldonatus hunc locum exponens meritò reprehendit audaciam Hæreticorum, qui dubitant, an Maria fuerit in secreto domus suæ, cùm eam Angelus salutavit, & credere malunt, eam fuisse apud cognatum aliquem suum cum ancillis laborantem, dicítque illos Judaico esse ingenio. *Itaque non magìs (inquit) illis, quàm apocrypho illius Protoevangelij Authori, quod Jacobi nomine circumfertur, credendum est, ubi scriptum est. B Virginem forsan ad hauriendam exiisse aquam, cùm illi Angelus apparuit. Utrumque enim, & Evangelistæ, & antiquis omnibus repugnat Authoribus. Nam & Lucas, cùm Angelum ad eam ingressum dicit, sine dubio significat, eam intra domum fuisse, & id Ambrosius, Eusebius Emissenus, & Andreas Hierosolimitanus, & Beda, & Bernardus affirmant. Sunt etiam, qui putant, clauso domûs ostio, Angelum ad Beatam Virginem penetrâsse: quod, & quia Angelo, cùm spiritus esset, opus non fuit aperire, & quia ad sanctitatem, puritatémque pertinebat Virginis, clauso esse ostio, valde credibile judico.*

Certissimúmque est, Angelum missum fuisse ad Civitatem Nazareth: non ergo Maria discesserat à sua gente, ut Mahumetus fabulatur. Maria enim, non solùm erat desponsa, sed verè nupta Josepho, cùm Christum concepit, ut probat Maldonatus in cap. 1. Matth. v.16. Præcipua enim causa, cur Spiritus Sanctus voluerit, Christum ex nupta nasci, hæc ab omnibus fuisse creditur, ut Virginis honori consuleretur: atqui non est consultum, si desponsa tantùm, nondum nupta, concepit. Dicit autem Evangelista, Angelum missum ad Virginem desponsatam, & non dixit missum ad Virginem nuptam, non quòd nupta non esset, & cum Josepho tanquam cum marito habitaret, sed quia, ut Chrysostomus adnotavit, non magìs à viro cognita, quàm sponsæ, quæ nondum nuptæ sunt. Itaque cùm B. Virgo Christum concepit, jam verum erat Matrimonium inter Josephum, & Mariam, ut probat Augustinus lib. 5. contra Julianum Pelagianum cap. 9. & lib. 1. de nuptijs & concupiscentia. cap.11. & tenent, *aut omnes, aut optimi Theologi*, inquit Maldonatus. Ergo fabula est, quòd Maria discesserat à sua gente, cùm Christum concepit: quomodo enim Virgo Sanctissima virum suum relinqueret? Quòd autem B. Virgo Sanctissima fuerit, testatur ipse

ipse Mahumetus in Alcorano in cap. 5. & in cap. 74. nam ibi introducit Angelum sic loquentem. *O Maria cunctis viris, fœminísque præclarior, soli Deo perseveranter studens!* Et rursus ab eodem dicitur: *O Maria, Deus utique elegit te, & purificavit te, elegit te claram super mulieres sæculorum!* Iterum verò: *O Maria, Deus annuntiavit tibi Verbum ex ipso: nomen ejus Jesus Filius Mariæ, & erit honorabilis in hoc sæculo, & in futuro.* Quid autem eo luculentius? *Maria se dirigendo nihil malitiæ, aut pravitatis operata est: unde nostram ei animam insufflavimus.* Sic in persona Dei loquitur Mahumetus, & in propria persona de eadem loquens inquit: *E viris multi perfecti fuerunt, nulla autem ex mulieribus unquam perfecta fuit, nisi Maria Mater Jesu.* Ita refert Canisius lib. 3. de Deipara. cap. 20.

Et sanè S. Lucas quæ scribit de Annuntiatione Angeli ad Mariam, ab ipsa Virgine accepit, ut probat Maldonatus, in cap. 1. Lucæ num. 8. *Quædam enim scribit, quæ nemo præter Virginem ex ijs, à quibus Lucas audire posset, quale est illud de mirabili Conceptione, & ortu Baptistæ, & istud de Annuntiatione Angeli.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Annuntiationem factam esse in domo Virginis, probatur contra Mahumetanos, ex miraculosa illius translatione in Lauretum.

LXX. FALSITATIS convincitur illa narratio Alcorani; nam domum B. Virginis propter stupendum opus Incarnationis Verbi, quod Deus in ea operatus est, illustravit Dominus maximis miraculis: ut enim inquit Spondanus in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos num. 26. *Domus illa, in qua de Verbi Incarnatione sanctissima Virgo cœleste accepit Nuntium, adhuc magno miraculo non tantùm integra perseverat, sed Angelorum ministerio ab infidelium manibus vindicata, in Dalmatiam primùm, inde in Italiam translata est in agrum Lauretanum, Piceni Provinciæ, quod perinsigne, ac nobilissimum vetustatis monumentum totus Christianus Catholicus orbis veneratur, ac colit.* Quæ verba sumpsit ex Baronio tom. 1. ad an. 9. num. 1. De hac miraculosa translatione domûs B. Virginis agit latè P. Canisius lib. 5. de Deipara cap. 25. & fusissimè P. Horatius Turselinus nostræ Societatis, libris quinque ea de re conscriptis.

Rem narrat Canisius ex probatissimis Authoribus eo cap. 25. nimirum ex Blondio Historiographo, & rerum Italicarum peritissimo, ex Baptista Mantuano, sui quidem sæculi Theologo, & Poëta laudatissimo, & ex Hieronymo Angelica Reipublicæ Recanatensis à se-

à secretis, viro valdè sincero, & rerum ad præsentem historiam pertinentium diligentissimo exploratore, in libello de historia B. Virginis Lauretanæ, quem Summo Pontifici nuncupavit, & ex Leandro Alberto Historiographo Italico. Summa historiæ est: *Non esse mirandum*, si Lauretana Ædes ingentem apud omnes obtineat authoritatem: eo enim loco Beatissimæ Virginis cubiculum contineri, in quo eadem, & nutrita, & postmodum ab Angelo salutata, adéoque Spiritu Sancto obumbrata, Christum in utero conceperit, & conceptum magna ex parte educârit. Hoc Sacrum cubiculum primùm in Nazareth Galilææ oppido constructum, post Christum verò in Cœlos receptum, in domum orationis, sive sacellum ab Apostolis commutatum, & divinis usibus consecratum, deindéque à Christianis reverenter habitum esse, quoad Palæstina demum sub Cosdroa Rege immanissimo Christianis adempta in Agarenorum potestatem devenit. Postea verò Angelorum ministerio ad Illiricos propè Castellum, cui nomen est *Flumen*, translatum est. Deinde anno 1294. decima die Decembris Bonifacio Octavo Pontifice Maximo, miro modo exinde Angelorum manibus transvectum super æquora, in agro Recanatensi consedit, in mediis nemoribus nobilissimæ cujusdam mulieris ejus civitatis, cui nomen fuit Laureta.

Nec fides hujus historiæ labascit, quòd mirabilis, & juxta naturam impossibilis hæc translatio fuerit; ut enim rectè Baptista Mantuanus ait: Mirum id sanè, atque adeò incredibile non immeritò videretur, si virtutem Cœlestem excluderemus, quæ & Habacuc Prophetam Dan. 14. ex Palæstina in Babilonem transtulit, ac eundem incolumem suis illico restituit. Unus Angelorum centum octoginta Assiriorum millia sine armis, sine copiis, nocte una percussit, prostravit, extinxit 4. Reg. 16. Rursus Angelico ministerio effectum est, ut Philippus Christi Discipulus, velut per aëra deportatus, nobili Eunucho consociaretur, eóque baptizato ad suos in Azotum confestim rediret, longis itinerum spacijs brevissimo tempore confectis, ut omnes subitam illam translationem, atque restitutionem ejusdem hominis admirarentur. *Actor.* 8. Quid verò magis prodigiosum videatur, quàm Eliam 4. *Reg.* 2. ex hominum conspectu subitò rapi, & curru igneo excipi, & in loca remotissima devehi, ac demum post multa sæcula in Palæstinam reverti, & in Majestate quadam conspici; postquam verò in monte *Matth.* 17. cum Christo de futuro ejus excessu collocutus esset, statim rursus evanescere. Nec defuerunt, qui cum Gregorio Neocæsariensi tanta fide excelluerint, ut rupes & montes ingentes oratione sola moverint, atque in alium locum transtulerint. Quo circa cùm divinæ virtuti nihil possit resistere, & similibus miraculis refertæ sint veteres historiæ, quas nullus in universum, nisi perfrictæ frontis homo abijcere possit, certè non adeo incredibile videri debet, Mariæ quoque domunculam Deo sacram, cùm malè neglecta jaceret, impijs

pijs ademptam esse cultoribus, & invisibili quadam virtute ad locum honestiorem tandem demigrâsse, ubi ad verum, & salutarem Christianæ gentis usum, & fructum converteretur. An non omnia propter electos? Quibus & Angeli Sancti, utpotè spiritus administratorij, sive (ut loquitur Cyprianus serm. de Nativit. Christi) salutis nostræ ministeriales, in ijs præsertim rebus propensè serviunt, quæ ad Christianæ fidei, ac pietatis profectum magìs, ac magìs in pijs animis excitandum, fovendúmque spectant. Quis autem non videat, hoc Mariæ cubiculum, non modò propter personæ quondam inhabitantis nobilitatem, nos ad amorem & honorem quendam rapere, verùm etiam velut pulcherrimum quoddam esse symbolum, quo parvi, & magni semper, multúmque commoneantur de Sanctissimæ Virginis vita, & conversatione jam olim in eo loco translacta, déque Christi Domini, & Matris ejus domesticâ, & perquàm suavi familiaritate ibidem habitâ, sed & de proprio Christiani hominis officio per hanc velut imaginem adumbrato? Nihil enim nobis in omni vita, si sapimus, diligentiùs curandum, ac elaborandum est, quàm ut nostros animos, velut sedes virgineas, & domos spirituales hospiti Christo præbeamus, ejúsque mysticæ matres, post MARIAM, & naturalem & spiritualem Domini Matrem, efficiamur. Id verò fiet pulcherrimè; si ad voluntatem Dei præstandam nos die noctéque componamus, illúmque Christi sermonem intimis animi sensibus complectamur: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse meus frater, soror, & Mater est,* Matth. 12.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Exploditur fabula Alcorani, affirmantis, B. Mariam Christum peperisse, cùm juxta palmam consisteret, & alia fabulosa narrantis.

LXXI. MAHUMETUS in Alcorano cap. 28. hæc habet; *Maria prægnata cum puero concepto in locum remotum aufugit, tandem menstruo partum præcedente destillante, cùm juxta palmam consisteret, dixit: utinam morti, oblivionique succumberem, antequam hoc mihi contigisset. Christus autem subtus egressus est: ipsámque consolans, ne timeas, inquit: ego enim tecum hic assideo: deinceps Deus ipsam allocutus injunxit, ut palmam excuteret, atque de ejus fructibus decidentibus vesceretur, atque roboraretur.* Addítque, eos, qui eam videbant gestantem puerum, & cognoscebant, ejus parentes esse justos & sanctos, ei exprobrâsse vitam turpiter actam cum suo-

suorum dedecore, & quasi culpabilem, ac fornicariam reprehendisse; ipsam verò, ut suam innocentiam defenderet, ab eis rogâsse, ut infantem illum de veritate interrogarent: tunc verò infantulum in hanc vocem erupisse: *Ego sum Dei minister, qui mihi librum tribuens me Prophetam constituit.* Concludit Mahumetus: *Hoc est de Christo Mariæ filio verbum verax.* Dicere debuisset, *verbum mendax, & fabulosum.* Hæc enim narratio plura continet mendacia, quàm clausulas. Imprimis manifestum est, Prophetas antiquos annuntiâsse, Christum nasciturum in Bethleem, ut constat ex Michææ 5. & ita responderunt Sacerdotes Herodi interroganti Matth. 2. v. 6. *Et tu Bethleem terra Judà, nequaquam minima es in Principibus Judà: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum.* Deinde clarè constat, Christum natum esse in Bethleem, ut narrat Matthæus cap. 2. *Cùm natus esset Jesus in Bethleem, &c.* Idque mundo publicavit adventus Magorum, qui ducti à stella ingressi sunt Hierosolymam dicentes, *ubi est, qui natus est Rex Judæorum? &c.* Illúmque ducti à stella quæsierunt, & invenerunt in Bethleem, & adoraverunt, offerentes ei aurum, thus & mirrham *Matth.* 2. *v.* 11. Constat etiam ex occisione Innocentium; nam Herodes *occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus à bimatu, & infrà.* Matth. 2. 17. supponens Christum ibi natum esse. Constat tertiò ex *Luca* 2. *cap.* Mariam ascendisse cum Josepho in Bethleem ob edictum Cæsaris, & ibi impletum fuisse tempus pariendi, & peperisse, & reclinâsse Infantem in præsepio: & Pastores ex admonitione Angeli venisse: *Et invenisse Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio.* Fabulosum ergo est, quòd B. Virgo in locum remotum aufugerit, quasi ad vitandam infamiam fornicationis, quam ei imputabant. Certum enim est, Beatam Virginem Matrimonium contraxisse cum Josepho, & Christum reputatum fuisse filium Josephi ab omnibus, qui mysterium ignorabant: nam propter honorem Mariæ, ne scilicet putaretur mulier fornicaria, Spiritus Sanctus disposuit, ut Christus nasceretur de Virgine nupta. Ergo falsum est, quòd tanquam inhonesta fuerit reprehensa. Falsissimum etiam est, hanc Virginem purissimam profluvium sanguinis in partu passam fuisse: sicut enim sine opera viri, & sine delectatione concepit, ita peperit sine dolore, immò cum ingenti spiritus sui gaudio, & sine aliis imperfectionibus, quibus aliæ fæminæ obnoxiæ sunt. Hæc est enim Virgo illa, de qua *Isaias cap. 66. v.* 7. prædixit: *Antequam parturiret, peperit*, id est, antequam dolorem pariendi sentiret: *Antequam veniret partus ejus, peperit masculum*, id est, antequam veniret dolor ex partu, peperit Christum. *Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic simile?* Partus namque iste fuit miraculosus. Et infans ille, quamvis corporis quantitate esset infans, judicij tamen, ac sapientiæ perfectione erat vir, juxta prophetiam Hieremiæ cap. 31. *Novum fecit Dominus super terram, fœmina*

mina circundabit virum, id est in utero gestabit Christum, qui erit plenus sapientiâ in utero, perinde ac si foret jam grandævus vir.

Nec illud dictum, *utinam morti, oblivioníque succumberem, antequam hoc mihi contigisset*, concordat cum summa perfectione, quam de B. Virgine prædicat Mahumetus, ut vidimus paulò sup. c. 13. Nec cum illo privilegio, quod concessum fuisse soli Christo ejúsque Matri affirmat liber *Alkoam* magnæ authoritatis apud Mauros, & Turcas Discipulos Mahumeti: in illo enim libro sic legitur: *Nullus ex filijs Adam nascitur, quem non tangat Satàm: & ideo plorat vociferans ex ejus tactu, præter Mariam, & Filium ejus.* Ut refert Canisius lib. 3. de Deipara cap. 20. Hinc enim sequitur, Beatam Virginem neque peccatum originale contraxisse, neque actuale commisisse. Si autem res ita se habuit, quomodo in illa impatientiæ verba erumperet? Si virgo concepit, & virgo permansit in ipso partu, ut fatentur Mahumetaui, ut constat ex cap. 3. pag. 54. non ergo menstruum passa est. Denique fabulosum est, quòd Christus infans locutus sit: etsi enim posset, voluit tamen aliorum infantum conditionem naturalem subire. Quòd autem narrat, infantem dixisse, sibi à Deo datum librum; si intelligatur de libro materiali Evangeliorum, fabulosum est: nam Evangelia Apostoli scripserunt post Christi Ascensionem.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Error Alcorani contra Mathematicam.

LXXII. IN Alcorano (secundùm quod illo utebantur, Mauri cum distinctione librorum) lib. 2. cap. 9. & lib. 3. cap. 19. & lib. 4. cap. de *Dominatione*, dicitur, stellas esse in primo cœlo; cùm tamen constet ex Mathematica, esse in octavo. Liber Sunæ, qui est paris authoritatis cum Alcorano (ut vidimus capit. 1.) affirmat, illas alligatas esse cœlo, ab ipsóque pendentes catenis aureis: & maximam stellarum non excedere magnitudinem magni montis. Idque ipsum narrat Mahumetus in Alcorano, quando depingit fabulosam suam Ascensionem in Cœlum, nimirum lib. 2. cap. 11. asseritque, Dæmones ascendere in Cœlum ad audienda secreta divina; stellas verò, cùm primò eos vident, concitato cursu, & assumpto titione ignito, illos fugare. Quæ omnia ridicula, & fabulosa sunt, cùm stellæ corpora sint inanimata, & cælo ipsi infixa, & tantæ magnitudinis, ut minima stellarum firmamenti sit quater supra sexagies major globo aquæ, & terræ, ut docet P. Ricciolus insignis Mathematicus.

LXXIII. Deinde liber Sunæ affirmat, Deũ fundâsse terrã supra Tauri cornua; & terræ motus tunc contingere, quando taurus ille movetur. Sed quis illi tauro herbam porrigit, ut alatur? Deinde si cornibus terram sustinet, ubinam figit pedes? Certè necesse est, ut pedes habeat sursum versùs Cœlum, & caput deorsum, quia gravia deorsum gravitant. Hæc deliria refert Joannes Andreas in sua confutatione sectæ Mahumetanæ cap. 5. & cap. 8.

LXXIV. Deinde Mahumetus sæpè in Alcorano docet, septẽ tantùm esse cœlos; sed tamen lib. 2. cap. 11. ponit octavum cœlum, in quo Deus existit. Cæterùm vera Mathematica præter septem cœlos Planetarum, & octavum cœlum in quo existunt stellæ fixæ, ponit nonum cœlum, quod dicitur primum mobile, & præterea Empireum.

LXXV. In cap. 63. Alcorani dicitur, *Appropinquavit hora Lunæ, quæ bipartita est*, in hoc loco dicunt Mahumetani alludi ad miraculum sui Prophetæ. *Aiunt enim Mauri*, (inquit S. Petrus Paschasius num. 154.) *Lunam ad Mahumetum venisse, illámque in suo sinu accepisse, & in duas partes divisisse, & postea illas inter se junxisse.* Rem verò sic narrant cæci Mahumetani. Dicunt enim, quòd, cùm quadam die esset cum Discipulis suis, illi ab eo postulârunt, ut faceret coram ipsis aliquod miraculum; tunc verò Mahumetum digitis versùs Lunam concrepâsse; hac verò digitorum percussione Lunam in duas partes fuisse divisam, & medietatem illius cecidisse supra montem *Elicer*, qui ad latus Meccæ situs est, alteram verò medietatem supra montem *Rufum*, qui situs est è regione ad latus oppositum: Mahumetum verò collegisse illas duas Lunæ partes, & illas intromisisse per manicas subuculæ, & inter se conjunxisse, & compegisse. *Hinc Turcæ venerantur Lunam, illámque in vexillis castris præferunt*, ut inquit Cornelius à Lapide in Apocal. pag. 218. Quis hæc audiens risum continere possit, & non miretur, homines rationis compotes hæc credere? Globus Lunæ major est, quàm ingens regnum; quia saltem complectitur decimam nonam partem globi terræ, & aquæ: quomodo cadere potuit, quin totam Arabiam opprimeret? Quomodo in manicas tantæ molis corpus potuit Mahumetus intromittere? Quomodo rem tam insolitam, & tam sensibilem, & palpabilem nullus scriptor memoriæ tradidit, sicut tradidêre eclypsim Solis, quæ in morte Christi accidit?



CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Errores Alcorani contra Philosophiam Naturalem.

LXXVI. Liber Alcorani cap. 24. in persona Dei sic loquitur: *Hominem de terra, & luto plasmavimus, diabolo priùs ex igne pestifero creato.* Hoc est contra veram Philosophiam, quæ docet, Angelos esse immateriales, & incorporeos. Rursus est contra Sacram Historiam, quia priùs Deus Angelos creavit, quàm elementum ignis formaverit. Siquidem Angelos creavit primâ die, simul cum cœlo. Elementum verò ignis postea.

Rursus lib. 1. cap. 4. & lib. 4. cap. cujus titulus est, de *Quo quarat*, dicit, animalia bruta resurrectura in die judicij, & taurum cornupetam, qui alios boves ferijt, hujus facti rationem redditurum. Et similiter arietes, qui oves facto impetu contuderunt. Præterea Mahumetus in libro Sunæ affirmat, omnes arietes, quos Mauri in suo paschate jugulârunt, resuscitandos in die judicij, & preces fusuros ad Deum pro ijs, qui ipsos sacrificârunt; & quando S. Michaël in statera animas appenderit, accursuros arietes illos, & seipsos collocaturos in ea parte stateræ, in qua bona opera ponuntur, ut oppositæ parti malorum operum præponderet. Et hac de causa Mahumetani multos in paschate occidunt arietes, quamvis ex præcepto legis unum tantùm teneantur jugulare. Et hinc sequitur, animalia bruta in die judicij præmio vel pænâ afficienda. Hæc refert Joannes Andreas in confutatione Alcorani cap. 4. quæ sunt planè ridicula: nam certum est, animas brutorum non esse immortales, nec esse capaces peccati, cùm judicio rationis, & libero arbitrio careant: & inter animalia solum hominem capacem esse resurrectionis, quia constat anima immortali, quæ non perit simul cum corpore, ut animæ brutorum pereunt, quia sunt materiales, & corporeæ.

LXXVII. Affirmat etiam Mahumetus, quando Abraham in procinctu erat ad jugulandum filium suum Isaac, & illum immolandum Deo, adventâsse Archangelum Gabrielem, & portâsse arietem, qui per quadraginta continuos annos in Paradiso pascebat, ut eum loco filij Abraham sacrificaret. Cùm hanc fabulam Joannes Andreas retulisset, per jocum à Mahumetanis rogat, numerent, quot excrementitios globulos aries ille in Paradiso è ventre egesserit.

Præterea lib. 3. Alcorani cap. 9. affirmat Mahumetus, formicam quandam ita vocem extulisse, quòd illam Salomon audierit à tribus milliaribus distantiæ.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Errores Alcorani contra Dei misericordiam.

LXXVIII. IN octavo capitulo Alcorani inquit Mahumetus. *Malè operantes neque ante mortem, sed in ipso mortis articulo digredi volentes, & similiter incredulos morientes Deus abhorrens pœnis affligit.* In quibus verbis affirmat, eandem fore sortem hominum peccatorum, qui usque ad horam mortis pœnitentiam differunt, & in illa hora à peccatis digredi volunt, & de illis pœnitentiam agunt, ac de incredulis, qui in infidelitate moriuntur, qui abs dubio damnantur. Hic autem est error contra Dei misericordiam, qui per Ezechielem cap. 18. universaliter promisit: *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor:* & homines in desperationem præcipitat.

LXXIX. Præterea c. 9. docet, Deum non remittere peccata graviora, sed dumtaxat minora. Ita enim inquit: *Deus summè criminalia peccata, videlicet cæteris majora non, sed minora, cui vult, condonat.* Quis ita cæcus, qui non videat, hoc assertum injuriosum esse Dei misericordiæ, quæ, cùm sit infinita, nulla peccatorum gravitate potest vinci. Et sanè sicut non est magna laus medici, quòd medeatur infirmitatibus ordinarijs, & exiguis; sed quòd morbos penè desperatos curet; ita &c. Quis non videat hanc Mahumeti cogitationem, præcludendo januam veniæ magnorum criminum, aditum recludere alijs majoribus, in quæ homines desperantes de venia primi peccati gravioris concitato cursu ruent. Est præterea hoc placitum contra promissiones divinas veteris & novi Testamenti, in quibus generaliter veniam offert omnibus peccatoribus, quibuscunque irretiantur delictis, dummodo peccata dimittant, & pœnitentiam agant. Immò juxta doctrinam Apostoli Roman. 6. tanta est Dei pietas, ut frequenter, ubi abundavit delictum, abundet & gratia.

Est etiam hæc doctrina contra id, quod in scriptura legimus, nempe Deum sæpè remisisse ingentia crimina; qualia fuerunt crimina Regis Manassis, quæ Deus propter pœnitentiam dimisit, ut constat ex 2. Paralip. cap. 33. & ex 4. Reg. 21. Quæ majora crimina, quàm peccatum idololatriæ, blasphemiæ, occisionis Prophetarum, & similium? quæ tamen propter pœnitentiam dimissa esse à Deo, in scriptura legimus. Multique ex Christi crucifixoribus veniam propter pœnitentiam impetrârunt. Hoc argumentum facilè amplificare poterit Evangelicus prædicator.

LXXX. Item cap. 12. Alcorani dicitur. *Homines pravos ad viam re-*

ctam Deus minimè dirigit. Hoc non solùm est contra divinam misericordiam, sed contra experientiam, & contra id, quod ex Scriptura constat. Sanè Mahumetus ipse aliquando fuit idololatra, & ipse fatetur, se misericorditer à Deo vocatum fuisse ad amplectendam veram fidem. Saulus crudelis fuit Christi hostis, & Christianorum inimicus, & mirabiliter à Christo conversus est Actor. 9. & per Isaiam cap. 42. Deus ipse loquitur dicens: *Deducam cæcos* (id est vitijs obtenebratos) *in viam, quam nesciunt.* Denique si homines pravos ad viam rectam Deus non dirigit, in via prava semper necessariò manebunt: quia nec à diabolo, neque à se ipsis sine Dei auxilio, & directione educentur à via prava ad rectam.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Error Alcorani contra Dei providentiam, trahentem homines ad veram Fidem, & pietatem per miracula.

LXXXI. CAPITE 19. Alcorani dicit Mahumetus: *Constat, nihil cœlestium, sive terrestrium, neque miracula, seu virtutes incredulis quidquam proficere.* Cur hoc dixerit, facilè cernitur; quia enim ipse miracula facere non valebat, ea quasi inutilia rejecit. Inprimis Mahumetus ipse in sequenti capitulo supponit, miracula utilissima esse ad convertendos infideles, ac proinde sibi ipsi contradicit. Nam cap. 20. hæc habet: increduli dixerunt ad Huch: *Nos propter verba tua nequaquam refutabimus, quod adoramus; cùm tu minimè cum miraculis & virtutibus ad nos accedas.* Id autem ideo Mahumetus dixisse creditur, ne ipse solus inter Prophetas ac nuntios videretur absque miraculis advenisse. Estque error manifestus, quòd miracula nihil prosint ad conversionem infidelium. Constat enim, Deum dedisse Apostolis potestatem patrandi miracula in confirmationem doctrinæ, quam prædicabant, ut infideles traherent ad fidem. Et cùm Divus Petrus curavit claudum à nativitate in nomine Jesu, occasione hujus miraculi quinque millia hominum conversi sunt, ut dicitur Actor. 4. v. 4. *Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum quinque millia,* & ut narrat idem Lucas in suo Evangelio cap. 23. Centurio videns miracula, quæ in morte Christi acciderunt, nimirum, quòd tenebræ factæ sunt super universam terram ab hora sexta usque ad nonam, & quòd Christus voce magna exspiravit dicens: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum, glorificavit Deum dicens, verè hic homo justus erat, & omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant,*

bant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Martyréſque paſſim, & conſtantiâ in tormentis, & miraculorum virtute multos ad fidem Chriſti infideles converterunt, ut legimus in Breviario Romano 5. Februarij in Actis Sanctorum Fauſtini, & Iovitæ, & in Actis S. Ianuarij Epiſcopi die 19. Sept. & in Actis S. Martinæ Virginis die 30. Ianuarij, & ſic de alijs, & Chriſtus Dominus Joann. 14. planè teſtatur, miracula ad converſionem incredulorum multùm conferre. *Niſi ſigna* (inquiens) *& prodigia videritis, non creditis.*

CAPUT VIGESIMUM.

Error Alcorani contra Dei providentiam permittentem, ut amici ſui in hac vita tribulationem patiantur, ut in alia coronentur.

LXXXII. MAHUMETUS in capite duodecimo Alcorani hæc habet: *Vos Judæi, & Chriſtiani, ſi Dei Filij, ſuique dilecti eſtis, prout vos dicitis, cur vobis, culpas & peccata gerentibus, pœnas & malum infert?* Quæ verba non niſi ab homine totius ſpiritualis ſapientiæ experte proferri potuerunt; ſunt enim inſcitiæ plena: ad providentiam namque Dei ſpectat, filiorum ſuorum adoptivorum, & amicorum peccata hîc punire, ne in alia vita duriùs puniat: hîc per flagella eos corrigere, & admonere, ut reſipiſcant, & rectam virtutis ſemitam ſectentur, & per adverſos caſus premere, ne rebus caducis nimiùm inhærentes æterna faſtidiant: & tribulationibus quaſi ſtimulo pungere, ut ad patriam cœleſtem concitato curſu tendant. Hinc Deus *Apocal. 3. v. 19.* inquit: *Ego, quos amo, arguo, & caſtigo.* Et Paulus ad Hebræos duodecimo v. 6. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Et Angelus Raphaël Sancto Tobiæ cap. 12. v. 13. dixit: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Et Salomon Prov. 3. v. 11. inquit: *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cùm ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Et Sanctus Job cap. 5. inquit: *Beatus homo, qui corripitur à Domino.* Et per Hierem. cap. 30 ait Dominus: *Caſtigo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius.* Atque in 2. Mach. cap. 6. v. 13. Spiritu Sancto dictante ſcriptum eſt: *Etenim multo tempore non ſinere peccatores ex ſententia agere, ſed ſtatim ultiones adhibere, magni beneficij eſt indicium.* Eſtque manifeſtum reprobationis ſignum, quando homines graviter peccant, & tamen in hac vita à Deo non puniuntur; cùm enim Deus ſit ſummê juſtus, nullum peccatum relinquit

linquit omnino impunitum. Unde si in hac vita non punit ut pater ad correctionem, puniet in alia ut judex ad vindictam, & exterminationem. Unde de reprobis loquens Deus per os Davidis Psalm. 80. inquit: *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Et similiter Paulus ad Hebr. 12. *Si extra disciplinam estis, ergo adulteri, & non filij estis.* Quare Deum hîc non punire peccatores, licèt videatur miseratio, est maxima indignatio, ut ponderat Bernardus serm. 42. in Cant. expendens verba illa Isaiæ cap. 26. num. 10. *Misereamur impio, & non discet justitiam: in terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Audi Bernardum: *Misericordiam hanc ego nolo: super omnem iram miseratio ista, sepiens mihi vias justitiæ. Satiùs profectò mihi, juxta Prophetæ consilium, apprehendere disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & peream de via justa: volo irascaris mihi pater misericordiarnm, sed illâ irâ, quâ corrigis devium, non quâ extrudis de via.* Hinc per Prophetam Ezechielem terribiliter minatur Deus cap. 16. v. 42. *Auferetur Zelus meus à te: & quiescam, nec irascar ampliùs.* Solo auditu contremisco, inquit Bernardus ibidem, postquam recitavit hæc verba: *Vides, quia tunc magis irascitur Deus, cùm non irascitur? Si te zelus deseruit, deseruit amor: & nec eris amore dignus, qui indign⁹ castigatione censeris.* Certè dum maritus uxorem zelat, & reprehendit; amat adhuc & secum retinet: cæterùm postquam illi libellum repudij concessit, nihil ampliùs de illa curat, nec propter adulterium castigat. Sic ergo se Deus gerit cum reprobis, quos hîc non castigat. Quod alia similitudine explicatur: nam quando medico spes affulget de futura infirmi salute, prohibet illi nocitura, quæ appetit; quando autem nihil infirmo vetat, sed omnia ejus voluntati permittit, jam res deplorata est. Sic ergo, &c.

Non ergo ideo debuit putare Mahumetus, se à Deo dilectum, quia in hac vita Deus illum non punivit, sed prosperitatem ei induisit; quia potiùs hinc evincitur, illum abominabilem coram Deo fuisse, siquidem in hac vita eum ut pater non correxit, in alia castigaturus, tanquam severissimus Judex. Ut enim 2. *Machab. cap. 6. v. 14.* de magnis, & cæcis peccatoribus dicitur, *Dominus patienter expectat, ut cùm judicij dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat.*

Nec gloriari possunt Mahumetani, quasi Deo placeant, quia prævalent Christianis, eósque sæpè opprimunt. Dei enim mos est, uti malis & infidelibus, ut instrumento, & tanquam virgâ ad flagellandum fideles, atque electos suos; correctis autem & castigatis filijs virgam illam projiciet in ignem. Ut constat ex verbis Dei per Isaiam cap. 10. *Væ Assur* (id est Regi Assiriorum) *Virga furoris mei, & baculus ipse est.* Utitur infidelibus, & peccatoribus tanquam malleo, & incude ad efformanda pretiosa vasa, quibus dona sua in æternum committat, & quæ in Cœli abaco reponantur. Id explicat optimè Michael de Medina lib. 2. de recta in Deum fide fol. 6. & 7. *Nullum certè populum tot tantísque afflictionibus oppressum accepimus,*

mus, quàm Israëliticum populum, cùm tamen utcunque inter omnes mortales Deum coleret: contrà verò nullis tam applausit fortuna, quàm profanis illis nationibus, Babiloniis, Assiriis, Ægyptiis, Philistinis, Romanis, &c. Admirandum profectò divinæ providentiæ consilium, ut cùm & vetere illo sæculo duos populos habuerit, idololatrarum unum, & veræ Religionis expertem; Religiosum alterum, suæque saltem cognitionis participem, illum tantâ rerum affluentiâ, tantóque bellorum successu, contrà hunc tantis, & internis, & externis cladibus, & calamitatibus fuerit prosecutus, ut cùm hic infœlix apud omnes finitimas gentes sit habitus, ille in toto orbe felicissimus judicari potuerit. Hoc profectò non alio consilio factum est, quàm quòd ad populi sui peccata coërcenda, satellitibus, non quibuscumque, sed summâ virium humanarum potentiâ præditis, Deus indigeat. Nec enim principes in vindictam malefactorum inermes, & imbelles ministros assumunt; sed ingenti illos, & hominum, & armorum potentiâ circundant, ut in peccatores, quantumvis potentes, intrepidi irruant. Non ergo infidelis populi felicitas & fortunæ applausus inde provenit, quòd eorum Religio sit vera, nostra contrà falsa, sed quòd velit populum suum in disciplina contineri, qua ratione virga furoris Assur, & exercitus Domini Romani vocantur quòd voluntatem ejus, quasi ministri justitiæ, exequendo perficiant. Inundante igitur peccatorum diluvio, necesse est ministrorum Dei potentiam excrescere. Atque id quidem, licèt totius aliquando populi fidelis peccatis contingat, potissimè vero Regum, & Præfectorum vivendi licentiâ provenire docemur: nunquam enim non est verum illud. Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Id non modò pessimorum Regum, Jeroboam, Achab, Ochoziæ, Joram, Achaz, Manassis, Hosiæ, Ieachim, &c. ingenti Israëlitici populi malo, docent Historiæ, sed non minùs atrocibus exemplis Ecclesiastici annales. Totum certè Ecclesiasticum Imperium, quod olim ab Occidente in Orientem, & à Septentrione in Meridiem extendebatur, Romanorum, & Constantinopolitanorum Principum tyrannis, & licentia vivendi perdidit, & infidelibus prodidit; Hispaniam nobilissimam Europæ Provinciam Vitigis, & Roderici Regum Gothorum criminosa vita, post enormem totius regionis vastitatem, Sarracenis tradidit.

Et sanè quòd hæc duo rectè cohæreant, nempe aliquem esse eximiè sanctum, & dilectum Deo, & tamen in hac vita multa perpeti temporalia mala; negare non potest Mahumetus, qui confitetur, Christum Dominum, & Beatam Mariam ejus Matrem homines fuisse sanctissimos, & omnis peccati expertes: constat enim, Christum Dominum à Judæis passum fuisse calumnias, persecutiones, ludibria, verbera, & mortem ignominiosissimam, & ejus Matrem gladio compassionis fuisse transfixam, & dum in Ægyptum fugit cum puero Jesu, multos sustinuisse labores: ergo stat optimè, populum Christianum esse Deo dilectum, & tamen multas temporales calamitates perpeti.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Error Alcorani contra providentiam Dei, permittentem homines fideles à diabolo tentari.

LXXXIII. Capite 21. Alcorani sic loquitur Mahumetus: *Impossibile diabolo, quidquam facere, nisi incredulis.* Hic est error manifestus contra Dei providentiam, quæ permittit, diabolum tentare fideles, justos, & sanctos. Sic permisit, ut tentaret Christum; ut enim inquit Matthæus cap. 4. *Jesus ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Quod de Spiritu Sancto intelligendum esse, probat Maldonatus, & Christus Dominus Luc. 22. vers. 31. dixit: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Hinc Christus docuit Discipulos suos Matth. 6. vers. 13. ut orarent, dicentes, *Ne nos inducas in tentationem*; postulando, vel ne nos permittat à diabolo tentari, vel ut nobis conferat gratiam, qua tentationem vincamus, & Matth. 6. v. 21. dixit: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Et Apostolus Petrus Epist. 1. cap. 5. fideles hortatur: *Sobrij estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Sanè Job, Vir Sanctissimus erat, & tamen diabolus multa illi intulit mala temporalia: & S. Antonium Abbatem, aliósque Sanctos Viros, permittente Deo ad majus ipsorum meritum varijs molestijs & plagis affecit. Quid quòd ipse Mahumetus in cap. 21. Alcorani narrat persecutiones, quas Joseph Patriarcha, quamvis justus, passus est: & dicit, Josephum in carcere detentum esse, quia suggerente diabolo, quando principem pincernarum rogavit, oblitus est nominare nomen Dei. Certúmque est, diabolum potissimùm suis tentationibus aggredi fideles, & justos, ut à recta salutis via avertens, ad infernum trahat. Et Christus Luc. 8. testatur, quosdam ad tempus credere, & in tempore tentationis recedere. Cùm enim vera fides sit primum salutis fundamentum, diabolus enixè conatur, homines à vera fide avertere, & ad falsam trahere. Et hinc clarissimum argumentum formatur ad probandam veritatem Christianæ Religionis, & falsitatem sectæ Mahumetanæ, quia diabolus homines tentat, né Christiani fiant, vel à fide Christi deficiant: nunquam autem Mauris persuadet, ut à sua secta discedant. Assumptum variis exemplis comprobari potest: insigne est illud Theophili Presbiteri, qui tempore Justiniani Imperatoris chirographum signatum diabolo tradidit: *Quo negabat Christum, ejúsque Matrem*; quia diabolus

ei promisit suam opem ad obtinendum Officium Ecclesiasticum, à quo per invidiam deturbatus fuerat, sub conditione, quòd Christum, ejúsque Matrem abjuraret. Quod exemplum habes in magno speculo exemplorum part. 1. dist. 14. exemplo 24. desumptum ex speculo historiali Vincentij lib. 21. cap. 69. & 70. Illud etiam celebre, quod legitur in vita S. Basilij in vitis Patrum, & habetur in eodem speculo magno exemplorum dist. 8. exemp. 80. de quodam juvene, qui ut nobilem Virginem Matrimonio sibi copularet, ad maleficum accessit, & ab illo instructus, diabolo scriptum fecit, in quo fatebatur, se Christo, & Baptismati, & Christianæ Religioni abrenuntiare: & sic Matrimonio illius virginis potitus est. Postea verò pœnitentiâ, & orationibus S. Basilij à Deo obtinuit, ut diabolus scriptum restitueret: & ab ejus insidijs liberatus est.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Confirmatur doctrina præcedens exemplo recenti Mahumetanæ fœminæ, quam à suscipiendo Baptismo dæmon ei apparens deterrebat.

LXXXIV. ANNO 1671. publicas conciones habuimus P. Joannes Gabriel Guillem, & ego ad Mahumetanos Xerâ, Gadibus, Portu Sanctæ Mariæ, Sanlucar de Barrameda, & alijs Civitatibus: non pauci in illis conversi sunt, solemníque pompâ Baptismus illis administratus est: Xera, & Gadibus in publico foro erectum est ingens tabulatum, in quo Catechumeni cum patrinis, & viris primatijs, tum Ecclesiasticis, tum Secularibus assidebant: in portu autem erectum est intra Templum. Gadibus Illustrissimus Episcopus Catechumenos Sacro fonte tinxit: Xera, & Sanlucar Vicarius Illustrissimi Archiepiscopi Hispalensis. Erat in portu pius, & nobilis Ecclesiasticus, qui habebat ancillam Mahumetanam, cujus conversionem ardenter desiderabat, & enixè à Deo postulabat: ejus pertinaciam in concionibus publicis expugnare non potuimus: bonus ejus herus suam sortem deplorabat, séque infelicem dicebat, quamdiu ejus ancilla Christi fidem non amplecteretur: illam ferventer sæpe allocutus est; cessit tandem hujus fœminæ obstinatio, & se Christianam esse velle palam professa est, cum ingenti domini sui consolatione. Dilatus est Baptismus solemnis per aliquod tempus, donec Catechumeni bene in rebus fidei instruerentur. Ut hanc instructionem perficerem, ego redii è Civitate de Sanlucar, in qua æstivo tempore ep anno commorati sumus, ad Portum Sanctæ Mariæ. Jam omnia parata erant ad solemnem

lemnem Baptiſmum: diabolus moleſtè ferens illius Mahumetanæ converſionem, quadam die, dum illa ſola exiſteret, in triclinio domini ſui ei ſub forma fœdiſſimi Æthiopis apparuit, & terribilibus oculis eam aſpiciens, minis terruit, & imperavit, ne Baptiſmum ſuſciperet; & quia dies ſolemnis appropinquabat, in quo Catechumeni abluendi erant, ut illa erubeſceret cum aliis ad Eccleſiam in ſolemni proceſſione procedere, illi forciculam obtulit, præcipiens, ut crines detonderet, ſperans fore, ut denudata capillis non auderet in publicum prodire: renuit illa; tunc diabolus ferociori vultu minas ingeminans ita illam terruit, ut horrore perculſa, & ingenti metu conſternata quaſi exanguis in terram corruerit: & ne formato Crucis ſigno illum fugaret, ita brachia ejus retro contorſit, & manus atque digitos ita inter ſe implicuit, ut nullâ humanâ induſtriâ id contingere potuerit. Advenit eâ tempeſtate herus; ancillam reperit humi jacentem, oculis ſcintillantem, & præ terrore fatiſcentem, brachia contorta habentem. & faciem pallore exangui contectam: monet, ut nomen Ieſu invocet, & ſigno Crucis ſe muniat, & cùm illa brachia movere non poſſet, devotus Sacerdos aquâ benedictâ eam aſpergens, & Dei opem implorans, brachia & manus ancillæ expedit, & illa ſignum Crucis formans, & nomen Ieſu, & B. Virginis invocans, in ſe redijt, & omnia, quæ acciderant, hero ſuo narravit. Indéque non parùm in fide confirmata eſt, & ardentiùs Baptiſmum deſideravit; ſic apud ſe diſcurrens: diabolus ſaluti hominum inſidiatur, & illos ad infernum ducere vult; ſi ergo à Religione Chriſtiana ſuſcipienda me vult amovere, ſignum eſt, quòd illa vera eſt, & certa ad Cœlum via. Sic confirmata alacriter Baptiſmum cum aliis triginta ſeptem in templo ſuſcepit.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Error Alcorani contra Dei iuſtitiam, & miſericordiam.

LXXXV. IN capite 28 Alcorani hæc habet Mahumetus: *Sciendum, neminem eſſe, qui non ad ignem, quoniam hoc Deus mandavit, proficiſcatur; ubi corporaliter etiam increduli perſeverabunt; timentes autem Deum ſalvabuntur.* Non loquitur Mahumetus indifferenter de igne Purgatorij, & de igne Inferni damnatorum, ſed determinatè de hoc, ad quem increduli deferuntur. Eſt autem error manifeſtus, & enormis, contra Dei juſtitiam, & miſericordiam, quòd omnes homines in ignem Inferni Deus proijciat; cùm plurimi juſti, & ſancti ex hac vita decedant, quos Deus in ignem damnatorum

non projjicit, sed in ignem Purgatorij, si in hac vita pro reatu suorum peccatorum plenè non satisfecerunt; vel in Cœlum statim eos evehit, & visione beatifica donat, si omnino purificati decedunt. Rursus certum est, pueros, qui in lege nova ante usum rationis cum Baptismo decedunt, statim ad Cœlum evolare, & pueros decedentes cum circumcisione in lege Veteri ante usum rationis in sinum Abrahæ deportatos esse, ubi nulla erat pœna ignis. Immò pueri decedentes cum solo originali non detruduntur in Infernum damnatorum, in quo pœna ignis urit, sed in Lymbum, in quo pœnam damni tantùm patiuntur; æquitas enim, & misericordia Dei non patitur, eos pœna acri ignis torqueri, qui propria voluntate nullum peccatum commiserunt. Et quamvis ex adultis homines justi in peccata venialia labantur, exploratum tamen est, multos ex hac vita ita puros decedere, ut statim in Cœlum volent. Sic enim S. Antonius Abbas animam S. Pauli primi Eremitæ vidit ab Angelis in Cœlum deferri, & S. Severinus animam S. Martini, & S. Benedictus animam S. Germani.

Rursus error est, eos, qui in Infernum semel labuntur damnatorum, inde unquam extrahendos: nam ex Sacris Litteris constat, pœnam Inferni nunquam finiendam, ut ex illo Isaiæ ultimo: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et ex illo Christi Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Et Marci 9. ter in uno orationis contextu docuit, pœnas Inferni esse perpetuas illis verbis: *Mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Idem constat ex Judith 6. & Eccl. 7. & Apocal. 14. & 19. & ex verbis Baptistæ Matth. 3. *Paleas autem comburet igne inexstinguibili.* Et Daniel 12. Sicut enim ad misericordiam, & justitiam remunerativam Dei pertinet, quòd merces bonorum sit æterna; ita pertinet ad justitiam punitivam Dei, quòd pœna impiorum sit æterna: cùm enim animæ sint immortales, & tempus viæ sit finitum, duratio præmij & pœnæ debet esse æterna; ubi enim locus non est merendi, & demerendi, debet esse locus, vel præmium accipiendi, vel pœnam subeundi.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Quomodo Mahumetani fabulentur, Mauros ab Inferno extrahi.

LXXXVI. EXistimant cæci Arabes, animas suorum defunctorum ab inferno extrahi; quia postquam corpora defunctorum humata sunt, elargiuntur Alfaquino suo, qui est veluti Parochus eorum, octo drachmas

drachmas eleemosynæ titulo, ut animam defuncti Deo commendet. Ille verò non aliud suffragium, nec aliud sacrificium pro illa offert, quàm legem Alcorani illis diebus legere; arbitrantur enim, tantùm valere apud Deum illam Alcorani lectionem, ut vi illius anima omnino mundetur; & Mahumetus illam ab inferno extrahere teneatur: quod illum præstare existimant, quia se coram Deo vultu tristi sistit; tunc verò ab illo Deus rogat: *Cur tristis es Mahumete? & ille respondet: quomodo tristis non sim, si in inferno est Maurus?* Tunc verò Deus Mahumeto. *Vade* (inquit) *& Maurum ab inferno educito:* Mahumetus verò accedens verticis crine apprehensum Maurum deducit ab orco, & secum in Paradisum vehit: & ideo Mahumetani in vertice pusillum comæ nutriunt, reliquâ abrasâ, ut illo extrahantur ab inferno. Quasi verò, vel anima crines habeat, vel Mahumetus in continuo futurus sit motu descensûs, & ascensûs; vel continuò simulaturus sit illam vultûs tristitiam. F. Antonius del Castillo in suo Itinerario Hierosolymitano lib. 3. cap. 3. affirmat, Hierosolymis supra portam *Auream* extare duo sacella, in quibus credunt Mauri, Christum, & Mahumetum futuros in die judicij, quando venerit Christus ad judicandum mundum; Mahumetum tamen futurum in sacello dextro. Dicunt insuper, Christum tunc dicturum Gentilibus. *Ite in infernum, quia fidem non habuistis*: Iudæis verò; *Ite in infernum, quia me voluistis occidere*: Christianis; *Ite in infernum, quia vestram legem non observâstis*: denique Mahumetanis; *Ite in infernum, quia peccâstis.* Tunc verò Mahumetum rogaturum pro suis Mauris, & Christo dicturum: *Propter me & mei amorem isti in infernum mittendi non sunt; si autem eos illuc miseris, amici non erimus:* Christum verò his precibus exoratum, responsurum: *Propter Mahumetum omnes Mauri in Cælum eant.* Tunc autem Mahumetum convertendum esse in magnum caprum, lanæ vellere contectum; animas verò Maurorum convertendas in pulices, & insinuatas velleri illi deportandas à Mahumeto in Paradisum. Quis hanc fabulam audiens, risum teneat?

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Perniciosus alius Alcorani error contra Dei Iustitiam, affirmantis, homines per confessionem Mahumetanæ sectæ sine bonis operibus, & cum magnis criminibus fore salvandos.

LXXXVII. *M**Ahumetus in Alcorano* (ut testatur S. Petrus Paschasius num. 135. & num. 153.) *Mauros de sua propria salute certos, & securos reddit,*

reddit, si in mortis hora in unum crediderunt Deum, & quòd Mahumetus sit ejus nuntius. Asseritque, quòd, quamvis in die judicij in una stateræ lance ponantur innumera, & gravissima peccata, si tamen in alia reponatur fragmen papiri, longitudinem atque latitudinem digiti non excedentis, in quo scripta sint hæc verba: *Leylehe illa, Alla, Mahomad, Arraculu, Alla,* hoc est, *non est nisi unus Deus, & Mahumetus est ejus nuntius, & Propheta*: statim hæc pars alteri præponderabit.

Sed hic est error manifestus contra Dei justitiam; quis enim non videat, æquum non esse, ut Dominus servum rebellem, & inobedientem non minore præmio afficiat, quàm servum obedientem? Certè si aliquis famulus erga herum suum hoc modo se gereret, ut palam fateretur: *Agnosco te esse Dominum meum legitimum, nolo tamen mandatis tuis obedire*; is dignus supplicio foret: ergo dignus supplicio est, qui credit in Deum, & tamen, quod Deus præcipit, opere exequi non vult. Unde Christus Dominus Matth. 7. vers. 21. verissimè pronuntiavit, *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum.* Quia ut inquit Apostolus Jacobus cap. 2. 26. *Fides sine operibus mortua est*: ac proinde animam in vitam æternam ducere nequit.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Errores alii Alcorani contra lumen rationis.

LXXXVIII. MAHUMETUS ut supra vidimus capit. 3. pagin. 63. docet: *Vnumquemque salvari in sua lege, Iudæos, Christianos, Turcas, &c.* Et docet, ultimam hominis felicitatem consistere in delectationibus gustûs & tactûs: & utrumque est error manifestus contra rationem; ut ibidem capit. 11. pagin. 126. ostendimus.

Sed nunc verba Alcorani proferamus: igitur in primo capite sic ait: *Sciendum generaliter, quoniam omnis rectè vivens, sive Christianus, sive Judæus, seu lege sua relicta in aliam tendens, indubitanter divinum assequatur amorem.* Quod perinde est, ac asserere, unumquemque salvari posse in quacunque lege, dummodo secundùm præcepta illius vitam instituat. Sed præterquam quòd hoc est contra evidentem luminis naturalis rationem, ut ibi demonstravimus, Mahumetus sibi ipsi apertè contradicit. Nam in tertio capite hæc habet in Dei persona: *Suam legem propter aliam mutans, & in ea manens, hîc, & in alio sæculo reus igne indeficiente peribit.* Et cap. 6. inquit: *Christiani volentes imitatores legis Mahumeti ad suam convertere legem, efficiunt eos, qui antea boni fuerunt, malos.* Alia adduximus suprà capit. 1. 379.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Error Mahumetanorum circa corpora & animas defunctorum.

LXXXIX. JOANNES Andreas sæpè citatus in suo libro contra Mahumetanos cap. 5. testatur, esse articulum fidei inter Mahumetanos, quòd statim, postquam corpus defuncti sepelitur, adveniunt ad ejus sepulcrum duo Angeli nigri, quos Arabícè vocant, *Munquiri*, *Guanequir*; altérque eorum affert secum clavam ferream, alter verò uncinum, & corpus illud in sepulchro sedere faciunt, vel geniculari; & corpus illud induit animam extrinsecus, sicut tunicam interiorem, seu subuculam induimus, cæterùm usque ad renes tantùm. Et statim Angeli illi interrogant, an credat in Mahumetum, ejúsque legem, seu an credat, Mahumetum esse Dei Prophetam, & ejus legem esse à Deo latam? an in hoc mundo bona opera fecerit? nimirum an fecerit Zalá (quod est preces quasdam ad Deum fundere) an jejunium *Romadam* observaverit, an decimas solverit, & eleemosynas dederit? Si bonam rationem reddit, abeunt inde Angeli nigri, & veniunt duo Angeli nive candidiores, qui corpori illi se comites adhibent, usque ad diem judicij, altérque eorum ipsius capiti, alter verò cruribus brachia supponit. Si verò malam rationem reddit defunctus, Angelus clavam tenens tanto impetu illud percutit, ut septem stadia descendere cogat; alter verò uncino ferreo statim extrahit: primus iterum percutit, & dejicit; secundus iterum extrahit, & sic vicissim descendere, & ascendere cogunt usque ad diem judicij.

Hac de causa sepulchra nimis profunda faciunt, & concava relinquunt, ea tegendo tabulis, vel lateribus, ne terra immediatè corpus tangat; & ut remaneat in tumulo spatium vacuum, ut defunctus possit sedere, vel genuflectere. Et eadem de causa pedes, & caput cadaveris soluta ab omni vinculo relinquunt, ut possit assurgere. Ob timorem Angeli malleatoris, & Angeli uncinatoris quotidie post Zalà primæ auroræ recitant orationem quandam, cujus substantia est hæc: *Libera nos Domine ab interrogatione duorum Angelorum, & à tormento sepulchri, & à via prava. Amen.*

Quis non rideat tam crassum, & fabulosum errorem? Nam si anima decedit in peccato, statim ad infernum detruditur, & non redit ad locum corporis, quousque in die judicij cum illo reuniatur. Si autem ab omni reatu li-

bera è corpore egreditur, ſtatim ad cælum convolat, & inde ad corpus non regreditur, quouſque illud glorioſum reddat. Rurſus quomodo vivificare poteſt corpus, prout oportet, ut tormenti capax ſit, ſi illud internè non informat, & solùm extrinſecus veſtit? Deinde cùm certum ſit, corpus in pulverem reverti, quomodo poteſt uſque ad diem judicij in ſepulchro illam pœnam pati, deſcendendi, & aſcendendi? Ut Mauri hunc errorem deponant, monendi ſunt, ut aperiant monumenta defunctorum, & comperient, ridiculam eſſe fabulam illam, quam credunt.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

Error Alcorani, affirmantis, diabolos credentes Mahumeto fuiſſe ab inferno liberatos.

XC. MAHUMETUS in Alcorano lib. 4. cap. 9. quod intitulatur *Elgam*, id eſt, de dæmonibus, affirmat, turmam quandam dæmonum audiviſſe quadam die ipſum Mahumetum legentem Alcoranum Mauris, & hac lectione maximè delectatos fuiſſe, quia animadverterunt, ſe poſſe ſalvari, ſi in Mahumetum crederent, & Mahumetani fierent: & ita factos fuiſſe Mahumetanos, & ab inferno liberatos eſſe. Hic eſt error manifeſtus contra Scripturas, ex quibus conſtat, pœnam dæmonum eſſe æternam, ut vidimus c. 23. & inde facilè evincitur, eſſe fabulam; quia ſi aliqui dæmones ab inferno liberati ſunt, quia crediderunt, Mahumetum eſſe Dei Prophetam, & ejus legem ſuſceperunt, citò infernus vacuus maneret; quia omnes dæmones, ut ab illis pœnis liberarentur, hoc ipſum facerent.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

Error Alcorani circa durationem inferni.

XCI. MAHUMETUS in Alcorano cap. 13. lib. 13. affirmat, infernum non duraturum ultra mille annos; eóque temporis ſpatio finito omnes damnatos ab inferno extrahendos. Qui etiam fuit error Origenis. Richoldus libro de Turcarum moribus cap. 12. affirmat, Mahumetanos exiſtimare, poſt diem judicij Mahumetum ob ſuam magnam authoritatem & potentiam educturum ab inferno omnes damnatos, cujuſcunque ſint conditionis. Sed hic eſt error manifeſtus contra Scripturas veteris, & novi Teſtamenti, ut conſtat ex cap. 23.

CAPUT TRIGESIMUM.

Error Alcorani contra Dei sanctitatem, & hominis libertatem.

XCII. MAHUMETUS in Alcorani cap. 34. docet, Deum ab æterno ita præfixisse, & prædeterminâsse, quidquid homines in tempore facturi sunt, ut liberum non sit homicidæ, homicidium vitare, nec adultero adulterium, quia omnia hominum opera ita subjacent Dei voluntati, ut nihil facere possit homo, nisi illud, ad quod fuerit à Deo destinatus fatali quadam necessitate. Quòd hoc sentiat Mahumetus, testatur Doct. Martinus de Vivaldo in eruditis glossis marginalibus, quibus illustravit librum, cui titulus, *Zelus Christi, contra Judæos, & Sarracenos*, compositum à Doct. Petro de Cavalleria: nam numero marginali 853. inquit: *Decimotertiò, Mahumetus tollit liberum arbitrium.* Ex hoc errore consequens est alius, quòd nimirum Deus homines ad peccandum impellat; quem errorem docuisse videtur Mahumetus in Alcorano Azorà, seu cap. 22. Nam ut testatur Æneas Silvius (postea Papa Pius Secundus) lib. 1. Epistolarum Epist. 396. hæc verba habentur in eo capite: *O Deus, quibus vis, bonam, & quibus vis, malam vitam præbes.* Et hoc ipsum testatur Theatrum vitæ humanæ tom. 1. fol. 5. & Catechism. Patriarch. lib. 1. Dialog. 15.

Et hunc errorem satis indicant Mahumetani; nam cùm eis dicimus: *Heus tu Amete, heus tu Haly, vis Christianus fieri?* Respondet: *Quando Deus voluerit.* Quasi dicant, jam à Deo statutum est, an futurus sim Christianus, an non. Si statutum est, infallibiliter Christianus fiam. Si non est statutũ, infallibiliter non ero, quia Deus nõ volet, ut ego Christian⁹ sim; si autẽ Deus non vult, quomodo sine ejus voluntate ego potero Christianus fieri? Ut ego sim Christianus, requiritur, quòd Deus id velit: Deus autem non vult, ut modò sim Christianus, quia si vellet, quomodo ego possem non esse Christianus? Quòd si Deus non vult, ut ego modò convertar ad fidem Christi, quomodo ego potero velle, quod Deus non vult? Expectemus ergo, ut Deus velit me petere Baptismum, & tunc ego petam.

Hunc errorem renovavit Calvinus lib. 3. Institutionum cap. 21. §. 71. ubi ait: *Dicimus æterno & immutabili consilio Deum semel constituisse, quos olim assumere vellet in salutem, quos rursum exitio devovere.* Et cap. 23. §. 8. *Non dubitabo simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum esse, quod ille voluerit.* Contra hunc errorem agunt latè Doctores Catholici; est enim contra lumen rationis; quia, ut inquit August. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. *Quæcumque ista causa est voluntatis, si ei resi-*

resisti non potest, sine peccato ei ceditur: quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Et ut idem inquit lib. de duab. anim. capit. 12. *Peccati reum teneri quenquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est atque insaniæ.* Et ut ait idem S. Doct. in lib. de vera Religione cap. 14. *Tam certum, & omnibus manifestum est, neminem peccare, in eo, quod necessitate facit, ut nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Et lib. de duab. animab. contra Manichæos sic scribit: *Nonne hoc cantant, & in montibus pastores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanū?*

Idque constat manifestissimè ex Sacris Litteris, ut ex illo Eccles. 15. v. 14. *Nam Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Unde Dominus Caino Gen. 4. 7. *Nonne si bene egeris recipies, sin autē malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sub te erit appetitus ejus* (peccati scilicet) *& tu dominaberis illius* (appetitûs scilicet, quo ad peccatum propendes, & allicеris.) Et Deut. 15. *Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum, &c.* Et infrà: *Testes hodie invoco Cœlum, & terram, quòd proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, ut vivas, & diligas Dominum Deum tuum.* Et Josue 24. v. 15. *Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie, quod placet.* Et 2. Reg. 24. 12. *Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex ijs, ut faciam tibi.* Et Eccl. 31. *Erit illi gloria æterna, quia potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Et Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Estque impium, & blasphemum, Deum facere Authorem peccati: ut enim inquit David Psal. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Et ibidem. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Et Sapient. 14. 9. *Similiter autem odio est impius, & impietas ejus.* Et Hieron. 19. 5. *Ædificaverunt excelsa Baalim, quæ non præcepit, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Evidentíque ratione concluditur, Deum non esse Authorem peccati: nam cùm Deus dicat, *Non machaberis, non occides, non furtum facies*; nequit velle, ut homines mæchentur, furentur, & occidant; sic enim vellet, ut agerent contra ejus voluntatem, & sibi ipsi repugnaret. Impossibiléque est, ut Deus efficaciter velit, homines facere id, quod seriò prohibet ab hominibus fieri: at prohibet peccata fieri ab hominibus: ergo non vult efficaciter, ut homines peccata faciant. Tertiò quia impossibile est, ut homo peccet, dum adimplet Dei voluntatem, & id facit, quod Deus vult efficaciter, ut homo faciat. Quartò, quia Deus nequit ad infernum detrudere homines, quia fecerunt ejus voluntatem; hoc autem contingeret, si Deus homines suo decreto efficaci antecedenti adigeret ad peccandum. Quintò, quia Deus nequit hominem damnare, quia non fecit aliquid impossibile: impossibile autem est, hominem vitare peccatum, ad quod perpe-

perpetrandum à Deo necessitatur: & certum est, Deum damnare hominem, quia peccavit: ergo certum est, hominem non necessitari à Deo ad peccandũ.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

Quomodo perurgendi sint Mahumetani, qui interroganti, quando convertendi sunt ad fidem Christianam? Respondent Quando Deus voluerit. *Ubi exemplis, & aptis similitudinibus explicatur, prædestinationem, & præscientiam Dei non auferre nostram libertatem.*

XCIII. Cum in hac responsione supponant errorem illum nuper relatum, urgendi sunt exemplo lepidissimo, quod ex Cæsario refert Becanus in Manuali controversiarum lib. 3. cap. 4. num. 4. ut convellat perniciosissimum dilemma, quo homines perditi, sequentes errorem Calvini, de decreto divino antecedente, adigente homines, vel ad bona opera, vel ad prava, miserè cruciantur, & in desperationem aguntur; sic enim discurrunt: *Vel ab æterno sum prædestinatus, vel reprobatus:* si prædestinatus, necessariò salvabor, etiamsi pessimè vixero; si reprobatus, necessariò damnabor, etiamsi velim bene vivere. Quo dilemmate miserè cruciantur miseri, dum se expedire nequeunt: & refert Augustinus lib. de bono persever. cap. 15. quendam Monachum sui Monasterij eò fuisse adductũ hac argumentatione, ut tandem desertâ vitâ religiosâ ad seculi voluptates reversus sit, & perierit. Qui est fructus illius impiæ doctrinæ, quam cum Mahumeto sectatur Calvinus. Ut hoc perniciosum dilemma convellat Becanus, loco citato hoc exemplum refert.

XCIV. Ludovicus Landgravius, propter deploratam vivendi licentiam à Viris Religiosis correptus, ac graviter monitus, ut ad bonam frugem rediret, antequam inopina morte præveniretur; pro excusatione hoc adferebat: *Si prædestinatus sum, nulla peccata poterunt mihi regnum Cœlorum auferre: si reprobus, nulla bona opera conferre.* Item illud: *Cùm venerit dies mortis meæ, certò moriar: Illum nec bene vivendo potero extendere, nec malè vivendo prævenire.* Quid factum? Incidit in gravem morbum: Medicum ad se vocat. Is, ut erat vir prudens, & verborum Landgravij memor: Domine mi, inquit, frustra me vocas. Nam si venit hora mortis tuæ, certò morieris, nec possum te juvare. Si non venit, non indiges mea ope. Quid ita verò, ait Landgravius? Quin juva me, antequam mors adrepat. Tum Medicus: si putas vitam corporis conservari posse, adhibitâ medicinâ; cur similiter non credis, vitam animæ juvari posse pœnitentiâ & contritione? Hoc verbo vicit Medicus, & Landgravio persuasit.

Ratio verò est, quia cùm Deus velit

omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nullum hominẽ efficaciter destinat ad pœnas inferni, nisi sub conditione, quòd homo ipse contra Dei voluntatem malè operetur, & divina transgrediatur præcepta; unde nunquam habet decretum absolutum & efficax, damnandi & detrudendi ad flammam æternam ignis, quousque ex altissima æternitatis suæ specula videat, hominem pro suo libito, & contra Dei voluntatem peccaturum, & vitam finiturum in peccato: unde non ideo malus est homo, & perseverat in peccato, quia Deus voluit illum damnare; sed potiùs ideo voluit illum damnare, quia prævidit, malum ex propria electione futurum, & perseveraturum in peccato.

Et dum Deus prædestinat ad coronam gloriæ, non destinat ad finem sine medijs, sed ordinat hominem ad finem gloriæ per medium bonorum operum, quæ relinquit in hominis potestate, & præcipit, ut homo illa bona opera exerceat, quando habet potestatem non exercendi. Unde homo sic discurrere debet: si prædestinatus sum, id est, si à Deo ordinatus sum ad vitam æternam, per certa media, quæ in mea sunt potestate, consequendam, gloriam consequar, si illa media adhibuerim: si autem non adhibuerim, non consequar, quia Deus non me destinavit ad gloriam, nisi ut consequendam medio exercitio bonorum, quæ relinquit in mea potestate. Si sum reprobatus, id est, si à Deo ordinatus sum ad infernum propter mea peccata, quæ liberè commissurus sum, certò damnabor, si illa peccata commitam: unde ad vitandam damnationem unicum medium est, vitare peccata. Quia cùm certissimum sit, Deum neminem sibi obedientem, & sua præcepta observantem, & in bono perseverantem damnare: & certum rursus sit, non damnaturum peccatorem, qui pœnitentiam in hac vita egerit, & perseveraverit in bono, certè si ego, ut possum, peccata nova evitem, & de præteritis pœnitentiam egero, non damnabor, sed salvus ero.

XCV. Id optimè explicat S. Vincentius Ferrerius, serm. de prædestinatione, qui habetur ad finem tomi tertij suorum operum pag. mihi 531. his verbis: *Omnes, quales sumus, sive prædestinati, sive præsciti, debemus conari ad bonam vitam perseverantem: Regula est Theologiæ, quòd quando Deus ordinavit aliquem finem, ordinavit etiam media ad illum finem, sine quibus non potest veniri ad illum finem. Etsiamsi non dixit, intelligitur, dixisse, ut patet, quia si Rex facit aliquem gubernatorem, intelligit, quòd faciat justitiam, etiamsi non ponat in mandamento, &c. Nota, quomodo salvandi scribuntur in libro prædestinationis, scilicet,* Salvabitur Joannes per innocentiam, Petrus per pœnitentiam, &c. *Ita quòd non solùm scribitur finis sive terminus, sed etiam via, sive medium, per quod, &c. Idem de præscitis. Et si Papa facit Episcopum; intelligitur, quòd sit Sacerdos, etiamsi non dixit. Idem in natura de pluvia per nubes, &c. Ita de prædestinatione. Ideo ibi est triplex defectus in illis, qui dicunt,* Quid me oportet operari? &c. *Primò est ignorantia, quia quando scribitur in libro prædestinationis*

tionis, Talis salvabitur, *ponitur etiam via, & medium per quod, quia per humilitatem, vel misericordiam, &c. Ideo respicere finem sine medio, est ignorantia, & talis deficit dicendo*: Quid me oportet laborare? *Immò certè oportet operari: alioquin auferres unam partem prædestinationis scilicet viam, & medium per quod, &c.* Ideo Greg. 1. Dialog. & ponitur 23. quæst. 4. cap. Obtineri: *Ipsa perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. Ideo si non vis ire ad infernum, remove viam, & medium, nempe peccatum, & non ibis*: Esaiæ 3. Væ impio in malum. *Secundus defectus: est stultitia, dicere*; Quid me oportet facere bonum? &c. *Nota qualiter scit Deus omnia futura; scit, si hodie prandebis, sicut si salvaberis. Si dicis, quid me oporteat parare cibum pro prandio? &c. Nullus facit argumentum de prandio, & arguit de anima. Idem, si est infirmus, quid me oportet vocare medicum? quia jam scit Deus, si ero curatus, &c. Si debes sanari, via est per medicinas, &c. Item, scit Deus, si hoc anno habebitis blandum (id est agrorum fructus) quid ergo oportet arare? &c. Responsio: quia illa est via. Item scit* Deus, *si Rex habebit victoriam de inimicis, quid oportet habere gentes armorum? Responsio: quia illa est via ad victoriam, &c. Tertius defectus est error maximus. Unde negare Trinitatem, error est contra unum articulum solum, & sic de alijs: sed dicere, quòd prædestinati non debent facere bona opera, est error contra omnes articulos, quos destruit: v. g. quare Deus voluit incarnari? Respondeo, ut homines ascenderent in Cœlum. Et numquid sciebat* Deus, *an homines salvarentur. Quid oportebat, ipsum incarnari? Et sic de alijs. Item de quo servit fides, Baptismus? &c. Quia ante ista Deus sciebat, qui essent salvandi, &c. Magnus est error, sumere finem sine medio. Modò ergo finalis conclusio est, ut dicit thema*, Manete in me, *scilicet per bonam vitam*, & ego in vobis, *per gratiam. Ideo* 2. Pet. 1. *Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Hactenus Sanctus Vincentius.

XCVI. Est ergo stulta illa responsio Mahumetanorum, *Vel Deus statuit, ut ego sim Christianus, vel non, &c.* Deus enim statuit, ut tu sis Christianus, si tu volueris admittere doctrinam fidei, illámque audire, & expendere: statuit, ut sis Christianus, si auferas impedimenta fidei Christianæ, nempe pluralitatem uxorum, & ritus Mahumetanos: & vult, ut admittas doctrinam fidei, quia in hunc finem sua admirabili providentia disposuit, ut captivus traheeris ad terras Christanorum, & ut tibi fides vera annuntiaretur: in hunc finem sæpè internè te vocat, ut jugum Christi suscipias. Deus non trahit homines ad fidem necessitando, sed suadendo, & alliciendo; tibi autem suadet, ut Christianus fias; quia tibi proponit rationes efficaciter persuadentes,

Fidem Christi esse veram, & sectam Mahumeti esse falsam: & voluntas manifesta Dei est, quòd homines deserant fidem falsam & amplectantur veram: sicut voluntas Dei est, quòd homines non furentur, non mæchentur, non injuriâ afficiant proximos. Unde sicut stultum esset, dicere: *Si Deus vellet, ut ego non furarer, ego furtum non fecissem*: ita stultum est, dicere, si voluntas Dei esset, ut ego Christianus sim, ego Christianus fierem. Constat enim, homines per Dei voluntatem non semper efficaciter trahi ad id, quod Deus vult; quia voluntas Dei est, ut homines à vitijs abstineant, & virtutem sectentur, & tamen frequenter à vitijs non abstinent, nec virtutem sectantur. Et ratio est, quia Deus vult, ut homines hæc opera liberè exerceant, illósque relinquit in manu consilij sui, & ideo ipsi sæpissimè Dei voluntati resistunt, sicut Stephanus dixit Judæis: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Unde sicut stultè responderet Maurus fur, & adulter, si interroganti: *Quando desines furari & adulterari:* Responderet: *Quando Deus voluerit.* Ita stultè mihi interroganti; *Quando convertendus es?* Respondes: *Quando Dèus voluerit.* Jam enim Deus vult, ut convertaris ad Christum, & suam voluntatem tibi exponit per lumen rationis, quo cognoscis, sectam Mahumetanam esse falsam, & Religionem Christianam esse veram: Deus tamen te non cogit, neque tibi necessitatem infert; quia vult, ut convertaris liberè & cum merito; tu autem huic voluntati Dei resistis, dum non vis relinquere sectam Mahumetanam; sicut resistis voluntati Dei, dum non vis deserere vitia.

XCVII. Quomodo autem scientia & prædestinatio Dei libertatem non tollat creaturæ, aptè explicabo hac similitudine, quâ utitur S. Vincentius Ferrerius in sermone illo de prædestinatione. Existit speculator in alta turri, unde intuetur duas vias, & exitus illarum; alteram initio asperam, sed securam; alteram initio delectabilem & planam, sed periculosam & latronibus plenam: ex illa specula detegit eos, qui tendunt per viam delectabilem & planam, quæ à sinistris est, tandem cadere in quoddam præcipitium: eos verò, qui tendunt per viam initio asperam, quæ est à dextris, tandem pervenire ad locum felicitate plenum. Desiderans verò, ut viatores omnes perveniant ad locum illum felicem, clamat è turri, Amici, viatores, deserite viam sinistram, & carpite dextram, quia sinistra, quæ delectabilis & plana est, ducit ad præcipitium & mortem; dextra verò, quamvis aspera appareat, ducit ad locum felicem. Plerique verò ex viatoribus sinistram ingrediuntur, quia delectabilis & plana, & per illam gradiuntur; speculator verò ex altitudine turris intuetur eorum præcipitium. An in hoc casu visio speculatoris detegentis præcipitationem & perditionem eorum, qui gradiuntur per viam sinistram, est causa, cur illi præcipitentur? minimè. Neque enim ideo illi præcipitantur, quia speculator videt; sed potiùs speculator videt, quia illi præcipitantur. Unde potiùs illi sua voluntaria præcipitatione sunt causa, quòd speculator videat, & non è converso. Nec illa speculatoris visio illis libertatem adimit, sed qui præcipitantur, liberè præcipitantur, & quia

volunt: quia si viam dextram carperent, & illi insisterent, efficerent, ut speculator videret oppositum.

XCVIII. Sic ergo res se habet in nostro casu. Existit Deus in alta suæ æternitatis specula, unde omnia tanquam præsentia aspicit, quæ in tempore fiunt. Duæ sunt viæ: altera spatiosa & lata, quæ ducit ad perditionem; altera aspera, quæ ducit ad vitam. Clamat Deus per os Prophetarum, & Apostolorum, & per internas inspirationes: *Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram*. Isai. 30. 21. idest neque amore prosperitatis temporalis, neque timore adversitatis, deseratis viam rectam mandatorum Dei, quæ ducit ad vitam; omnibus hominibus præstat auxilia necessaria ad ambulandum per viam rectam, sed illi ob difficultatem viæ hujus arripiunt viam latam, per quam tendunt ad perditionem. Deus ex alta specula æternitatis infelicem eorum exitum prospicit: & tamen hac sua scientia non est causa, cur ipsi pereant, neque enim ideo illi præcipitantur, quia Deus videt, sed potiùs ideo Deus videt, quia illi præcipitantur. Ut enim inquit Hieronymus in caput 26. Hieremiæ, *non quia Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est, novit Deus, qui est præscius futurorum*. Et ut ait Origenes lib. 7. in Epistol. ad Romanos explicans illud, *quos præscivit*: *Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, scitur à Deo, antequam fiat*. Et ut loquitur Damascenus in Dialogo contra Manichæos pag. 562. *Prævidens Deus ea, quæ à nobis sponte futura erant; videlicet, quæ in nostra sunt potestate, virtutem dico & vitium, prædestinat ea, quæ non sunt in nostra potestate. Præscientia Dei vera est, & aliter quàm ipsa habet, res fieri nequit; sed ipsa non est causa, cur, quod futurum est, omnino fiat; sed quia hoc vel illud facturi sumus, ideo prænoscit: prænoscit autem multa, quæ ipsi non placent, sed horum causa non est*. Et ut ait Augustinus lib. 5. de civitate cap. 10. *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit, imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, ipsum peccaturm esse præscivit; qui si nolit, omnino non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit*. Et ita loquuntur alij Patres apud Fasolum tom. 2. pag. 47. & apud Lessium in opusculo de gratia efficaci cap. 3.

En ergo apertissimam rationem, cur prædestinatio divina, licèt infallibilis sit, non auferat nostram libertatem, quia prædestinatio secundùm Augustinum nihil aliud est, quàm *præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*; ac proinde duo includit, nempe voluntatem divinam conferentem ea beneficia & dona, quibus homines de facto liberantur ab æterno interitu, & vitam consequuntur æternam; & præscientiam, per quam Deus videt, quòd homines illis donis & beneficijs bene usuri sunt. Ex ijs duobus primum nequit auferre libertatem, quia Deus dat auxilia, & dona prævenientia, quæ necessitatem non inferunt, sed talis sunt naturæ, ut eis possit voluntas creata *dissentire, si velit, eáque abjicere*, ut definit Tridentinum:

vel *illis resistere*, ut definit Senonense Concilium; præscientia autem Dei, quâ prævidet, arbitrium creatum benè usurum illis donis, nequit officere libertati, quia non est causa nostri operis, sed potiùs nostum opus est causa illius præscientiæ. Neque enim ideo homo rectè operabitur, & perseverabit in bono, quia Deus scit; sed è contra ideo Deus scit, quia homo sic perseverabit.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

Demonstratur, Alcoranum non esse testimonium Dei, quia fabulis ridiculis plenum est.

XCIX. ASSUMPTUM probatur primò, ex dictis in toto capite præcedenti. Secundò, ex dictis cap. 1. Tertiò, quia teste Joanne Andrea cap. 8. sui libri, Mahumetus in Alcorano lib. 2. cap. 11. narrat, sibi Almedinæ commoranti apparuisse Angelum Gabrielem septuaginta alarum paribus instructû, secúmq; adduxisse brutum quoddam nive candidius, nomine *Alborach*, & jussisse, ut in illud conscenderet, brutum verò equitem admittere noluisse, nisi facta priùs sponsione, quòd ipsum in paradisum esset adducturus; Mahumetum verò ita spopondisse; & sic equum illum se facilem præbuisse; & confestim conscendisse; & Angelo dextrante pervenisse citissimè in Templum Sanctum Hierusalem; & ibi in occursum ejus processisse Prophetas omnes, illúmque tanquam maximum Dei Prophetam salutâsse; ad fores autem Templi appositam esse scalam, quæ cœlum contingebat: & per eam conscendisse ad primum cœlum, & post illud alios sex penetrâsse; primum cœlum esse argenteum, secundum aureum, tertium, quartum, quintum, & sextum, ex varijs lapidibus pretiosis, septimum verò lucis; in primo cœlo stellas suspensas esse ex catenis aureis, & maximam illarum esse sicut montem, qui juxta Almedinam extat. In primo cœlo invenisse Adamum, qui eum arctè complexus est, & gratias Deo egit, quia talem filium ei donare dignatus est: in secundo invenisse Noë; in tertio Abrahamum: in quarto Josephum: in quinto Moysem: in sexto Joannem Baptistam: in septimo Christum. In omnibus his cœlis, affirmat, se vidisse varios Angelos diversis muneribus destinatos; sed specialiter narrat; se in septimo cœlo vidisse Angelum, qui septuaginta millia capita habeat; & in singulis capitibus septuaginta mille linguas, & singulis linguis septuaginta mille voces formabat, quibus Deum laudaret.

C. Deinde dicit, manente Angelo comite in septimo cœlo, se sine socio ad octavum cœlum ascendisse, & immensæ altitudinis juga superâsse, & invenisse nives, & pluvias, & jam præ nimio frigore penè defecisse; tunc verò audîsse vocem dicentem sibi: *Ampliùs appropniqua Mahumete, & creatorem tuum*

tuum saluta: hac autem voce confortatum prope Thronum Dei ascendisse, Deum verò manum suam super humeros ejus posuisse; illam verò ita frigidam fuisse, ut præ nimio frigore ejus contactum vix ferre posset. Hîc Deum magna ipsi secreta manifestâsse, & præcepta dedisse. Postea redijsse ad septimum cœlum; & Angelum, qui eum comitabatur, eum duxisse ad videndum paradisum, quem Deus Mauris præparaverat. Hæc deliria referre sufficiat, quia illa quivis poterit impugnare.

Quartò, teste eodem Joanne Andrea in capite 5. sui libri 1. Mahumetus lib. 3. cap. 9. (secundùm Alcoranum, qui legitur sine distinctione librorum, est caput 36.) narrat, Salomonem cum exercitibus suis tum hominum, tum avium pervenisse propè *fluvium formicarum.* Et cùm adhuc per leucam distaret, audivisse vocem cujusdam formicæ, quæ cæteris præcipiebat, ut se reciperent in antra sua, ne conculcarentur ab exercitu Salomonis. Et in illo itinere locutum fuisse cum upupa, quæ illi multa dixit de Regina Saba, & cum upupa illa epistolam misisse ad Reginam. Cùm verò scivisset, Reginam Sabà in occursum ipsius à sua curia jam processisse, dæmonem coëgisse, ut palatium ipsum Reginæ Saba in ictu oculi illuc transportaret; ídque dæmonem præstitisse, atque ita Reginam à Salomone in suo ipsius palatio fuisse exceptam, & propterea potentiam Salomonis fuisse admiratam.

Quintò, lib. 3. Alcorani cap. 14. (teste Joanne Andrea) affirmat, quòd Salomon habebat plures dæmones in ergastulo catenis & compedibus ligatos: & cùm morti appropinquavit, præcepit, ut cadaver suum unguentis condirent, & medicaminibus præservatum in Sella Regia collocarent, ut quasi vivus timeretur. Ita verò fuit executioni mandatum. Cæterùm in ipsius dexterâ virga apposita est, cujus extremitas terræ infixa erat: à qua egrediens vermis virgam corrosit; & sic Salomon in terram corruit; & hoc pacto dæmones cognoverunt, eum esse mortuum, & sic à pœnis liberati sunt.

Et cap. 43. Alcorani in persona Dei sic loquitur: *Davidi divitias abundanter contulimus, & montes ac aves illi parere fecimus, ferrúmque molliri præcepimus; ipsum quoque loricas bonas exinde texere jussimus. Salomoni quoque ventos, & pluvias vespere, ac mane parere fecimus, suæque manui mineralia auri, & diabolos opifices, ut illi pro velle suo aras & imagines, & paropsides ac amphoras fabricarent, subjecimus.* Hæc tamen fabulosa esse facilè constabit legenti libros Regum, & Paralipomenon.

CI. Item cap. 47. hæc habet: *Pharao jussit sibi ædificium usque ad cœlestium attactum portarum parari, ut sic Moysis Deum conspiceret.* Hæc & alia multa fabulosa habet in Alcorano, quæ libens omitto. Duas tamen historias vel potiùs ridiculas fabulas præterire non possum, quas Mahumetus scriptas reliquit, in responsione ad quasdam quæstiones, quas illi proposuerunt tres Rabini Judæorum, de quibus suprà mentionem feci cap. 1.

Inter

Inter has quæstiones una fuit, cur sepulchrum Moysis ignoretur? Ut huic responderet, sequentem fabulam composuit, & ijs verbis recitavit: *Moyses cùm solus per per desertum vagaretur, fortè sepulchrum apertum vacuúmque invenit, rectè ad quantitatem suam effossum: quod admirans cœpit ad propriam staturam metiri. Interea Angelus mortis venit ad interficiendum Moysem. Quem cùm cognovisset Moyses, quæsivit: ad quid venisti? Respondit: Missus sum pro anima tua. Cui Moyses, quomodo ergo putas eam eripere? Per os enim non poteris, quo locutus sum cum Domino; neque per aures, quibus vocem Dei audivi; neque per oculos, quibus faciem Dei vidi; neque per manus, quibus donum* Dei *recepi; neque per pedes, quibus montem Sinaí ascendi. His auditis abijt Angelus* Domini, *formáque mutatâ, attulit pomum de paradiso, quod cùm olfaciendo porrigeret, recepit Moyses; cúmque naribus apponeret, arripuit eum Angelus per nares, per quas tanquam emungens, animam ejus extorsit; quo facto, mansit corpus ejus in sepulchro nunquam reperto.* Planum est, hæc ridicula, & fabulosa esse. Veritas constat ex capite ultimo Deuteronomij. Alia quæstio, seu interrogatio fuit: cur caro porcina edi non debeat? Ut huic interrogationi satisfaceret Mahumetus, sequentem fabulam contexuit: *Jesus Christus* (inquit) *dum rogaretur à Discipulis, ut modum arcæ Noë, habitúmque superstitis in eo generis humani exponeret, rogantes audiens, formulam ex luto inter manus suas confectam projecit humi, & ait: surge in nomine patris mei, & surrexit homo canus: cui Christus: tu quis es? Respondit: Ego sum Japhet filius Noë. Cui Jesus; itáne canus mortuus es? Respondit: Nequaquam, sed in hac ipsa hora, putans me ad diem judicij surgere, metu canus effectus sum. Præcepit ergo Jesus Japhet, ut omnem historiam arcæ Discipulis rogantibus exponeret. Tunc ille rem omnem à primordio narrans, pervenit ad locum, ubi cùm domus secessûs pondere, inquit, egestionis arcam inclinaret, timuimus valde. Consuluit itaque Pater Noë Deum: cui Deus; adduc, inquit, elephantem, & verte posteriora dorsi ejus super locum, & fecit sic. At ubi elephas fimum suum hominum egestioni injecit, surrexit sus grandis: qua cùm massam omnem disperderet, conceptum insuetis naribus edidit murem: qui cùm tabulas roderet, consulto Domino, percussit Pater Noë illico leonem in fronte: percussus leo concitatus, flamine anxio catum naribus ejecit. Satísne ergo videtur causa, Abdia, vitandi animal immundum?* Hucusque Mahumetus; qui similes fabulas, & ineptias adhibuit in responsione ad multas alias interrogationes, quas Judæus Abdias, & alij duo Rabini ei proposuerunt.



CA-

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

Ostenditur, legem Mahumeti non esse à Deo, quia lex Domini convertens, à quo procul abest lex Mahumeti.

CII. CUM finis legis Dei sit, animas ad Deum ducere, & veram sanctitatem procurare, qua anima conjungitur Deo, illíque placet; nequit esse lex divina illa, quæ vitia non cohibet, & virtutes promovet, & media ad generandam veram sanctitatem non habet. Talem autem esse legem Mahumeti, facile est probare ex dictis, cùm illa proponat, tanquam articulos fidei, & veritates salutares, mille errores, & præcipiat, vel consulat, vel saltem ut licita permittat multa fœda & illicita, & hominum corda sursum non elevet, sed potiùs rebus terrenis, & delectationibus corporis, & bonis sensibilibus immergat. Sed nunc breviter hoc ipsum ostendendum est, tum à posteriori, tum à priori. A posteriori quidem, quia nullus fuit unquam inter Mahumetanos homo verè sanctus, cuius sanctitatem Deus mundo ostenderit per signa illa & virtutes, quibus in Ecclesia Christi in omni sæculo Deus multorum sanctitatem ostendit, tam virorum, quàm fœminarum. Hoc assumptum Christi prædicator amplificare poterit, in medium producendo ea, quæ sincerissimè & verissimè narrat Fr. Antonius del Castillo è Seraphica Familia, qui inter Turcas diu versatus est, in suo *devoto peregrino*, seu *itinerario* Hierosolymitano lib. 3. cap. 6. ubi describit vitam & mores eorum, quos Turcæ ut sanctos venerantur, & *Morabitos, Turlacos*, vel *Truncos* appellant.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

Quales sint Mahumetanorum sancti.

CIII. EST doctrina inter Mahumetanos recepta, homines jejunando, eleemosynas largiendo, à delectationibus carnis abstinendo, & pœnitentiam agendo initio vitæ suæ, tandem adquirere naturam Angelicam, & impeccabiles reddi, & in præmium vitæ anteactæ posse jam, quidquid libuerit, deinceps facere, & quamcunque delectationem capere. Audiamus Thomam Bozium tom. 1. de signis Ecclesiæ lib. duodecimo cap. 20. pag. mihi 543. ubi hæc scribit: Est inter Turcas quorundam, qui religiosissimi habentur, secta; Vocantur hi Turlachi. Mos est istis, palam per obscœni-

tatem spurcissimam coire cum quibusvis, ipsis etiam belluis, præcipuè verò cum asinabus, quibus ipsi vehuntur; & quò fidentiùs hæc ij perpetrârint, eò sanctiores existimantur. Id ego, si in uno, aut altero scriptore legissem, nullo modo inducere in animum possem, ut crederem: sed omnes, qui Turcarum mores latiùs describunt, id constantissimè affirmant: in his Joannes Antonius Menauinus Genuensis, Theodorus Spanduginus Cantacuzenus, Bellonus Gallus, Joannes Leo Africanus; qui quidem è Mahumetanorum sanguine ortus, Mahumetíque diu addictus, cùm fuisset à nostris captus, Románque Leone X. Sedente adductus, Christo se dedidit, & Africæ descriptionem, moresque suæ Gentis proprio libro diligentissimè notatos nobis reliquit. Adijcit hic aliud longè obscœnissimum, solitos hujusmodi homines, ubi eos impetus libidinis arripuerit, violare mulieres obvias, quas posuerint in mediis viis, nisi obstiterint illæ, præ naturali, qui reliquus est humanæ menti, pudore. Quod verò est insanissimæ mentis, & ad præsens argumentum spectat, tanta superstitione defixi populi tenentur, ut credant, hos homines divinissimos; mulieres verò, quæ compressæ fuerint ab istis, ex hoc facto quasi consecratas, ac sanctiores effectas. Secundum sit illud: Siquis inter Mahumetanos, ac præcipuè Turcas, inciderit in amentiam, ac mentis stuporem, pro sancto habetur, & honore præcipuo, cœlestíque à cunctis colitur, quamvis furiosos ipsi constringant, & cædant. Refert idem Joannes Leo, à Rege Tunetano exædificatas fuisse non ignobiles ædes, bonáque assignata satis opulenta stupido cuidam; unde alebantur illius sectatores, & cognati multi. Ex his judicare possumus reliqua istorum. Qui vult legere ridenda multa ad hoc pertinentia, videat itinerarium Ludovici Barthenæ cap. 5. & seq. lib. 2.

CIV. Addit Joannes Leo Africanus lib. 3. Historiæ Africanæ cap. 43. se vidisse unum ex his Morabitis, seu Turlachis publicè aggredi in platea Babyloniæ, seu Cayri fœminam nobilem, egredientem ex balneo, & cum illa coram omnibus coivisse: peracto autem turpissimo concubitu, statim certatim omnes confluxisse ad tangendas in venerationis signum vestes illius fœminæ, quas jam sacras arbitrabantur; maritum verò illius, re cognita, mille gratias egisse Deo ob felicem sortem suam: & ad manifestandam cordis sui lætitiam publicum parâsse convivium, fortunatum se existimans, quia Propheta Mahumetus sub specie delectationis capiendæ uxorem suam divinis voluit sanctificare favoribus. Idémque testatur Fr. Antonius del Castillo. Persuasum enim habent cœci isti homines, Prophetam Mahumetum hos turpissimos congressus inspirare illis Morabitis, ut quasi nomine illius, & personam ipsius agentes commisceantur fœminis, ut illis ipsarúmque domui insignia conferat beneficia: & hinc oritur, quòd mulieres illas à Morabitis cognitas ut rem sacram, & à Mahumeto sanctificatam, venerentur.

Quis non videat, turpissimam, & abomi-

abominandam esse legem, quæ tales fructus producit, animásque non ad Deum convertere, sed in bestias transformare? Conferat hîc Christi prædicator puritatem Religionis Christianæ cum hac impuritate, & in medium proferat vitam & gesta eorum, quos Sancta Ecclesia, ut Sanctos colit: discurrat per singula sæcula, & breviter enumeret celebriores sanctos, qui in singulis floruerunt, ut Mahumetani oculos aperiant & lucem veritatis videant. Ut autem præ oculis habeat sanctos famosiores, qui singulis sæculis floruerunt, legat Cardinalem Bellarminum in tomo concionum S. 6. de fide, ubi breviter & dilucidè eos proponit: & Patrem Franciscum Arias nostræ Societatis tom. 1. de Imitat. Christi, tract. 5. à cap. 23. usque ad 37. ubi copiosè & eruditè rem tractat.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

Ostenditur, legem Mahumeti carere mediis perveniendi ad sanctitatem. Et primò de Maurorum Zalà, seu oratione.

CV. MIRUM non est, quòd lex ista homines non ducat ad sanctitatem, quia cùm sanctitas à Deo provenire debeat, medijs instrumentis ab ipso designatis, & ad generandam sanctitatem aptis, eiusmodi instrumentis carent. Universale instrumentum est oratio, & obsecratio (qua à Deo aliquid petimus ob ejus misericordiam, & ob Christi merita) ut enim inquit Chrysostomus lib. 1. de orando Deo, *Oratio* est instar clavis cujusdam, per quam omnes Dei thesauros possumus aperire, & ex illis accipere, quidquid nobis commodum videtur ad æternam salutem consequendam. Et ideo Christus *Matth.* 7. & *Luc.* 12. ad orationem homines hortatur dicens: *Et ego dico vobis, petite & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulsate & aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Quod Christus explicat similitudine ab humanis ductà: Si enim vos, cùm sitis mali, nôstis bona data (quæ non à vobis habetis, sed aliunde accepistis) dare filijs vestris, quantò magìs Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.*

Hoc instrumento universali ad omnia saluti opportuna facilè obtinenda carent Mahumetani: etsi enim sæpe repetant formulam orandi, quam *Zalà* vocant, in ea nihil petunt: dicunt enim solùm hæc verba: *Deus magnus est, & Mahumetus à dextris Dei existit. Benedictus sit Deus.* Quæ verba cum magnis cæremonijs proferunt, quandocumque faciunt *Zalà.* Faciem enim versus meridiem vertunt, ut testatus

ſtatur S. Petrus Paſchaſius num. 84. & jam oculos in cœlum attollunt, jam caput uſque ad terram demittunt; oculos utraque manu abſtergendo, & quaſi lingendo, & maxillas contrectando. Quinquies autem in die faciunt hanc orationem, ſeu *Zalà*; nimirum 1. primâ aurorâ. 2. *meridie*. 3. quaſi horâ quartâ poſt meridiem. 4. cùm ſol occidit. 5. horâ & dimidiâ à prima nocte. Habent etiam ſua roſaria ſatìs longa, quæ nimirum centum globulis conſtant; quæ percurrunt, & in ſingulis globulis hæc tantùm dicunt verba, *Biſmila*, id eſt, *nomen Dei*. Et hæc roſaria recitare, ſæpe repetendo illam vocem, *Biſmila*, ſeu *nomen Dei*, eſſe exiſtimant magnum ſuffragium ad extrahendas animas defunctorum ab inferno. Conferat Chriſti prædicator hanc formulam orandi cum formula orandi, qua Chriſtiani utuntur, dum orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam proferunt; & exponat petitiones ſeptem, quas Pater noſter continet, & preces, quas continet *Salve Regina*: atque laudes B. Virginis, quas continet ſalutatio Angelica, & ſalutarem petitionem: ut Mahumetani hæc inter ſe comparantes, veritatem agnoſcant.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

De Mahumetanorum lotionibus, & lavacris.

CVI. MAHUMETUS in Alcorano cap. 12. hæc habet: *Viri boni cùm oratum ſurrexeritis, facies veſtras, ac manus & brachia uſque ad cubitum, & pedes uſque ad tibias abluere, & capillos revolvendo abſtergere, & poſt coitum mulierum, vos balneari oportet. Infirmi autem & in itinere poſiti, ab egeſtu, aut mulierum coitu venientes, & aquam minimè reperientes, facies ſuas, & manus terræ mundæ pulvere tergant: Deus namque veſtram mundiciam diligit.* Idem repetit cap. 9. his verbis: *Poſt coitum, & egeſtionem, & antequam orent, abluantur, &c. Et ſi aqua non adſit, terræ mundæ pulvere, quaſi aquâ, tergendo mundentur.* Verùm hæc vana & ſuperſtitioſa eſſe, & à perfidis Judæis deſumpta, facile eſt probare: Deus enim mundiciem interiorem animæ præcipuè quærit, & hanc præcipit. Anima autem non inquinatur egeſtione, quæ opus naturale eſt, neque coitu cum uxore legitima, quando uxoratus ad conſortem accedit ex deſiderio prolis ad obſequium Dei educandæ, vel ex fine honeſto reddendi debitum, vel ſe liberandi à periculo incontinentiæ: ergo ſuperſtitioſè tunc præcipitur lotio illa. Si autem coitus ſit illicitus, macula, quam anima ex illo opere contraxit, non ablutione exteriori corporis, ſed animi contritione, & veniæ petitione, & fer-

& ferventi oratione ad Deum fusæ, obtinenda est. Unde Christus Matt. 15. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Quòd à Judæis illas ablutiones sumpserit Mahumetus, probari potest: nam ut Marcus testatur cap. 7. 3. *Pharisæi, & omnes Judæi, nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum. Et à foro (scilicet venientes) nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare baptismata calicum, & urceorum, & paramentorum, & lectorum, in quibus scilicet ad mensas accumbebant.* Quia enim in foro omne genus hominum versabatur, Judæi, & Gentiles, mundi & immundi; cùm ex foro redibant Judæi, se totos in aquam immergebant, ne quid in corpore immunditiæ remaneret; & omnia, quæ contrectaturi prandentes erant, ne eorum attrectatione, si fortè immunda essent, contaminarentur, priùs eluebant. Sed hæc tam crebra lavatio inutilis & superstitiosa erat, & tempus ad alia utiliora consumebat.

Diabolúsque miseros Mahumetanos decipit, dum eis persuadet, eis ablutionibus animam lavari à maculis peccatorum; cùm tamen ad hoc nullam virtutem habeant, sicut habet ablutio Baptismalis; nam Christus applicat meritum suæ Passionis Baptismo, & dum corpus exteriùs abluitur, Deus internè gratiam infundit virtute illorum verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* gratiâ illâ anima emundatur à sordibus culpæ. Conferat Christi minister vanitatem harum ablutionum, quibus utuntur Mahumetani, cum efficacia, quam habent ad mutanda corda hominum Sacramenta à Christo instituta; & in hunc scopum legat P. Franciscum Arias tom. 1. de Imitatione Christi, tract. 5. cap. 49. & 50. ubi appositissima narrat exempla ad hanc rem persuadendam.

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

De Mahumetanorum Ieiunio.

CVII. MAhumetus in Alcorano capite secundo ita loquitur: *Tota die jejunate, nocte jejunium solvite, & tunc comedentes & bibentes quantum libuerit, ferè usque ad principium horæ, quæ solis ortum antecedit.* Sanctus Petrus Paschasius, num. 85. de hoc jejunio loquens, inquit: *Mauri, statim ac dies lucescere cœpit, jejunare incipiunt, & nihil comedunt, neque bibunt, neque cum mulieribus coëunt; sed post solis occasum, cùm nox jam suas*

tenebras super terram fundere cœpit, comedunt, & bibunt, & cum mulieribus coëunt.

Habent autem jejunium continuatum per integrum mensem lunarem, quod *Ramadân* appellant. Non habet verò fixam anni stationem, sed jam uno, jam alio tempore incidit: & sæpè incidit in æstate, quando messes colliguntur: tantóque rigore illud observant, ut quamvis siti pereant, nec fauces quidem aquâ humectare liceat, quia si aliquis deprehenderetur jejunium solvisse, illicò suspenderetur.

Hoc tamen jejunandi præceptum à Deo non esse, neque aptum disponere homines ad sanctitatem, nec ex temperantia, sed ex superstitione procedere, facilè probatur; ut enim testantur Spanduginus, Cambinus, Nicolaus à Nicolais, ac Petrus Bellonus apud Bozium, tom. 1. de signis Ecclesiæ, signo 46. cap. 3. cùm Turcæ hæc jejunia agunt, licèt usque ad noctem cibum non gustent, tamen ubi advesperascit, sic insatiabili aviditate corripiuntur, ut totas noctes vorando, & bibendo consumant. Et ut scribunt viri Religiosi, qui diu inter Mauros captivi detenti sunt, postquam Mauri initio noctis voracissimè comedunt, sive ex piscibus, sive ex carnibus, & cubitum eunt; media nocte procedit per vicos homo, quasi publicus præco, clavam gerens, qui fores percutiens alta voce clamat: *Surgite Mauri ad comedendum, & bibendum, & gignendos filios contra Christianos.*

Et sanè cùm naturalis ratio dictet, ut de cibo & potu non plus sumatur, quàm utile sit naturæ ac expediens animæ ad bene agendum: & tota penè nocte ad libitum epulari valde gravet naturam, & animam impediat ab exercitijs virtuosis; lex ita comedendi post jejunium est divinæ atque naturali legi contraria. Secundò, quia cùm lex divina jubeat, ut sensualitas reprimatur, & sub rationis dominio servetur; nequit esse à Deo lex, quæ consulit, vel saltem tamquam licitum permittit, tot horis ad libitum comedere, & bibere, & sensualitati fræna laxare. Tertiò, quia cùm finis jejunij sit, vitia comprimere, passiones frænare, pro culpis præteritis satisfacere, mentem elevare, & ad contemplationem divinorum disponere, nequit Deum habere Authorem lex illa, quæ post jejunium licentiam præbet se ingurgitandi per totam noctem: quia hoc ipso ea admittit, quæ impediunt omnia illa bona, quæ per jejunium intenduntur.

Conferat Christi prædicator hoc jejunium cum jejunio Christianorum, & illam Mahumeti doctrinam cum doctrina Christi, sic præcipientis, Luc. 21. *Videte, ne graventur corda vestra crapulâ, vel ebrietate, aut curis huius sæculi.* Et Luc. 6. *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* Et cum doctrina Petri Epistola 1. cap. 2. sic monentis: *Charissimi, abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam.* Et Pauli, Roman. 8 dicentis: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

CAPUT

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

Concluditur ex dictis, quàm impudenter Mahumetus dixerit, suam legem esse supra omnes.

CVIII. IN cap. 18. Alcorani sic legitur: *Nuncium suum*, videlicet Mahumetum, *cum via recta, legéque bona Deus misit, ut ipsam manifestet, & super omnes leges extollat.* Verùm hoc esse mendacium impudenter confictum à Mahumeto, constat evidenter ex dictis in toto capite præcedenti; & ex dictis in his postremis capitibus constat, nullam ex conditionibus legis Domini convenire legi Mahometi. Hîc Christi prædicator facilè potest probare, omnes proprietates legis Dei, convenire cum summa perfectione legi Christianorum.

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

Quamvis Mahumetus in Alcorano dicat, sibi non esse datam potestatem faciendi miracula: tamen aliqua testibus carentia, in sui commendationem finxit.

CIX. IN capite 15. Alcorani introducitur Deus sic loquens cum Mahumeto: *Tu nequaquam ad incredulos cum manifestis Dei miraculis venies, quoniam ea velut otiosa atque contraria reputarent: Nisi sciremus, eos tibi non credituros, sicut nec aliis crediderunt, daremus tibi signa atque prodigia. Increduli, licèt omnes virtutes, omniáque Dei viderent miracula, numquam nisi tecum disputatione facta crederent: cùm dicant, hæc nequaquam fieri, nisi per prævias incantationes.* Hæc asturè confinxit Mahumetus, ut declinaret ignominiam, & dedecus, quod ex publica obmurmuratione Judæorum contra ipsum resultare ipsi poterat apud sui sectatores; palam enim Judæi obmurmurabant, Mahumetum non esse Prophetam, quia non habebat potestatem faciendi miracula, ut diximus, cap. 1.

Ut æstimationem tamen apud suos lucraretur, aliqua de se confinxit, quæ refert Joannes Andreas, cap. 10. sui operis contra Alcoranum: ne tamen de falsitate convinceretut, ea confinxit, quæ testes non habuerunt, vel quæ coram testibus jam mortuis narrabat facta.

I. Est illud de pectore sibi aperto, & guttâ nigrâ extractâ: de quo supra c. 5.

II. Quòd cùm esset septemdecim annorum, & camelos Domini sui duceret, Deus miraculosè illum protexit nube, ne à nimio solis ardore ureretur.

III. Quòd illum in spelunca sæpe Angelus Gabriel visitaverit.

IV. Quòd ipsum redeuntem ex colloquio cum Angelo, arbores, lapides, & aves salutabant.

V. Quòd cùm calore solis premeretur, vocavit arbores procul existentes, ut sibi umbram facerent; & illæ statim accurrerunt.

VI. Quòd se iter agente, & in contemplatione Dei absorpto, magnus truncus arboris per medium scissus est, ut pergenti viam præberet.

VII. Quòd cùm ab ipso patruus ejus, & alij (qui jam obierant, quando hoc primum narravit) postularent, ut coram ipsis miraculum faceret, lunam divisit, ut habes supra cap. 16.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

Miracula, quæ de Mahumeto narrant Sarraceni.

CIX. HÆc enumerat P. Cornelius à Lapide in *Caput XIII. Apocalyps. pag.* 218. Primum, quòd sine dolore prodierit ex utero Matris, circumcisus, & hilaris. Secundum, quòd in ejus natali omnia idola per totum orbem corruerint. Tertium, quòd Lucifer arreptus ab Angelis, tunc immersus sit in profundum maris. Quartum, quòd venti, aves, & nubes de ejus educatione decertârint. Quintum, quòd asina voce humana eum vocaverit *sigillum Prophetarum*. Sextum, quòd nubes atra semper, etiam cœlo sereno, ejus capiti incubuerit. Septimum, quòd lunam bipartito divisam conjunxerit, & compegerit: hinc Turcæ venerantur lunam, illámque in vexillis castris præferunt. Octavum, quòd Angelus sit ei locutus. Nonum, quòd arbor fici ab eo evocata, ei se humiliter inclinaverit. Decimum, quòd bos & agnus ei, tamquam maximo inter nuncios Dei, locuti sint. Quocirca asserunt, Mahumetis nomen fuisse ante mundi creationem in conspectu Dei; & quòd, nisi fuisset, nequaquam mundum condidisset.

LIBER

LIBER SEXTUS.

IN QVO TRADITVR PRAXIS, convertendi Mahumetanos, petita ab experientia Authoris, & designantur themata Concionum, & loca etiam ex toto opere, quibus expleri possint.

CAPUT PRIMUM.

Quantum expediat, publicas ad Mahumetanos Conciones habere.

I. IN PRIMIS utilissimum est, publicas Conciones ad Mahumetanos habere in urbibus, & oppidis, ubi illorum non est adeò exiguus numerus, ut sunt Malaca, Portus Sanctæ Mariæ, Gades, Hispalis, Xera, Calpe, S. Lucar de Barrameda, Velezmalaga, Granata, & alia oppida Bæticæ Provinciæ, item Matritum, & aliæ civitates maritimæ in Hispania prope mediterraneum. Harum concionum multiplex est fructus. 1. Ipsorum Mahumetanorum conversio, qui his sermonibus publicis non parùm commoventur, ut constat ex dictis in hoc tractatu: & sanè concurrente fidelium multitudine ad has conciones, ardens desiderium in ipsis excitatur de Mahumetanorum reductione, illámque à Deo enixè postulant, & sæpè obtinent.

Secundò, cùm multi sint occulti Judæi in magnis urbibus, ubi viget commercium, ut in civitatibus maritimis; & cùm non possimus directè conciones in Hispania habere contra Judæos, qui non nisi occulti & incogniti habitare in his regnis possunt, oportet, ut hæ conciones contra Mahumetanos publicè habeantur; nam ad illas venire non renuunt Judæi, & saltem curiositate ducti confluunt. Et cùm plurima ex argumentis, quæ contra Mahumetanos fiunt, militent contra perfidos Judæos; unâ operâ omnes convincuntur, & Christi minister sui titulo prædicandi Mahumetanis potest contra Judæos discursus & argumenta dirigere. Et ita ego præstiti Hispali, & maximè optavi, ut conciones istæ fierent in Ecclesia Cathedrali, vel propè illam, quia illuc sine nota, & sine incommodo concurrere poterant hujusmodi homines; inclementia tamen temporis coëgit anno præterito 1679. Ut conciones

nes incæptas ad januam Majoris templi, quæ meridiem respicit, prosequerer in Domo Professa Societatis Jesu, in qua anno 1672. habitæ fuerant conciones illæ, in quibus 38. Mahumetani Baptismum petierunt.

Tertiò, quia in magnis urbibus Indiarum commercio frequentatis degunt occulti non pauci hæretici, ut Hispali, Gadibus, Malacæ, & etiam Matriti, qui libenter ad has conciones audiendas veniunt; & occasione arrepta potest Catholicus concionator adversùs illos sermonem convertere, eósque argumentis premere. Id ego sæpè observavi, præsertim quando impugnabam illum Mahumetanorum errorem, quòd unusquisque possit in sua lege salvari: tunc enim converti sermonem contra Sectarios Calvinistas, & Lutheranos, fatentes, esse salutem in Ecclesia Catholica Romana. Item quando recensentur notæ, quibus manifestè comprobatur, Ecclesiam Christi esse veram Dei Ecclesiam, & sectam Mahumetanam esse Synagogam Satanæ, facile est, discursum dirigere contra hæreticos; nam signa veræ Ecclesiæ Christi in sola Catholica, & Romana Ecclesia repetiuntur. Item cùm ex depravatis Mahumeti moribus, & ex contradictionibus Alcorani falsitas Mahumetanæ sectæ detegitur, idem argumentum torquetur contra Sectarios Lutheranos, & Calvinistas. Et ita ego præstiti Malacæ, Gadibus, & Hispali.

Quartò, istæ conciones utilissimæ sunt ipsis Christianis Catholicis, ut in fide magìs radicentur, & crescente fidei fervore, & vivacitate, crescant reliquæ virtutes. Et in oris maritimis, unde quotidie Christiani à Mauris captivi abducuntur, est res ista maximè necessaria: quia plebei homines ignorantes motiva credibilitatis, quibus manifestè demonstratur, Religionem Christianam habere Deum Authorem, facilè à Mahumetanis seducuntur, & à Christo deficiunt. Unde Christiani Prædicatores deberent in ijs præcipuè locis populo expendere argumenta illa, quibus Christus suam Divinitatem probavit, & reliqua omnia, quæ in prima parte ego confeci. Utinam Oratores Christiani omissis discursibus alijs prorsus inutilibus, quos sæpe concionibus inserunt, quandoque populo Christiano exponerent argumenta illa, quibus evidentissimè demonstratur, Deum revelâsse mysteria Religionis Christianæ. Experientia me docuit, fideles maximam consolationem accipere ab ejusmodi concionibus, & intimè commoveri ad agendas Deo gratias pro beneficio Fidei Christianæ, sine qua impossibile est, Deo placere. Observavi ego non semel, aliquos fideles auditis ijs argumentis, quibus probavi Christi Domini divinitatem contra Mahumetanos, & Judæos, lachrymas continere non potuisse ob redundantiam spiritualis consolationis, quâ eorum animus reficiebatur.

II. Certè cùm in Domo Professa Societatis Jesu Matritensi anno 1670. conciones publicas ad Mahumetanos primùm habuimus, tanta erat has conciones audiendi aviditas, ut necessarium fuerit, fores templi & domûs prætoria cohorte cingere, ut aditus reservaretur

Magna-

Magnatibus, & Principibus fœminis. Et quamvis hæc diligentia prudenter præmissa fuerit; tamen multi Dynastæ vix potuerunt liberum ingressum invenire, & magno cum labore locum ad audiendum consecuti sunt. Inter Proceres primariæ sortis quidam, vir severæ frontis, & non modici supercilij, & qui signa tantæ affabilitatis exhibere non solebat, cùm prædicatorem audivit de Christi Divinitate disputantem, & evidentiam argumentorum expertus est, quibus Veritatem Religionis Christianæ ostendit; se continere non potuit, quin illum è pulpito revertentem ad cubiculum insequeretur; ipsúmque arctè complexus est, & gratias habuit pro concione tantæ utilitatis & consolationis.

III. Cùm primùm Hispali, anno 1672. ad Mahumetanos publicè verba fecimus in Domo Professa, quæ in meditullio civitatis sita est, necesse fuit, ob multitudinem auditorum eodem tempore simul in duobus locis prædicare: in Templo fœminis, viris autem in peristylio domus, quod amplissimum est, & quinque millia hominum capere potest, qui ex pavimento, & ex fenestris, & pergulis concionem audiebant. Contigit autem, ut, dum concio haberetur, non semel plueret; & quamvis per tegulas, & canales aqua supra auditores copiosè decideret, & concionator ab illis rogaret, ut loco illo decederent, quia periculum erat, ut aqua usque ad interiora penetraret, ab ipsis impetrare non potuit, ut locum illum desererent, nec ut paterentur, concionem interrumpi per aliquod temporis intervallum. Tantâ enim cum voluptate conciones illas audiebant, ut indignum judicarent, ob ullum temporale incommodum hoc bono privari.

Quintò, his utilitatibus accedit, quòd cùm fideles vident, aliquem ex Mahumetanis argumentis convictum, publicè Baptismum petere, lætitiam continere non possunt, Deum laudant, & ei ex intimo cordis affectu gratias agunt, quia cor illius infidelis tetigit, ab eo precantur, ut ei constantiam, & perseverantiam largiatur, illúmque arctè amplexantur, & alia charitatis signa ei exhibent; & multarum virtutum actus exercent: & hic publicus plausus, & conclamatio infideles accendit, & emollit, & fideles maximè consolatur. Id ego sæpissimè expertus sum, præsertim Malacæ, Hispali, Xeræ, Gadibus, Calpe, & Matriti.

Sextò, non exigua est utilitas, quòd his concionibus instruuntur Christiani perspicacis ingenij, & bono intellectu præditi, ut cum Mahumetanis servis possint de Religione disputare, & illos ad Christianismum adhortari, & veritatem Religionis Christianæ argumentis ostendere, quæ à concionatore audierunt. Ipsique Mahumetani, quamvis tunc non convertantur, ex concionibus colligunt fidei semina, quæ postea suo tempore fructum faciant; ut constat exemplo illo, quod narravi cap. 6. Et aliis duobus, quæ illi adjunxi eodem capit. & ex ijs, quæ ibi dixi cap. 10.

CAPUT SECUNDUM.

Quomodo Mahumetani convocandi sunt ad has conciones publicas audiendas.

IV. UT has conciones utiliter audiant, curandum est, ut non tam vi cogantur, quàm rationibus, & benevolentiæ signis adducantur: & ut libentes veniant, providendum imprimis illis est de pecunia, quam singulis diebus pendere solent dominis suis; cùm enim arceantur propter concionem ab operibus, in quibus mercedem diurnam lucrantur, quâ solvunt heris suis vectigal diurnum, de quo conventum est inter illos; debet aliunde merces illa compensari. Servi namque Africani plerumque pacisci solent cum heris suis, & quotidiè pendunt in tributum drachmas aliquas, donec libertatem acquirant; & tributum illud lucrantur sudore vultûs sui, & ex mercede diurna partem reservant ad propriam sustentationem, partem ad solvendum tributum dominis suis. Unde ut sine violentia ad conciones adducantur, vel heri remittere debent illius diei vectigal; vel illis donandum est, unde solvant. Libenter autem veniunt, si sciant, post concionem eis tribuendum esse tantum pecuniæ, quantum possent lucrari, vel onera portando, vel agros colendo, vel alio modo laborando. Unde optimus modus eos congregandi est, pecunias quærere, quibus solvant vectigal illius diei. Scientes enim, se tantundem lucraturos audiendo concionem, quantum lucrarentur tota die laborando, libenter accedent. Hoc modo usi sumus Hispali anno 1672. Nam quamvis primò Dominus Archiepiscopus in Paræcijs edictum publicari jusserit, quo monebat, ut heri suos servos & ancillas adducerent in Domum Professam Societatis, & hujus rei executionem impensè commendavisset Vicario Domini Assistentis, seu Proprætori, qui Ministros justitiæ distribuens per vicos, seu vicinitates civitatis eos cogeret in unum, postea tamen meliori inito consilio, epistolium scripsi ad Dominum Michaëlem de Mannara equitem Calatravensis militiæ, præstantis sanctimoniæ virum, & amore Dei, & zelo animarum flagrantem, qui Præfectus erat, vel Frater Major Sodalitatis *Charitatis,* quæ Hispalensi nobilitate constat; ferè sub hac forma: *Domine mi, Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet: nisi Charitas hoc munus suscipiat congregandi Mahumetanos, nihil agemus, quia barbari isti, si compellantur à Satellitibus Domini Assistentis, non lubentes, sed coacti audient; ac proinde sine fructu. Rogo ergo te, ut rem hanc commendes Sodalibus Charitatis.* His acceptis litteris, congregavit Sodales, & re

& re inter ipsos consulta, decretum est, ut hujus Sodalitatis equites inter se partirentur vicos, & Paræcias civitatis, & singuli curarent Mauros congregare, qui in suo vico, vel Paræcia degebant: Sodalitásque ipsa in se sumpsit onus solvendi Mahumetanis pretium illud, quod illi lucrari poterant; & in hoc insigni charitatis opere expendit sexcenta scuta, quia singulis Mahumetanis venientibus ad concionem, eâ finitâ, donabatur certa pecuniæ summa, unde ea die ali possent, & heris suis tributum solvere. Mirum est, qua diligentia, quo zelo, & charitatis ardore Dominus D. Michaël de Mannara & reliqui hujus nobilissimæ Sodalitatis alumni conversioni Maurorum operam navaverint. Eos secum adducebant ad concionem, non vi, sed amore, & in ipsa concione inter ipsos sedebant, & verbis ardentibus adhortabantur, ut Baptismum peterent; preces ad Deum fundebant, eleemosinas, jejunia, flagellationes, & alias mortificationes Domino offerebant pro eorum conversione. Et huic *Charitatis Hispalensis nobilitatis* insigni pietati debetur felix exitus harum concionum, in quibus quadraginta quatuor conversi sunt, quorum octo supra triginta una die solemniter baptizati sunt à Domino Archiepiscopo, & latè narratur in historica Relatione, quæ de hoc solemni Baptismo typis mandata est. Certè non alium solemniorem triumphum habuit unquam Hispalensis civitas, postquam à Sancto Ferdinando debellata est, quàm illum, quem illa die spectavit. Instituta est solemnis processio, in qua ducebantur triumphantium more catechumeni à Domo Professa Societatis in Ecclesiam Cathedralem, in qua erectum erat ingens theatrum in eo ipso loco, in quo in hebdomada sancta collocatur celebre illud *Monumentum*, quod omnibus admirationi est, ut in editiori loco administratus Baptismus posset ab omnibus spectari. Processionem præibat *Imago crucifixi*, quæ est insigne *Sodalitatis Charitatis* proprium: Sanctam Imaginem accensis cereis immediatè sequebantur triginta sex pauperes, quos Sancta Sodalitas vestivit: subinde catechumenos ipsos comitabantur Charitatis Sodales, qui trecentorum numerum implebant, & Religiosi Societatis; alij à dextris, alij à sinistris catechumenis associati. Et sic peractus est Baptismus ea pompa, & majestate, quæ in ea Relatione describitur.

V. Quantum Deo placuerit cura illa, quam Sancta Sodalitas Charitatis suscepit donandi Mauris pretium, quo tributum diurnum solverent, manifestavit eventus singularis, anno præterito 1679. in quo Missionem repetens in illa civitate, conciones quoque publicas ad Mahumetanos habui. Rogavi Dominum D. Michaëlem de Mannara, ut nunc eandem curam susciperet Sodalitas Charitatis circa Maurorum conversionem, quam priùs susceperat anno 1672. hoc munus libentissimè amplexa est: cæterùm cùm tota illa provincia annonæ penuriâ laboraret, siquidem trium librarum panis quinque drachmis emebatur: & Sodalitas Charitatis ingentem pecuniæ summam quotidie alendis pauperibus insumeret, non ha-

habebat Sancta Sodalitas, unde solveret denarios illos diurnos Mauris donandos: & re maturè inter Sodales deliberata, decretum est, non posse eleemosinas à fidelibus collatas ad pauperum sustentationem, & ægrotantium curationem, in alios usus quantumvis pios converti; & hujus decreti Author præcipuus fuit Dominus D. Michaël de Mannara; qui tandem conclusit, sibi ut Fratri Majori Sodalitatis incumbere onus, industriè quærendi pretium donandum Mauris. Sequenti die illum de hac re nihil cogitantem convenit civis Hispalensis, quem antea non noverat; qui in hunc modum eum allocutus est: hîc affero, Domine D. Michaël, mille scuta in eos pios usus expendenda, in quibus sancta Charitas solet eleemosinas sibi erogatas expendere. Tunc ille omnino immemor Maurorum; satius erit, inquit, ut mihi designes opus, in quo vis hanc pecuniam expendi: vix hæc verba protulerat, cùm recordatus est pretij Mauris donandi, nihil tamen exteriùs pronuntiavit: illius autem eleemosinæ largitor, quasi cogitationem Domini D. Michaëlis legeret, illicò adjecit: meæ voluntatis est, ut hanc pecuniam expendas in eo opere pio, quod nunc in tua cogitatione volvis: & cùm tunc cogitatione volveret eleemosinam elargiendam Mauris, miratus est singularem Dei providentiam, quam in se confidentibus exhibet. Hunc mirabilem successum mihi narravit Dominus D. Michaël, paucis diebus antequam incideret in morbum, quo ingenti cum luctu totius Hispalensis civitatis & uberrimis pauperum lachrimis sublatus est die 9. Maij anno 1679. Et cùm ego eventum mirarer, alios mihi tunc mirabiliores narravit, quos sæpè expertus est. Hujus præclari viri vitam & gesta in lucem hoc anno edit R. P. Joannes de Cardenas nostræ Societatis Exprovincialis, satis ex suis scriptis orbi, & civitati Hispalensi ob pietatem notus. Ego sanè id sanctè testari possum, sæpè hanc cogitationem animum meum subijsse, fore, ut aliquando Dominus Michaël de Mannara in altaribus collocaretur; sæpè cum illo de rebus divinis locutus, ardentis in Deum amoris in illo manifesta signa deprehendi: cùm de Deo loquebatur, totus ardebat, & quasi extasim passus extra se veluti rapiebatur: nihil aliud quærebat, nihil aliud cogitabat quàm majorem Dei gloriam, & proximorum salutem, pauperúmque & ægrotorum levamen. Epistolam apud me habeo Patris Cardenas, in qua testatur, hujus viri corpus, post septem menses effossum, integrum & incorruptum repertum esse. Et sanè quamvis mihi diceretur, eum mortuos suscitâsse, nihil mirarer. Nam mihi ejus vitam & mores contemplanti, sæpè occurrit, non aliter vixisse, quos Ecclesia in altaribus veneratur.

VI. Quod si Sodalitas Charitatis provinciam hanc non sibi vendicâsset; illam absque dubio amplexus fuisset illustrissimus pauperum Pater, Dominus Archiepiscopus D. Ambrosius Ignatius de Espinola & Guzman, quia ultra quingentorum ducatorum millia tempore famis in alimoniam pauperum expendit. Et sanè hoc opus dignissimum est Episcoporum largitate. Ubi autem

Episcopi non fuerint, vel Sodalitates aliæ similes Hispalensi Charitati (si fortè in toto orbe Christiano perfectè similem habet illustris illa Sodalitas) quærenda est eleemosina inter divites populi. Ubi autem Mauri non de proprio vivunt, sed heris suis tanquam famuli ministrant, monendum est, ut domini illos ad conciones adducant; ídque illis injungendum est à Prætore urbis, præconis voce, si opus fuerit. Et cura hujus rei committenda est Sacerdotibus pijs, aliísque personis devotis, qui invigilent, ne ullus Mahumetanorum à concione absit. In ipsa autem concione expedit, ut Mahumetanæ fœminæ à Mahumetanis viris separentur, ne illas volentes petere Baptismum cohibeant: & ne se mutuò impediant infideles, intermiscendi sunt cum Christianis, viri cum viris, & fœminæ cum fœminis. Experientia enim docet, quòd, ubi Mahumetani inter se conjuncti sedent, obdurati & pertinaces detinent dociles, ne Baptismum petant.

CAPUT TERTIUM.

Quòd pro Maurorum conversione preces, eleemosinæ, jejunia, & alia pia opera à Christianis exercenda sunt, ut prædicatio effectum sortiatur. Vbi singularia hujus rei exempla ab Hispalensibus exhibita recensentur.

VII. CUM infidelium conversio non sit opus hominis currentis, sed Dei miserentis, quia, ut ait Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*: non solùm concionator debet enixè à Deo postulare, ut internè illuminet, quos ipse externè admonet: sed à Christianis auditoribus rogare, ut intimo cordis affectu postulent à Deo illorum conversionem, & pro illa impetranda eleemosinas, jejunia, & alias mortificationes Deo offerant. Idque initio singularum concionum debet impensè commendare. Et hac in re reliquæ Christiani orbis civitates imitari possunt insignem pietatem, & religiosum fervorem Hispalensium, qui vix cognoverunt, Missionarios Societatis publicas velle ad Mahumetanos conciones habere anno 1672. cùm ad expugnandam eorum perfidiam, Deo pro eorum conversione obtulerunt Communiones, Missas, jejunia, pœnitentias, & mortificationes in magno numero. Persona nobilis obtulit pro singulis, qui converterentur, quinquaginta Missas: alia obtulit, inservire pauperibus hospitalis feriâ sextâ nudis pedibus & cruribus. Alia pro singulorum conversione corpus suum cilicio cingere, & exosculari ulcus fœtidius pauperum in hospitali jacentium (& hic fuit D. Michaël de Mannara.) Alia persona vovit Domino abstinentiam

tiam

tiam perpetuam à carnibus, si emolliret cor cujusdam obstinati Mahumetani, cujus conversionem vehementer desiderabat; conversus est ille, & ipsa votum suum religiosè adimplet. Puer decennis, à parentibus Mahumetanis genitus, & in prima infantia baptizatus, miram ostendit pietatem; nam à primis annis totam doctrinæ Christianæ summam diligenter didicit, & ab usu rationis suorum parentum conversionem sitiens, pro illa preces ad Deum fundebat, & ferventer ipsos hortabatur ut Christiani fierent; in hac autem occasione, in qua Mauris prædicabamus, coram multis se provolvit ad pedes obstinati patris, illósque exosculatus, cum lachrimis rogavit, ut duritiem illam deponeret, & Baptismum peteret: qua pietate omnium oculos & amorem in se convertit. His diebus, quibus conciones habebantur, puer iste aquam afferebat ijs, qui in tanta gentium pressura sitiebant; & ex eleemosinis, quas ipsi viri pij erogabant ob hanc pietatem, octo drachmas congregavit, quas tradidit Sacerdoti, ut quatuor Missas Deo offerret pro conversione suorum parentum.

Sodalitas Charitatis Deo promisit, tot pauperes in integrum vestire, quot Mauri converterentur: id quod cumulatissimè adimplevit. Primariæ nobilitatis fœminæ inter Mahumetanas sedebant, eísque plena charitatis viscera ostendentes, verbis ardentibus, affectibus ardentioribus ad Christum trahere conabantur. Inter has eminuit Princeps fœmina, inter Hispaniæ Proceres sanguine clarissima, quæ non solùm fœtidis Mahumetanis assidebat, eásque arctè complectebatur; sed flexis genibus integram concionem audiebat, quæ plerumque per horam cum dimidia, & quandoque duas protrahebatur, Deo offerens hanc pœnitentiam, ut illarum duritiem emolliret. Quandoque necessarium fuit, sedilia ab uno in alium locum mutare: tanta autem devotione has conciones Hispalenses equites audiebant, ut cùm adessent servi & famuli, quibus hoc imperarent, ipsi suis manibus subsellia, & sedilia transportarent. Omnibus his concionibus adfuit Illustrissimus Archiepiscopus, qui Africanos, qui Baptismũ petierant, spirituali gaudio plenus arctissimè amplectebatur, eos verbis suis in fide confirmans, & ad ardentiùs desiderandum Baptismum inflammans. Huic Hispalensium pietati post Deum debetur tam numerosa Maurorum conversio, cùm pro magnitudine civitatis exiguus sit numerus eorum mancipiorum, quæ Hispali degunt, quia vix attingit trigesimam partem eorum, qui Gadibus, in Portu Sanctæ Mariæ, & Malacæ commorantur.

Charitatem & pietatem Hispalensium animadvertentes Africani, non minùs illâ, quàm concionibus ipsis movebantur ad fidem amplectendam: quam aliqui eo ardore susceperunt, ut prædicatores effecti alios ad Christum traherent. Maurus quidam uxoratus eam lucem in concionibus à Deo accepit, ut domum suam reversus uxori suæ prædicare cœperit, eam adhortans, ne hanc occasionem amitteret, lucrandi æternam animæ salutem; & quia eam obstinatam

natam vidit, ei omnem suam supellectilem, & pecuniam donans, & nihil sibi reservans, Christo contentus, eam dimisit, nolens ampliùs cohabitare cum muliere, quæ fidem Christi amplecti nolebat, ídque ipsum alius præstitit, dimisit enim uxorem, sibi nimis charam, quia converti noluit: utrumque tamen post aliquot dies Dominus consolatus est, quia mulieres illæ exemplo maritorum permotæ, Christum agnoverunt, & mariti eas cum ingenti lætitia admiserunt.

Turca quidam tanto cum fervore fidem Christi professus est, ut, quamvis haberet sufficientem pecuniam ad sui redemptionem, maluerit illam pecuniam alteri Africano, qui ipsius admonitione & exemplo conversus fuerat, donare, ut libertatem emeret, quàm propria libertate frui. Uno ex iis diebus, in quibus Mahumetanis prædicabatur, accepit litteras Africana ancilla ab Algerio, quibus monebatur, ejus redemptionem peractam esse, facta commutatione inter ipsam, & civem Hispalensem, qui captivus in Algerio detinebatur; quibus generosè respondit, malle se captivam in Hispania inter Christianos commorari, quàm cum libertate ad perfidiam Mahumetanam redire.

Fuit inter Hispalenses cives nonnullus, qui tanto gaudio affectus est ob conversionem mancipij sui, ut statim ipsum libertate donaverit, quamvis bonis fortunæ non abundaret. Multi ex Patrinis fervorem eorum, quos in Baptismo tenuerunt, videntes, eorum libertatem emerunt.

CAPUT QUARTUM.

Singulare exemplum puellæ sexennis orantis pro Mahumetanorum conversione.

VIII. PRÆFATIS exemplis aliud adjungo; quod abundè probat, quantùm apud Deum valeant ferventes orationes justorum pro impetranda Maurorum conversione: inter familias nobiles, quæ Malacæ morum integritatem & præclaram pietatem cum sanguinis claritate conjungunt, non postremum locum obtinet familia Domini D. Josephi Azedo del Castillo. Habebat eques iste filiam sexennem Marianam nomine, cujus certè intelligentia erat supra ætatem, pietas atque devotio supra naturam: nemo illam alloquebatur, qui non miraretur tam vividas rationis scintillas, ita ut mihi dubium non fuerit, eam in illa ætate jam capacem esse suscipiendæ Eucharistiæ, quia tam rationis compos erat, eóque judicio pollebat, quo vix aliæ pollent in nono vel decimo ætatis anno. Habebant parentes ejus ancillam Mahumetanam, cujus conversionem desiderabant, eam verò à Deo impetravit

virguncula illa sexennis, nam in genua coram altari provoluta magno devotionis affectu vitam suam Deo obtulit pro conversione ancillæ: *Obsecro Domine* (inquiens) *ut nobis concedas conversionem hujus ancillæ: ut illa Christo vivat, ego libenter moriar: ego vitam meam tibi offero pro ejus salute.* Non potuit non maximè Deo placere hujus Angeli oratio: & ita, quod postulavit, obtinuit, nimirum conversionem ancillæ, quæ ob amorem hujus puellæ Mariana appellata est; cujus reductione remuneravit Deus Christianam curam, quam adhibuerunt parentes illius puellæ in ipsius educatione; pietatem enim à pijs parentibus hauriens, non priùs incæpit vivere, quàm devotionem ostendere, & orationes recitare. Accidit casus iste ad extremum anni 1669.

CAPUT QUINTUM.

Quantùm expediat, quòd Mahumetani ad Fidem conversi magna cum solemnitate baptizentur.

IX. RATIO, & experientia docent, multùm omnino referre, quòd Mahumetani, & Judæi, qui inter Christianos convertuntur, cum solemni apparatu ducantur ad sacrum fontem, & quòd, si fieri potest, ab Illustrissimis Episcopis, vel Archiepiscopis cum ingenti pompa baptizentur. Primò, quia cùm homines rudes res spirituales in seipsis attingere non possint, manuduci debent per hæc exteriora ad ipsarum cognitionem. Et ideo Christus Dominus Sacramenta novæ Legis in signis exterioribus, & sensibilibus instituit. Ut enim inquit D. Thomas 4. contra gentes cap. 56. *Sicut cæteris rebus, ita etiam homini Deus providet secundùm ejus conditionem: est autem talis hominis conditio, quòd ad spiritualia & intelligibilia capienda naturaliter per sensibilia deducitur: oportuit igitur, spiritualia remedia hominibus sub signis sensibilibus dari.* Et propterea S. Ecclesia tot sacras cæremonias instituit in administratione Baptismi, ut illius mirabiles effectus his signis declaret. Secundò, quia tam infideles, quàm fideles, dum sacras illas cæremonias spectant, & solemnitatem considerant, quâ confertur, magnum aliquid ibi apprehendunt, sicut reverâ est; quod sanè non facerent, si solùm viderent homines exteriùs ablui. Tertiò, quia infideles contemplantes hilaritatem catechumenorum, & spirituale gaudium fidelium, & authoritatem Episcopi administrantis, hinc moventur ad venerationem Baptismi, & sæpe excitantur ad illum petendum, ut sequentibus exemplis constabit.

X. Quando ad finem anni 1669. Malacæ conciones publicas habui ad Mahumetanos, aderat tunc puella Mahumetana duodecim annorum, arguta valde & perspicacis ingenij, quam paucis ante mensibus captivam abdu-

xerant ex Oràn: erat illa in secta Mahumetana pertinacissima, ejúsque conversionem frustrà sæpè tentaverat pia fœmina, cui ut ancilla inserviebat: & quamvis quadam curiositate ducta memoriæ mandaverat quatuor primas catechismi orationes, quas sæpè repetebant famulæ illius domus; ejus tamen cor longè erat à credendo, quod ore proferebat. Tristitiâ maximâ, & impotenti rabie afficiebatur, quando aliquis Mahumetanorum Baptismum petebat; & quadam die tam acerbè tulit conversionem Mahumetanæ fœminæ, cujus cor in concione Deus emollivit; ut faciem propriam unguibus fœdaverit præ doloris & impatientis furoris æstu; secundùm consuetudinem illius barbaræ gentis, apud quam fœminæ in occasionibus magnæ tristitiæ unguibus faciem lacerant. Hujus tamen puellæ cor Deus mirabiliter mutavit, ea die, qua Illustrissimus Episcopus triginta tres catechumenos cum magna solemnitate sacro fonte lustravit, ut diximus suprà cap. 1. Petivit illa à domina sua facultatem ad spectandam solemnem processionem catechumenorum, qui à Collegio Societatis ad Cathedralem Ecclesiam ducebantur, ubi eos expectabat illustrissimus Episcopus, qui erigi mandavit ingens tabulatum iuxta sacri Templi fores, ut sacra illa functio liberè ab immensa populi multitudine spectari posset. Spectavit puella, quasi stupefacta, hilaritatem, quam vultu præferebant catechumeni, spirituale gaudiũ Christianorum, magnificam illam pompam, & devotionem, quâ tota nobilitas catechumenos comitabatur, omnibus alta voce cantantibus nostræ fidei mysteria; irrupit per mediam multitudinem, ut in tabulatum ascenderet, & sacras cęremonias intueretur: & intus accensa, exteriùs fervorem spiritûs promebat; veniebat honestè cooperta subtili pallio, seu nebulâ sericâ; & faciem, capútque discooperiens, hilaritate vultûs, & verborum fervore ardorem internum prodens, alta voce ab Illustrissimo Episcopo Baptismum petit: ille benignè ad se vocans, & in visceribus charitatis recipiens, ejus vocationem explorat, & motivum petendi Baptismum inquirit, & cognito virgunculæ fervore, me interrogat, an puella illa posset tunc cum aliis Baptizari, quamvis non esset instructa eo pacto, quo adulti ante Baptismum instrui debent? quia propter ætatis teneritudinem videtur posse, inquit, ut parvula reputari; & aliunde periculum non est perversionis, quia existit in domo devotæ fœminæ, omnino separata à Mahumetanorum commercio, & intra breves dies potest integrè instrui, ejúsque fervor hoc præmium postulat, ut cum aliis baptizetur; mæstitia enim non exigua illi erit, si Baptismus differatur. Prudentissimæ rationes illæ Illustrissimi Episcopi mihi persuaserunt, posse illi tunc Baptismum administrari, omnísque ratio dubitandi ablata est, cùm compertum est, eam memoriâ tenere symbolum, & sufficienter capere mysterium Trinitatis, & Incarnationis, & reliqua, quorum fides explicita exigitur ab adultis. Itaque dum alij baptizabantur, breviter eam ibi instruximus, & post alios ibidem sole-

lemniter baptizata est cum festivo omnium plausu, & cum maxima consolatione Illustrissimi Episcopi, qui vehementer admirabatur ingentem lætitiam, quam vultu præferebat propter beneficium suscepti Baptismi.

Similem eventum expertus sum Xeræ anno 1671. Erat ibi Turca adolescens, corporis, & oris elegantiâ conspicuus, & qui potiùs Matriti, quàm in Africa educatus videbatur: conceperat ille aliquando propositum suscipiendi Baptismum, & jam orationes didicerat, & mysteria fidei sufficienter noverat. Sed perfidus Mahumetanus, qui magnæ erat authoritatis apud suos, eum ab hoc proposito deturbavit, illúmque omnino decepit, ut in Mahumetana secta persisteret, & satagebat, ne conciones audiret, quas ibi prædicavimus. Permanebat adhuc in sua perfidia toto illo tempore, quo missio Xeretana duravit, nempè tempore Quadragesimæ. Cæterùm post aliquot menses solemniter baptizati sunt Mahumetani, qui conversi fuerant; non enim ibi potuimus remanere tempore illo, quod necessarium erat ad Catechumenorum instructionem. Urgebat enim Missio Gaditana, quam enixè Illustrissimus Episcopus poscebat, & civitas desiderabat, ob ingentem cladem, quam ingens ventorum procella intulerat, naves in Portu submergens, & domus non paucas subvertens, & ædificia quatiens: urgebat etiam missio Portuensis, quam excellentissima Ducissa de Medina Cæli impetrabat. Post has Missiones peractas, & post Missionem habitam in Civitate de Sanlucar, Xeram migravimus ad Baptismum solemnem, in quo quindecim Mauri Sacro fonte expiati sunt. Erectum est ingens theatrum in maximo foro, vulgò *Arenal*; confluxit innumerabilis hominum turba, Catechumeni stipati equitibus, & Religiosis Societatis in processione ducti sunt ad locum Baptismi, sicut Malacæ factùm fuerat.

Adolescens ille Turca hoc spectaculum contemplans, & Sacrum apparatum intuens, ita commotus est, ut alta voce medio in foro clamare cæperit. *Volo Christianus esse, & cum cæteris baptizari: locum date, ut possim theatrum conscendere*: & per confertam multitudinem perrumpens, tandem ascendit, & magno fervore Baptismum petiit. Illum ego examinavi, & inveni sufficienter instructum in mysteriis fidei, quæ aliquando didicerat: & quanta potui celeritate disposui, ut Baptismo cum reliquis tingeretur à Vicario Domini Archiepiscopi: suo fervore, & vultûs elegantiâ omnium oculos in se rapuit, & summo cum gaudio Baptismum suscepit.

XI. Tertiò, anno 1670. tempore Pentecostes celebratus est solemnis Baptismus Matriti in nostro Collegio Imperiali, in cujus capacissimo templo ingens tabulatum erectum, & ornatum erat, prout sacra hæc functio postulabat: ibíque inspectante Hispanica nobilitate, undecim vel duodecim Catechumeni, qui perfidi Mahumeti sectam deseruerant, convicti argumentis, quæ adversùs illam confecimus in nostra domo Professa, ab Illustrissimo Episcopo Arcadiæ (nam Eminentissimus

mus Cardinalis Archiepiscopus Toletanus D. Paschasius de Aragon, vel defectu integræ valetudinis, vel aliis curis, & negotiis legitimè impeditus, per seipsum hoc munus exequi non potuit) Sacro fonte lustrati sunt. Egressa est processio Catechumenorum à domo Professa, eos stipantibus à dextris, & à sinistris Dynastis, & Regni Proceribus. Adolescens Mahumetanus, hanc solemnitatem admiratus, à Deo in hoc itinere illuminatus est; in tota via oculos avellere non poterat à Catechumenis, & quamvis sæpè vi repulsus sit, ne illis appropinquaret; ejus tamen perseverantia obtinuit, ut per mediam turbam perrumperet, & tabulatum ascenderet; ubi alta voce Baptismum petiit: qui tamen tunc ei administratus non est, quia non erat adhuc instructus in rebus fidei. Hi casus manifestè probant, convenientissimum esse, ejusmodi Baptismata cum pompa, & magno apparatu celebrari.

CAPUT SEXTUM.

Quomodo expugnanda sit obstinatio Mahumetanorum, qui veritatem Religionis Christianæ cognoscentes, Baptismum suscipere detrectant, vel differunt.

XII. QUANDO Christi prædicator agnoverit, intellectum Mahumetanorum convictum quidem esse, cæterùm voluntatem adhuc rebellem existere; minas Dei ingeminet, novissima ponderet, severitatem divini judicij, & terribilitatem pænarum inferni expendat, & effigiem animæ damnatæ è pulpito ostendat. Cùm in secunda Missione Hispalensi primò ad Mahumetanos verba fecimus, post aliquot conciones, animadvertens prædicator duram obstinationem quorundam, de inferno sermonem instituit; effigiem hominis damnati ostendit, & ad extremum ad parietem, vel columnam, cui suggestum innitebatur, conversus, & sudorem, quo madebat frons ejus, manu emundans, æstu quodam fervoris abreptus, manum sudore madidam, columnæ marmoreæ impegit alta voce inclamans, *Columnæ, parietes, audite verbum Domini, & testes mihi estote, quòd veritatem huic obduratæ genti prædicaverim.* Et ad Mahumetanos faciem vertens, & minacia verba proferens: ego, ego, in Dei (inquit) judicio vester Fiscalis ero, ego vestram duritiem coram supremo judice accusabo; sudor iste testis erit locupletissimus; ignorantiam ibi allegare non poteritis; luce meridiana clariùs vobis ostendi, Mahumetum non Dei Prophetam, sed seductorem nequissimum fuisse, & extra Christi Religionem salutem non esse: satis, arbitror, vester intellectus convictus est; sed rebellis adhuc voluntas existit. O bone Deus! frange horum lapidum duritiem, & ex illis filios Abrahæ constitue. Hæc

& alia terribilia verba fulminavit. Et adſpirante divina gratia, cujuſdam obſtinatiſsimi durities tandem fracta eſt; extorsêre terrores, quod elicere rationes non potuerant: ſiquidem ad Baptiſmum iis minis tractus eſt. Solent obſtinati Mahumetani, dum, quid reſpondeant, non occurrit, ad hanc reſponſionem confugere: Pater meus Maurus, avus meus Maurus, proavus Maurus; & ego quoque Maurus uſque ad mortem. Sed hanc eſſe ſtultam reſponſionem, facilè convincitur, ſicut ſtulta eſt eadem reſponſio, poſita in ore Gentilis idololatræ, vel obſtinati Hebræi Judaizantis. *Pater meus idololatra, avus meus idololatra, &c.* Et ſicut ſtultum eſſet, dicere: Pater meus in inferno eſt, avus in inferno &c. Majorum vita prava non eſt imitanda, ſed deſerenda: eorum præcipitium fugiendum, non quærendum eſt, &c. Quid expectas, ut convertaris? An quòd Deus miraculum aliquod faciat ad te convertendum? Sed Deo mos non eſt, miracula ſine neceſsitate facere. Joſue 5. v. 2. *Defecítque manna poſtquam comederunt de frugibus terræ, nec uſi ſunt ultrà cibo illo filij Iſraël.* Stella, quæ apparuit Magis, & eos duxit in Hieruſalem; cùm illuc pervenerunt, diſparuit, quia jam ibi non erat neceſſaria, ubi Chriſti notitia aderat; & ideo voluit Deus, ne exiſteret otioſa: & ideo Job cap. 5. dixit: *Nihil in mundo ſine cauſa fit.* Ideo Chriſtus noluit miracula coram Herode facere, quia otioſa erant, & ſolùm ad curioſitatem quærebantur. Luc. 23. 3. Certè tentare Deum, petendo miraculum, non eſt medium aptum, ut convertaris: nec, ut ad Chriſtum venias, bona diſpoſitio eſt, expectare, ut tibi miraculosè appareat.

Sanè ſi tu fidem non habes iis, quæ conſcientia tua tibi dictat, nec ei, quod probant miracula, quæ Chriſtus fecit in confirmationem ſuæ doctrinæ, nec miraculis, quæ fecerunt Apoſtoli in confirmationem ſuæ prædicationis, nec credis mirabili mundi converſioni, nec innumerabilium Martyrum præconio qui ſanguinem ſuum fuderunt in defenſionem veritatis, quam ego vobis prædicavi: nec Chriſtianus fies, quamvis ipſe Chriſtus tibi appareat. Luc. 16. *Si Moyſem & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis ſurrexerit, credent.* Chryſoſtom. Hom. 9. in Lucam: *Si ſciviſſet Deus, quòd mortui excitati viventibus eſſent profuturi, nequaquam omiſiſſet, neque tantum lucri prateriiſſet, qui cuncta nobis profutura procurat.* Lazarus, & Chriſtus ſurrexerunt, & nec Lazaro, nec Chriſto crediderunt perfidi Judæi.

XIII. Dum autem moras nectunt, & in tempus futurum proſpiciunt, urgendi ſunt verbis illis Spiritûs Sancti: *Ne tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius.* Si bonum eſt, Chriſtianum eſſe, hoc bonum non eſt differendum. Si modò non vis fieri Chriſtianus, forſan veniet tempus, quando velis, & non poſſis: ut enim inquit Auguſtinus ſerm. de verbis Apoſt. Petri, & Pauli: *Cùm vult, non poteſt, quia, quando potuit, noluit, ideo per malum velle, perdidit bonum poſſe.* Et lib.

lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Illa est pœna peccati justissima, ut amittat unusquisque illud, quod bene uti noluit, cùm sine ulla difficultate posset, si vellet: id est, ut, qui sciens rectè non facit, amittat scire, quod rectum est; & qui rectum facere, cùm posset, noluit, amittat posse, cùm velit.* Hinc Gerson tractatu de parvulis ad Christum trahendis: *Plerunque fit justo Dei judicio, ut, qui gratiam Dei, vel neglexerit, vel repulerit, abutens donis Dei, & talentis summi Patris familias, in primo ætatis vigore, dum fas erat, postmodum ad eam veniendi nequaquam recursus habeatur.*

Narret hîc Christi prædicator exemplum illud, quod legitur in speculo Magno exemplorum part. 2. dist. 9. exemplo 215. de illo peccatore, qui pœnitentiam, cùm posset agere, protrahens, in hora mortis constitutus clamabat, *O pœnitentia, pœnitentia! ubi es, quòd te invenire non possum? Justo Dei judicio nunc pœnitere non valeo, quia, cùm potui, nolui, & hoc dicens mortuus est.* Item illud, quod ex Cardinali Petro Damiano narrat idem speculum dist. 1. exemplo 94. de illo peccatore, qui pœnitentiam protrahens usque ad mortem; in illo articulo constitutus, cùm de alijs rebus sermo miscebatur, vigil attendebat; cùm autem de pœnitentia agenda monebatur, statim obdormiebat; & raptus in infernum à Diabolo est, &c. In hunc scopum potest ponderari illud 1. Reg. 26. 12. *Omnes dormierant, quia sopor Domini irruerat super eos.* Super quod Salvianus: *Sopor infunditur, ut perditio sequatur.*

Possunt in hoc assumptum expendi verba illa Proverb. 1. 24. *Quia vocavi, & renuistis, &c.* Et illa Psalmi 17. 42. *Clamaverunt, nec erat, qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.* Item illa Job. 27. 9. *Numquid Deus audiet clamorem ejus, cùm venerit super eum angustia? Aut poterit in omnipotente delectari, & invocare Deum omni tempore?* Demum illud Christi Matth. 25. 11. *Domine, Domine aperi nobis. At illè respondens ait: nescio vos.*

Cùm ego Mauris Malacæ prædicavi ad finem anni 1669. honestus, & valde spiritualis Sacerdos, nomine Dominus Christophorus Brito, habebat servum Mahumetanum, cujus conversionem vehementer desiderabat: eum de hac re sæpè allocutus est, sed irritò: adduxit illum ad conciones, sed neque prædicatio, neque exempla aliorum illi persuadere potuerunt; denique ut nihil intentatum relinqueret, illum ad me adduxit initio anni 1670. ut privatim illi veritatem manifestarem; quantum potui, laboravi, ut illum ad Christum traherem, sed frustra. Citò ejus duritiem Dominus punivit: nam cùm essem in nostro Complutensi Collegio de JESUS del Monte, accepi litteras illius Sacerdotis subscriptas die 19. Augusti anni 1670. in quibus hæc formalia verba continebantur: *Miserabilis ille Maurus fratris mei servus infeliciter obijt, violenter occisus; idque tam celeriter, ut post inflicta vulnera statim mortuus corruerit, sic Deo castigante duritiem cordis ejus: nobis manet dolor,* quòd

quòd infelix ille noluerit Doctrinam in sermonibus auditam ad animæ suæ salutem convertere, sicut alij converterunt.

CAPUT SEPTIMUM.

Quid consulere debeat Christi prædicator Mauris, quibus persuadere non potuit, ut Baptismum peterent.

XIV. CUret Christi minister, Mauros pertinaces, quos sermonibus flectere non potuit, blandè, & charitativè alloqui, illísque consulere, ut lucem à Deo petant, ut cor illorum tangat, ad Christi fidem amplectendam, si illa sit ad salutem necessaria, & ad deserendam Mahumeti legem, si verum sit, quod Christiani credunt, eam esse certam ad æternam perditionem viam. Legatur in hunc scopum consilium, quod dedit P. Ignatius de las Casas Cordubæ Mahumetano ægrotanti, suprà capit. 6. ut scilicet ex toto corde dicant illam orationem, quæ in Alcorano legitur: *Doce nos Domine viam rectam, & bonam.* Et quod ego dedi Fatimæ Malacæ, ut suprà, & quod dedi Hispali Joanni Baptistæ.

Refert Cardinalis Baronius tom. 2. ad annũ 130. apparuisse senem venerabilem Sancto Justino Philosopho, & Martyri, cùm adhuc esset idololatra, eique dixisse: *Veram Philosophiam non posse nisi in Schola Christi reperiri*, & addidisse: *At tu votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri postula: neque enim ab aliquibus percipiuntur aut intelliguntur, præterquam si Deus, & Christus eis concesserit intelligentiam.*

Insuper admoneat Mahumetanos, quòd, si velint à Deo lucem impetrare ad cognoscendam veritatem, non solùm debent eam à Deo petere, sed vitia fugere, & peccata vitare: hæc enim sunt impedimentum, & quasi murus, ne lux de Cœlo veniens animam illuminet. Ut enim inquit Hieremias cap. 5. 25. peccatoribus loquens: *Peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis.* Et ut ait Isaias c. 59. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.* Et Sophonias c. 1. 17. *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Et David Psal. 39. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.* Ideo Christus Joan. 7. 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Et Spiritus Sanct. Ecclesiast. 1. 33. *Fili concupiscens sapientiam conserva justitiam & Deus præbebit illam tibi.* Item David Psal. 83 13 *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.* Et Ecclesiasticus cap. 2. 20. *Qui timetis Deum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.*

XV.

XV. Consulendum etiam illis est, ut in hunc finem impetrandi à Deo lucem aliquas eleemosynas secundùm suam posibilitatem pauperibus erogent: & ad hoc persuadendum narretur ipsis, quod S. Lucas Act. 10. refert de conversione Cornelij Centurionis, quam media oratione, & eleemosynis impetravit: siquidem Angelus dixit ei: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Act. 10. 4. Proferat etiam in medium exemplum S. Casildæ filiæ Almenonis Mauri Regis Toletani, quæ propter eleemosynas, quas Christianis Captivis largiebatur, à Deo meruit illuminari, & baptizata ad magnam pervenit sanctitatem, ut scribit Mariana lib. 9. histor. Hispan. c. 3. Aliud exemplum admirabile refert Bar. tom. 7. ad An. Christ. 537. cujusdam fœminæ Gentilis, quæ propter eleemosynam, quam pauperi laqueo se suspendere volenti dedit, quo illum à suspendio liberavit, miraculosè meruit baptizari, & à turpi vita revocata est, & æternam salutem obtinuit.

Item, quandoquidem B. Virginem ut eximiè sanctam venerantur, consulendum ipsis est, ut ab ipsa precentur, ut si vera sunt, quæ Christiani de Filio ejus credunt, quòd scilicet sit verus Deus, à Deo ipsis impetret lucem ad suscipiendam fidem Christianam; sin verò, in sua Religione moriantur.

XVI. Denique si aliquem Mahumetanum invenerit Christi prædicator, qui libros Hispanicâ linguâ conscriptos legere sciat, ut ego inveni, ei consulat, ut libros devotos legat. R. P. Ludovicus Granatensis in Prologo 2. part. symboli refert, quòd Maurus captivus nomine Hamete habebat apud se librum ejusdem Authoris de oratione, & meditatione, & in eo frequenter legebat: & cùm famuli ejusdem familiæ ob hoc riderent, ipsúmque quadam die interrogâssent: *Quid tu hic legis?* Ille respondit: *Sinite me: ego scio, quid faciam*: tandem lectionem continuando meruit ab illo illuminari, qui Eunuchum reginæ Candacis legentem Isaiam illuminavit Act. 8. & Baptismum petijt.

CAPUT OCTAVUM & VLTIMUM.

Insinuantur Verba Scripturæ, quæ pro themate concionum contra Mahumetanos seligi possunt. Et quomodo ex dictis expleri possint.

XVII. PRimum Thema: *Sine fide impossibile est placere Deo*, ad Heb. 11. 6. Nequit dari arbor sine radice, neque domus, vel ædificium sine fundamento, neque salus æterna animæ rationalis sine vera fide: est enim fides fundamentum spiritualis ædificij, in quo in hac vita hospitari debemus Deũ

intra animas nostras, ut in alia vita ipse hospitetur nos in suo Cœlo: Spes est veluti paries, & charitas est quasi tectum, ut docet August. Fides autem generatur in anima audiendo prædicatores, qui Verbum Dei annuntiant. Ut enim inquit Apostol. Rom. 10. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi, id est, auditus credentium est per Verbum prædicatorum, quod est Verbum Christi*, ita D. Thom. explicat verba hæc.

Hic explicare debet prædicator, Sanctissimam Christi Religionem docere, & præcipere, neminem violenter cogendum esse ad fidem suscipiendam; quia fides vera, quæ sit salutis æternæ Fundamentum, debet esse libera, & voluntaria adulto credenti: posse tamen incredulos cogi ad audiendum, quia credere non possunt, nisi audiant, & audire nequeunt sine prædicante, ut inquit idem Apostolus: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Loquitur Deus hominibus per os hominum, quos ad prædicandum mittit; sicut loquutus est Ninivitis per os Jonæ, & Hebræis atque Ægyptijs per os Moysis: & sicut loquutus est filijs Israël per os Prophetæ Isaiæ, Hieremiæ, & reliquorum; & sicut loquutus est mundo per os Christi, & post Christum per Apostolos ab ipso missos in universum mundum ad prædicandum Evangelium. Etenim sicut fræneticum nolentem manus medici admittere, possumus ligare, & cogere, ut sinat medicinam sibi applicari: Ita quia nos Christiani certi sumus, & tanquã fidei articulum tenemus, neminem extra fidem Christi salvari posse; jure merito possumus infideles cogere ad audiendam prædicationem veræ fidei. Sed quamvis possemus vos, ô Mahumentani, cogere ad audiendas conciones, nolumus tamen neque ad hoc ipsum violentiâ uti; sed rogamus, & obsecramus, ut veniatis, & ut excusationem non habeatis, operam dedimus, ut nihil emolumenti temporalis amittatis, dum ad concionem venitis. Itaque nullum damnum vobis accidere potest ex ijs concionibus: siquidem illis auditis, liberum vobis erit, vel Christi fidem amplecti, vel in vestra perseverare. Potest autem ex eisdem maximum vobis commodum accrescere: si enim verum est, quod vobis prædicabo, ut verissimum esse certò credimus Christiani, vestra æterna salus hinc pendet. A vobis hoc unum propter magni Dei reverentiam postulo, ut attendatis ad ea, quæ dixero; sanctè enim obtestor, me in hac prædicatione nihil aliud intendere, quàm æternam salutem vestram, quam diligo sicut propriam, & pro qua paratus sum vitam meam ponere. Si vera vobis non apparuerint, quæ dixero, manete in vestra Religione: si autem vera esse cognoveritis, debetis illam deserere, & Christianam amplecti. O Pater misericordiarum! ô Deus totius consolationis! qui neminem vis perire, sed omnes vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, illumina mentes horum hominum, quos tanquam proximos propter te diligo, & quibus æternam felicitatem ex animo desidero,

ut cognoſcant *te verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Loquere Domine intus ad cor eorum, dum ego externè loquor ad aures; ſcio Domine, neminem poſſe *venire ad Chriſtum, niſi tu traxeris eum:* trahe ergo Domine eos ad ad Filium tuum. Et vos ô Chriſtiani, viſcera charitatis oſtendite erga hos proximos veſtros: date veſtris orationibus efficaciam verbis meis; petite ex toto corde converſionem iſtorum fratrum à Deo: offerte illi pro illorum ſalute Miſſas, Communiones, eleemoſynas, jejunia, pœnitentias, & alia pia opera: probè nôſtis, quàm verum ſit, quod ſumma veritas Chriſtus dixit Joan. 12. *Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo*; rogate ergo illum, ut det donum fidei his fratribus noſtris: & vos ô chariſſimi, & dilectiſſimi Mahumetani, quando quidem Deum Cœli, & terræ Dominum colitis, rogate impenſè in cordibus veſtris, ut ſi ego prædicator veritatis ſum, ab ipſo verè miſſus, vobis ſupernè mittat lucem, quâ veritatem cognoſcatis, & robur, ut veritatem cognitam profiteamini; ſi autem ſeductor ſum, vos ab errore, & falſa fide liberet. Quid hâc petitione æquius? quid rationabilius?

XVIII. Hoc exordio præmiſſo, & in hunc modum captatâ benevolentiâ Mahumetanorum, ſermonem inchoet à prima demonſtratione propoſitâ c. 1. rémque amplificet, & ſermonem finiat in medium proferendo aliquod exemplum ex iis, quæ ſuprà habentur & in fine concionis in brevem epilogum reducat, quæ fuſè dicta ſunt in ejus decurſu, & vehementiam affectuum commovens, auditores hortetur ad petendum Baptiſmum publicè, & confitendum Chriſtum coram hominibus, ut ipſos ille confiteatur coram Angelis Dei. Fideles commoveat ut hoc inſtanter à Deo precentur, & cum illis aliquam ferventem orationem vocalem ad Deum, & B. Virginem fundat ad impetrandam illorum converſionem. Parata habeat Roſaria: & ſi aliquis auditorum Baptiſmum petat, & ſit vir, jubeat, ut ad pulpitum adducatur, ibíque eum arctiſsimè amplectatur, & Roſarium collo ejus imponat in teſtimonium fidei. Si autem ſit fœmina, ei Roſarium porrigat, cæterum propter honeſtatem ab amplexu abſtineat; & hoc munus amplexandi mulieres converſas committat alicui fœminæ nobili ex circumſtantibus. Hanc praxim concionandi ego ſervavi.

XIX. Secundum Thema. *Si non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Joan. 8. 24. horum verborum explicationem quære in diſp. de divinitate Chriſti 1. part. Quia primum fundamentum fidei Chriſtianæ, in quo diſcriminamur à Judæis, & Mahumetanis, eſt credere, quòd Chriſtus eſt Filius Dei naturalis, verúſque Deus; oportet ut Chriſti prædicator coram Mahumetanis unam, vel duas conciones inſtituat de Chriſti divinitate. Ad hoc autem aſſumptum explendum proferat argumenta in illa diſputatione à me expenſa. Item lib. 3. cap. 1.

Tertium Thema, poteſt etiam ad prædicandum de Chriſti divinitate aſſumi hoc thema: *Hæc eſt*

autem vita æterna, *ut cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Joan.17.3. cujus explicationem habes ibidem 1. part.

Quartum. *Lex Domini immaculata convertens animas.* Pſalm.18.8. vide explicationem hujus thematis cap. 9. ubi habes copioſam materiam: & deſcribitur vita Morabitarum. Item huc ſpectat impurus ejus Paradyſus cap. 11.

Quintum. *Teſtimonium Domini fidele.* Pſalm.18.8. vide ad hoc explendum ibidem.

Sextum. *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt; quoniam multi Pſeudo-Prophetæ exierunt in hunc mundum.* 1. Jo. 4. vel hoc: *Multi Pſeudo-Prophetæ ſurgent, & ſeducent multos*, Matth. 24.11. vel iſtud: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Matth. 7. 16. ad probandum, Mahumetum non fuiſſe Dei Prophetam, expende contradictiones Alcorani, ut ſuprà. Item ejus impuram vitam. Item modum, quo ſectam ſuam invexit.

Septimum. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Joan. 8. ad probandum contra Mahumetanos, primò pluralitatem perſonarum in Deo, vide cap. 3. Item cap. 4. vide thematis explicationem, & inde pete argumenta ad probandam Trinitatem Perſonarum in Deo. Præcipuè verò argue ex miraculis, & revelationibus, expenſis c. 6. quia Arriani nunquam claruerunt miraculis. Huc ſpectat colloquium, quod habui cum Hamete Soliman, ut ſuprà.

Octavum. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur ad illudendum, & crucifigendum, & tertia die reſurget.* Matth. 20. Convincatur falſitatis Mahumetana ſecta ex eo, quòd negat mortem Chriſti ex lib. 4. cap. 1.

Nonum. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Pſalm. 92. Vide hujus thematis explicationem 1. part. Lex vera debet habere evidentia argumenta credibilitatis, quibus demonſtretur, illam eſſe à Deo datam: hæc autem argumenta non habet lex Mahumeti, ut probatur cap. 2. & convincitur ex impura Mahumeti vita, & ex perverſis dogmatibus, & erroribus ejus, & ex modo illam introducendi. Chriſti autem lex habet evidentia credibilitatis ſigna. Ea breviter recenſentur cap. 2. expendatur argumentum petitum à conſtantia, & alacritate Martyrum, quam ſpectantes Gentiles converſi ſunt, ut habes 1. part. cap. 10. & 2. part.

Decimum. *Interrogate, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus veſtris.* Hierem. 4. hîc expendatur quanta ſit obligatio Mahumetanorum inquirendi, an ſua lex ſit à Deo. Vide ad hunc ſcopum cap. 3. Convincatur, non eſſe viam bonam ſectam Mahumeti, ex impura vita Mahumeti, quia injuſta præcipit: quia pluralitatem uxorum,

rum, & liberam eas repudiandi licentiam licitam facit: quia sodomiam, & bestialitatem licitas facit; quia evidenter fabulatur, Evangelia esse corrupta.

Undecimum. *Testimonium Domini fidele sapientiã præstans parvulis.* Ps. 18. ostendatur legem Mahumeti sapientiam non præstare parvulis, 1. quia non ordinat homines ad supernaturalem finem, & divinum, in quo juxta S. Thomam consistit, quòd præstet sapientiam parvulis. Secundò, quia proponit, ut res veras, fabulas ridiculas. Tertiò, quia contra evidentissima testimonia Evangelij, & omnium hominum, fabulatur circa Annunciationem, & Partum B. Virginis, ut constat ex suprà dictis. Quartò, quia non habet orationem, sacrificia, & alia media elevantia hominem ad Dei contemplationem, & amorem. Quintò, quia eos, quos Mahumetani vocant sanctos, brutales & bestiales facit. Afferat hîc prædicator Christi exempla sapientiæ, quam Religio Christiana tribuit pueris innocentibus: v. g. Justo, & Pastori, quam tribuit Agneti, Catharinæ, Cæciliæ, Theresiæ, Teclæ, & aliis.

Duodecimum. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. ult. conferat Christi prædicator modum, quo lex Christi introducta est in mundum per pauperes Piscatores, contradicentibus orbis Principibus, cum modo, quo invecta est secta Mahumetana, & convincet, illam esse veram, & hanc falsam. Ad hoc explendum thema legatur disputatio de Divinitate Christi, c. 39. Item expendat miracula, quibus floruerunt in omni sæculo Sectatores Christi, ut breviter, & dilucidè facit Cardin. Bellarm. in tomo concionum concione 6. de fide & impotentiam faciendi miracula, quam de seipso fatebatur Mahumetus, & miracula ridicula, quæ in sui commendationem confinxit, ut constat ex dictis.

Decimum tertium. *Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Joan. 12. 35. ad expugnandam duritiem Maurorum, qui auditis concionibus nolunt ad Christum venire, quamvis veritatem cognoscant, vide lib. 6. cap. 6. & 7. Item ad impugnandam illam communem excusationem, *Convertar, quando Deus voluerit*, vide suprà, ubi impugnatur error Mahumetanorum asserentium Deum destinare homines ad malum, & omnia ex necessitate evenire.



INDEX
SECUNDÆ PARTIS
MANUDUCTIONIS AD CONVERSIONEM MAHUMETANORUM.
PARS SECUNDA.

In qua Falsitas Mahumetanæ Sectæ convincitur, pariterque veritas Religionis Christianæ, quæ primâ parte demonstrata est, novis iterum argumentis stabilitur.

LIBER PRIMUS.

PRoœmialis, exhibens brevem notitiam de Mahumeti vita, & moribus, de Alcorani erroribus, & de artibus, quibus secta hæc introducta est.

LIBER SECUNDUS.

In quo continentur apertæ aliquæ demonstrationes contra hanc sectam, quæ confirmantur ex mirabilibus quorundam Mahumetanorum conversionibus: specialiter verò falsitas Alcorani convincitur ex eo, quòd ponat ultimam felicitatem hominis in delectationibus Corporis.

LIBER TERTIUS.

In quo ex dictis Alcorani, & ex Scripturis Divinis, quas admittit, & ex Divinis visionibus, & miraculis probatur Divinitas Christi, & Trinitas Personarum. Ubi etiam apponitur longum colloquium, quod Author habuit cum arguto Mahumetano: & varijs similitudinibus exponuntur mysteria Incarnationis, & Trinitatis: & docetur, quomodo agendum sit cum Infidelibus, qui ob difficultatem mysteriorum nostræ fidei illam recipere detrectant: & demonstratur, legem Christi abrogari non potuisse per legem Mahumeti, quamvis lex Moysis sit abrogata per legem Christi.

LIBER QUARTUS.

In quo demonstratur, Christum mortuum esse, & resurrexisse, contra id, quod Alcoranus fabulatur: & exponitur, cur Deus fieri voluerit homo passibilis, & ostenditur, nec novum, nec vetus Testamentum fuisse corruptum à Christianis, ut Mahumetus finxit.

LIBER QUINTUS.

In quo ex contradictionibus Alcorani, ex fabulis, quibus est refertus, ex erroribus manifestis contra historiam, contra Mathematicam & Philosophiam, ex impura Mahumeti vita, & moribus eorum quos Mahumetani Sanctos appellant, evidenter demonstratur, legem contentam in Alcorano non esse legem DEI, nec illi convenire ullam ex proprietatibus legis Divinæ quas David descripsit,


LIBER SEXTUS.

In quo traditur praxis convertendi Mahumetanos, petita ab experientia Authoris, & designantur themata Concionum, & loca etiam ex toto opere, quibus expleri possint.

FINIS.







[illegible]

Mahume[illegible]

[illegible]

[illegible] convi[illegible]

Catholica

Manuductio ad Conversionem

Mahumetanorum.

Aloysius Gonzalez

[illegible]